Bible - Revelations
3716. k. 3.

APOCALYPSIS
EXPLICATA

Secundum SENSUM SPIRITUALEM;

UBI

REVELANTUR ARCANA, quæ ibi prædicta, et hactenus recondita fuerunt.

Ex OPERIBUS POSTHUMIS
EMANUELIS SWEDENBORGII.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:
TYPIS ROBERTI HINDMARSH, No. 32, Clerkenwell-Cloſe.
MDCCLXXXV.

BRITISH MUSEUM

APOCALYPSIS.

CAPUT PRIMUM.

1. REVELATIO Jesu Christi, quam dedit illi Deus indicare ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito, et ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni.

2. Qui teſtatus eſt Verbum Dei, et Teſtimonium Jesu Christi, quæcunque vidit.

3. Beatus legens, et audientes verba Prophetiæ, et ſervantes quæ in ea ſcripta; quia tempus prope.

4. Johannes ſeptem Eccleſiis, quæ in Aſia: gratia vobis et pax ab Ipſo Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus; et a ſeptem Spiritibus, qui ſunt in conſpectu Throni Ipſius.

5. Et a Jesu Christo, Ipſe Teſtis fidelis, Ipſe Primogenitus ex mortuis, et Ipſe Princeps regum terræ; amanti nos, et lavanti nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

6. Et fecit nos reges et ſacerdotes Deo et Patri ſuo: Ipſi gloria et robur in ſæcula ſæculorum, amen.

7. Ecce venit cum nubibus, et videbit Ipſum omnis oculus, et qui Ipſum transfixerunt; et plangent ſuper Ipſum omnes Tribus terræ, etiam; amen.

8. Ego ſum Alpha et Omega, Principium et Finis, dicit Dominus, Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, Qui Omnipotens.

9. Ego Johannes, qui et frater veſter, et conſocius in afflictione, et in regno, et patiente exſpectatione Jesu Christi: eram in Inſula vocata Parmos, propter Verbum Dei et propter Teſtimonium Jesu Christi.

10. Factus ſum in ſpiritu in Dominica die, et audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ;

11. Dicentem; Ego ſum Alpha et Omega, Primus et Ultimus; quod vides ſcribe in libro, et mitte Eccleſiis, illis in Aſia; Epheſum, et Smyrnam, et Pergamum, et Thyatira, et Sardes, et Philadelphiam, et Laodiceam.

12. Et converſus videre vocem quæ loquebatur mecum; et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea.

13. Et in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, indutum talari, et præcinctum ad mamillas zona aurea.

14. Et Caput Ipſius et Capilli candidi tanquam lana candida, tanquam nix; et oculi Ipſius tanquam flamma ignis.

15. Et Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano, tanquam in camino igniti, et vox Ipſius tanquam vox aquarum multarum.

16. Et habens in dextra ſua manu Stellas ſeptem; et ex ore Ipſius romphæa anceps acuta exiens; et facies Ipſius tanquam Sol lucet in potentia ſua.

17. Et cum vidi Ipſum, cecidi ad pedes Ipſius tanquam mortuus; et impoſuit dextram ſuam manum ſuper me, dicens mihi, ne time, Ego ſum Primus et Ultimus.

18. Et Qui Vivens, et factus ſum mortuus, et ecce vivens ſum in ſæcula ſæculorum, amen: et habeo claves inferni et mortis.

19. Scribe, quæ vidiſti, et quæ ſunt, et quæ futura ſunt poſthac.

20. Myſterium ſeptem Stellarum, quas vidiſti in dextra mea; et ſeptem Candelabra aurea: ſeptem Stellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, et ſeptem Candelabra quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ ſunt.

* * *

1. SUNT plures, qui Librum hunc propheticum, qui Apocalypſis vocatur, expoſuerunt, ſed omnes illi non Senſum internum ſeu ſpiritualem Verbi intellexerunt, et ideo applicuerunt ſingula, quæ inibi ſunt, ad ſucceſſivos ſtatus Eccleſiæ, quos ex Hiſtoriis de illis notos ſibi fecerunt; et præterea applicuerunt plura ad Status civiles; inde eſt, quod pleraque conjecturæ ſint, quæ nuſquam apparere poſſunt in tali luce, ut potuiſſent affirmari ſicut vera; quapropter poſtquam lecta ſunt, etiam inter opiniones rejecta ſunt. Cauſa, quod Explicationes, quæ exſtant, tales ſint, eſt, quia nihil de Senſu interno ſeu ſpirituali Verbi, ut dictum eſt, noverunt, cum tamen omnia quæ in Apocalypſi ſcripta ſunt, ſimili ſtylo, quo Prophetica Veteris Teſtamenti, ſcripta ſunt; in genere ſimili ſtylo, quo omnia Verbi, et Verbum in litera eſt naturale, at in ſinu ſuo eſt ſpirituale, et quod tale eſt, hoc continet in ſe Senſum, qui prorſus non apparet in litera: qualis differentia eſt utriuſque ſenſus, conſtare poteſt ex illis, quæ in Opuſculo de EQUO ALBO, et in appendice ibi ex ARCANIS CŒLESTIBUS dicta et oſtenſa ſunt.

2. Ex his conſtare poteſt, quod Apocalypſis, æque ac Prophetica Veteris Teſtamenti, nullatenus poſſit intelligi, nec aliquid

ibi, niſi Senſus ſpiritualis ſciatur; et inſuper niſi revelatio ſit e Cœlo, ubi totum Verbum ſecundum illum Senſum intelligitur. Quod ita ſit, confirmabit ipſa Explicatio, quæ ſequitur.

3. In nunc ſequente Explicatione citantur plura ex ARCANIS CŒLESTIBUS; ſciatur itaque quod inde ſint.

EXPLICATIO.

4. Ver. 1, 2, 3. *Revelatio Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus indicare ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito, et ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni. Qui teſtatus eſt Verbum Dei, et Teſtimonium Jeſu Chriſti, quæcunque vidit. Beatus legens, et audientes verba Prophetiæ, et ſervantes quæ in ea ſcripta; quia tempus prope.* Revelatio Jeſu Chriſti, ſignificat prædictiones de ultimis temporibus Eccleſiæ a Domino: quam dedit illi Deus indicare ſervis ſuis, ſignificat pro illis qui in veris ex bono ſunt: quæ oportet fieri cito, ſignificat quæ certe futura: et ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, ſignificat quæ revelata e cælo illis qui in bono amoris ſunt: qui teſtatus eſt verbum Dei, et teſtimonium Jeſu Chriſti, ſignificat quod illis qui corde agnoſcunt Divinum Verum, ac Divinum Domini in Humano Ipſius: quæcunque vidit, ſignificat intellectum illis illuſtratum: beatus, ſignificat illos in quibus cœlum: legens, ſignificat quod percipiant: et audientes verba prophetiæ, ſignificat quod illi vivant ſecundum doctrinam cœli: et ſervantes quæ in ea ſcripta ſunt, ſignificat quod ex jucundo amoris veri: quia tempus prope, ſignificat ſtatum interiorem talem.

5. Revelatio Jeſu Chriſti, quod ſignificet prædictiones de ultimis temporibus Eccleſiæ a Domino, conſtat ex ſignificatione revelationis, quod ſint prædictiones; et quia ſunt a ſolo Domino, dicitur revelatio Jeſu Chriſti; quod revelatio ſeu prædictiones ſint de ultimis temporibus Eccleſiæ, eſt quia de illis imprimis agitur. Autumari poteſt, quod in Apocalypſi agatur de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ a principio ad finem, aſt ibi non agitur de illis, ſed ſolum de ſtatu Cœli et Eccleſiæ circa finem, quando Ultimum Judicium, ita de ultimis temporibus. De ſucceſſivis autem ſtatibus Eccleſiæ prædictum eſt ab Ipſo Domino apud Matthæum Cap. xxiv. et xxv. et quoque apud Marcum Cap. xiii; ſed illa, quæ ibi, Divino prophetico ſtylo, qui eſt per correſpondentias, conſcripta ſunt, et inde talia quæ ſolum per Senſum internum ſeu ſpiritualem revelari et patere poſſunt; ideo datum eſt mihi a Domino explicare illa in ARCANIS CŒLESTIBUS, ante Capita v. ad xxiv. Geneſeos; quæ Explicationes videantur ibi in ſuo ordine in ſequentibus locis, n. 3353 ad 3356, 3486 ad 3489, 3650 ad 3655, 3751 ad 3759, 3897 ad 3901, 4056 ad 4060, 4229 ad 4231, 4332 ad 4335, 4422 ad 4424, 4635 ad 4638, 4661 ad 4664, 4807 ad 4810, 4954 ad 4959, 5063 ad 5071.

6. Quam dedit illi Deus indicare ſervis ſuis, quod ſignificet pro illis qui in veris ex bono ſunt, conſtat ex ſignificatione dedit illi indicare revelationem, quod ſit indicare prædictiones, ſeu quod idem, pro illis; et ex ſignificatione ſervis ſuis, quod ſint qui in veris ex bono ſunt; quod illi per ſervos Dei intelligantur, eſt quia illi in Verbo dicuntur ſervi Dei, qui auſcultant et obediunt Deo: apud illos qui in veris ex bono ſunt ſolum datur auſcultatio et obedientia, non autem apud illos qui in ſolis veris ſeu in veris abſque bono, hi enim vera ſolum in memoria habent, non autem in vita; at qui in veris ex bono ſunt, habent vera in vita, et qui habent vera in vita ex corde, hoc eſt, ex amore faciunt illa. Sciendum eſt, quod nuſquam aliquod verum intrat in vitam hominis, niſi homo in bono ſit, bonum enim eſt amoris, et amor facit totum hominem, ita recipit omnia vera quæ concordant, in vitam ſuam; hoc conſtare perquam manifeſte poteſt ex eo, quod id quod homo amat, adpropriet ſibi, et reliqua rejiciat a ſe, imo averſetur. Per bonum hic intelligitur bonum amoris in Dominum et bonum amoris erga proximum, hoc enim bonum eſt ſolum bonum ſpirituale, cum quo concordant vera fidei.

7. Quæ oportet fieri cito, quod ſignificet quæ certe futura, conſtat ex ſignificatione quæ oportet fieri, quod ſit quæ neceſſario futura; et ex ſignificatione cito, quod ſit certum et plenum, de qua n. 5284, 6783. Qui ſecundum ſenſum literæ omnia vident in Verbo, non aliter ſciunt quam quod cito ſignificat cito, ita hic quod illa quæ in Apocalypſi prædicta ſunt, cito futura ſint; inde quoque miraturi, quod uſque tantum tempus, antequam ultimum Judicium exſtitit, præterlapſum ſit; ſed qui ſciunt ſenſum internum Verbi, illi non intelligunt cito ſed certum; cauſa quod pro cito intelligant certum, eſt quia cito involvit tempus, et tempus eſt proprium naturæ, ita cito eſt vox naturalis et non ſpiritualis, et omnes voces naturales in Verbo ſignificant ſpiritualia quæ illis correſpondent; nam Verbum in ſinu ſuo eſt ſpirituale, in litera autem naturale; inde eſt, quod cito ſignificet certum. Quod Tempus ſit proprium naturæ, ac in ſpirituali Mundo correſpondeat ſtatui vitæ, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, in Articulo de Tempore in Cœlo, n. 162 ad 169.

8. Et ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, quod ſignificet quæ revelata e cœlo illis qui in bono amoris ſunt, conſtat ex ſignificatione ſignificavit, quod ſint illa quæ in ſenſu literæ continentia ita ſignificantia illa quæ in ſenſu interno, dicitur enim, *revelatio quam dedit Deus indicare, et ſignificavit*, et per quæ ſignificavit intelliguntur illa quæ in ſenſu literæ ſunt, quoniam omnia illa ſignificant, et quæ ſignificantur ſunt quæ continentur in ſenſu interno; ſunt enim omnia Verbi ſignificativa ſpiritualium, quæ in ſenſu interno: ex ſignificatione mittens per Angelum ſuum, quod ſint quæ revelata e cœlo, mittere enim eſt revelare, et per Angelum eſt e cœlo; quod mittere ſit revelare eſt quia omne quod e cœlo mittitur eſt revelatio, revelatur enim id quod ibi eſt, quod eſt ſpirituale concernens Eccleſiam et ejus ſtatum, ſed hoc apud hominem vertitur in

naturale, quale eſt in ſenſu literæ in Apocalypſi et alibi in Verbo; quod e cœlo venit, non aliter ſiſti poteſt apud hominem, cadit enim ſpirituale in ſuum correſpondens naturale, dum e ſpirituali mundo in naturalem; inde eſt quod Verbum propheticum tale ſit in ſenſu literæ, et quia tale eſt, quod in ſinu ſuo ſit ſpirituale, et quod ſit Divinum: quod per Angelum intelligatur e Cœlo, eſt quia id quod Angelus loquitur, e cœlo eſt, Angelus enim cum loquitur cum homine talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, non loquitur ſicut homo cum homine qui profert ex memoria mandata alterius, ſed apud Angelum influit continue id quod loquitur, et non in memoriam ejus, ſed immediate in intellectum et inde in voces; inde eſt, quod omnia quæ Angeli dixerunt Prophetis Divina ſint, et prorſus nihil ex Angelis: ſive dicatur, quod revelata ſint e Cœlo, ſive ex Domino, idem eſt, quoniam Divinum Domini apud Angelos facit Cœlum, et prorſus nihil quod ex proprio Angelorum; ſed hoc conſtare melius poteſt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 2 ad 12, et n. 254, dicta et oſtenſa ſunt. Quod dicantur revelata e Cœlo illis, qui in bono amoris ſunt, eſt quia dicitur, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, et per Johannem repræſentantur et intelliguntur illi qui in bono amoris ſunt; per duodecim enim Apoſtolos repræſentati et ſignificati ſunt omnes qui in Eccleſia, qui in veris ex bono ſunt, proinde etiam omnia vera ex bono ex quibus Eccleſia, et ſingillatim per unumquemvis aliquid ſpeciale, ut per Petrum Fides, per Jacobum Charitas, et per Johannem Bonum charitatis ſeu Bonum amoris; et quia Johannes hoc Bonum repræſentavit, ideo revelatio illi facta eſt; nam revelatio e Cœlo, quæ talis, non fieri poteſt aliis quam qui in bono charitatis ſeu amoris ſunt; alii quidem poſſunt audire illa quæ e Cœlo, ſed non percipere; ſolum illis eſt perceptio ſpiritualis qui in bono amoris ſunt; cauſa eſt, quia recipiunt illa non modo auditu ſed etiam amore, et recipere amore eſt recipere plene, quoniam amantur, et qui ita recipiunt, vident illa in ſuo intellectu, ibi eſt ſenſatio viſus interni eorum: quod ita ſit, ex multa experientia mihi teſtatum factum eſt, et quoque poteſt multa ratione illuſtrari; ſed eo uſque nondum licet exſpatiari: hic modo memorandum eſt, quod omnia Nomina, quæ in Verbo, non ſignificent perſonas, ſed res; ut quod Johannes ſignificet illos qui in bono amoris ſunt, ita abſtracte Bonum amoris. Quod omnia Nomina in Verbo ſignificent res, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 768, 1888, 4310, 4442, 10329. Quod Nomina perſonarum et locorum in Verbo non intrare poſſint Cœlum, ſed quod vertantur in res quas ſignificant, n. 1876, 5225, 6516, 10216, 10282, 10432. Quam elegans Senſus internus Verbi, tametſi mera nomina, illuſtratum ab exemplis, n. 1224, 1264, 1888. Quod duodecim Diſcipuli Domini repræſentaverint et inde ſignificaverint omnia fidei et amoris in complexu, ſimiliter ac duodecim Tribus Iſraelis, n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397. Quod Petrus, Jacobus et Johannes repræſentaverint et inde ſignificaverint Fidem, Charitatem, et Bonum charitatis in ſuo ordine, Præfat. ad xviii. et xxii. Geneſ. et n. 3934, 10081, 10087.

9. Quando quis ſcit, quod omnia Nomina in Verbo ſignificent res, et quod Nomina duodecim filiorum Jacobi, aut duodecim Tribuum, ſignificent omnia vera et bona Eccleſiæ in complexu, et ſimiliter nomina duodecim Diſcipulorum Domini, et quod Petrus, Jacobus et Johannes ſignificent Fidem, Charitatem, et Bonum charitatis, is videre poteſt plura arcana in Verbo; quemadmodum, cur "*Dominus impoſuit Simoni nomen Petrus, ac Jacobo et Johanni nomina Boanerges, quæ ſignificant filios tonitrui,*" Marc. iii. 17; Petrus enim ſicut Petra ſignificat Dominum quoad verum ex bono, ſeu fidem ex charitate; et filii tonitrui ſignificant illos qui ex affectione quæ amoris recipiunt vera cœli: quod Petra ſignificet Dominum quoad verum ex bono ſeu fidem ex charitate, videatur n. 8581, 10580; ſimiliter Lapis Iſraelis, n. 6426; et quod Tonitrua ſignificent Divina vera ex Cœlo, n. 7573, 8914; ac fulgura ſplendores illorum, n. 8813; inde etiam Tonitrua dicta fuerunt voces, n. 7573, 8914. Aliqua Arcana, quæ videre poſſunt illi qui ſciunt quod Petrus ſignificet fidem, et Johannes bonum charitatis, velim memorare: Primum, cur Dominus ad Petrum dixit, "*Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et ſuper hac Petra ædificabo meam Eccleſiam; et dabo tibi claves Regni cœlorum,*" Matth. xvi. 18, 19; apparet ex litera, ſicut Petro data ſit illa potentia, cum tamen nulla data eſt Petro; ſed dictum ad illum, quia Petrus ſignificabat verum ex bono quod a Domino, et vero ex bono quod a Domino eſt omnis potentia, ita Domino ex bono per verum; quod ita ſit, illuſtratum videas in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 57. Alterum Arcanum, quod videri poteſt, cum ſcitur quod Petrus ſignificet Fidem, eſt, cur Dominus dixit ad illum, quod "*antequam gallus cecinerit, ter Ipſum abnegaturus eſſet; quod etiam factum eſt,*" Matth. xxvi. 34, ſeq. per illa ſignificabatur, quod ultimo tempore Eccleſiæ nulla eſſet fides in Dominum quia nulla charitas; gallinaceum enim æque ac diluculum ſignificat ultimum tempus Eccleſiæ, n. 10234; ac tria vel ter ſignificant completum ad finem, n. 2788, 4495, 5159, 5198, 10127; quod finis Eccleſiæ ſit, quando non fides quia non charitas, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39, ſeq. Tertium Arcanum, quod videri poteſt, eſt, quid hæc ſequentia de Petro et Johanne ſignificant; "*Jeſus dixit ad Petrum, Simon Jona, diligis Me, dicit ei, etiam Domine, Tu ſcis quod amem Te, dicit ei, paſce agnos meos: dicit ei ſecundo, Simon Jona, diligis Me, ait illi, etiam Domine, Tu ſcis quod amem Te, dicit ei, paſce oves meas: dicit ei tertio, Simon Jona, amas Me, contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, amas Me, et dicit ei, Domine, Tu omnia ſcis, Tu cognoſcis quod amem Te, et dicit ei, paſce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum eſſes junior, cingebas teipſum, et ambulabas quo volebas; quando autem ſenueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo non vis. Et hoc effatus dicit ei, ſequere Me; converſus Petrus videt diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, et dicit, Domine, hic quid; dicit ei Jeſus, ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu ſequere Me,*" Johan. xxi. 15 ad 24: quid hæc ſignificant, nemo ſcire poteſt, niſi ſciat ſenſum internum, et quod Petrus ſignificet fidem, ac

Johannes bonum charitatis, ita Petrus illos in Eccleſia qui in fide ſunt, et Johannes illos qui in bono charitatis; quod Jeſus ter dixerit ad Petrum, amas Me, et Petrus ter dixerit, quod amem Te, et quod Jeſus tunc dixerit, paſce agnos meos, et paſce oves meas, ſignificat quod illi qui in fide ſunt ex amore inſtruere debeant illos qui in bono amoris in Dominum et in bono charitatis erga proximum ſunt; illi enim qui in fide ex amore ſunt, etiam in veris ſunt, et illi qui inde in veris ſunt, inſtruunt de bono, et ducunt ad bonum; nam omne bonum ſpirituale, quod homini comparatur et implantatur per vera; quod agni ſignificent illos qui in bono innocentiæ et amoris in Dominum ſunt, videatur n. 3994, 10132; quod oves illos qui in bono charitatis erga proximum, n. 4169, 4809; et quod paſcere ſit inſtruere, n. 5201, 6078. Deinde deſcribitur a Domino, qualis fides futura eſt primo tempore Eccleſiæ, et qualis futura ultimo, primum tempus Eccleſiæ intelligitur per cum eſſes junior, et ultimum tempus per cum ſenueris; quod cum eſſet junior, cingeret ſeipſum, et ambularet quo vellet, ſignificat quod primo tempore Eccleſiæ haurirent vera ex bono charitatis, et quod ex libero agerent, nam ex libero agere eſt ex affectione veri ex bono; quando ſenueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo non vis, ſignificat quod ultimo tempore Eccleſiæ non amplius ex bono charitatis haurirent vera, ita non ſcirent aliunde quam quia dicuntur ab alio, et ſic quod in ſtatu ſervo erunt, nam ſtatus ſervus fit, quando non bonum ducit: quod veſtimenta ſignificent vera, videatur n. 1073, 2576, 5319, 5954, 9212, 9216, 9952, 10536; et quod ideo cingere ſe ſit haurire et appercipere vera, n. 9952; quod ambulare ſit agere et vivere: quod ex libero agere, ſit ex amore ſeu affectione, quoniam quod homo amat hoc libere facit, n. 2870, 3158, 8907, 8990, 9585, 9591. Quod omnis Eccleſia incipiat a charitate, ſed quod temporis ſucceſſu deflectat ad fidem, et tandem ad ſolam fidem, n. 1834, 1835, 2231, 4683, 8094. Quia fides ultimo tempore Eccleſiæ talis fit, ut rejiciat bonum charitatis, dicendo quod ſola fides faciat Eccleſiam et ſalvet, et non bonum vitæ quod eſt charitas, ideo Jeſus dixit ad Petrum, per quem ibi fides talis intelligitur, ſequere Me, et converſus Petrus videt diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, et dicit, Domine, quid hic, per quæ ſignificatur, quod fides ultimo tempore Eccleſiæ averteret ſe a Domino, nam dicitur de Petro, per quem ſignificatur illa fides, quod *converſus* viderit, et quoque dixerit de diſcipulo, quem Jeſus diligebat, ſeu de Johanne, per quem ſignificatur bonum charitatis, quid hic, hoc eſt, quod non ſit aliquid: ſed dixit ad eum Jeſus, ſi volo eum manere donec veniam, quid ad Te, tu ſequere Me, per quæ ſignificatur, quod bonum charitatis ſequuturum ſit Dominum, et Ipſum agniturum, uſque ad ultimum tempus Eccleſiæ veteris et primum novæ: quod ultimum tempus Eccleſiæ veteris dicatur Conſummatio ſæculi, et principium novæ dicatur Adventus Domini, videatur n. 4535, 10622. Quartum Arcanum, quod videri poteſt, eſt cur Dominus dilexit Johannem præ reliquis diſcipulis, et cur ideo Johannes accubuit ad pectus ſeu in ſinu Domini, Johan. xiii. 23.

Cap. xxi. 20. quod nempe fuerit, quia bonum amoris erat in conſpectu Domini cum videbat Johannem, qui id bonum repræſentavit et ſignificavit, quia id bonum eſt quod facit Cœlum et Eccleſiam; videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13 ad 19. Quintum Arcanum eſt, quod patet, cum ſcitur quod Johannes repræſentaverit Bonum amoris, nempe quid ſignificatur per Domini verba e cruce ad Mariam matrem et ad Johannem, "*Jeſus videt matrem et diſcipulum aſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ, mulier, ecce filius tuus, et dicit diſcipulo illi, ecce mater tua; et ex illa hora accepit eam diſcipulus ille in domum ſuam propriam,*" Joh. xix. 26, 27; per matrem et per mulierem ibi intelligitur Eccleſia, et per Johannem bonum charitatis; et per illa, quod Eccleſia erit ubi bonum charitatis; quod per Mulierem in Verbo intelligatur Eccleſia, videatur n. 252, 253, 749, 770, 3160, 6014, 7337, 8994; quod ſimiliter per Matrem, n. 289, 2691, 2717, 3703, 4257, 5580, 8897, 10490; quod accipere in domum propriam ſit cohabitare, patet. Ex his nunc conſtare poteſt, quanta arcana latent in Verbo, quæ ſolum patent illis, qui ſciunt ejus Senſum internum ſeu ſpiritualem: abſque illo ſenſu nec ſciri poteſt, quid ſignificatur per *quod Apoſtoli ſeſſuri ſint ſuper duodecim thronis, et judicaturi duodecim Tribus Iſraelis,* Matth. xix. 28. Luc. xxii. 30; per Apoſtolos ibi non intelliguntur Apoſtoli, ſed omnia vera ex bono quæ a Domino; ita ſignificatur per ea verba, quod Dominus ſolus omnes judicaturus ſit ex veris quæ ex bono, ita unumquemvis ſecundum illa.

10. Qui teſtatus eſt verbum Dei et teſtimonium Jeſu Chriſti, quod ſignificet quod illis qui corde agnoſcunt Divinum verum, ac Divinum Domini in Humano Ipſius, conſtat ex ſignificatione teſtari, quod ſit corde agnoſcere, de qua ſequitur; ex ſignificatione verbi ſeu ſermonis Dei, quod ſit Divinum verum, de qua n. 4692, 5075, 9987; et ex ſignificatione Jeſu Chriſti, quod ſit agnitio Divini Domini in Humano Ipſius; quod id per teſtimonium Jeſu Chriſti ſignificetur, eſt quia teſtari ſignificat agnoſcere corde, et agnoſcere corde Jeſum Chriſtum eſt agnoſcere Divinum in Humano Ipſius; nam qui agnoſcit Dominum, et non ſimul Divinum in Humano Ipſius, is non agnoſcit Dominum; eſt enim Divinum Ipſius in Humano Ipſius, et non extra illud; eſt enim Divinum in Humano Ipſius ſicut anima in corpore, quare cogitare de Humano Domini, et non ſimul de Divino Ipſius, eſt ſicut cogitare de homine abſtracte ab anima ſeu vita illius, quod non eſt cogitare de homine: quod Divinum Domini ſit in Humano Ipſius, et quod ſimul ſint una Perſona, docet Doctrina recepta in toto Chriſtiano Orbe; hæc docet ita, "*Chriſtus tametſi Deus et Homo, uſque tamen non ſunt duo, ſed unus Chriſtus; eſt unus, at non ita, quod Divinum ſit mutatum in Humanum, ſed Divinum recepit ad ſe Humanum: eſt prorſus unus, ſed non ita, quod binæ naturæ ſint commixtæ, ſed eſt Unica Perſona; quia ſicut Anima et Corpus facit unum hominem, ita Deus et Homo eſt Unus Chriſtus;*" ex Symbolo Athanaſii: inde etiam patet, quod qui diſtinguunt Divinum in tres Perſonas, cum de Domino ut altera Perſona cogitant, cogitare debeant de

utroque tam Humano quam Divino ſimul; nam dicitur, quod ſint unica Perſona, et quod ſint unum ſicut anima et corpus: qui itaque aliter cogitant, non de Domino cogitant, et qui non de Domino ita cogitant, illi non poſſunt de Divino quod Patris vocatur cogitare, nam dicit Dominus, “*Ego ſum Via, Veritas, et Vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me,*” Joh. xiv. 6: quia hæc agnitio ſignificatur per teſtimonium Jeſu Chriſti, ideo dicitur, “*quod teſtimonium Jeſu ſit ſpiritus prophetiæ,*” Apoc. xix. 10; ſpiritus prophetiæ eſt vita et anima Doctrinæ; quod ſpiritus in Verbi ſenſu interno ſignificet vitam ſeu animam, videatur n. 5222, 9281, 9818; et quod prophetia ſignificet doctrinam, n. 2534, 7269; et agnitio Domini eſt ipſa vita ſeu anima omnis doctrinæ in Eccleſia. Sed de his in ſequentibus plura. Quod teſtari ſit agnoſcere corde, eſt quia agitur de rebus ſpiritualibus, et nemo de illis teſtari poteſt niſi ex corde, nam aliunde non percipit quod ita ſit: teſtari autem de talibus quæ in mundo exiſtunt, eſt teſtari ex ſcientia, ſeu ex memoria et cogitatione, quia ita vidit aut audivit; verum in ſpiritualibus aliter, nam hæc implent totam vitam et faciunt illam; ſpiritus hominis, in quo vita hominis primario reſidet, non aliud eſt quam ſua voluntas aut ſuus amor, ac inde ſuus intellectus et ſua fides, et cor in Verbo ſignificat voluntatem et amorem, et inde intellectum et fidem: inde patet, unde eſt quod per teſtari in ſenſu ſpirituali intelligatur agnoſcere corde. Quia per Cor ſignificatur bonum amoris, et hoc ſolum eſt quod agnoſcit Divinum verum, ac Divinum Domini in Humano Ipſius, et id bonum per Johannem ſignificatur, ideo etiam Johannes dicit, quod teſtetur verbum Dei et teſtimonium Jeſu Chriſti; ut quoque alibi, “*Et videns teſtatus eſt, et verum eſt teſtimonium illius, et ille ſcit quod vera dicat, ut vos credatis,*” Johan. xix. 35: et alibi, “*Hic eſt diſcipulus teſtans de his, et ſcribens hæc, et ſcimus quod verum ſit teſtimonium ejus,*” Johan. xxi. 24.

11. Quæcunque vidit, quod ſignificet intellectum illis illuſtratum, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere, de qua n. 2150, 2325, 2807, 3764, 3863, 3869, 4403 ad 4421, 10705; hic intelligere ex illuſtratione, quoniam agitur de rebus Eccleſiæ et Cœli, quæ non intelliguntur et percipiuntur quam ex illuſtratione; res enim Eccleſiæ et Cœli, quæ ſpiritualia vocantur, non intrant in intellectum hominis, quam media luce Cœli, et lux Cœli illuſtrat illum: illa cauſa eſt, quod Verbum, in quo res Eccleſiæ et Cœli ſunt, non poſſit intelligi quam ab illuſtrato, et illuſtrantur illi ſoli, qui in affectione veri ex bono ſunt; proinde illi qui in amore in Dominum et in charitate erga proximum ſunt, horum bonum eſt bonum ſpirituale, cum quo et ex quo eſt lux Cœli, quæ illuſtrat.

12. Beatus, quod ſignificet illos in quibus cœlum, conſtat ex ſignificatione beati, quod ſit qui in æternum felix eſt, ita in quo eſt cœlum; beatitudo, quæ non æterna eſt, vocatur quidem beatitudo, ſed uſque reſpective non eſt, tranſit enim, et quod tranſit reſpective ad id quod non tranſit eſt ſicut nihil. Dicitur in quo cœlum, quia cœlum eſt in homine, cœlum quod extra hominem eſt, influit in cœlum quod in illo, et recipitur quan-

tum correſpondent: quod cœlum ſit in homine, et quod Internum hominis, qui in amore cœleſti eſt, ſit cœlum in minimâ forma correſpondens Maximo, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 51 ad 58: et quod is in cœlum veniat, qui cœlum in ſe habet, in Doctrina novæ Hierosolymæ, n. 232 ad 236.

13. Legens, quod ſignificet quod percipiant, conſtat ex ſignificatione legere verbum, quod ſit ex illuſtratione intelligere, ita percipere; legere enim ſimile ſignificat cum videre, quia legens videt, et videre ſignificat percipere ex illuſtratione, ut mox ſupra, n. 11.

14. Et audientes verba prophetiæ, quod ſignificet quod illi vivant ſecundum doctrinam cœli, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit percipere et obedire, de qua n. 2542, 3869, 4653, 5017, 7216, 8361, 8990, 9311, 9397, 10061, ita quoque vivere ſecundum id, nam qui percipiunt et obediunt, illi vivunt ſecundum id; et ex ſignificatione verborum prophetiæ, quod ſint vera quæ doctrinæ cœli; verba enim ſunt vera, n. 4692, 5075; et prophetia eſt doctrina, n. 2534, 7269, hic doctrina cœli, quia eſt prophetia Verbi quod e cœlo eſt. Quod audire ſit obedire et vivere, eſt quia illa quæ audiuntur, apud cœleſtes Angelos intrant vitam; ſed hoc quia ignotum eſt, velim paucis illuſtrare: ſunt bini ſenſus homini dati, qui inſerviunt pro mediis recipiendi illa, per quæ rationale formatur, et quoque illa per quæ homo reformatur, nempe ſenſus viſus et ſenſus auditus, reliqui ſenſus pro aliis uſibus ſunt; illa quæ intrant per ſenſum viſus, intrant in ejus intellectum, et eum illuſtrant, quare per viſum ſignificatur intellectus illuſtratus, correſpondet enim intellectus viſui oculi, ſicut lux cœli luci mundi; illa autem quæ intrant per ſenſum auditus, intrant in intellectum et ſimul in voluntatem, quare per auditum ſignificatur perceptio et obedientia; inde eſt quod in Linguis humanis receptum ſit dicere audire aliquem et quoque audire alicui, tum audiens eſſe, et auſcultare, et per audire aliquem intelligitur percipere, at per audire alicui intelligitur obedire, ut et per audiens eſſe, ac utrumque per auſcultare; hoc in linguas humanas immanavit ex Mundo ſpirituali, in quo ſpiritus hominis eſt. Sed unde hoc in ſpirituali mundo etiam dicetur; illi qui ibi ſunt in provincia Auris, ſunt Obedientiæ ex perceptione; (Quod omnes, qui in Mundo ſpirituali ſunt, in aliqua Provincia ſint quæ nominatur ex Membris, Organis, aut Viſceribus hominis, quia eis correſpondent, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 87 ad 102;) et Provincia Auris eſt in axe Cœli, et ideo in illam, ſeu in illos qui ibi, influit totus Mundus ſpiritualis cum perceptione quod ita faciendum, hæc enim perceptio regnans eſt in Cœlo; inde eſt quod illi, qui ibi, ſint Obedientiæ ex perceptione. Quod illa quæ intrant per auditum, intrent immediate per intellectum in voluntatem, adhuc illuſtrari poteſt per inſtructionem Angelorum Regni cœleſtis, qui ſapientiſſimi ſunt, illi recipiunt omnem ſuam ſapientiam per auditum et non per viſum, quicquid enim de Divinis audiunt, ex veneratione et amore recipiunt voluntate et faciunt vitæ ſuæ; et quia recipiunt illa ſtatim vita,

et non prius memoria, ideo Angeli non loquuntur de rebus fidei, ſed modo ad illas, cum ab aliis dicuntur, reſpondent ita ita, vel non non, ſecundum Domini verba apud Matthæum Cap. v. 37. Ex his patet, quod Auditus præcipue datus ſit homini ad recipiendum ſapientiam, Viſus autem ad recipiendum intelligentiam; ſapientia eſt percipere, velle, et facere, intelligentia eſt ſcire et percipere: quod Cœleſtes Angeli per auditum hauriant ſapientiam, et non per viſum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 270, 271; et inſuper de illis Angelis, n. 20 ad 28.

15. Et ſervantes quæ in ea ſcripta ſunt, quod ſignificet quod ex amore veri, conſtat ex ſignificatione obſervare et ſervare, quod ſit percipere, velle et facere ſecundum id, hic ſecundum doctrinam cœli; et ex ſignificatione quæ in ea ſcripta ſunt, quod ſit ex amore veri, ſeu ex jucundo illius amoris, quod enim fit ex amore hoc fit ex jucundo, aliunde non eſt jucundum: quod id ſignificetur per quæ in ea ſcripta ſunt, eſt quia illa quæ in doctrina cœli ſunt, cordi eorum, ita vitæ eorum inſcripta ſunt, et quæ inſcripta ſunt cordi et vitæ, illa inſcripta ſunt amori, nam cor in Verbo ſignificat amorem, n. 7542, 9050, 10336: quod ſit amor veri, eſt quia illa dicuntur de doctrina cœli, et doctrina cœli eſt ex veris. Sæpius in Verbo dicitur obſervare et ſervare præcepta, mandata, verba, legem, et per obſervare et ſervare ibi ſignificatur intelligere, velle et facere; ut apud Matthæum, "*Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis,*" xxviii. 20: apud Lucam, "*Beati audientes verbum Dei et ſervantes illud,*" xi. 28: apud Johannem, "*Amen amen dico vobis, ſi quis verbum meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum,* viii. 51: apud Eundem, "*Si quis diligit Me, verbum meum ſervat; qui non diligit Me, verba mea non ſervat,*" xiv. 15, 23, 24: apud Eundem, "*Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in amore meo; vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ Ego præcipio vobis,* xv. 10, 14; facere eſt velle, et velle eſt facere, quia in factis eſt voluntas omne.

16. Quia tempus prope, quod ſignificet ſtatum interiorem talem, conſtat ex ſignificatione temporis, quod ſit ſtatus, de qua in Opere de Cœlo et Inferno, n. 162 ad 169, ubi agitur de Tempore in Cœlo; et ex ſignificatione prope, quod ſit internum, hic itaque quia dicitur de ſtatu, quod ſit ſtatus interior talis qualis ſupra deſcriptus eſt: per ſtatum intelligitur ſtatus affectionis et inde cogitationis. Qui hoc legit, et non ſcit aliquid de ſenſu interno, opinatur quod per tempus prope intelligatur, quod tempus, quo implerentur illa quæ in Apocalypſi continentur, prope eſſet; ſed quod id non intelligatur, conſtare poteſt ex eo, quod præterlapſa ſint ſeptendecim ſæcula, antequam impleta ſunt: ſed quia Verbum in litera eſt naturale, ac interius ſpirituale, ideo dictum eſt tempus prope, ut in Cœlo intelligeretur ſtatus interior; nam ſi ſtatus interior ſecundum ſenſum ſpiritualem ibi dictum eſſet, non intellectum fuiſſet ab Angelis, nam hi ſecundum correſpondentias omnia Verbi percipiunt. Quod prope ſignificet interius, eſt quia diſtantiæ in Cœlo ſe habent prorſus ſecundum differentias boni amoris; quare qui in affini bono ſunt, etiam propinqui

ſunt; unde eſt, quod affinitates in terris dicantur propinquitates, quia referunt affinitates ſpirituales, quæ in cœlo actualiter tales ſunt: cauſa quod in cœlo ita ſit, eſt quia bonum amoris conjungit, et quo interius eſt, eo propius: inde eſt, quod Cœlum eo propius homini ſit, quo is interius in bono amoris eſt: hoc originem ducit ex eo, quia Dominus eo propius eſt Angelo, Spiritui et homini, quo interius amant Ipſum; interius amare Ipſum eſt interius amare præcepta Ipſius, hoc eſt, ex jucundo amoris illa percipere, velle et facere; inde eſt quod propinquum in Verbo ſignificet præſentiam et conjunctionem, videatur n. 5911, 9378, 9997, 10001. Hoc propinquum deſcribitur ita apud Johannem, “*Jeſus dicit, qui amat Me, verbum meum ſervat, et Pater meus amabit illum, et ad illum veniemus, et manſionem apud illum faciemus,*” xiv. 23: et apud Eundem, “*Vos cognoſcitis Paracletum Spiritum Veritatis, quia apud vos manet, et in vobis erit,*” xiv. 17; Paracletus veritatis eſt Divinum Verum procedens a Domino, quare dicitur quod erit in vobis.

17. Explicationes proximæ ſeu communes verborum præcedentium apparebunt ſicut ſparſæ, quia non prolatæ in continua ſerie, quod fit dum unumquodvis ſeorſim exponitur, et ſenſui literæ, qui alius eſt, ſenſus internus immediate ſubmittitur, et unumquodvis ſpectatur ſeparatim: at uſque non ita fit ab angelis, qui in ſenſu interno ſunt, hi non vident ſenſum literæ, nec ſciunt aliquid de illo, ſed modo ſenſum internum, quem quia vident in luce cœli, eum vident in tali ſerie, et in tali nexu, et quoque in tali copia, et inde in tali ſapientia, ut non exprimi humanis vocibus et deſcribi poſſit; ideæ Angelorum, quæ ſunt ſpirituales, etiam mirabili modo conjungunt omnia, et comprehendunt plura, quam homo poteſt quoad milleſimam partem ſuis ideis, quæ ſunt naturales, complecti et effari.

18. Verſ. 4, 5, 6. *Johannes ſeptem Eccleſiis, quæ in Aſia: gratia vobis et pax ab Ipſo Qui Eſt, et Qui Fuit, et Qui Venturus: et a ſeptem ſpiritibus, qui ſunt in conſpectu Throni Ipſius. Et a Jeſu Chriſto, Ipſe Teſtis fidelis, Ipſe Primogenitus ex mortuis, et Ipſe Princeps regum terræ; amanti nos, et lavanti nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et fecit nos reges et ſacerdotes Deo et Patri ſuo: Ipſi gloria et robur in ſæcula ſæculorum: amen.* Johannes, ſignificat Dominum quoad doctrinam: ſeptem Eccleſiis, ſignificat ad omnes illos qui in veris ex bono, ſeu in fide ex charitate ſunt: in Aſia, ſignificat illos qui in luce intelligentiæ ſunt: gratia vobis et pax, ſignificat jucundum veri et boni: ab Ipſo Qui Eſt, et Qui Fuit, et Qui Venturus, ſignificat ab Ipſo Qui eſt omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ ab æterno in æternum: et a ſeptem ſpiritibus, ſignificat Divinum in Cœlo: qui ſunt in conſpectu Throni Ipſius, ſignificat præſentiam et providentiam: et a Jeſu Chriſto, ſignificat a Domino quoad Divinum Humanum: Ipſe Teſtis fidelis, ſignificat a Quo omne Verum in Cœlo: Ipſe Primogenitus ex mortuis, ſignificat ex Quo omne Bonum ibi: Et Ipſe Princeps regum terræ, ſignificat ex Quo omne verum ex bono in Eccleſia: amanti nos et lavanti nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, ſignificat Ipſius amorem, et

regenerationem ab Ipſo per vera quæ ab Ipſo: et fecit nos reges et ſacerdotes, ſignificat quod ab Ipſo ſimus in Regno Ipſius ſpirituali et cœleſti: Deo et Patri ſuo, ſignificat per Divinum Verum et Divinum Bonum: Ipſi gloria et robur in ſæcula ſæculorum, ſignificat quod illa a ſolo Ipſo in æternum: amen, ſignificat confirmationem Divinam.

19. Johannes, quod ſignificet Dominum quoad doctrinam, conſtat ex repræſentatione Johannis, quod ſit bonum amoris, de qua ſupra n. 8; et quia eſt bonum amoris, eſt in ſupremo ſenſu Dominus, quoniam omne bonum amoris eſt a Domino; homo, ſpiritus et angelus, ſunt modo recipientes, et qui ſunt recipientes, illi dicuntur ſignificare id quod a Domino: ſimile fit cum multis aliis in Verbo, ut cum Abrahamo, Iſaco, Jacobo, Davide, Elia, Eliſæo, Johanne Baptiſta, Petro, et reliquis Apoſtolis; unuſquiſque ex illis ſignificat aliquod bonum aut verum Cœli et Eccleſiæ, ſed uſque omnes illi in ſupremo ſenſu ſignificant Dominum; ſicut David in ſenſu interno ſignificat Divinum Verum in Regno ſpirituali, quod Regium Domini dicitur, quare in ſenſu ſupremo ſignificat Dominum quoad id Verum et quoad Regium, quapropter dicitur de Davide in Verbo, quod venturus et regnaturus ſit ſuper filios Iſraelis, Ezech. xxxvii. 24, 25. Hoſch. iii. 5: ſimiliter Elias et Eliſæus, qui quia in ſenſu interno ſignificant Verbum, ideo in ſenſu ſupremo ſignificant Dominum a Quo Verbum; quod Elias et Eliſæus ſignificent Verbum, ita Dominum quoad Verbum, videatur n. 2762, 5242: pariter Johannes Baptiſta, qui ideo dictus eſt Elias, n. 7643, 9372: quod Petrus ſignificet Fidem, et inde Dominum quoad fidem, quia fides eſt a Domino, videatur ſupra n. 9: inde conſtare poteſt, unde eſt quod Johannes ſignificet Dominum; quod ſignificet quoad doctrinam, eſt quia dicitur, *Johannes ſeptem Eccleſiis,* et per ſeptem Eccleſias in ſenſu interno intelliguntur omnes qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt, nam illi ſunt qui faciunt Eccleſiam, et doctrina eſt quæ docet illa: inde eſt, quod Dominus, ſicut eſt Verbum, etiam ſit Doctrina Eccleſiæ, nam omnis doctrina eſt ex Verbo: quod Dominus ſit Doctrina Eccleſiæ, quia omne verum quod doctrinæ eſt e Verbo, ita a Domino, n. 2545, 2859, 3712.

20. Septem Eccleſiis, quod ſignificet ad omnes illos, qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt, conſtat ex ſignificatione ſeptem, quod ſint omnes, nam ſeptem in Verbo ſignificant principium et finem, ita integram periodum, ac ſtatum plenum, ſimiliter ac ſeptimana, n. 728, 6508, 9228; et quia ſignificant plenum, etiam ſignificant omnes, quoniam omnes faciunt plenum, plenitudo enim reſpective ad illos qui faciunt aliquam ſocietatem, hic Eccleſiam, ſunt omnes; quare cum in Verbo agitur de magnitudine, per ſeptem ſignificatur plenum, et cum de multitudine, ſignificantur omnes. Tria etiam in Verbo ſignificant plenum et omnes, videatur n. 2788, 4495, 7715; at ubi in Verbo agitur de re ſancta, dicuntur ſeptem, et ubi agitur de quacunque alia re, dicuntur tria, n. 10127; hic itaque dicuntur ſeptem, quia agitur de veris ex bono, quæ

ſunt ſancta Eccleſiæ: et ex ſignificatione Eccleſiarum, quod ſint qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt; cauſa quod illi per Eccleſias intelligantur, eſt quia illa faciunt Eccleſiam apud unumquemvis, qui enim non in veris ex bono ſunt, tametſi nati ſunt intra Eccleſiam, non uſque ab Eccleſia ſunt, quia nulla in illis eſt Eccleſia; inde eſt, quod Eccleſia Domini ſit ex omnibus illis, ubicunque ſunt, qui Eccleſia ſunt, hoc eſt, qui in veris ex bono ſunt; quod Eccleſia ſicut cœlum ſit in homine, et non extra illum, et inde quod homo qui in veris ex bono eſt, ſit Eccleſia, videatur n. 3884, et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 53, 54, 57: dicitur etiam qui in fide ex charitate, quia ſimile eſt; verum enim eſt fidei, et bonum eſt charitatis, quippe omne id verum dicitur quod homo credit, et omne id bonum quod homo amat: quod omne verum ſit ex bono, et omne fidei ſit ex charitate, videatur in Opuſculis de Nova Hieroſolyma et ejus Doctrina, n. 84 ad 107, 108 ad 122: et de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39: tum de Cœlo et Inferno, n. 364, 424, 482, 526. Qui nihil de Senſu interno Verbi novit, ille, cum hæc legit, non aliter credit, quam quod per ſeptem Eccleſias intelligantur ſeptem Eccleſiæ, quæ nominantur poſtea Verſ. 11; aſt non intelliguntur Eccleſiæ, ſed omnes qui ab Eccleſia ſunt, quia ſpiritualis ſenſus Verbi ille eſt.

21. In Aſia, quod ſignificet illos qui in luce intelligentiæ, non conſtare poteſt aliunde, quam ex idea ſpirituali, qualis eſt Angelorum, de Regionibus hujus Telluris; illi, cum nominatur Aſia, percipiunt Meridiem, cum nominatur Europa, percipiunt Septentrionem, et cum Africa, percipiunt Orientem, et quia per Meridiem ſignificatur lux intelligentiæ clara, ideo per Aſiam illa lux ſignificatur; hoc quoque mihi datum eſt percipere, quoties in idea ſpirituali fui, et cogitavi de Aſia. Quod talis idea de Aſia ſit, eſt quia Eccleſia ibi antiquis temporibus fuit, tunc extenſa per plures Regiones ibi, et ideo illi, qui inde in Cœlo ſunt, in luce intelligentiæ ſunt; unde eſt, cum cogitatur de Aſia, quod lux, qualis eſt in meridie cœli, influat: quod Antiquis temporibus, et quoque Antiquiſſimis, Eccleſia fuerit in Aſia, extenſa per plura Regna ibi, videatur ex Arcanis Cœleſtibus in Opuſculo de Nova Hieroſolyma et ejus Doctrina, n. 247; et quod Meridies ſignificet lucem intelligentiæ, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 141 ad 153, ubi agitur de quatuor Plagis in Cœlo. Verum uſque per Aſiam hic non intelliguntur illi qui in Aſia, ſed omnes, ubicunque ſunt, qui in luce intelligentiæ ſpirituali, ſive, quod idem, qui in veris ex bono ſunt; qui enim in veris ex bono ſunt, in luce intelligentiæ ſpirituali ſunt; illi omnes Eccleſiam Domini conſtituunt: quod Eccleſia Domini etiam apud Gentes ſit, tametſi in ſpecie ubi Dominus notus eſt et Verbum legitur, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 318 ad 328; et de Nova Hieroſolyma et ejus Doctrina, n. 244, 246.

22. Gratia vobis et pax, quod ſignificet jucundum veri et boni, conſtat ex ſignificatione gratiæ, quod ſit jucundum veri, de qua ſequitur;

et ex ſignificatione pacis, quod ſit jucundum boni innocentiæ et amoris, de qua in Opere de Cœlo et Inferno, ubi agitur de ſtatu Pacis in Cœlo, n. 284 ad 290. Quod Gratia ſit jucundum veri, eſt quia bina ſunt quæ procedunt a Domino, utrumque in origine unitum; at apud illos qui recipiunt diſtinguitur, nam ſunt qui recipiunt Divinum Verum plus quam Divinum Bonum, et ſunt qui recipiunt Divinum Bonum plus quam Divinum Verum; illi qui recipiunt Divinum Verum plus quam Divinum Bonum, ſunt in Regno ſpirituali Domini, et inde vocantur Spirituales, illi autem qui recipiunt Divinum Bonum plus quam Divinum Verum, ſunt in Regno cœleſti Domini, et inde vocantur Cœleſtes; de binis illis Regnis in Cœlo et Eccleſia, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28. Illis, qui in Regno ſpirituali ſunt, donatur a Domino ut ſint in affectione veri propter verum, et hoc Divinum eſt quod dicitur Gratia; inde eſt, quod quantum quis in illa affectione eſt, tantum in Divina Domini Gratia ſit; nec alia Gratia Divina apud hominem, ſpiritum et angelum datur, quam affici vero quia eſt verum, quoniam in illa affectione eſt Cœlum et beatitudo illis, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 232, 236, 238; et de Cœlo et Inferno, n. 395 ad 414. Sive Affectionem veri dicas, ſive Jucundum veri, idem eſt, nam affectio abſque jucundo non datur. Hoc eſt quod per Gratiam in ſpecie intelligitur in Verbo; ut apud Johannem, "*Et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipſius, ut gloriam Unigeniti a Patre, plenus Gratia et Veritate: ex plenitudine Ipſius nos omnes recepimus Gratiam pro Gratia, quia Lex per Moſen data eſt, Gratia et Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt,*" i. 14, 16, 17; quia Gratia eſt affectio et jucundum veri, ideo dicitur Gratia et Veritas: et apud Lucam, "Poſtquam Dominus explicuit Propheticum Eſaiæ in Synagoga de Se Ipſo, ita Divinum Verum, *mirabantur omnes ſuper verbis Gratiæ exeuntibus ex ore Ipſius,*" iv. 22; Divina Vera, quæ Dominus loquutus, dicuntur verba Gratiæ exeuntia ex ore Ipſius, quia accepta, grata et jucunda. In genere Divina Gratia eſt omne id quod donatur a Domino, et quia omne id ſe refert ad fidem et amorem, et fides eſt affectio veri ex bono, ideo illa per Divinam Gratiam in ſpecie intelligitur, nam donari fide et amore, aut affectione veri ex bono, eſt donari cœlo, ita beatitudine æterna.

23. Ab Ipſo Qui Eſt, et Qui Fuit, et Qui Venturus, quod ſignificet ab Ipſo Qui eſt omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ ab æterno in æternum, conſtat ex ſignificatione Qui Eſt, et Qui Fuit, et Qui Venturus, quod ſit ab æterno in æternum; et quoque quod ſit omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ: quod ſit ab æterno in æternum, eſt quia omnia Tempora in Verbo non ſignificent Tempora, ſed Status vitæ, ut conſtare poteſt ex illis quæ de Tempore in Cœlo in Opere de Cœlo et Inferno, n. 162 ad 169, dicta et oſtenſa ſunt; et quia omnia Tempora ſignificant Status vitæ, ideo illa, cum agitur de Domino, ſignificant Statum Infinitum, et Status Infinitus quoad Tempus eſt Æternum: quod omnia Tempora

comprehendantur per Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, patet. Plura de Æterno, quod eſt Solius Domini, dici poſſunt, ſed illa non intelligentur a naturali homine, cujus cogitationes præcipue fundatæ ſunt ſuper Tempore, Spatio, et Materia, cum tamen Æternum in ſe talia non includit; quare ſi homo poſſet cogitare de Æterno, ſicut Angeli Cœli cogitant, potuiſſet in aliquam ideam ejus venire, et ſic etiam comprehendere quid eſt ab Æterno, quod ſignificatur per Qui Fuit, tum quid Prævidentia Divina quod in ſingulis ſit ab Æterno, et quid Providentia Divina quod in ſingulis ſit in Æternum, proinde quod quicquid a Domino procedit ſit ab æterno in æternum, et niſi ita eſſet, non ſubſiſteret Cœlum et Univerſum; ſed in hoc arcanum ulterius progredi, nondum vacat, videatur modo aliquid de eo in Opere de Cœlo et Inferno, n. 167: id modo ſciendum eſt, quod ſimile intelligatur per Jehovam quod per Qui Eſt Qui Fuit et Qui Venturus, quoniam Est, quod eſt Jehovah, involvit præcedens, quod eſt Qui Fuit, et quoque involvit futurum, quod eſt Qui Venturus, ita ſignificat ab Æterno in Æternum. Quod Eſt ſignificet ab Æterno, etiam notum eſt in Orbe Chriſtiano ex Pſalmo Davidis, ubi dicitur, "*Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, Ego Hodie genui Te,*" ii. 7; ſcitur quod ea de Domino dicta ſint, et quod per Hodie intelligatur ab Æterno: quod etiam Cras in Verbo, ubi agitur de Domino, ſignificet in Æternum, videatur n. 3998. Quod Qui Eſt Qui Fuit et Qui Venturus etiam ſignificet omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ, eſt quia ſignificat Æternum, ac Æternum non alia voce in Cœlo exprimi poteſt quam per Divinum, cauſa eſt, quia Infinitum in ideam Angelicam, et minus adhuc in humanam, non poteſt cadere, ac Æternum eſt Infinitum Exiſtere ex Infinito Eſſe; ſed hoc ſolum cadit in ideam, quod Æternum, quod eſt Divinum quoad Exiſtere, ſit omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ; univerſum enim Cœlum non eſt Cœlum ex proprio Angelorum, ſed ex Divino Domini, nec Eccleſia eſt Eccleſia ex proprio hominum, ſed ex Divino Domini, omne enim Bonum amoris et Verum fidei eſt a Domino, ac Bonum amoris et Verum fidei faciunt Cœlum et Eccleſiam; Angeli et homines ſunt modo receptiones, et quantum recipiunt tantum in illis Cœlum et Eccleſia eſt: ſed hæc pluribus illuſtrata videantur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 7 ad 12, ubi oſtenditur, quod Divinum Domini faciat Cœlum; et quod Divinum quod facit Cœlum, ſit Divinum Humanum, quod eſt Divinum Exiſtere ex Divino Eſſe, n. 78 ad 86.

24. Et a ſeptem ſpiritibus, quod ſignificet Divinum in cœlo, conſtat ex ſignificatione ſeptem, quod ſint plenum, et inde omnes, et quod dicantur de Sanctis Divinis quæ procedunt a Domino, de qua ſupra n. 20; et ex ſignificatione ſpirituum, quod ſint illi ex quibus cœlum, nam omnes illi vocantur Spiritus Dei, quoniam Spiritus Dei eſt Divinum procedens, ſeu Divinum Verum unitum Divino Bono in Cœlo et in Eccleſia, de qua n. 9818, ac Divinum procedens ſeu Divinum Verum unitum Divino Bono format et creat Angelum, ita facit illum ſecundum quale et quantum

receptionis, ut oſtenſum videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 7 ad 12: ex quibus patet, quod per ſeptem ſpiritus, de quibus plura dicentur in ſequentibus, non intelligantur ſeptem ſpiritus, ſed omnes in Cœlo, ſicut per ſeptem Eccleſias non intelliguntur ſeptem Eccleſiæ, ſed omnes qui in veris ex bono ſunt ſeu qui ab Eccleſia, de qua re ſupra n. 20. Ex his intellectis patet Arcanum, quid intelligitur per Jehovam Deum in Verbo, quod nempe per Jehovam intelligatur Divinum Eſſe, et per Deum Divinum Exiſtere in Cœlo; quod Divinum, quod intelligitur per Deum, ſit Divinum Exiſtere in Cœlo, eſt quia Divinum ibi eſt in pluribus, ideo in Lingua Hebræa Deus vocatur Elohim in plurali, ac ideo Angeli vocantur dii, non quod illi ſint dii, ſed quia Divinum Domini, quod eſt in illis, intelligitur per Deum. Quod in Verbo Jehovah dicatur ab Eſſe, ſeu Eſſentia et Deus ab Exiſtere ſeu Exiſtentia, videatur n. 300, 3910, 6905. Quod etiam Divinum Eſſe ſit Divinum Bonum, et quod Divinum Exiſtere ſit Divinum Verum, n. 3061, 6280, 6880, 6905, 10579: et in genera, quod bonum ſit eſſe, et verum ſit exiſtere inde, n. 5002. Quod Angeli dicantur dii ex receptione Divini Veri procedentis a Divino Bono Domini, n. 4295, 4402, 7268, 7873, 8301, 8192. Et quod Divinum Verum unitum Divino Bono in Cœlo una voce dicatur Divinum Verum, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13, 133, 144.

25. Qui ſunt in conſpectu throni Ipſius, quod ſignificet præſentiam et providentiam, conſtat ex ſignificatione conſpectus, qui ex Divino, quod ſit præſentia, et inde providentia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione throni Dei, quod ſit Divinum Verum procedens a Domino, ita Cœlum quia eſt receptaculum, de qua n. 5315, 6397. Quod aſpectus ſit præſentia, eſt quia per aſpectum et viſum ſignificatur intellectus et inde cogitatio, et in intellectu ſiſtitur omne præſens quod cogitatur; inde eſt, quod in Mundo ſpirituali appareant præſentes cum quibus alter deſiderat loqui, modo aliquam ideam ex viſu de eo in mundo habuerat, imprimis ſi uterque: inde eſt, quod amici ibi conveniant, et quoque uxores et mariti; cauſa eſt, quia viſus internus, qui eſt intellectus, apud ſpiritum unum agit cum viſu ejus externo ſeu oculi, et quia ſpatia in Mundo ſpirituali non ſunt ſicut ſpatia in Mundo naturali, propinquum ibi eſt, quod quis deſiderat videre, et longinquum quod non deſiderat, ex eo nunc eſt quod aſpectus ſignificet præſentiam: quod aſpectus et viſus ſignificet intellectum, videatur n. 2150, 2325, 2807, 3764, 3863, 3869, 10705, et quod inde præſentiam, n. 4723: et quod ſpatia in Cœlo non ſint qualia ſunt ſpatia in mundo, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 191 ad 199. Quod aſpectus, cum de Domino, ut hic, ſignificet Divinam Ipſius Præſentiam, eſt quia Dominus cognoſcit omnes, et illi viciſſim cognoſcunt Dominum qui in amore et fide ſunt in Ipſum, inde eſt quod Dominus apud hos præſens ſit in bonis amoris et in veris fidei quæ ab Ipſo apud illos; ſunt enim illa Dominus in Cœlo et in Eccleſia, nam quæ ab Ipſo procedunt, ſunt non modo Ipſius, ſed ſunt Ipſe; inde patet,

quomodo Dominus eſt in homine, ita quomodo intelligendum quod loquutus eſt apud Johannem, "*Manete in Me, et Ego in vobis; qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum,*" xv. 4 ad 7: apud Eundem, "*Qui diligit Me, Verbum meum ſervat, et Pater et Ego ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus,*" xiv. 23: apud Eundem, "*Jeſus ad diſcipulos; vos cognoſcitis Paracletum ſpiritum veritatis, quia apud vos manet, et in vobis erit,*" xiv. 17; Paracletus ſpiritus veritatis eſt Divinum Verum procedens a Domino, ſeu quod idem eſt Dominus quoad Divinum Verum; et Diſcipuli ſunt omnes qui in bonis et inde veris ſunt; ideo dicitur, Ille in vobis erit: et apud Eundem, "*Verbum Caro factum eſt, et habitavit in vobis,*" i. 14; Verbum etiam eſt Divinum Verum, et quod id ſit Dominus, patet, nam dicitur quod Verbum Caro factum ſit; quod Verbum ſignificet Divinum Verum et Dominum, videatur n. 4692, 5075, 9987. Quod etiam per aſpectum hic ſignificetur Providentia, eſt quia omnis præſentia Domini eſt Providentia, ut conſtare poteſt ex illis, quæ in Opuſculo de Nova Hierosolyma et ejus Doctrina, n. 267 ad 279, dicta et oſtenſa ſunt; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 9, 12, 145.

26. Et a Jeſu Chriſto, quod ſignificet a Domino quoad Divinum Humanum, conſtat ex eo, quod id nomen Domini in mundo fuerit, ita nomen Humani Ipſius, quoad Divinum autem fuit nomen Ipſius Jehovah et Deus. Divinum Humanum dicitur, quia Dominus Humanum ſuum fecit Divinum, cum fuit in mundo, univit enim id ſuo Divino quod fuit in Ipſo a conceptione, et quod fuit Ipſi anima ex Patre, ita quod fuit Ipſi vita ſua, nam anima cujuſvis eſt vita ejus, et corpus, quod eſt humanum, inde vivit, quapropter cum Divinum fuit unitum Humano in Domino, ſicut anima corpori, Divinum Humanum dicitur: quod ex Doctrina Eccleſiæ ſit, quod ſicut anima et corpus faciunt unum hominem, ita Divinum et Humanum fuerit unus Chriſtus, ut et quod Divinum et Humanum Ipſius fuerit una Perſona, videatur ſupra n. 10: qui itaque cogitant de Humano Domini, et non ſimul de Divino Ipſius, illi prorſus non admittunt vocem Divini Humani, cogitant enim ſeparatim de Humano, et ſeparatim de Divino, ita quaſi de homine ſeparatim ab anima ſeu vita ejus, quod tamen non eſt cogitare de homine, minus de Domino; et quia talis idea ſeparata ineſt cogitationi eorum, ideo rogant Patrem ut miſereatur propter Filium; cum tamen rogandus eſt Ipſe Dominus ut miſereatur, in Quo, ſecundum Doctrinam univerſalem Eccleſiæ, Divinum eſt quale eſt Patris, nam illa docet, "*Quod ſicut Pater, etiam Filius, eſt Increatus, Infinitus, Æternus, Omnipotens, Deus, Dominus; et nemo Eorum primus et ultimus, nec maximus aut minimus;*" ex Athanaſii Symbolo; et quoque eſt ſecundum Doctrinam ab Ipſo Domino datam, quæ eſt, "*Quod Ipſe et Pater unum ſint; et quod qui videt Ipſum videat Patrem, quia Ipſe in Patre et Pater in Ipſo: et quod Ipſe ſit via, veritas, et vita; et quod nemo veniat ad Patrem, niſi per Ipſum:*" inde patet, quantum deflectunt a via et a veritate, qui tranſeunt Dominum, et adeunt Patrem. Sed quia plura de hac re loquutus ſum cum Angelis,

et quoque cum Spiritibus, qui fuerunt, cum vixerunt homines in mundo, ab Eccleſia Reformata, et ex Religione Pontificia, velim in ſequentibus illa memorare; ex quibus apparebit, in quali luce eſſet Eccleſia de Divino, quod eſt primum et primarium ejus, ſi Divinum Humanum Domini agnoſceret et crederet.

27. Ipſe Teſtis fidelis, quod ſignificet a Quo omne verum in cœlo, conſtat ex ſignificatione Teſtis fidelis, cum de Domino, quod ſit agnitio Divini Humani a Quo omne verum in Cœlo, de qua ſequitur; quod dicatur in Cœlo, eſt quia Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini facit Cœlum in communi, et apud unumquemvis Angelum ibi in particulari, quod ita ſit, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13, 126 ad 140; et quod a Divino Humano Ipſius, n. 7 ad 12, 18 ad 86. Dominus quoad Divinum Humanum dicitur Teſtis fidelis, quia Divinum Verum procedens ex Ipſo in Cœlo Teſtatur de Ipſo: hoc Teſtimonium ineſt univerſaliter Divino Vero ibi; quod conſtare poteſt ex eo, quod Angeli interioris Cœli non poſſint aliter cogitare de Divino quam ſub Humana forma, ita de Divino Humano, ex cauſa, quia Divinum Humanum Domini implet univerſum Cœlum ac format illud, et cogitationes Angelorum vadunt et fluunt ſecundum formam Cœli, videatur in Opere ſupra citato, n. 59 ad 102, 200 ad 212, 265 ad 275: inde eſt, quod Teſtimonium Jeſu Chriſti ſignificet agnitionem Divini Domini in Humano Ipſius, de qua ſupra, n. 10. Ex his patet, quid in ſenſu ſpirituali intelligitur per Teſtari et per Teſtimonium in ſequentibus his locis, "*Johannes* (hic Johannes Baptiſta) *venit in Teſtimonium, ut Teſtaretur de Luce, ut omnes crederent per illum: non erat ille Lux, ſed ut Teſtaretur de Luce: erat Lux vera quæ illuſtrat omnem hominem: et Ego vidi, et Teſtatus ſum,*" Johan. i. 7, 8, 34; Lux ſignificat Divinum Verum; quare Dominus vocatur ibi Lux vera quæ illuminat omnem hominem; ac teſtari de Luce ſignificat agnitionem Divini Humani Ipſius ex Quo Divinum Verum procedit; quod Lux ſignificet Divinum Verum procedens a Domino, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, in Articulo de Luce Cœli, n. 126 ad 140: apud Eundem, "*Vos miſiſtis Johannem, et Teſtatus eſt veritati: ego vero non ab homine Teſtimonium accipio,*" v. 33, 34: apud Eundem, "*Jeſus dixit, amen dico tibi, quod quæ ſcimus loquamur, et quæ vidimus teſtemur: de Cœlo veniens ſuper omnes eſt, et quod vidit et audivit, hoc Teſtatur,*" iii. 11, 32: apud Eundem, "*Dixit Jeſus, etſi Ego Teſtor de Me Ipſo, verum eſt Teſtimonium meum, quia ſcio unde veni et quo vado,*" viii. 14; per quod ſignificatur, quod teſtetur de Se Ipſo ex Se Ipſo, quia erat Divinum Verum: apud Eundem, "*Quum venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille Teſtabitur de Me,*" xv. 26; Paracletus Spiritus veritatis eſt Divinum Verum procedens a Domino, videatur n. 9818, 9820, 10330: et ſupra, n. 20: et apud Eundem, "*Dixit Pilatus, num ergo Rex es Tu, reſpondit Jeſus, tu dicis, quia Rex Ego ſum, Ego in hoc natus ſum, et ad hoc veni in mundum, ut Teſter Veritati; omnis exiſtens ex veritate, audit meam*

vocem: et dixit Pilatus, quid eſt Veritas," xviii. 37, 38; quod Dominus ita reſponderet, cum interrogatus eſt num eſſet Rex, erat quia Dominus ut Rex eſt Divinum Verum, nam hoc eſt Regium Domini in Cœlo, Divinum autem Bonum Ipſius eſt Sacerdotium ibi; inde eſt, quod Dominus dixerit, quod Rex ſit, quod in hoc natus ſit, et ad hoc venerit in mundum, ut *Teſtetur Veritati, et quod qui in veritate eſt, audiat vocem Ipſius*; et ideo quæſivit Pilatus, *quid Veritas*, ita num illa eſſet Rex: quod Divinum Verum ſit Regium Domini in Cœlis, videatur n. 3009, 5068; et quod ideo Reges in Verbo ſignificent illos qui in Divinis Veris ſunt, ita abſtracte a perſonis ſignificent Divina Vera, n. 1672, 2015, 2069, 4575, 4581, 4966, 5044: quod Reges ſignificent illos qui in Divinis Veris, patebit clarius in Explicatione ſequentium in Apocalypſi, ubi nominantur Reges, et mox infra, ubi dicitur, *Fecit nos Reges et Sacerdotes Deo et Patri ſuo.* Ex his conſtare poteſt, quod per a Jeſu Chriſto, Ipſe Teſtis fidelis, ſignificetur Dominus quoad agnitionem Divini Humani, a Quo omne verum in Cœlo.

28. Ipſe Primogenitus ex mortuis, quod ſignificet ex Quo omne bonum ibi, conſtat ex ſignificatione Primogeniti, cum de Domino, quod ſit Divinum Bonum in Cœlo, ita omne bonum ibi; quod Primogenitus id ſignificet, eſt quia per Generationes in genere et in ſpecie ſignificantur generationes ſpirituales, quæ ſunt boni et veri, ſeu amoris et fidei, inde eſt quod per patrem, matrem, filios, filias, generos, nurus, filios filiorum, ſignificantur bona et vera, quæ generant, et quæ generantur in ſuo ordine, n. 10490; in Cœlo enim non ſunt aliæ Nativitates; et quia ita eſt, per Primogenitum non intelligitur Primogenitus, ſed bonum Cœli et Eccleſiæ, quia hoc primo loco eſt; nunc quia Dominus eſt ex Quo omne bonum ibi, ideo ille vocatur Primogenitus: quod vocetur Primogenitus ex mortuis, eſt quia cum ſurrexit ex mortuis, Humanum ſuum per unionem cum Divino, quod in Se ex conceptione erat, fecit Divinum Bonum, inde eſt quod dicatur Primogenitus ex mortuis, et de Ipſo apud Davidem, "*Ego Primogenitum dabo Illum, altum regibus terræ,*" Pſalm lxxxix. 28; quid intelligitur per altum regibus terræ, videatur in ſubſequente articulo. Quod Dominus, cum e mundo abivit, Humanum ſuum fecerit Divinum Bonum, videatur n. 3194, 3210, 6864, 7499, 8724, 9199, 10076; ita quod exiverit ex Patre et redierit ad Patrem, n. 3194, 3210; et quod poſt unitionem, Divinum Verum, quod eſt Paracletus Spiritus veritatis, procedat ab Ipſo, n. 3704, 3712, 3969, 4577, 5704, 7499, 8127, 8241, 9199, 9398, 9407; ſed hoc Arcanum videatur plenius explicatum in Opuſculo de DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 295; et in locis ex ARCANIS CŒLESTIBUS ibi citatis, n. 303, 304, 305. Quoniam Dominus quoad Divinum Humanum vocatus eſt Primogenitus, ex cauſa quia omne bonum procedit ab Ipſo, ideo omnia Primogenita in Eccleſia Iſraelitica ſancta fuerunt Jehovæ, et ideo Levitæ loco omnium Primogenitorum in Iſraele recepti ſunt, per filios enim Levi repræſentati fuerunt illi ab Eccleſia, qui in bono charitatis ſunt;

et ideo ceſſerunt Primogenito binæ partes ex hæreditate; et hæc omnia ob cauſam, quia Primogenitum ſignificabat bonum quod a Domino, et in ſupremo ſenſu Ipſum Dominum quoad Divinum Humanum, ex Quo omne bonum; omnia enim quæ in Eccleſia Iſraelitica mandata fuerunt, erant repræſentativa Divinorum Spiritualium et Cœleſtium. Quod omnia Primogenita in Eccleſia Iſraelitica ſancta fuerint Jehovæ, conſtat apud Moſchen in his ſequentibus locis, "*Sanctifica Mihi omne Primogenitum, aperturam omnis uteri, inter filios Iſraelis; in homine et in beſtia mea ſunto,*" Exod. xiii. 2. "*Tranſire facies omnem aperturam uteri Jehovæ; et omnis apertura beſtiæ, quot erunt tibi maſculi, Jehovæ,*" Exod. xiii. 12. "*Primitias frugum tuarum, et primitias vini tui non differes: Primogenitum filiorum tuorum dabis Mihi: ſic facies bovi tuo, et pecori tuo: ſeptem diebus erit cum matre ſua, octavo die dabis illud mihi; et viri ſanctitatis eritis Mihi,*" Exod. xxii. 28, 29, 30; quod etiam darent Primogenita beſtiæ, erat quia illæ etiam repræſentabant; et quia repræſentabant, etiam in holocauſtis et ſacrificiis adhibebantur; quid variæ beſtiæ ibi repræſentabant, videatur n. 1823, 3519, 9280, 10042. Quod Levitæ loco omnium Primogenitorum in Iſraele accepti ſint, de qua re videatur Num. iii. 12, 13, 41, 45. cap. viii. 15 ad 19, erat cauſa, ut ſupra dictum eſt, quia filii Levi repræſentabant et inde ſignificabant bonum charitatis, et Levi in ſupremo ſenſu Dominum quoad id bonum, videatur n. 3875, 3877, 4497, 4502, 4503, 10017. Quod Primogenito ceſſerint binæ partes ex hæreditate, Deut. xxi. 17, erat quia binæ partes ſignificabant bonum amoris, n. 720, 1686, 5194, 8423.

29. It Ipſe Princeps regum terræ, quod ſignificet ex Quo omne verum ex bono in Eccleſia, conſtat ex ſignificatione Princeps regum, quod ſit a Quo omne verum, Princeps eſt primarium, et reges ſunt vera; et quia de Domino, Qui hic Princeps regum vocatur, eſt a Quo omne verum: quod princeps ſit primarium, videatur n. 1482, 2089, 5044; et quod reges ſint vera, videbitur in Explicatione Verſus ſequentis, ubi dicitur, *Et fecit nos reges et ſacerdotes*, n. 31; et ex ſignificatione Terræ, quod ſit Eccleſia, de qua ſequitur. Qui non ſcit ſenſum internum Verbi, non aliter poteſt ſcire, quam quod Reges totius terræ hic intelligantur, at uſque non intelliguntur Reges, nec Terra, ſed per Reges illi omnes qui in veris ex bono ſunt, et per Terram Eccleſia: quod per Terram ſignificetur Eccleſia, multis oſtenſum eſt in ARCANIS CŒLESTIBUS, ex quibus hæc ibi videantur: Quod per Terram ſignificetur Regnum Domini et Eccleſia, n. 662, 1066, 1067, 1262, 1413, 2928, 3355, 4447, 4535, 5577, 8011, 9325, 9643: Ex cauſa imprimis, quia per Terram intelligitur Terra Canaan, et ibi fuerat Eccleſia ab Antiquiſſimis temporibus, n. 567, 3686, 4447, 4454, 4516, 4517, 5136, 6576, 9325, 9327: et quia in ſpirituali ſenſu per terram intelligitur gens quæ ibi et ejus cultus, n. 1262. Quod Novum Cœlum et Nova Terra ſignificet Eccleſiam in Cœlis et in Terris, n. 1733, 1850, 2117, 2118, 3355, 4535, 10373. Quod per Creationem Cœli et Terræ in Primis

Capitibus Geneſeos in ſenſu interno deſcribatur inſtauratio Eccleſiæ Antiquiſſimæ, n. 8891, 9942, 10545: quod creare ſit inſtaurare et regenerare, n. 10373. Quod Humus etiam ſignificet Eccleſiam, ſed Humus ex receptione ſeminum, quæ ſunt vera, Terra autem ex gente et ejus cultu, n. 566, 1067, 10570. Præterea Terra, quia ſignificat Eccleſiam, etiam ſignificat Religioſum, unde etiam Idololatricum, ut Terra Ægypti, Terra Philiſthæorum, Terra Chaldææ et Babelis, et plures aliæ. Quod Terra ſignificet Eccleſiam, etiam paucis oſtenſum videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 3, 4.

30. Amanti nos et lavanti nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quod ſignificet Ipſius amorem, et regenerationem per vera quæ ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione lavare a peccatis, quod ſit regenerare, de qua in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 202 ad 209; et ex ſignificatione in ſanguine ſuo, quod ſit per vera quæ ab Ipſo, de qua in eadem DOCTRINA, n. 210 ad 213, et ex ARCANIS CŒLESTIBUS ibi, n. 217, 219, 222. Quod Sanguis Domini ſignificet vera ex bono, ita vera ex Domino, ægre poteſt percipi et credi ab homine, qui nihil de ſenſu ſpirituali Verbi ſcit; et præterea apparet remotum intelligere vera a Domino loco ſanguinis Ipſius, ſed uſque non aliud intelligitur per ſanguinem Domini in Cœlo, et hoc ex cauſa, quia Dominus ibi eſt Divinum Verum unitum Divino Bono, inde nemo ibi de Sanguine et Carne Ipſius cogitat; cogitationem de illis vocant materialem, quæ non datur apud illos; dicunt etiam quod nec ſciant quod Caro et Sanguis nominetur in Verbo, ex cauſa, quia illa quæ ſunt ſenſus literæ Verbi, vertuntur apud illos in ſpiritualia, quoniam illi ſpirituales ſunt et non naturales, ita Caro, ubi dicitur de Domino, in Divinum Bonum, et Sanguis in Divinum Verum, utrumque procedens a Domino: quod Caro et Sanguis nominentur in ſenſu literæ Verbi, eſt cauſa ut ſpiritualia correſpondentia percipiantur in Cœlo; nam omnia Spiritualia deſinunt in naturalia, et in his habent ſuum planum ultimum, quare Divinum tranſiens Cœlos deſinit in id, et ibi ſubſiſtit, comparative ſicut domus ſuper ſuo fundamento, et tunc eſt in ſuo pleno, inde eſt quod Verbum in litera tale ſit, et quod Caro et Sanguis nominentur: ſed uſque mirantur Angeli, quod homo Eccleſiæ, qui ex Verbo etiam ſpiritualis fieri poteſt, non ultra ſenſum literæ ſe patiatur elevari, ac de Domino et Ipſius Carne et Sanguine non ſpiritualiter ſed materialiter cogitare: ſed quia mirati ſunt, et dictum eſt illis, quod plerique, imprimis ſimplices, de illis ſpiritualiter cogitent, quapropter exploraverunt, num aliquis ſpiritualiter, et comperti ſunt, quod plerique, et fere omnes ſimplices, cum obiverunt Sanctam Cœnam, nihil cogitaverint de Carne et Sanguine, ſed ſolum de Sancto quod illis tunc a Domino, et perceperunt, quod hoc jugiter provideatur a Domino, ob cauſam ut homo Eccleſiæ in ſpirituali idea tunc ſit, et non in materiali. Quod materialis manducatio intellecta ſit et recepta in doctrinis, eſt cauſa, quia de Humano Domini cogitaverunt ſicut de humano alius hominis, et non tunc ſimul de Divino in Humano Ipſius,

rejicientes vocem Divini Humani, et qui ita de Humano Domini cogitaverunt, non potuerunt niſi quam materialiter de Carne et Sanguine Ipſius cogitare; aliter ſi cogitaviſſent de Domino ſecundum Doctrinam univerſalem Eccleſiæ, quæ eſt, quod Divinum et Humanum Ipſius ſit unica Perſona, ac utrumque unitum ſicut anima et corpus, videatur ſupra n. 10 et 26. Præterea in Verbo multis in locis nominatur Sanguis, ut et quoque in Apocalypſi, ut Cap. vi. 12. Cap. vii. 14. Cap. viii. 7, 8. Cap. xi. 6. Cap. xii. 11. Cap. xiv. 20. Cap. xvi. 3, 4, 6. Cap. xviii. 24. Cap. xix. 2, 13; quare velim in ſequentibus per plura confirmare, quod per Sanguinem ſignificetur Verum quod a Domino, ac in oppoſito ſenſu falſum violentiam inferens illi Vero.

31. Et fecit nos reges et ſacerdotes, quod ſignificet quod ab Ipſo ſimus in Regno Ipſius Spirituali et Cœleſti, conſtat ex ſignificatione regum, quod ſint qui in veris ex bono, et quia illi conſtituunt Regnum Spirituale Domini, quod ſint qui in Regno Spirituali Ipſius; quod Reges in Verbo illos ſignificent, patebit a ſequentibus; et a ſignificatione Sacerdotum, quod ſint qui in bono amoris, et quia illi conſtituunt Regnum Cœleſte Domini, quod ſint qui in Regno Cœleſti Ipſius: quod duo Regna ſint, in quæ Cœli in communi diſtincti ſunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28; et quod Regnum Spirituale dicatur Regnum Regium Domini, et quod Regnum Cœleſte dicatur Regnum Sacerdotale Ipſius, ibid. n. 24. Plurimis in locis in Verbo Prophetico nominantur Reges, et qui non ſenſum internum ſcit, credit quod per Reges ibi intelligantur Reges; aſt non intelliguntur Reges, ſed omnes illi qui in veris ex bono ſunt, ſeu in fide ex charitate a Domino; cauſa eſt, quia Dominus eſt Solus Rex, et illi qui in veris ex bono ſunt ab Ipſo, filii Ipſius vocantur; inde eſt, quod per principes, filios Regni, filios Regis, et quoque per Reges intelligantur illi, et quod abſtracte ab idea perſonarum, ut fit in Cœlo, intelligantur vera ex bono, ſeu quod idem, fides ex charitate, quia verum eſt fidei et bonum eſt charitatis: quod non Reges intelligantur, conſtare poteſt ſolum ex eo, quod hic dicatur, quod Jeſus Chriſtus fecerit nos reges et ſacerdotes; et poſtea, "*Feciſti nos Deo noſtro reges et ſacerdotes, et regnabimus ſuper Terram,*" v. 10: et apud Matthæum, "*Semen in agro ſeminatum ſunt filii Regni,*" xiii. 38; ſemen agri ſunt vera ex bono a Domino apud hominem, videatur n. 3373, 10248, 10249: quiſque etiam percipere poteſt, quod Dominus non facturus ſit omnes illos, de quibus ibi agitur, reges, ſed quod illos dicat reges ex potentia et ex gloria, quæ illis qui in veris ex bono ſunt a Domino. Ex his nunc videri poteſt, quod per Regem in Verbo Prophetico intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, et per reges et principes illi qui in veris ex bono ſunt a Domino; et quia pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habent, quod in eo ſenſu per reges ſignificentur illi qui in falſis ex malo ſunt. Quod per Regem in Verbo intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, patet ab Ipſius Domini verbis ad Pilatum, "*Dixit Pilatus, num ergo Rex es Tu, reſpondit Jeſus, Tu dicis, quia Rex ſum Ego, Ego in hoc natus*

ſum, et ad hoc veni in mundum, ut Tester Veritati, *omnis exiſtens in* Veritate *audit vocem meam: dixit ei Pilatus, quid eſt Veritas,*” Johan. xviii. 37, 38; ex interrogatione Pilati, quid eſt Veritas, patet, quod intellexerit, quod Dominus Veritatem appellaverit Regem, ſed quia gentilis fuit, et non ex Verbo aliquid novit, non inſtrui potuit, quod Divinum Verum eſſet a Domino, et quod Ipſe eſſet Divinum Verum, ideo poſt interrogationem ſtatim *exivit ad Judæos, dicens, Ego nullam cauſam invenio in Eo;* et dein poſuit ſuper cruce, *Hic eſt Jeſus Rex Judæorum; et cum principes ſacerdotum dicerent ei,* “*Ne ſcribe Rex Judæorum, ſed quod Ipſe dixerit ſum Rex Judæorum, reſpondit Pilatus, quod ſcripſi, ſcripſi,*” Joh. xix. 19 ad 22. Ex his intellectis ſciri poteſt, quid per Reges in ſequentibus locis intelligitur, in Apocalypſi, “*Sextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen magnum Euphratem, et exſiccata eſt aqua ejus, ut pararetur via Regum ab ortu ſolis,*” xvi. 12. “*Cum meretrice magna ſedente ſuper aquis multis ſcortati ſunt Reges terræ,*” xvii. 2. “*Septem capita ſunt ſeptem montes ubi mulier ſedit, et Reges ſeptem ſunt; quinque ceciderunt, alius nondum venit: et decem cornua quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum acceperunt; ſed poteſtatem ſicut Reges unam horam accipiunt cum beſtia: hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum eſt et Rex regum,*” xvii. 9, 10, 12, 14. “*Et mulier, quam vidiſti, eſt urbs magna, habens Regnum ſuper Reges terræ,*” xvii. 18. “*De vino iræ ſcortationis Babyloniæ biberunt omnes gentes, et Reges terræ cum illa ſcortati ſunt,*” xviii. 3. “*Et vidi beſtiam et Reges terræ, et exercitus eorum congregatos facere prælium cum ſedente ſuper equo, et cum exercitu Ipſius,*” xix. 19. “*Et gentes quæ ſervatæ ſunt, in lumine Ipſius ambulabunt, et Reges terræ afferent gloriam et honorem ſuum in illam,*” xxi. 24: in his locis per Reges non intelliguntur Reges, ſed omnes, qui vel in veris ex bono ſunt, vel in falſis ex malo, ut ſupra dictum eſt. Similiter apud Danielem, “*Per Regem Meridiei et per Regem Septentrionis, qui bellum inter ſe geſſerunt,*” Cap. xi. 1 ad fin. per Regem Meridiei ibi intelliguntur illi, qui in luce veri ex bono ſunt, et per Regem Septentrionis illi qui in tenebris ex malo ſunt; quod Meridies in Verbo ſignificet illos qui in luce veri ex bono ſunt, videatur n. 1458, 3708, 3195, 5672, 9642; et Septentrio illos qui in tenebris falſi ex malo, n. 3708; et in genere in Opere de Cœlo et Inferno, n. 141 ad 153, ubi agitur de quatuor Plagis in Cœlo. Reges etiam pluries nominantur apud Prophetas in Veteri Teſtamento, et per eos ſimiliter intelliguntur illi qui in veris ex bono a Domino ſunt, et in oppoſito ſenſu qui in falſis ex malo, ut apud Eſaiam, “*Diſperget gentes multas; ſuper eo claudent Reges os ſuum, quia quod narratum eſt illis viderunt, et quod non audiverunt intellexerunt,*” lii. 15: apud Eundem, “*Zion Sancti Iſraelis, fuges lac gentium, et ubera Regum fuges,*” lx. 16: apud Eundem, “*Erunt Reges nutritii tui, et principes mulieres lactatrices tuæ, facie terram incurvabunt ſe tibi,*” xlix. 23: et præterea Eſai. xiv. 9. Cap. xxiv. 21. Cap. lx. 10. Jerem. ii. 26. Cap. iv. 9. Cap. xlix. 28. Thren. ii. 6, 9. Ezech. vii. 26, 27. Hoſch. iii. 4. Zephan. i. 8. Pſalm. ii. 10. cx. 5. Geneſ. xlix. 20. Quia Reges ſignificant illos qui in veris ex bono a Domino ſunt, ideo ab antiquis temporibus derivatum eſt, quod Reges, cum coronabantur, inſignirentur talibus, quæ ſignificant vera ex bono; ut quod Rex Oleo ungeretur, quod portaret Coronam ex Auro, teneret dextra Sceptrum, indueretur Chlamyde purpurea, ſederet ſuper Throno Argenteo, et cum inſignibus equitaret ſuper Equo albo; Oleum enim ſignificat Bonum ex quo Verum, n. 886, 4638, 9780, 9954, 10011, 10261, 10269: Corona ex auro ſuper Caput, ſimile, n. 9930: Sceptrum, quod eſt Baculus, potentiam Veri ex bono, n. 4581, 4876, 4966: Chlamys et Pallium, Divinum Verum in Regno ſpirituali, n. 9825, 10005; et Purpura, amorem ſpiritualem boni, n. 9467: Thronus, Regnum veri ex bono, n. 5315, 6397, 8625; Argentum, ipſum illud verum, n. 1551, 1552, 2954, 5658: Equus Albus intellectum illuſtratum ex illis, in Opuſculo de EQUO ALBO, n. 1 ad 5; quod Ritualia circa coronationes Regum involvant talia, ſed quod cognitio de illis hodie perierit, n. 4581, 4966. Quia ex his ſcitur, quid Rex in Verbo ſignificat, velim his addere, cur Dominus, cum Hieroſolymam intravit, ſederit ſuper pullo aſſinæ, et populus proclamaverit Ipſum tunc Regem, et quoque ſtraverint veſtimenta ſuper viam, Matth. xxi. 1 ad 8. Marc. xi. 1 ad 11. Luc. xix. 28 ad 40. Joh. xii. 14, 15, 16: quod prædictum eſt apud Sachariam, "*Exulta filia Zionis, clange filia Hieroſolymæ, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus et ſalvans, equitans ſuper Aſino et ſuper pullo Aſinæ,*" ix. 9. Matth. xxi. 5. Joh. xii. 15; cauſa erat, quia ſedere ſuper aſino et ſuper pullo aſinæ, erat inſigne Summi Judicis et Regis, quod conſtare poteſt ex his ſequentibus, "*Cor meum ad Legiſlatores Iſraelis, qui equitatis ſuper aſinabus candidis,*" Judic. v. 9, 10. "*Non recedet ſceptrum de Jehudah, nec Legiſlator ab inter pedes ejus, uſque dum venit Schilo; Qui ligabit ad Vitem Aſſininum pullum ſuum, et ad Vitem nobilem Filium aſſinæ ſuæ,*" Geneſ. xlix. 10, 11: quia ſedere ſuper Aſino et Pullo aſinæ tale inſigne erat, ideo *Judices equitabant ſuper Aſinabus albis,* Judic. v. 9, 10; et *filii ejus ſuper Pullis aſinæ,* Judic. x. 4: et Cap. xii. 14; et "*ipſe Rex, cum coronabatur, ſuper Mula,*" 1 Reg. i. 33: "*ac filii ejus ſuper Mulis,*" 2 Sam. xiii. 29: Qui non ſcit quid per Equum, Mulum, et Pullum aſinæ in ſenſu repræſentativo ſignificatur, credet, quod Domini equitatio ſuper Pullo aſinæ ſignificaverit miſeriam et humiliationem, ſed ſignificabat Magnificentiam Regiam; quapropter etiam populus tunc proclamabat Dominum Regem, et veſtimenta ſtraverunt ſuper viam: quod hoc factum ſit cum iret Hieroſolymam, erat cauſa quia per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia, videatur in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n. 6; et quod Veſtimenta ſignificent vera induentia bonum, et ſervientia illi, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1073, 2576, 5248, 5319, 5954, 9212, 9216, 9952, 10536; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 177 ad 182. Ex his nunc patet, quid per Regem et per Reges in Verbo ſignificatur, ita quoque quid per UNCTUM, MESSIAM, et CHRISTUM, nam Unctus, Meſſias et Chriſtus, ſimiliter ac Rex, ſignificant Dominum quoad Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipſius, Rex enim dicitur Unctus, et Unctus vocatur Meſſias in Lingua Hebræa, ac Chriſtus in Lingua Græca: Sed quod Dominus quoad Divinum Humanum Solus fuerit UNCTUS JEHOVÆ, quia in Illo Solo erat Divinum Bonum Divini Amoris a conceptione, conceptus enim erat a Jehovah; at quod omnes Uncti modo repræſentaverint Ipſum, videatur n. 9954, 10011, 10269. Quod autem Sacerdotes ſignificent bonum quale eſt in Regno Cœleſti, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, nempe quod Sacerdotes repræſentaverint Dominum quoad Divinum Bonum, n. 2015, 6148. Quod Sacerdotium eſſet repræſentativum Domini quoad opus ſalvationis, quia hoc erat ex Divino Bono Divini Amoris Ipſius, n. 9809. Quod Sacerdotium Aharonis, filiorum ejus, et Levitarum, fuerit repræſentativum operis ſalvationis in ſucceſſivo ordine, n. 10017. Quod inde per Sacerdotium et per Sacerdotia in Verbo ſignificetur bonum amoris quod a Domino, n. 9806, 9809. Quod per duo Nomina Jeſus et Chriſtus ſignificetur tam Sacerdotale quam Regium Ipſius, nempe per Jeſum Divinum Bonum, et per Chriſtum Divinum Verum, n. 3004, 3005, 3009. Quod Sacerdotes qui non agnoſcunt Dominum, ſignificent contrarium, ſimiliter Reges, nempe malum et falſum ex malo, n. 3670.

32. Deo et Patri ſuo, quod ſignificet per Divinum Verum et Divinum Bonum, conſtare poteſt ex eo, quod Deus ſit Divinum Verum, et Jehovah Divinum Bonum, et quod ideo in Verbo Dominus dicatur Deus, ubi agitur de Divino Vero, ac Jehovah ubi de Divino Bono, n. 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4287, 4402, 7010, 9167: ſed hic pro Jehovah dicitur Pater, quia Pater Domini erat Jehovah, et per Patrem ſimile intelligitur quod per Jehovam. Per utrumque Deum et Patrem, ſolus Dominus intelligitur, nam Pater in Ipſo erat, ſicut anima eſt in ſuo corpore, videatur ſupra n. 10 et 26, erat enim conceptus a Jehovah, et a Quo quis concipitur, ab illo eſt anima ejus, quapropter cum Dominus nominavit Patrem, intellexit Divinum ſuum in Se Ipſo, inde eſt quod dixerit, “*Quod Pater in Se ſit, et Ipſe in Patre,*” Joh. x. 38. cap. xvi. 10, 11. “*Quod Pater et Ipſe unum ſint,*” John. xi. 30. “*Quod non ſolus ſit, ſed Ipſe et Pater,*” Joh. xvi. 32. Quod Dominus appellaverit Divinum Jehovæ, quod in Se ex conceptione, et quod erat Eſſe vitæ Ipſius in Humano Suo, Patrem, ac Divinum Verum quod ex Divino Bono Filium, n. 2803, 3704, 7499, 8328, 8897. Quod Filius hominis ſit Divinum Verum, et Pater Divinum Bonum, n. 1729, 1733, 2159, 2628, 2803, 2813, 3255, 3704, 7499, 8897, 9807. Præterea videantur quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ ex ARCANIS CŒLESTIBUS citata ſunt de unitione Divini, quod Jehovah Pater vocatur, cum Divino Humano Domini, n. 304.

33. Ipſi gloria et robur in ſæcula ſæculorum, quod illa, nempe Divinum Bonum et Divinum Verum, a Domino Solo in æternum, conſtat a ſignificatione gloriæ, quod ſit Divinum Verum in Cœlo, de qua n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429; et ex ſignificatione roboris, quod ſit Divinum Bonum per Divinum Verum, quoniam Divino Bono per Divinum Verum eſt omne robur et omnis potentia, videatur n. 3091, 3563, 6344, 6413,

8304,

8304, 9643, 10019, 10182; et in Opere de Cœlo et Inferno, ubi agitur de potentia Angelorum Cœli a Domino, n. 228 ad 233: quod in ſæcula ſæculorum ſit in æternum, patet abſque explicatione. Quod gloria ſit Divinum Verum in Cœlo, eſt quia Divinum Verum ibi eſt Lux, et illa quæ ex Luce cœli exiſtunt, vocantur gloria, quia exiſtunt a Domino, et repræſentant Divinum Verum quod ab Ipſo, et narrant gloriam Ipſius, imprimis quæ intra Angelum, quæ ſunt intelligentiæ et ſapientiæ; quod Lux Cœli ſit Divinum Verum, et quod omnia quæ in Cœlo ſunt, tam extra quam intra Angelum, ex Luce ibi exiſtant, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140, 172, 173, 176. Creditur in mundo, quod per *Gloria ſit Deo* intelligatur, quod Deus velit gloriam ab homine propter Se, et quod illa afficiatur, ac propterea benefaciat, ſed fallitur, Deus vult gloriam ab homine propter hominem, ſic enim homo omnia tribuit Divino et nihil ſibi, et cum hoc facit, tunc Divinum poteſt influere cum Divino Vero et dare ei intelligentiam et ſapientiam; ſic et non aliter Dominus glorificatur in homine; Dominus enim amat unumquemvis, et ex amore vult, ut gloria Ipſius, hoc eſt, Divinum Verum, ſit in illis; quod etiam docet Dominus apud Johannem, "*Si manſeritis in Me, et verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis; in hoc Glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum feratis, et efficiamini diſcipuli mei*," xv. 7, 8. Quod ſalus Generis humani ſit gloria Domini, n. 4347, 4593, 5957, 7550, 8263, 10646.

34. Amen, quod ſignificet confirmationem Divinam, conſtat ex ſignificatione amen, quod ſit veritas, hoc enim ſignificatur per amen in Lingua Hebræa; et quia omnis veritas quæ veritas eſt Divina, ideo amen, cum dicitur in Verbo, ſignificat Divinam confirmationem; Verum enim confirmat omnia, ac Divinum Verum Se Ipſum; et quia Dominus erat Ipſum Divinum Verum, cum fuit in Mundo, ideo Dominus toties dixit amen.

35. Verſ. 7, 8. *Ecce venit cum nubibus, et videbit Ipſum omnis oculus, et qui Ipſum transfixerunt; et plangent ſuper Ipſum omnes Tribus terræ, etiam, amen. Ego ſum Alpha et Omega, Principium et Finis, dicit Dominus, Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, Qui Omnipotens.* Ecce, venit cum nubibus, ſignificat quod Dominus ſe revelaturus in Verbo per ſenſum internum: et videbit Ipſum omnis oculus, ſignificat quod agnituri omnes qui in veris ex bono ſunt: et qui Ipſum transfixerunt, ſignificat quod etiam viſuri illi qui in falſis ex malo: et plangent ſuper Ipſum omnes Tribus terræ, ſignificat quod falſa Eccleſiæ repugnatura: etiam, amen, ſignificat confirmationem Divinam quod ita futurum: Ego ſum Alpha et Omega, Principium et Finis, ſignificat quod omnia regat ex primis per ultima, et ſic omnia cœli in æternum: dicit Dominus, Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, ſignificat ab Ipſo Qui eſt omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ ab æterno in æternum, et Jehovah: Qui Omnipotens, ſignificat ex Se.

36. Ecce venit cum nubibus, quod ſignificet quod Dominus Se revelaturus in Verbo per ſenſum internum, conſtat ex ſignificatione venire, cum de Domino, quod ſit ſe revelare; et ex ſignificatione nubium, quod ſint Divina vera in ultimis, ita Verbum in litera, nam Verbum quoad ſenſum literæ eſt Divinum Verum in ultimis; et quia unumquodvis ibi continet ſenſum internum ſeu ſpiritualem, ideo venire cum nubibus, eſt revelare Se per illum ſenſum. Quod Nubes Divina Vera in ultimis ſignificent, eſt ex apparentiis in ſpirituali mundo; ibi apparent Nubes in varia luce, in Intimo ſeu Tertio Cœlo in flammea, in Medio ſeu Secundo in candida, ac in Ultimo ſeu Primo in denſiori, et quiſque ibi novit, quod ſignificent Divinum Verum a Domino per Angelos, nam cum Divinum Verum procedens a Domino, quod eſt ipſa Lux cœli, tranſit Angelos, apparet id ſicut nubes, purior et denſior ſecundum intelligentiam eorum; tales Nubes mihi multoties viſæ ſunt, et quoque perceptum quid ſignificant; inde eſt, quod per nubes, quales apparent coram oculis hominum in mundo, ſignificetur Divinum Verum in ultimis, et quia Verbum in litera eſt Divinum Verum in ultimis, quod id per nubes ſignificetur. Qui non ſcit, quod Nubes id ſignificent, credere poteſt, quod Dominus ad ultimum Judicium venturus ſit in Nubibus, et appariturus in gloria, ſecundum Ipſius verba apud Evangeliſtas, ubi dicit, "*Tunc patebit ſignum Filii hominis in Cœlo, et videbunt Filium hominis venientem in Nubibus Cœli cum potentia et gloria multa;*" Matth. xxiv. 30. Marc. xiii. 26. Luc. xxi. 27; Conſummatio ſæculi, de qua ibi agitur, eſt ultimum tempus Eccleſiæ, et Adventus Domini tunc eſt Revelatio Ipſius, ac Divini Veri quod ab Ipſo, in Verbo per ſenſum internum, alibi quam in Verbo Dominus non ſe revelat, nec aliter ibi quam per ſenſum internum; potentia et gloria etiam ſignificant Verbum in ſenſu interno: quod hodie id impletum ſit, nempe quod Sæculum ſit conſummatum, ac Ultimum Judicium peractum, et quoque quod Dominus venerit in Nubibus Cœli, hoc eſt, revelaverit ſenſum internum Verbi, conſtare poteſt ex Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, a principio ad finem; et quoque in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 1; tum in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 249 ad 266. Quod Conſummatio ſæculi ſignificet Ultimum Tempus Eccleſiæ, videatur n. 4535, 10622: quod Adventus Domini Revelationem Divini Veri per ſenſum internum, n. 3900, 4060: Quod Nubes ſenſum literæ Verbi, n. 4060, 4391, 5922, 6343, 6752, 8106, 8781, 9430, 10551, 10574: Quod Gloria ſignificet Divinum Verum in Cœlo, ita ſenſum internum, quia hic eſt Divinum Verum in Cœlo, n. 5922, 9429, 10574: Quod dicatur venturus in potentia, eſt quia omnis potentia eſt Divino Vero quod a Domino, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 228 ad 233, 539. Simile intelligitur per Domini verba ad Principem Sacerdotum, "*Jeſus dixit principi ſacerdotum, ex nunc videbitis Filium hominis ſedentem ad dextram potentiæ, et venientem in nubibus cœli,*" Matth. xxvi. 63, 64. Marc. xiv. 62; Filius hominis eſt Dominus quoad Divinum Verum; ſedere ad dextram potentiæ, eſt cui

Omnipotentia; venire in Nubibus Cœli eſt revelatio Divini Veri de Ipſo in Verbo, nam Se Ipſum revelavit; et quoque omnia quæ continentur in ſenſu interno, in quo agitur præcipue de Glorificatione Humani Ipſius, implevit. Simile per Nubes in ſequentibus his locis ſignificatur; apud Danielem, "*Videbam viſionibus noctis, quod ecce cum Nubibus Cœli ſimilis Filio hominis veniebat,*" vii. 13. In Apocalypſi, "*Aſpexi, et ecce Nubes candida, et Nubi inſidebat ſimilis homini, habens impoſitam Capiti ſuo Coronam,*" xiv. 14, 16. Apud Eſaiam, "*Ecce Jehovah inſidens denſæ Nubi levi,*" xix. 1. Apud Davidem, "*Cantate Deo, laudate Nomen Ipſius, extollite equitantem ſuper Nubibus,*" Pſalm. lxviii. 5: apud Eundem, "*Jehovah ponit Nubes currum ſuum; ambulat ſuper alis venti,*" Pſalm. civ. 3; quis non videre poteſt, quod hæc non intelligenda ſint ſecundum ſenſum literæ, nempe quod Jehovah inſideat nubi, quod equitet ſuper nubibus, et quod ponat nubes currum ſuum; qui ſpiritualiter cogitat, is ſcire poteſt, quod Jehovah in ſuo Divino Vero ſit, hoc enim procedit ab Ipſo, conſequenter quod id per nubes ibi intelligatur; ideo etiam dicitur quod Jehovah ponat nubes currum ſuum, per currum enim ſignificatur doctrina veri, videatur n. 2760, 5321, 8215. Similiter in his locis; apud Eſaiam, "*Deſtillate Cœli ſuperne, et ſuperiores Nubes Juſtitiam,*" xlv. 8. Apud Nahum, "*Jehovæ via cum Nube et Procella; et Nubes pulvis pedum Ipſius,*" i. 3. Apud Davidem, "*Tribuite robur Deo, cujus excellentia eſt ſuper Iſraelem, et cujus robur in ſuperioribus Nubibus,*" Pſalm. lxviii. 35. Apud Moſen, "*Non ſicut Deus Jeſchurun, equitans in Cœlo in auxilio tuo, et in magnificentia tua ſuper Nubibus,*" Deutr. xxxiii. 26. Apud Davidem, "*Teſtis in Nubibus fidelis,*" Pſalm. lxxxix. 38. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per "*quod Nubes Atrium interius impleverit,*" Ezech. x. 3, 4: Et "*quod Nubes reſederit ſuper Tentorium,*" de quo ſæpius apud Moſen. Tum, quod cum Jeſus transformatus fuit, viſus ſit in Gloria, et quod Nubes obvelaverit tres Ipſius diſcipulos, et quod e Nube illis dictum ſit, "Hic eſt Filius Meus dilectus," Matth. xviii. 1 ad 10. Marc. ix. 1 ad 11. Luc. ix. 28 ad 37. Videantur etiam quæ de Domino in medio Angelorum viſo in Nube in Opuſculo de TELLURIBUS IN UNIVERSO, n. 171 viſa ſunt.

37. Et videbit Ipſum omnis oculus, quod ſignificet quod agnituri omnes qui in veris ex bono ſunt, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere, percipere et agnoſcere, de qua n. 2150, 2325, 2807, 3764, 3863, 3869, 4723, 10705; et ex ſignificatione oculi, quod ſit intellectus et fides, de qua n. 2701, 4403 ad 4421, 4523 ad 4534, 9051, 10569, ita qui in veris ex bono ſunt, nam hi in fide ſunt et inde intellectu. Quod oculus ſignificet intellectum et fidem, eſt ex correſpondentia; intellectus enim eſt viſus internus, et is viſus eſt qui videt per oculum, determinat enim hunc ad objecta, et diſponit interiora ejus, quæ ſunt plura, ad receptionem, inde apparet iris et pupilla nunc dilatata, nunc contracta, nunc obſcura, nunc lucida, quandoque ſcintillans, prorſus ſecundum

intellectus cupidinem et deſiderium; inde eſt, quod ab oculis aliquatenus videri poſſit affectio cogitationis; ex hac correſpondentia eſt, quod oculus ſignificet intellectum: quod etiam oculus ſignificet fidem, eſt quia vera fidei non alibi quam in intellectu reſident, vera quæ non ibi reſident, non ſunt in homine, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 28 ad 36. Quod oculus in ſenſu ſpirituali ſit fides, eſt quoque ex aſpectu Domini ab Angelis, vertunt enim jugiter faciem ad Ipſum, et vident Ipſum fide et intellectu, de qua Converſione videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 123, 142, 143, 145, 151, 153, 255, 272, 510.

38. Et qui Ipſum transfixerunt, quod ſignificet quod etiam viſuri illi qui in falſis ex malo, conſtat ex ſignificatione transfigere, quod ſint qui prorſus negant Dominum, illi enim apud ſe occidunt Illum et transfigunt; ſunt etiam qui intelliguntur per militem qui transfixit latus Ipſius, Joh. xix. 35, 36, 37; per militem et milites ibi intelliguntur qui ab Eccleſia ſunt, et pro Domino militarent, ibi in ſpecie qui ab Eccleſia Judaica, et in genere omnes qui ab Eccleſia in falſis ex malo ſunt: quia milites illos ſignificabant, ideo illi veſtimenta Domini diviſerunt, et ſuper tunicam ſortem jecerunt, per quæ intelligitur quod Eccleſia Judaica diſperſerit Divina Vera quæ in Verbi ſenſu literæ, at quod non potuerint vera interiora ſeu vera quæ ſunt ſenſus interni; nam veſtimenta ſignificant vera in ultimis, n. 2576, 5248, 6918, 9158, 9212: Dividere ſignificat diſſipare et diſpergere, n. 4424, 6360, 6361, 9093: et tunica vera interiora, n. 9049, 9212, 9216, 9826.

39. Et plangent ſuper Ipſum omnes Tribus terræ, quod ſignificet quod falſa Eccleſiæ repugnatura, conſtat ex ſignificatione plangere, quod ſit lugere, dolere, indignari, iraſci, averſari, ita quoque repugnare; et ex ſignificatione tribuum, quod ſint omnia vera et bona in complexu, et in oppoſito ſenſu omnia falſa et mala in complexu, de qua ſequitur; et ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua ſupra n. 29; inde per omnes Tribus terræ ſignificatur tota Eccleſia, et per quod plangent ſuper Ipſum, ſignificatur quod vera et bona non amplius, quia falſa et mala regnatura et repugnatura; agitur enim in hoc Verſu in genere de ſtatu Eccleſiæ qualis futurus in fine ejus, quando non amplius fides quia non charitas, quod nempe Dominus tunc Se revelaturus, et agnituri omnes qui in veris ex bono ſunt, et quoque viſuri qui in falſis ex malo, ſed quod falſa Eccleſiæ repugnatura: quod in Apocalypſi non agatur de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ, ſed de ultimo ſtatu quando finis ejus, videatur ſupra n. 5; et quod finis ejus ſit, quando non fides quia non charitas, in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39 ſeq. et cum non fides quia non charitas, tunc falſa ex malo regnant, quæ veris ex bono repugnant. Sæpius in Verbo nominantur Tribus, quia populus Iſraeliticus in duodecim Tribus diviſus fuit; et qui non ſcit ſenſum internum Verbi, autumat quod per Tribus intelligantur Tribus Iſraelis, at uſque non per Tribus intelliguntur Tribus, nec per Iſraelem intelligitur Iſrael, ſed per

Tribus intelliguntur omnes qui in veris ex bono ſunt, et per Iſraelem Eccleſia Domini; qui hoc non novit, facile arripiet communem fidem, quod filii Iſraelis præ omnibus in univerſo terrarum orbe electi fuerint, et quoque quod demum introducendi ſint in Terram Cananem, imo etiam quod ex illis imprimis Cœlum futurum ſit, cum tamen per nomina illorum non illi intelliguntur, ſed qui in veris ex bono, ita qui ab Eccleſia ſunt, per duodecim Tribus omnes, ac per unamquamvis aliquod ſpeciale verum ac bonum, quod eſt illis qui ab Eccleſia. Ex his intellectis conſtare poteſt, quid intelligitur per hæc in Apocalypſi; "*Audivi numerum ſignatorum,* 144000 *ſignatos ex omnibus Tribubus filiorum Iſraelis: ex Tribu Jehudæ* 12000 *ſignatos: ex Tribu Ruben* 12000 *ſignatos: ex Tribu Gad* 12000 *ſignatos: ex Tribu Aſcher* 12000 *ſignatos: ex Tribu Naphtali* 12000 *ſignatos: ex Tribu Menaſche* 12000 *ſignatos: ex Tribu Schimeon* 12000 *ſignatos: ex Tribu Levi* 12000 *ſignatos: ex Tribu Iſaſchar* 12000 *ſignatos: ex Tribu Sebulon* 12000 *ſignatos: ex Tribu Joſeph* 12000 *ſignatos: ex Tribu Benjamin* 12000 *ſignatos,*" vii. 4 ad 8; hic non intelliguntur illi qui ex gente Iſraelitica, ſed omnes quotcunque ſunt qui in veris ex bono; hi enim omnes ſignati ſunt ad cœlum; numeri 144000 et 12000 etiam omnes ſignificant, et unaquævis Tribus omnes illos qui in eo vero aut bono quod per nomen ejus ſignificatur; ut conſtare poteſt ex oſtenſis in ARCANIS CŒLESTIBUS; ut quodnam bonum et verum ſignificatur per Jehudam, n. 3881, 6363: quodnam per Rubenem, n. 3861, 3866, 4605, 4731, 4734, 4761, 6342 ad 6345: quodnam per Gadem, n. 3934, 3935: quodnam per Aſcherem, n. 3938, 3939, 6408: quodnam per Naphtalin, n. 3927, 3928: quodnam per Menaſchen, n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296: quodnam per Schimeonem, n. 3869 ad 3872, 4497 4502, 4503, 5482, 5626, 5630: quodnam per Levi, n. 3875, 3877, 4497, 4502, 4503: quodnam per Iſaſcharem, n. 3956, 3957: quodnam per Sebulonem, n. 3960, 3961, 6383: quodnam per Joſephum, n. 3969, 3971, 4669, 6417: et quodnam per Benjaminem, n. 3969, 4592, 5411, 5413, 5443, 5639, 5686, 5688, 5689, 6440. Quod omnes Numeri in Verbo ſignificent res, n. 482, 487, 647, 648, 755, 813, 1963, 2075, 2252, 3252, 4264, 4495, 4674, 5265, 6175, 9488, 9659, 10217, 10253: quod duodecim ſignificent omnes et omnia quoad vera ex bono, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913: ſimiliter Numeri 72, 144, 12000, 144000, quia ex 12 per multiplicationem exſurgunt, n. 7973: quod Numeri multiplicati ſimile ſignificent cum ſimplicibus, a quibus per multiplicationem exiſtunt, n. 5291, 5335, 5708, 7973. Qui non ſcit, quod Numeri ſignificent res, et quid numeri 12, 144 et 12000, tum quid Tribus et Apoſtoli, is nec ſcire poteſt, quid ſignificant hæc in Apocalypſi, "*Sancta Civitas Hieroſolyma Nova habebat Murum magnum et altum, habentem Portas* 12, *et in portis Angelos* 12, *et Nomina inſcripta, quæ ſunt nomina* 12 *Tribuum Iſraelis: et Murus habebat fundamenta* 12, *in quibus* 12 *nomina Apoſtolorum Agni: Murus erat* 144 *cubitorum; ac longitudo et latitudo Civitatis* 12000 *ſtadiorum,*" xxi. 12, 14, 16, 17; quid per omnia illa ſignificatur, videas explicatum in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n. 1; quod nempe per Hieroſolymam ſignificetur Eccleſia quoad doctrinam, per Murum ejus vera tutantia, per Portas vera introducentia, per fundamenta cognitiones ſuper quibus doctrina fundatur, per 12 Angelos et per 12 Tribus omnia vera et bona in complexu, ſimiliter per 12 Apoſtolos; et quod per Numeros 12, 144 et 12000 omnia et omnes. Porro, qui ſcit quod talia per 12 Tribus ſignificantur, is videre poteſt arcanum quod ineſt, cur Nomina 12 Tribuum inſculpta fuerunt Lapidibus pretioſis in Urim et Thumim, et præterea quid Pectorale illud ſignificavit, Exod. xxviii. 21. Cap. xxxix. 10 ad 15; Arcanum id videatur evolutum n. 3858, 6335, 6640, 9863, 9865, 9873, 9874, 9905: Is etiam videre poteſt, quid ſignificatur per *quod duodecim Apoſtoli ſederent ſuper duodecim thronis, et judicaturi duodecim Tribus Iſraelis,*" Matth. xx. 28; quod nempe Dominus ſolus judicaturus ſit per vera ex bono unumquemvis, n. 2129, 6397: tum quid intelligitur per Prophetica Iſraelis patris de filiis ſuis, Geneſ. xlix: ut et quid in plurimis locis in Verbo, ubi Tribus nominantur, ut Eſai. xix. 13. Cap. xlix. 6. Cap. lxiii. 17. Jerem. x. 16. Ezech. xlviii. 1, ſeq. Pſalm. cxxii. 3, 4, 5. Deutr. xxxii. 8. Num. xxiv. 2. Apoc. v. 9. Cap. vii. 9. Cap. xi. 9. Cap. xiii. 7. Cap. xiv. 6; et alibi: et porro quid per Domini verba de Conſummatione ſæculi et de Adventu Ipſius, "*Poſt afflictionem dierum iſtorum Sol obſcurabitur, et Luna non dabit lumen ſuum, et Stellæ cadent de Cœlo, et Potentiæ cælorum commovebuntur; et tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cœlo; et tunc plangent omnes Tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia et gloria multa,*" Matth. xxiv. 29, 30, 31; quæ quoad ſingula videantur explicata in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 1; et hæc ſequentia in ARCANIS CŒLESTIBUS, nempe quod 12 Tribus Iſraelis repræſentaverint et inde ſignificaverint omnia vera et bona in complexu, ita omnia fidei et amoris, n. 3858, 3926, 4060, 6335: quod ſimilia 12 Apoſtoli, n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397. Quod varia ſignificent ſecundum ordinem in quo nominantur, n. 3862, 3926, 3939, 4603, ſeq. 6337, 6640, 10335.

40. Etiam, amen, quod ſignificet confirmationem Divinam quod ita futurum, conſtat ex ſignificatione etiam, quod ſit confirmatio præcedentium quod ita futurum; et ex ſignificatione amen, quod ſit confirmatio Divina, de qua ſupra n. 35.

41. Ego ſum Alpha et Omega, Principium et Finis, quod ſignificet quod omnia regat ex primis per ultima, et ſic omnia Cœli in æternum, conſtat ex ſignificatione Alpha et Omega, quod ſit primus et ultimus, ſeu in primis et in ultimis, et qui eſt in primis et in ultimis, etiam regit intermedia, ita omnia: hæc dicuntur de Divino Humano Domini, quia de Jeſu Chriſto, per quæ Nomina intelligitur Divinum Humanum Ipſius, videatur ſupra n. 26; per Hoc Dominus eſt in primis et ultimis. Quod autem regat omnia ex primis per ultima, eſt arcanum quod non poteſt ab homine adhuc percipi, homo enim non ſcit aliquid de ſucceſſivis

gradibus, in quos Cœli ſunt diſtincti, et in quos etiam interiora hominis, et parum de eo quod homo quoad carnem et oſſa ſit in ultimis, nec percipit quomodo intermedia per ultima a primis reguntur; et tamen uſque Dominus in mundum venit, ut indueret Humanum, et Hoc glorificaret, hoc eſt, Divinum faceret uſque ad ultimum, hoc eſt, uſque ad carnem et oſſa, ut omnia ita regeret: quod Dominus tale Humanum induerit, et ſecum in Cœlum tulerit, notum eſt in Eccleſia, ex eo quod nihil de Corpore ſuo reliquerit in ſepulchro; et quoque ex Ipſius verbis ad Diſcipulos, dicendo, "*Videte manus meas et pedes meos, quod Ipſe Ego ſim; et videte, quia ſpiritus carnem et oſſa non habet, ſicut Me videtis habentem,*" Luc. xxiv. 39; per id itaque Dominus in ultimis eſt, et quia hæc etiam Divina fecit, ſe in Divinam potentiam regendi omnia ex primis per ultima immiſit: ſi Dominus hoc non feciſſet, periiſſet æterna morte Genus humanum in hac Tellure: ſed hoc Arcanum non ulterius deducitur, quia plura ſcienda ſunt, per quæ idea formari et comparari poteſt de Regimine Divino per ultima ex primis: aliquid tamen ad intellectum venire poteſt ex illis quæ in Arcanis Cœlestibus oſtenſa ſunt, quæ ſunt hæc; Quod interiora ſucceſſive influant in externa, uſque in extremum ſeu ultimum, et quod ibi etiam exiſtant, et quod ibi ſubſiſtant, n. 634, 6239, 6465, 9216, 9217. Quod non modo ſucceſſive influant, ſed etiam forment in ultimo ſimultaneum, quo ordine, n. 5897, 6451, 8603, 10099. Quod ideo omnia interiora contineantur in nexu a Primo per ultimum, n. 9828, et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 297. Quod inde in ultimis ſit robur et potentia, n. 9836. Quod inde etiam ultimum præ interioribus ſanctum, n. 9824. Quod inde Primum et Ultimum ſignificent omnia, n. 10044, 10329, 10335. De Gradibus ſucceſſivis, in quos Cœli ſunt diſtincti, et in quos etiam interiora hominis, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 38. Dicitur etiam quod Dominus ſit Principium et Finis, et per id intelligitur ab æterno in æternum; ſed hoc nec explicari ad captum ulterius poteſt, quam explicatum eſt ſupra n. 23, quæ videantur.

42. Dicit Dominus, Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, quod ſignificet ab Ipſo Qui eſt omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ ab æterno in æternum, et Jehovah, conſtat ex illis quæ ſupra n. 23, explicata ſunt, ubi eadem.

43. Qui Omnipotens, quod ſignificet ex Se, conſtat ex eo, quod nulli aliqua potentia ſit in Cœlis quam Soli Domino, quare Angeli tantum potentiæ ſunt, ſeu tantum potentes, quantum a Domino accipiunt, et tantum accipiunt, quantum in Divino Bono unito Divino Vero ſunt, nam Hoc eſt Dominus in Cœlo: inde patet, quod Solus Dominus ſit Potens, et nuſquam aliquis in Cœlo quam a Domino; cauſa eſt, quia Divinum Domini eſt omne in omnibus ibi, facit enim Cœlum in communi, et apud unumquemvis in particulari; ſunt etiam omnia ab Ipſo creata quæ creata ſunt, ita Cœlum et Terra, quod etiam Ipſe docet apud

Johannem, " *In principio erat Verbum, ac Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; omnia per Ipſum facta ſunt, et ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt: in Ipſo vita erat, et vita erat lux hominum. Et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis,*" i. 1, 2, 3, 14; per Verbum intelligitur Divinum Verum quod in Cœlis, a quo omnia ibi ſunt; quod illud ſit Dominus quoad Divinum Humanum, patet, quia dicitur, *et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis*; et quia omnis angelorum vita inde eſt, et quoque omnis lux in Cœlis inde eſt, dicitur, *in Ipſo vita erat, et vita erat lux hominum*: ſed hæc omnia melius illuſtrata videantur in Opere de CŒLO ET INFERNO, quod nempe Divinum Domini faciat Cœlum, n. 7 ad 12; quod Hoc ſit Divinum Humanum Ipſius, n. 78 ad 86: quod inde omnis vita Angelis, n. 9; et quoque omnis lux Cœli, n. 126 ad 140. Quod omnis potentia Angelis ſit ex Domino, et nulla a ſeipſis, n. 228 ad 233. Ex his patet, quod Omnipotens ſit ex Se eſſe, vivere et poſſe. Quod Divinum Humanum Domini æque ex Se ſit, vivat et poſſit, ac Divinum Ipſius in Ipſo, quod Pater vocatur, etiam docet Dominus, " *Quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio habere vitam in Se Ipſo,*" Joh. v. 26; et quod nemo alius vitam habeat in ſe ipſo, " *Jeſus dixit, ſine Me non poteſtis facere quicquam,*" Joh. xv. 5.

44. Verſ. 9, 10, 11. *Ego Johannes, qui et frater veſter, et conſocius in afflictione, in Regno, et exſpectatione Jeſu Chriſti; eram in inſula vocata Parmos, propter Verbum Dei, et propter teſtimonium Jeſu Chriſti. Factus ſum in ſpiritu in Dominica die, et audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ; dicentis, Ego ſum Alpha et Omega, Primus et Ultimus; quod vides ſcribe in libro, et mitte Eccleſiis, illis in Aſia, Epheſum, et Smyrnam, et Pergamum, et Thyatira, et Sardes, et Philadelphiam, et Laodiceam.* Ego Johannes, ſignificat doctrinam de Domino: qui et frater veſter, ſignificat et de bono amoris in Ipſum: et conſocius in afflictione, ſignificat verum fidei infeſtatum a falſis: in Regno, ſignificat in Eccleſia ubi vera: et exſpectatione Jeſu Chriſti, ſignificat ubi cognitio Divini in Humano Ipſius: eram in Inſula vocata Parmos, ſignificat revelationem gentibus: propter Verbum Dei, ſignificat ut recipiatur Divinum Verum: et propter teſtimonium Jeſu Chriſti, ſignificat ac ut agnoſcatur Divinum Humanum Domini: factus ſum in ſpiritu, ſignificat ſtatum ſpiritualem cum revelatio: in Dominica die, ſignificat Divinum tunc influxum: et audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ, ſignificat perceptionem manifeſtam Divini Veri e Cœlo revelati: dicentis, Ego ſum Alpha et Omega, Primus et Ultimus, ſignificat qui omnia regit ex primis per ultima, et ſic omnia Cœli in æternum: quod vides ſcribe in libro, ſignificat ut revelata ſint poſteritati: et mitte Eccleſiis, illis in Aſia, ſignificat et tunc omnibus illis qui in luce intelligentiæ: Epheſum, et Smyrnam, et Pergamum, et Thyatira, et Sardes, et Philadelphiam, et Laodiceam, ſignificat in ſpecie ſecundum receptionem.

45. Ego Johannes, quod ſignificet doctrinam de Domino, conſtare poteſt ex repræſentatione Johannis, quod in ſupremo ſenſu per illum

intelligatur Dominus quoad doctrinam, videatur ſupra n. 19; quare etiam per illum ſignificatur doctrina de Domino, nam cognoſcere Dominum eſt principale omnium doctrinæ, ſeu primum illorum et ultimum, primarium namque Eccleſiæ eſt cognoſcere et agnoſcere ſuum Divinum, nam Divino ſuo per agnitionem et fidem conjungitur, et abſque conjunctione cum Divino omnia doctrinæ nihili ſunt, quæ etiam cauſa eſt, quod Divinum ſe revelaverit: Divinum quod ſe revelavit, eſt Divinum Humanum; quod abſque agnitione Divini in Humano Domini nulla ſalus, multis oſtenſum videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 280 ad 310. Inde nunc eſt, quod Johannes, quia repræſentat Dominum quoad doctrinam, etiam repræſentet doctrinam de Domino.

46. Qui et frater veſter, quod ſignificet et de bono amoris in Ipſum, conſtat ex ſignificatione fratris, quod ſit bonum amoris; cauſa quod frater ſignificet bonum amoris, eſt, quia in Cœlo non aliæ affinitates dantur quam ſpirituales, ita nec aliæ fraternitates; non enim ibi ex aliqua nativitate fiunt fratres, et quoque qui fratres fuerunt in mundo, non ibi ſe cognoſcunt, ſed quiſque alterum cognoſcit ex bono amoris, illi qui conjunctiſſime ut fratres, et reliqui ſecundum conjunctionem per bonum ut affines et ut amici; inde eſt quod per fratrem in Verbo ſignificetur bonum amoris; hoc etiam Dominus docet, dicendo, "*Dixit quidam ad Jeſum, ecce Mater tua et Fratres tui foris ſtant, quærentes tibi loqui; at Ipſe reſpondens dixit, quæ eſt Mater mea, et qui ſunt Fratres mei; Mater mea et Fratres mei ii ſunt, qui audiunt verbum Dei et faciunt illud,*" Matth. xii. 47 ad 50. Luc. viii. 19, 20, 21. Et alibi, "*Unus eſt veſter Magiſter, Chriſtus, omnes autem vos Fratres eſtis,*" Matth. xxiii. 8; inde patet, quid ſit eſſe frater in Domino. Sed videantur quæ de hac re prius oſtenſa ſunt; ut quod in Cœlo omnes conſociati ſint ſecundum affinitates ſpirituales, quæ ſunt boni amoris et fidei, et quod illi ſe cognoſcant ſicut affines, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 205; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 685, 917, 2739, 3612, 3815, 4121: quod inde per fratres in Verbo intelligantur qui conjuncti per bonum, n. 2360, 3303, 3803, 3815, 4121, 4191, 4267, 5409, 6756, 10490. Quod fratres a Domino dicti ſint, qui in bono amoris et fidei ab Ipſo ſunt, n. 4191, 5686, 5692, 6756. Quod etiam fratres dicti ſint ex affinitate ſpirituali, n. 6756. Quod charitas et fides, ita bonum et verum fratres ſint, quo reſpectu, n. 367, 3160, 9806. Quod bonum et verum etiam ſint frater et ſoror, quo reſpectu, n. 2524, 2580, 3160. Quod etiam bonum et verum ſint conjuges, quo reſpectu, n. 3160. Vir cum fratre quod ſit verum cum bono, n. 3459, 4725.

47. Et conſocius in afflictione, quod ſignificet verum fidei infeſtatum a falſis, conſtat ex ſignificatione ſocii, quod ſit verum fidei, de qua ſequitur; et ex ſignificatione afflictionis, quod ſit infeſtatio a falſis, de qua n. 6663, 6851, 9196. Pluribus in locis in Verbo dicitur frater et ſocius, et per illos ſignificatur bonum et verum, etiam antiquis temporibus vocati ſunt fratres, qui in bono fuerunt, et ſocii qui in veris, ex cauſa

quia verum conſociandum eſt bono, et cum conſociatum eſt, fit frater; inde eſt, quod per conſocium hic ſignificetur verum fidei: quod bonum et verum intelligantur per fratrem et ſocium in Verbo, videatur n. 6756, 10490. Quod afflictio ſignificet infeſtationem a falſis, eſt quia mens quæ in veris eſt affligitur a falſis, cum inter ſe pugnant, non aliunde eſt afflictio ſpiritualis; hæc ideo per afflictionem in Verbo ſignificatur; ut apud Matthæum, "*Qui ſuper petroſa ſeminatus eſt, non radicem habet in ſeipſo, quando incidit Afflictio et perſequutio propter Verbum, ſtatim ſcandalizatur,*" xiii. 20, 21: et apud Eundem, "*In Conſummatione ſæculi tradent vos in Afflictionem: et erit tunc Afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque ad nunc, nec fiet. Statim poſt Afflictionem dierum iſtorum ſol obſcurabitur,*" Matth. xxiv. 9, 21, 29. Marc. xiii. 19, 24. Conſummatio ſæculi eſt ultimum Tempus Eccleſiæ, et quia tunc falſa regnatura et repugnatura veris, ideo dicitur quod in afflictione erunt, et in tam magna qualis non fuit ab initio mundi: hæc Afflictio eſt quæ intelligitur per Afflictionem, cujus conſocius Johannes dicitur, per quem hic intelligitur Doctrina de Domino, nam in Apocalypſi agitur de ultimo Tempore Eccleſiæ, videatur ſupra n. 5.

48. In Regno, quod ſignificet in Eccleſia ubi vera, conſtat ex ſignificatione Regni in Verbo, quod ſit Cœlum et Eccleſia; quod ſit Eccleſia quoad verum, ſeu ubi vera, eſt quia per Regium Domini ſignificatur Divinum Verum procedens ab Ipſo, et inde per Reges ſignificantur vera, ut oſtenſum videatur ſupra n. 31; Eccleſia quoad Verum dicitur, et intelligitur Eccleſia quoad vera ex bono, cauſa eſt, quia non dantur vera abſque bono, vera enim habent vitam ex bono, vera apud hominem qui non in bono eſt, ſunt quidem in ſe vera, ſed non ſunt vera in illo, ut pluribus oſtenſum videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 11 ad 27. Quod Regnum in Verbo ſignificet Cœlum et Eccleſiam quoad vera, conſtat ex pluribus locis in Verbo, quorum aliqua velim afferre; ut apud Matthæum, "*Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores,*" viii. 12; filii Regni ibi ſunt, qui ab Eccleſia, ubi non vera ſed falſa regnant: apud Eundem, "*Qui audit verbum Regni, et non attendit, venit malus, et rapit quod ſeminatum eſt in corde; hic eſt qui juxta viam ſeminatum eſt: ager eſt Mundus, ſemen ſunt filii Regni,*" xiii. 19, 38: audire verbum Regni eſt vera Eccleſiæ; et quia ſemen ſignificat vera, ideo illi qui recipiunt vera dicuntur filii Regni; quod ſemen ſit verum Eccleſiæ, videatur n. 3038, 3373, 3671, 10248, 10249: apud Eundem, "*Ideo auferretur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum,*" xxi. 43; quod Regnum Dei ibi ſignificet Eccleſiam quoad vera, ita quoque vera Eccleſiæ, patet, quoniam dicitur, quod auferretur eis, et dabitur genti facienti fructum, fructus eſt bonum: apud Eundem, "*In Conſummatione ſæculi excitabitur gens contra gentem, et Regnum contra Regnum,*" xxiv. 7; Conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ; gens contra gentem eſt malum contra bonum, et Regnum contra Regnum eſt falſum contra verum;

quod gens ſit bonum Eccleſiæ, et in oppoſito ſenſu malum ibi, videatur n. 1059, 1159, 1258, 1260, 1416, 1849, 6005. Ex his patet quid per Regnum intelligitur in Oratione Dominica, "*Adveniat Regnum tuum, et fiat Voluntas tua ſicut in Cælo etiam in Terra: Tuum eſt Regnum, potentia et gloria,*" Matth. vi. 10, 13; adveniat Regnum tuum, ſignificat ut recipiatur verum; fiat Voluntas tua, ſignificat quod recipiatur ab illis qui faciunt voluntatem Dei; Tuum eſt Regnum, potentia et gloria, ſignificat Divinum Verum a Deo Solo; dicitur etiam potentia et gloria, quia Divino Vero eſt omnis potentia et gloria, videatur ſupra n. 34: ex his videri poteſt, quid ſignificat Regnum Dei in perplurimis locis in Verbo, quod nempe Eccleſiam quoad vera, et quod Cœlum, ac in ſupremo ſenſu Dominum quoad Divinum Humanum: quod in ſupremo ſenſu per Regnum ſignificetur Dominus quoad Divinum Humanum, eſt quia ab Ipſo omne Divinum Verum procedit; et quod per Regnum ſignificetur Cœlum, eſt quia Cœlum apud Angelos non aliunde eſt quam ex Divino Vero quod procedit a Divino Humano Domini, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 7 ad 12, 78 ad 86, 126 ad 140.

49. Et exſpectatione Jeſu Chriſti, quod ſignificet ubi cognitio Divini Domini in Humano Ipſius, conſtat ex ſignificatione exſpectationis Jeſu Chriſti, quod ſignificet quando id tempus venit, cum Eccleſia cognoſcit Dominum, et cognoſcit Eccleſia Dominum, cum agnoſcit Divinum in Humano Ipſius; quod per Jeſum Chriſtum intelligatur Dominus quoad Divinum in Humano Ipſius, videatur ſupra n. 26: Eccleſia, de qua hæc dicuntur, eſt Eccleſia quæ ventura poſt hanc, nam dicitur in exſpectatione: Eccleſia, quæ hodie eſt, quidem ſcit, quod Divinum ſit in Humano Domini, nam illa ſecundum doctrinam receptam ſcit, quod Divinum et Humanum ſint non duo ſed unica Perſona, et quoque quod ſint ſicut in homine anima et corpus, videatur ſupra n. 10, 26; ſed uſque non cognoſcit, quod Humanum Domini ſit Divinum, ſeparat enim unum ab altero, quod patet ex eo, quod non admittant vocem Divini Humani, et quoque quod adeant Patrem ut miſereatur propter Filium, cum tamen Ipſum Divinum in Cœlo eſt Divinum Humanum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 78 ad 86; et quia hæc cognitio et agnitio ita perierat, et tamen id eſt principale omnium Eccleſiæ, ſicut eſt principale omnium in Cœlo, ideo Nova Eccleſia apud gentes a Domino inſtauratur, ubi id non modo ſcitur ſed etiam agnoſcitur. Hoc nunc eſt, quod ſignificatur per exſpectationem Jeſu Chriſti.

50. Eram in Inſula vocata Parmos, quod ſignificet revelationem gentibus, conſtat ex ſignificatione Parmos, quod ſit revelatio quæ in Apocalypſi; omnia enim loca, quæ in Verbo memorantur, ſignificant res, et res, quas ſignificant, ſunt vel a cultu ibi, vel a memorabili quod ibi factum eſt, vel a ſitu in terris aut juxta terras, per quas religioſum gentis ſignificatur; quod Parmos ſignificet revelationem, eſt a memorabili, eo quod ibi revelatio Johanni facta ſit: quod revelatio facta ſit in Inſula,

eſt cauſa quia Inſula ſignificat Gentem remotam a vero cultu, ſed uſque deſiderantem illuſtrari; hoc per Inſulas in Verbo ſignificatur, ut a ſequentibus patebit: primum de eo, quod nomina locorum in Verbo ſignificent res, aliquid dicetur; omnes, de quibus et per quos Verbum conſcriberetur, perducti ſunt ad loca quæ ſignificabant, ob cauſam ut omnia ſignificativa eſſent rerum ſpiritualium; imo Ipſe Dominus ad ſimilia ob eandem cauſam ivit, ut quod in Galilæam, ad Tyrum et Sidonem, ad Hieroſolymam, in montem olivarum ibi, et quoque quod, cum infans, perductus ſit in Ægyptum; quod ſimile fuerit cum Prophetis, et cum pluribus qui in Verbo Hiſtorico memorantur, multis oſtendi poteſt; ideo etiam Johannes juſſus eſt in Inſulam Parmos ſe conferre, ut ibi revelarentur quæ futura ſunt in fine Eccleſiæ, quia Inſula ſignificabat Gentem accepturam vera doctrinæ; eſt quoque illa Inſula in Archipelago, ubi plures aliæ Inſulæ; inde quoque eſt, quod per Græciam in Verbo etiam ſignificentur Gentes tales, ut apud Danielem, Cap. viii. 21. Cap. x. 20. Cap. xi. 2. Joh. xii. 20, 21. Marc. vii. 26, ſeq. Quod omnia nomina locorum in Verbo ſignificent res, videatur n. 1224, 1264, 1876, 1888, 4310, 4442, 10329. Quod Inſulæ ſignificent Gentes quæ acceſſuræ ad verum cultum Dei, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*In Urim honorate Jehovam, in Inſulis maris Nomen Dei Iſraelis,*" xxiv. 15. Apud Eundem, "*Non exſtinguet, neque confringet, donec ponat in terra judicium, et in lege Ipſius Inſulæ ſperent. Cantate Jehovæ canticum novum, laudes Ipſius extremitates terræ, deſcendentes mare, Inſulæ et habitatores illarum ponent Jehovæ gloriam, et laudem Ipſius in Inſulis annuntiabunt,*" xlii. 4, 10, 12. Apud Eundem, "*Attendite Inſulæ ad Me, et auſcultate populi e longinquo,*" xlix. 1. Apud Eundem, "*In Me Inſulæ ſperabunt, et ſuper brachio meo confident,*" li. 5. Apud Eundem, "*Mihi Inſulæ confident, naveſque Tharſchiſch,*" lx. 9. Apud Jeremiam, "*Audite verba Jehovæ Gentes, et annuntiate in Inſulis e longinquo,*" xxxi. 10. Apud Zephaniam, "*Jehovah emaciabit omnes deos terræ, ut adorent Ipſum quiſque in ſuo loco; omnes Inſulæ Gentium,*" ii. 11; et alibi, ut Eſaj. xxiii. 2, 6. Cap. xli. 1, 5. Cap. xlii. 15. Cap. lxvi. 19. Jerem. ii. 10. Cap. xxv. 22. Ezechiel, Cap. xxvii. 3, 7, 15, 35. Ex his locis et ex aliis conſtat, quod Inſulæ ſignificent Gentes, in ſpecie gentes quoad doctrinam veri, et alibi quoad doctrinam falſi, nam pleraque in Verbo etiam ſignificant oppoſita.

51. Propter verbum Dei, quod ſignificet ut recipiatur Divinum Verum, conſtat ex ſignificatione verbi Dei, quod ſit Divinum Verum, de qua n. 4692, 5075, 9987.

52. Et propter teſtimonium Jeſu Chriſti, quod ſignificet ut agnoſcatur Divinum Humanum Domini, conſtat ex ſignificatione teſtimonii, quod ſit agnitio corde, de qua ſupra n. 10, 27; et ex ſignificatione nominum Jeſu Chriſti, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, de qua etiam ſupra n. 26. Hæc dicuntur de Eccleſia Gentium, quæ receptura Divinum Verum, et agnitura Divinum Humanum Domini; quod hæc

dicantur de Eccleſia Gentium, videatur mox ſupra n. 50. Eccleſia Chriſtiana quidem agnoſcit Divinum Domini, ſed non Divinum Humanum, quapropter cum ex Doctrina cogitant et loquuntur de Domino, ſeparant Humanum Ipſius a Divino, et Humanum Ipſius faciunt ſimile humano alius hominis, cum tamen in Humano Ipſius eſt Divinum, ſicut anima in corpore: hæc etiam cauſa eſt, quod iidem non poſſint de Divino aliquam ideam habere, et uſque idea conjungit, quia cogitatio, et tamen abſque conjunctione cum Divino per cogitationem et affectionem, ſeu quod idem, per fidem et amorem, nulla ſalus; dicitur quod conjunctio per cogitationem et affectionem ſit idem ac per fidem et amorem, quoniam quod credo hoc cogito, et quod amo eo afficior: credere in inviſibile, non procul eſt a credere in intimum naturæ, in quod etiam mens prone labitur, quum phantaſiis ſuis indulget; cuivis tamen inſitum eſt e Cœlo, quod inſitum eſt ex continuo influxu inde, Divinum ſuum velle videre, et quidem ſub Humana forma; hoc inſitum eſt apud ſimplices, et quoque apud Gentes probas, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 82; quapropter illi omnes, ſi vitam charitatis etiam vixerunt, recipiuntur a Domino, et donantur cœlo; reliqui non recipi poſſunt, quia non conjuncti: quod omnes Angeli in Cœlo, quod etiam ſapientiſſimi in antiquis temporibus, et quod omnes qui fidem ſpiritualem habent, hoc eſt, apud quos fides vivit, tam in hac Tellure, quam in omnibus in univerſo, videant in cogitatione Divinum ſuum, quia agnoſcunt Divinum Humanum, et ideo acceptentur a Domino, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 280 ad 310: in Opere de Cœlo et Inferno, n. 79 ad 86, 316, 321. Et in Opuſculo de Telluribus in Universo, n. 7, 40, 41, 65, 68, 91, 98, 99, 107, 122, 141, 154, 158, 159, 169. Quoniam hoc inſitum, quod eſt apud unumquemvis e Cœlo, apud Eruditos mundi pæne ejectum eſt, et ſic aditus ad Divinum præcluſus, ideo a Domino Nova inſtauratur Eccleſia apud Gentes, quæ non exſtirpaverunt illam ideam, et cum idea fidem. Quod hoc inſitum exſtirpatum ſit e Chriſtiano Orbe, trahit primam Originem ex Babylonica Gente, quæ ſeparavit Humanum Domini a Divino, ut ſummus eorum pro Vicario Humani Domini agnoſceretur, et ſic Divinam Ipſius poteſtatem in ſe transferret, dicentes quod Dominus acceperit poteſtatem illam a Patre, cum tamen a Se Ipſo, quia a Divino ſuo; nolentes ſic audire aliquid de Divino Humano; videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 4738. Sed de hac re, quia omnium primaria eſt in Eccleſia, plura in ſequentibus memorabuntur.

53. Factus ſum in ſpiritu, quod ſignificet ſtatum ſpiritualem cum revelatio, conſtat ex ſignificatione fieri in ſpiritu, quod ſit reduci in ſtatum, in quo ſunt ſpiritus et angeli, qui ſtatus eſt ſtatus ſpiritualis; in hunc ſtatum mittitur homo cum in ſtatum ſpiritus ſui, unuſquiſque enim homo eſt ſpiritus quoad interiora ſua, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 432 ad 444: cum homo in eo ſtatu eſt, tunc apparent ei illa quæ in mundo ſpirituali ſunt, tam clare ſicut apparent objecta in

mundo naturali; ſed illa, quæ apparent, quia ex origine ſpirituali, in ſe ſpiritualia ſunt, et ſiſtuntur in imagine ſicut naturali talia quæ ſapientiæ cœleſtis ſunt, ita Divina in formis viſibilibus coram oculis ſpirituum et angelorum; inde eſt quod omnia quæ in Cœlo videntur, ſint Repræſentativa et Significativa, et quoque quæ Johanni viſa ſunt, de quibus in Apocalypſi: porro qualia ſunt, ſciri poteſt ex illis, quæ de Repræſentativis et Apparentiis in Cœlo in Opere de Cœlo et Inferno, n. 170 ad 176, dicta et oſtenſa ſunt. Homo, cum in corpore eſt, non videt talia quæ in Cœlo ſunt, niſi aperiatur viſus ejus ſpiritus, et cum hic aperitur, tunc videt; ita vidit Johannes hæc quæ in Apocalypſi deſcripta ſunt, et quoque ſimiliter viderunt Prophetæ, qui ideo vocati ſunt Videntes et Aperti Oculis; etiam ita viſi ſunt Angeli antiquis temporibus, et quoque ita viſus eſt Dominus Diſcipulis poſt Reſurrectionem. Hic viſus eſt viſus ſpiritualis hominis; et quia tunc apparent repræſentative omnia, ideo Johannes in hoc fuit. Homo, qui non ſcit aliquid de hoc viſu, credit, quod Angeli, cum viſi fuerunt hominibus, aſſumſerint Humanam formam, et cum e conſpectu eorum evanuerunt, quod eam depoſuerint; ſed non ita eſt, verum Angeli tunc apparuerunt in ſua forma, quæ eſt humana, non coram viſu oculorum corporis, ſed coram viſu ſpiritus eorum, qui viſus tunc aperiebatur; hoc clare conſtare poteſt ex viſo Domino a diſcipulis, qui quod homo eſſet in omni forma, Ipſe oſtendit illis, Luc. xxiv. 39. Joh. xx. 20 ad 28; et uſque inviſibilis factus eſt; cum enim viderunt Ipſum, aperti ſunt oculi ſpiritus eorum, at cum inviſibilis factus eſt, tunc clauſi ſunt illi oculi. Quod talis viſus homini ſit, conſtat mihi ex multa experientia; omnia enim quæ in Cœlis vidi, per eum viſum viſa ſunt, et tunc in ſimili ſtatu vigili fui, in quo fui cum non viſa: ſed ille viſus raro alicui aperitur hodie a Domino, ex pluribus cauſis.

54. In Dominica die, quod ſignificet Divinum tunc influxum, conſtat ex ſignificatione diei dominicæ, quod ſit cum Dominus inſtruit hominem, ita cum influit: dies dominica eſt dies ſabbathi, et Sabbathum in Eccleſiis antiquis, quæ fuerunt Eccleſiæ Repræſentativæ, erat ſanctiſſimum cultus, ex cauſa quia ſignificabat unionem Divini et Humani in Domino, et inde quoque conjunctionem Divini Humani Ipſius cum Cœlo; videatur n. 8494, 8495, 10356, 10360, 10370, 10374, 10668: ſed poſtquam Dominus univit ſuum Divinum cum ſuo Humano, tunc ſanctum illud Repræſentativum ceſſavit, ac dies ille factus eſt dies inſtructionis, n. 10360: inde eſt quod Revelatio facta ſit Johanni die Dominica; Revelatio ibi eſt inſtructio de ſtatu Eccleſiæ.

55. Et audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ, quod ſignificet perceptionem manifeſtam Divini Veri e Cœlo revelandi, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit percipere et obedire, de qua n. 2542, 3869, 4653, 5017, 7216, 8361, 8990, 9311, 9397; ex ſignificatione poſt me, quod ſit manifeſte, de qua ſequitur; ex ſignificatione vocis, cum e Cœlo, quod ſit Divinum Verum, de qua n. 219, 220, 3563, 6971,

8813,

8813, 8914; et ex ſignificatione tubæ, quod ſit id e cœlo revelandum, de qua etiam ſequitur. Quod poſt me ſignificet manifeſte, eſt quia illa, quæ influunt e cœlo in affectionem hominis, influunt in occipitium ejus, et ſic veniunt in manifeſtam ejus perceptionem; nam quæ intrant in affectionem, manifeſte percipiuntur, eſt enim omnis vita perceptionis inde; at quæ influunt immediate in cogitationem e cœlo, influunt in regionem ſupra frontiſpicium, de quo influxu videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 251; inde patet, quid ſignificat quod audiverit *poſt ſe*, et dein quod *converſus ſit videre vocem quæ loquebatur cum illo.* Quod Tuba ſeu Buccina ſignificet Divinum Verum e Cœlo revelandum, eſt quia ita aliquoties auditur Divinum Verum, cum defluit a Domino per cœlos apud hominem, augetur enim in deſcenſu, et ſic influit; ſed ita auditur ſolum in initio apud illos, per quos revelandum eſt Divinum Verum in ultimo ſenſu, qui eſt repræſentativus interiorum; ſed poſtea auditur ſicut vox humana: ex his patet, unde eſt, quod vox tubæ ſeu buccinæ ſignificet Divinum Verum e cœlo revelandum. Qui ſcit, quod buccina ſeu tuba ſignificet Divinum Verum e Cœlo, is intelligere poteſt plura loca in Verbo, ubi illæ nominantur; ut apud Matthæum, "*Mittet Angelos cum Tubæ voce magna, et congregabunt electos ex quatuor ventis,*" xxiv. 31. Apud Eſaiam, "*Omnes habitatores orbis et incolæ terræ, quando tolletur ſignum montium, aſpicite; et cum clangetur Tuba, audite,*" xviii. 3. Apud Jeremiam, "*Proclamate Tuba in terra, erigite ſignum Zionem verſus: quouſque videbo ſignum, audiam vocem tubæ, quoniam ſtolidus populus meus, filii ſtulti illi, et non intelligentes illi,*" iv. 5, 6, 21. Apud Eundem, "*Conſtitui ſuper vos ſpeculatores, attendite ad vocem Tubæ; ſed dixerunt, non attendemus; quare audite Gentes,*" vi. 17, 18. Apud Ezechielem, "*Vocem Tubæ audivit, nec ſibi tamen cavit, ſanguis ejus ſuper illo erit, quod ſi is caviſſet, animam ſuam eripuiſſet,*" xxxiii. 5. Apud Hoſcheam, "*Ad palatum tuum Buccina, quia tranſgreſſi ſunt, fœdus meum, et contra legem meam prævaricati ſunt,*" viii. 1. Apud Sachariam, "*Dominus Jehovih Tuba clanget, et procedet in procellis meridiei,*" ix. 14. Apud Davidem, "*Aſcendit Deus cum clangore, et Jehovah cum voce Tubæ,*" Pſalm. xlvii. 6. Et quoque in Apocalypſi, Cap. iv, 1. Cap. viii. 2, 7, 8, 13. Cap. ix. 1, 13, 14. Cap. x. 7. Cap. xviii. 22. Quia Tuba ſignificavit Divinum Verum, ideo cum Divinum Verum primo revelandum erat coram populo Iſraelitico, voces Tubæ e monte Sinai auditæ ſunt, Exod. xix. 16. Et ideo clangere Tuba apud illos repræſentativum factum eſt, cum convocarentur, cumque proficiſcerentur, et quoque in ſolennitatibus, in principiis menſium, ad holocauſta et ſacrificia euchariſtica, Num. x. 1 ad 10: et quoque Tubis clanxerunt, cum prælium geſſerunt contra Midianitas, Num. xxxi. 6: et cum ceperunt urbem Jericho, Joſuæ vi. 4 ad 20; bella enim et prælia ſignificabant pugnas ſpirituales, quæ ſunt veri contra falſum, et falſi contra verum.

56. Dicentis, Ego ſum Alpha et Omega, Primus et Ultimus, quod ſignificet Qui omnia regit ex primis per ultima, et ſic omnia Cœli in æternum, conſtat ex illis quæ ſupra n. 41 dicta et oſtenſa ſunt.

57. Quod vides, ſcribe in libro, quod ſignificet ut revelata ſint poſteritati, patet abſque explicatione.

58. Et mitte Eccleſiis, illis in Aſia, quod ſignificet et tunc omnibus illis qui in luce intelligentiæ, conſtat ex ſignificatione ſeptem Eccleſiarum, quod ſint omnes qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt, ita qui ab Eccleſia, de qua ſupra n. 20; et ex ſignificatione Aſiæ, quod ſint qui in luce intelligentiæ, de qua etiam ſupra n. 21.

59. Epheſum, et Smyrnam, et Pergamum, et Thyatira, et Sardes, et Philadelphiam, et Laodiceam, quod ſignificet in ſpecie ſecundum receptionem, conſtare poteſt ex ſequentibus, ubi de Eccleſiis illis in ſpecie agitur. Dicitur ſecundum receptionem, quia lux intelligentiæ non facit Eccleſiam apud hominem, ſed receptio lucis in calore, hoc eſt, receptio veri in bono; receptio lucis in calore dicitur, quia lux ſpiritualis eſt Divinum Verum, et Calor ſpiritualis eſt Divinum Bonum; et illa duo in Mundo ſpirituali ſe habent ſicut Lux et Calor in Mundo naturali; quod nempe quantum Caloris verni ac æſtivi accedit Luci, tantum creſcant et germinent omnia, at quantum Luci non accedit Calor ille, tantum torpeant et emoriantur omnia: quod Lux in ſpirituali Mundo ſit Divinum Verum, et Calor ibi ſit Divinum Bonum, ac illa ſe habeant ſimiliter ac Lux et Calor in naturali Mundo, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140.

60. Verſ. 12, 13, 14, 15, 16. *Et converſus videre vocem, quæ loquebatur cum me, et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea. Et in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, indutum talari, et præcinctum ad mamillas zona aurea. Et Caput Ipſius et capilli candidi tanquam lana candida tanquam nix; et oculi Ipſius tanquam flamma ignis. Et Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano tanquam in Camino igniti; et vox Ipſius tanquam vox aquarum multarum. Et habens in dextra ſua manu ſtellas ſeptem; et ex ore Ipſius romphæa anceps acuta exiens; et facies Ipſius tanquam Sol fulget in potentia ſua.* Et converſus videre vocem quæ loquebatur cum me, ſignificat intellectum illuſtratum: et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea, ſignificat Novum Cœlum et Novam Eccleſiam, quæ in bono amoris: et in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, ſignificat Dominum a Quo omne Cœli et Eccleſiæ: indutum talari, ſignificat Divinum Verum procedens ab Ipſo: et præcinctum ad mamillas zona aurea, ſignificat Divinum Bonum ſimiliter: et Caput Ipſius et capilli candidi, ſignificat Divinum Ipſius in primis et ultimis: tanquam lana candida tanquam nix, ſignificat quoad bonum et verum ibi: et oculi Ipſius tanquam flamma ignis, ſignificat Divinam Providentiam ex Divino amore Ipſius: et Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano tanquam in camino igniti, ſignificat ultimum ordinis Divini, quod Naturale: et vox Ipſius tanquam vox aquarum multarum, ſignificat Divinum Verum in ultimis: et habens in dextra ſua manu ſtellas ſeptem, ſignificat cognitiones boni et veri omnes ab Ipſo: et ex ore Ipſius romphæa anceps acuta exiens, ſignificat ex Verbo diſperſionem omnium falſorum: et facies Ipſius tanquam Sol fulget in ſua potentia, ſignificat Divinum amorem Ipſius ex quo omnia Cœli.

61. Et converſus videre vocem quæ loquebatur cum me, quod ſignificet intellectum illuſtratum, conſtare poteſt aliquantiſper ex illis, quæ ſupra n. 55 dicta ſunt, ubi explicatur quid ſignificatur per *quod audiverit vocem poſt ſe*; quod in his arcanum ſit, et id non ſciri poſſit, niſi ſciatur quomodo influit Divinum e cœlo apud hominem, patet; ex influxu enim erat, quod vox audita ſit poſt illum, et quod dein converſus videre illam viderit illa quæ ſequuntur; influxus Divinus e Cœlo eſt in voluntatem hominis, et per illam in intellectum ejus; influxus in voluntatem eſt in occipitium quia in Cerebellum, et inde vadit verſus anteriora in Cerebrum ubi eſt intellectus, et cum per illam viam in intellectum venit, tunc etiam venit in viſum, nam homo videt ex intellectu; quod talis influxus ſit, datum eſt mihi per multam experientiam ſcire: ſive dicas influxum in voluntatem ſive in amorem, idem eſt, quoniam voluntas eſt receptaculum amoris, et quoque ſive dicas intellectum aut fidem, idem eſt, quoniam intellectus eſt receptaculum fidei, de qua re videantur quæ in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 28 ad 35, allata ſunt: ſed plura de his non licet adhuc afferre, quia hactenus ignota ſunt, modo pauca illa dicta ſunt, ut ſciatur quid involvit, quod Johannes audiverit vocem poſt ſe, et quod converſus ſit videre illam, et unde eſt quod hoc ſignificet intellectum illuſtratum; quod enim per voluntatem in intellectum ſeu per amorem in fidem intrat, hoc in illuſtrationem venit, nam quod homo vult ſeu amat, hoc clare percipit; aliter ſi per viam ſolius intellectus. Videre vocem dicitur, quia per videre, cum de ſpiritualibus, ſignificatur intelligere ex illuſtratione, ut ſupra n. 11 oſtenſum eſt; et niſi videre ſignificaret intelligere, non potuiſſet dici videre vocem.

62. Et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea, quod ſignificet novum Cœlum et novam Eccleſiam, quæ in bono amoris, conſtat ex ſignificatione converſus videre, quod ſit intelligere ex illuſtratione, de qua mox ſupra n. 61; ex ſignificatione ſeptem, quod ſint plenum et omnes, et quod dicantur ubi agitur de ſanctis quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, de qua ſupra n. 20, 24; ex ſignificatione Candelabrorum, quod ſint novum Cœlum et nova Eccleſia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione auri, quod ſit bonum amoris, de qua n. 113, 1551, 1552, 5658, 6914, 6917, 9510, 9874, 9881. Quod ſeptem Candelabra ſignificent Cœlum et Eccleſiam, conſtat ex ultimo Verſu hujus Capitis, ubi dicitur, *Septem Candelabra quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ ſunt*; quod ſeptem Eccleſiæ ſignificent omnes qui ab Eccleſia Domini ſunt, ita Eccleſiam in communi, videatur ſupra n. 20; quod etiam Cœlum, eſt quia Cœlum et Eccleſia unum faciunt; etiam in illis, in quibus Eccleſia eſt, Cœlum eſt, cauſa eſt, quia bonum amoris et fidei facit apud hominem Eccleſiam, et facit apud illum ſicut apud Angelos Cœlum, quare illi in Cœlum veniunt poſt mortem, qui in ſe Eccleſiam, hoc eſt, Eccleſiæ bona et vera, habuerunt in mundo; quod ita ſit, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 21; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 57, 221 ad 227. Quod ſit novum Cœlum et nova

Eccleſia, quæ per ſeptem Candelabra hic intelliguntur, eſt quia de illis ultimo agitur in Apocalypſi, videatur Caput xxi. et ſic faciunt concluſum omnium ibi, et quod ultimum eſt, hoc quia etiam primum eſt, ideo in principio ſiſtitur prædictio de illis; in Verbo etiam ſolenne eſt memorare illa primo loco quæ ultimo fiunt, quia intermedia concludunt illa, primum enim in ſpirituali ſenſu eſt finis propter quem, quoniam is eſt primus et ultimus, ac ad illum ſpectant reliqua, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 98. Quod Candelabrum ſignificet Cœlum et Eccleſiam, conſtare poteſt ex deſcriptione Candelabri, quod fuit in Tabernaculo, per Tabernaculum enim repræſentabatur totum Cœlum in complexu, et per Candelabrum ibi Cœlum ſpirituale, quod eſt Cœlum Secundum, videatur n. 3478, 9457, 9481, 9485, 9548 ad 9577, 9783: quod ita ſit, patet manifeſte ex eo, quod Johannes viderit in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, et Filius hominis eſt Dominus quoad Divinum Humanum, ex Quo Divinum Verum, quod eſt omne in omnibus Cœli et Eccleſiæ. In Cœlo etiam Spirituali apparent Candelabra in multa magnificentia, per quæ repræſentatur eorum Cœlum; illa quoque mihi videre datum eſt. Inde conſtare poteſt, quid in Verbo per Candelabra et per Lucernas in ſequentibus his locis in ſpirituali ſenſu intelligitur; in Apocalypſi, "*Removebo Candelabrum tuum e loco ſuo, ſi non egeris pænitentiam,*" ii. 5; removere Candelabrum eſt auferre Cœlum aut Eccleſiam ab illis. Apud Sachariam, "*Angelus dixit ad Prophetam, quid tu vides, cui dixi, vidi, et ecce Candelabrum auri totum, lechytus ejus ſuper capite ejus, ſeptemque Lucernæ ejus ſuper eo, ſeptena infundibula Lucernis,*" iv. 2, 3; agitur ibi de Serubabele, qui fundaturus domum Dei, et perfecturus illam, per quem repræſentatur Dominus, quod venturus et reſtauraturus Cœlum et Eccleſiam, quæ ſunt Candelabrum, et ſancta vera ibi ſunt ſeptem lucernæ. Quia Candelabrum trahit repræſentativum a Lucernis, et Lucernæ ex Luce, quæ in Cœlo eſt Divinum Verum, ideo Dominus quoque vocatur Lucerna; ut in Apocalypſi, "*Sancta Hieroſolyma non opus habet ſole neque luna, ut luceant in ea, gloria Dei illuſtrabit eam, et Lucerna ejus Agnus,*" xxi. 23, 24. Cap. xxii. 5. Inde etiam eſt, quod David et Reges poſt illum, dicti fuerint "*Lucernæ Iſraelis,*" 2 Sam. xxi. 17. 1 Reg. xi. 36. Cap. xv. 4. 2 Reg. viii. 19; per Davidem enim repræſentabatur Dominus quoad Regium, ſimiliter per Reges Jehudæ et Iſraelis; quod per Davidem, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 1888, 9954; et quod per Reges, ſupra n. 31. Quod Candelabra eſſent aurea, quæ viſa ſunt, erat cauſa, quia aurum ſignificat bonum amoris, et omne quod procedit a Domino eſt ex Divino Amore; quapropter Divinum Domini in Cœlis eſt Amor in Ipſum, et Amor erga proximum qui eſt Charitas, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13 ad 19; hæc cauſa eſt quod Candelabrum, et quoque Candelabrum in Tabernaculo eſſet ex auro.

63. Et in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, quod ſignificet Dominum a Quo omne Cœli et Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione

in medio, quod ſit in intimo, de qua n. 1074, 2940, 2973; et quia ex intimo procedunt omnia ſicut lux e centro in peripherias, ideo per in medio ſignificatur a Quo; ex ſignificatione ſeptem Candelabrorum, quod ſint Novum Cœlum et Nova Eccleſia, de qua mox ſupra n. 62; et ex ſignificatione Filii hominis, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, et quoque quoad Divinum Verum, quia hoc a Divino Humano Ipſius procedit: ex his conſtare poteſt, cur Dominus apparuit in medio ſeptem Candelabrorum, quod nempe ex eo, quod ab Ipſo procedat omne Cœli et Eccleſiæ; eſt enim bonum amoris et fidei quod facit Cœlum et Eccleſiam, et quod id bonum ſit a Divino, notum eſt in Orbe Chriſtiano, et quia a Divino eſt a Domino eſt, quoniam Dominus eſt Deus Cœli, et quoniam Divinum Domini facit Cœlum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 2 ad 6, et 7 ad 12; et quod Hoc ſit Divinum Humanum Ipſius, n. 78 ad 66. Quod Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, et quoque quoad Divinum Verum, quia Hoc a Divino Humano Ipſius procedit, conſtat a locis in Verbo, ubi Filius hominis nominatur, ut apud Johannem, "*Turba dixit ad Jeſum, quomodo Tu dicis, oportet exaltari Filium hominis, quis eſt hic Filius hominis: reſpondit illis Jeſus, adhuc breve Tempus Lux vobiſcum eſt, ambulate quouſque Lucem habetis, ne tenebræ vos apprehendant, quouſque Lucem habetis, credite in Lucem, ut filii Lucis ſitis,*" xii. 34, 35, 36; ex his patet, quod per Filium hominis ſimile quod per Lucem ſignificetur, nam cum quærebant, quis eſt hic Filius hominis, reſpondit Dominus quod Ipſe eſſet Lux in quam crederent; quod Lux ſit Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140, et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 49, ita quoque Filius hominis. Apud Lucam, "*Beati quando odio habebunt vos homines propter Filium hominis,*" vi. 22; propter Filium hominis eſt propter Divinum Verum quod procedit a Domino; Divinum Verum eſt omne fidei et amoris in Dominum; quia mali illa negant, et qui negant etiam odio habent, ac boni agnoſcunt, ideo dicitur quod hi beati ſint. Apud Eundem, "*Venient dies, cum deſiderabitis unum dierum Filii hominis videre, ſed non videbitis; tunc dicent vobis, ecce hic aut ecce illic, ne abite nec inveſtigate,*" xvii. 22, 23; deſiderare unum dierum Filii hominis eſt Verum Divinum quod genuinum quoad aliquid ejus; intelligitur ibi finis Eccleſiæ, quando nulla amplius fides quia nulla charitas, quo tempore periturum omne Divinum Verum; et quia Verum Divinum ſignificatur per Filium hominis, ideo dicitur, tunc dicent, ecce hic aut ecce illic, ne inveſtigate. Apud Eundem, "*Filius hominis veniens num inveniet fidem ſuper terra,*" xviii. 8; hoc eſt, cum Verum Divinum e Cœlo revelabitur, quod non credetur; Filius hominis etiam hic eſt Dominus quoad Verum Divinum; adventus Domini eſt revelatio Veri Divini in fine Eccleſiæ, n. 3900, 4060. Apud Matthæum, "*Sicut fulgur exit ab oriente, et apparet uſque ad occidentem,* *ita erit adventus Filii hominis; tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cælo, et tunc plangent omnes Tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum potentia et gloria,"* xxiv. 27, 30; quod per adventum Domini in nubibus cœli ibi ſignificetur Revelatio Divini Veri in fine Eccleſiæ, videatur ſupra n. 36. Apud Eundem, "*Dico vobis, ex nunc videbitis Filium hominis ſedentem ex dextris potentiæ, et venientem in nubibus cæli,"* xxvi. 64: et apud Lucam, "*Ex hoc nunc erit Filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei,"* xxii. 69. Filius hominis eſt Dominus quoad Divinum Humanum et quoad Divinum Verum procedens ab Ipſo; ſedere a dextris potentiæ eſt quod Ipſi omnipotentia; quod dicatur quod id nunc viſuri eſſent, eſt quod Divinum Verum in ſua omnipotentia eſſet, cum Dominus in mundo vicerat Inferna, et omnia ibi et in cœlis in ordinem redegerat, et quod ſic ſalvari poſſent qui Ipſum fide et amore reciperent, n. 9715: Quod ſedere a dextris ſit omnipotentia, videatur n. 3387, 4592, 4933, 7518, 8281, 9133: Quod omnis potentia boni ſit per verum, n. 6344, 6413, 8304, 9327, 9410, 9639, 9643: Quod Ipſa Potentia Divina ſit per Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, n. 6948: Quod nubes, in quibus Filius hominis venturus, ſit Verbum in litera, quod eſt Divinum Verum in ultimo ordinis, Præfat. ad Cap. xviii. Geneſ. n. 4060, 4391, 5922, 6343, 6752, 8443, 8781: et quod Gloria ſit ipſum Divinum Verum quale eſt in ſenſu Verbi interno, n. 4809, 5922, 8627, 9429. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per hæc in Apocalypſi, "*Vidi cum ecce Nubes alba, et ſuper Nube ſedens ſimilis Filio hominis, habens ſuper capite ſuo coronam auream,"* xiv. 14: et apud Danielem, "*Videns fui in viſionibus noctis, et ecce cum nubibus cælorum ſicut Filius hominis venit,"* vii. 13. Quia omne judicium fit ex Vero, ideo dicitur, "*quod datum ſit Domino judicium facere, quia Filius hominis eſt,"* Johan. v. 27. "*Et quod Filius hominis reddet unicuique ſecundum facta ſua,"* Matt. xvi. 27. "*Et cum venturus Filius hominis, ſedebit ſuper throno gloriæ ſuæ, et judicaturus,"* Matt. xxv. 31. Apud Matthæum, "*Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis, ager eſt mundus, ſemen ſunt filii regni, zizania ſunt filii mali,"* xiii. 37, 38; bonum ſemen eſt Verum Divinum, ideo dicitur quod Filius hominis id ſeminet, filii regni ſunt vera Divina in Cœlo et Eccleſia; filius enim eſt verum, n. 489, 491, 533, 1147, 2623, ac in oppoſito ſenſu falſum, quod etiam eſt filius mali. Apud Eundem, "*Filius hominis non habet ubi caput inclinet,"* viii. 20; pro quod Divinum Verum non haberet locum ullibi, ſeu apud ullum hominem eo tempore. "*Quod Filius hominis paſſurus eſſet et occideretur,"* Matth. xvii. 12, 22. Cap. xxvi. 2, 24, 45. Marc. viii. 31. Cap. ix. 12, 31; ſignificabat quod ita cum Divino Vero acturi eſſent, proinde cum Domino, Qui erat Ipſum Divinum Verum, quod etiam Ipſe docet apud Lucam, "*Prius oportet Filium hominis pati, et reprobari a Generatione hac,"* xvii. 25. Apud Jeremiam, "*Non habitabit ibi vir, nec commorabitur ibi filius hominis,"* xlix. 18, 33: et apud Eundem,

“ *In urbibus non habitabit vir ullus, neque tranſibit per eas filius hominis,*” li. 43 ; qui non ſcit Verbi ſenſum ſpiritualem, credet quod per urbes hic intelligantur urbes, et per virum perque filium hominis vir et filius, ac quod urbes ſic deſolarentur, ut nullus ibi ; ſed eſt ſtatus Eccleſiæ quoad doctrinam veri, qui per illa deſcribitur ; urbes enim ſunt doctrinalia Eccleſiæ, videatur n. 402, 2450, 3216, 4492, 4493 ; vir eſt ipſum ejus verum conjunctum bono, n. 3134, 7716, 9007 ; ita filius hominis eſt verum. Quoniam per Filium hominis ſignificabatur Divinum Verum procedens a Domino, ideo quoque Prophetæ, per quos revelabatur, vocabantur *Filii hominis*, ut Daniel, Cap. viii. 17. et Ezechiel, Cap. ii. 1, 3, 6, 8. Cap. iii. 1, 3, 4, 10, 17, 25. Cap. iv. 1, 16. Cap. viii. 5, 6, 8, 12, 15. Cap. xii. 2, 3, 9, 18, 22, 27. Sicut pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habent, ita quoque ſignificatio *filii hominis*, qui in eo ſenſu eſt falſum oppoſitum vero : ut apud Eſaiam, “ *Quid tu quod times ab homine, moritur, et a filio hominis, gramen datur,*” li. 12 ; et apud Davidem, “ *Ne confidite in principibus, in filio hominis, cui non ſalus,*” Pſalm. cxlvi. 3 ; principes ſunt primaria vera, n. 2089, 5044, ita in oppoſito ſenſu primaria falſa, et filius hominis eſt ipſum falſum.

64. Indutum talari, quod ſignificet Divinum Verum procedens ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione veſtium, quod ſint vera quæ inveſtiunt bonum, de qua n. 1073, 2576, 5248, 5319, 5954, 9212, 9216, 9952, 10536 ; hic modo talaris nominatur, qui eſt indumentum commune, per quod ideo, quia de Domino, ſignificatur in genere omne Divinum Verum. Quia hic deſcribitur Dominus quoad Divinum Humanum, quod hic eſt Filius hominis apparens in medio candelabrorum, et dicitur quod indutus talari, et præcinctus ad mamillas zona aurea, et dein quod facies Ipſius fulſerit ſicut Sol in ſua potentia, velim explicationem dare ſuper illa quæ apud Evangeliſtas memorantur de Domino cum transformatus, ubi aliqua ſimilia ; et dein ſuper illa quod milites diviſerint veſtimenta Ipſius, et ſuper tunicam jecerint ſortem. De Domino transformato ita legitur, “ *Jeſus aſſumſit Petrum, Jacobum, et Johannem in montem altum valde, et transformatus eſt coram illis, et fulſit Facies Ipſius ut Sol, et Veſtimenta Ipſius facta ſunt candida ut Lux : et ecce apparuerunt illis Moſes et Elias cum Ipſo colloquentes : et ecce nubes lucida inumbravit eos, et ecce vox e nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in Quo acquieſco, Ipſum audite,*” Matt. xvii. 1 ad 4. Marc. ix. 2 ad 8. Luc. ix. 28 ad 36 : Quod Dominus aſſumſerit Petrum, Jacobum et Johannem, erat quia per illos repræſentabatur Eccleſia quoad Fidem, Charitatem, et Opera charitatis ; quod in montem altum, erat quia per montem ſignificatur cœlum ; quod fulſerit Facies Ipſius ut Sol, erat quia facies ſignificat interiora, quæ quia Divina, fulſerunt ut Sol, Sol enim eſt Divinus Amor ; quod veſtimenta Ipſius facta ſint candida ut Lux, erat quia veſtimenta ſignificant Divinum Verum procedens ab Ipſo, ſimiliter etiam Lux ; quod apparuerint Moſes et Elias, erat quia ambo ſignificant Verbum, Moſes Verbum Hiſtoricum et Elias Verbum

Propheticum; quod nubes lucida inumbraverit illos, erat quia nubes lucida ſignificat Verbum in litera in quo ſenſus internus; quod vox e nube dixerit, Hic eſt Filius meus dilectus, in Quo acquieſco, Ipſum audite, erat quia vox e nube ſignificat Divinum Verum e Verbo, ac Filius dilectus Divinum Humanum Ipſius, et quia Divinum Verum ab Ipſo eſt, et inde omne verum Eccleſiæ, dictum eſt e nube, *in Quo acquieſco, Ipſum audite:* quod Divinum Humanum Domini ita viſum ſit, patet, quia Ipſum Divinum non poteſt alicui apparere niſi quam per Divinum Humanum, quod etiam Dominus docet apud Johannem, "*Deum nemo videt unquam, Unigenitus Filius Qui eſt in ſinu Patris Ille expoſuit,*" i. 18: et alibi, "*Neque vocem Patris unquam audiviſtis, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis,*" v. 37; quod talia per illa verba apud Evangeliſtas ſignificentur, conſtare poteſt ex ARCANIS CŒLESTIBUS, ubi ſingula oſtenſa ſunt; quod nempe per Petrum, Jacobum et Johannem in Verbo ſignificentur Fides, Charitas et Opera charitatis, n. 3750, et ſupra n. 9. Quod per montem altum ſignificetur Cœlum, n. 8327, 8805, 9420, 9422, 9434, 10608. Quod per faciem, interiora quæ mentis, n. 1999, 2434, 3527, 4066, 4796, 5102, 9306, 9546: et per Faciem Domini, Miſericordia, Pax et omne Bonum, n. 222, 223, 5585, 9306, 9546, 9888. Quod per Solem Divinus Amor, n. 2495, 4060, 7083, et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 125. Quod per veſtimenta, cum de Domino, Divinum Verum, n. 9212, 9216: quod ſimile per Lucem, n. 3195, 3222, 5400, 8644, 9399, 9548, 9684, et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140. Quod Moſes et Elias ſignificent Verbum, quod Moſes, n. 5922, 6723, 6752, 6771, 6827, 7010, 7014, 7089, 7382, 9372, 10234; et quod Elias, n. 2762, 5247. Quod nubes ſignificet Verbum, ſupra n. 36. Quod Filius dilectus ſit Divinum Humanum Domini, patet. Ex eo quod Veſtimenta Domini ſignificent Divinum Verum, ſciri poteſt quid ſignificatur per quod milites deviſerint Veſtes Domini inter ſe, et ſuper Tunicam Ipſius jecerint ſortem, de quibus ita apud Johannem, "*Milites acceperunt veſtimenta Ipſius, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam, erat autem tunica inconſuta a ſummo contexta tota; dixerunt ergo inter ſe, ne dividamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus erit; ut Scriptura impleretur, dicens, diviſerunt Veſtes meas ſibi, et ſuper veſtimento meo jecerunt ſortem: milites igitur hæc fecerunt,*" xix. 23, 24. Qui non ſcit quod in ſingulis Verbi ſit ſenſus internus qui ſpiritualis, non videre poteſt aliquod arcanum in illis, ſcit modo quod milites diviſerint veſtes, et non tunicam, et præter illa nihil amplius, cum tamen Arcanum Divinum non modo huic rei ineſt, ſed etiam ſingulis quæ de paſſione Domini memorantur: arcanum quod huic rei ineſt, eſt quod Veſtes Domini ſignificaverint Divinum Verum, ita Verbum, quia Verbum eſt Divinum Verum; Veſtes, quas diviſerunt, Verbum in litera, et tunica Verbum in ſenſu interno; dividere illas ſignificat diſpergere et falſificare, ac milites ſignificant illos qui ab Eccleſia, qui pro Divino vero militarent, quare dicitur, *milites igitur hæc fecerunt;* inde patet, quod per illa verba in ſenſu ſpirituali intelligatur, quod Judaica Eccleſia diſperſerit Divinum Verum quod eſt in ſenſu literæ, et quod non potuerint diſpergere Divinum Verum quod eſt in ſenſu interno: quod Veſtes Domini ſignificent Divinum Verum, ita Verbum, ſupra oſtenſum eſt; quod Tunica Ipſius Divinum Verum ſeu Verbum in ſenſu interno, videatur n. 9826, 9942: quod dividere ſit diſpergere et ſeparare a bono et vero, ita falſificare, n. 4424, 6360, 6361, 9094. Quod milites ſignificent illos qui ab Eccleſia, ibi ab Eccleſia Judaica, qui militarent pro Divino Vero, patet a ſenſu ſpirituali militiæ et belli, quod bellum ſignificet pugnas ſpirituales, quæ ſunt veri contra falſum, videatur n. 1659, 1664, 8295, 10455; inde eſt quod de Levitis, quorum functio erat talium quæ Eccleſiæ, dicatur, "*quod obirent militiam et militarent militiam, exercendo miniſterium in Tentorio conventus,*" Num. iv. 23, 35, 39, 43, 47. Cap. viii. 23, 24.

65. Et præcinctum ad mamillas zona aurea, quod ſignificet Divinum Bonum ſimiliter, conſtat ex ſignificatione præcingi ad mamillas zona, quod ſit inveſtiri quoad pectus; mamillæ et zona dicuntur, quia mamillæ e pectore exſtant, et zona inveſtit; quod ſit Divinum Bonum procedens a Domino, quod intelligitur, eſt quia Pectus in genere, et Mamillæ in ſpecie id ſignificant: quod ſit bonum procedens, eſt quia omnia indumenta ſignificant illa quæ procedunt, ſunt enim extra corpus ac induunt illud, ſicut illa quæ procedunt etiam extra corpus ſunt et cingunt illud; quod ita ſit, conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, de Veſtibus, quibus induti ſunt Angeli, n. 177 ad 182, oſtenſa ſunt, quod nempe quiſque induatur veſtibus ſecundum ſuam intelligendi et ſapiendi affectionem, et hæc eſt quæ procedit ab illis; eſt enim ſphæra quæ procedit ab unoquovis Angelo et ſpiritu, quæ eſt ſphæra affectionis, et vocatur ſphæra vitæ ejus, ſecundum hanc illis ſunt veſtes; quod ſint ex illa, non apparet coram oculis eorum, ſed uſque ſciunt quod ſint; de hac ſphæra videatur n. 2489, 4464, 5179, 7454, 8630. Ex his conſtare poteſt, quod Veſtimenta Domini ſignificent Divinum procedens, quod eſt Divinum Verum unitum Divino Bono, quod implet univerſum Cœlum, ac intrat in interiora mentis, et dat ei, qui recipit, intelligentiam et ſapientiam; hoc intelligitur per indui veſtimentis albis. Quia Divinum Bonum procedens ſignificatur per zonam, qua præcinctus, ideo zona apparebat aurea, per aurum enim ſignificatur bonum amoris, videatur n. 113, 1551, 1552, 5658, 6914, 6917, 9510, 9874, 9881. Quod mamillæ nominentur loco pectoris, quod erat præcinctum zona, eſt quia mamillæ ſignificant amorem ſpiritualem, et pectus ipſum bonum ejus; ille amor etiam ſignificatur per mamillas apud Eſaiam, "*Ponam te in magnificentiam æternitatis, gaudium generationis et generationis; ſuges lac gentium, et mamillas regum ſuges,*" lx. 16; reges ſunt vera ex bono a Domino, videatur ſupra n. 31, mamillæ et pectus ſunt id bonum, quod eſt bonum amoris ſpiritualis. Quod Pectus ſignificet bonum amoris ſpiritualis eſt ex correſpondentia cum Cœlo; totum enim Cœlum correſpondet omnibus hominis; intimum

ſeu Tertium Cœlum correſpondet Capiti, Medium ſeu Secundum Pectori, ac Ultimum ſeu Primum Pedibus; quia talis correſpondentia eſt, etiam Cœlum vocatur Maximus Homo; et quia Intimum ſeu Tertium Cœlum correſpondet Capiti, ideo per Caput ſignificatur bonum amoris cœleſtis, quod eſt bonum amoris in Dominum, cauſa eſt quia id bonum ibi regnat et facit illud; et quia Medium ſeu Secundum Cœlum correſpondet Pectori, ideo per Pectus ſignificatur bonum amoris ſpiritualis, quod eſt bonum amoris erga proximum, cauſa eſt quia id bonum ibi regnat et facit illud; ac quia Ultimum ſeu Primum Cœlum correſpondet Pedibus, ideo per Pedes ſignificatur bonum amoris naturalis e ſpirituali, quod eſt bonum fidei, cauſa eſt quia id bonum ibi regnat et facit illud: ex his patet, unde eſt quod Mamilla ſignificet amorem ſpiritualem, et Pectus bonum ejus; ſed hæc melius poſſunt intelligi ex illis, quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO oſtenſa ſunt, imprimis ex Articulis, ubi agitur de Tribus Cœlis, n. 29 ad 39; de eo, quod Divinum Domini in Cœlis ſit Amor in Ipſum et Charitas erga proximum, n. 13 ad 19: quod univerſum Cœlum referat unum hominem, n. 59 ad 122; et quod correſpondentia ſit Cœli cum omnibus hominis, n. 87 ad 102; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4938, 4939, 10087. Hæc pauca ſolum illuſtrationis cauſa inde afferre licet, quod Pectus ſignificet bonum amoris ſpiritualis, etiam ex illa cauſa, quia intus in Pectore ſunt Cor et Pulmo, et Cor ex correſpondentia ſignificat amorem cœleſtem, et Pulmo amorem ſpiritualem, ſed Pulmo implet Pectus; quod illa correſpondentia ſit, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3883 ad 3896, 9229, 9300. Quid Amor cœleſtis et quid Amor ſpiritualis, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO. n. 23.

66. Et Caput Ipſius et Capilli candidi, quod ſignificent Divinum in primis et ultimis, conſtat ex ſignificatione Capitis, cum de Domino, de Quo hæc dicuntur, quod ſit Divinum in primis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione capillorum, quod ſit Divinum in ultimis, de qua etiam ſequitur; et ex ſignificatione candidi, quod ſit purum, quod album et candidum ſit purum, videatur n. 3301, 3993, 4007, 5319. Quod Caput, cum de Domino, ſit Divinum in primis, eſt quia Caput eſt ſupremum hominis, et in eo ſunt prima ejus, quæ vocantur principia, ex quibus derivantur illa quæ ſiunt in corpore; ſunt enim in Capite Intellectus et Voluntas, a quibus ut a ſuis primis ſeu principiis fluunt reliqua, quæ ſunt vitæ ulterioris hominis, prout loquela et omnes actus. Quod autem Capilli, cum de Domino, ſint Divinum in ultimis, eſt quia capilli ſunt ultima, illi enim creſcunt ex ultimis apud hominem, et in illos deſinunt prima; quapropter cum dicitur, caput et capilli, intelliguntur prima et ultima. Qui ſcit, quod Caput ſignificet prima et Capilli ultima etiam in ſpiritualibus, et quod prima et ultima ſignificent omnia, ut ſupra n. 41 oſtenſum eſt, ſcire poteſt plura arcana ſenſus interni, ubi illa nominantur; prout quod Naziræus non raderet comam capitis ſui, quia illa, ut dicitur, erat Naziræatus Dei ſuper capite ejus, et quod abſolutis diebus abraderet illam, et conſecraret, Num. vi. 1 ad 21. Tum quod Simſoni eſſet robur

in capillis, et quod illis abraſis factus ſit infirmus, et illis ſuccreſcentibus veniret in robur, Judic. xvi. 13 ad fin. Tum quod quadraginta duo pueri diſcerpti fuerint ab urſis, quia illuſerunt Eliſæo vocantes illum Calvum, 2 Reg. ii. 23, 24. Ut et quod Elias indutus fuerit tunica piloſa, 2 Reg. i. 8; et Johannes Baptiſta pilis camelorum, Marc. i. 6. Et præterea, quid ſignificant Caput, Capilli, Barba, et Calvitium, ubi nominantur in Verbo. *Quod Naziræus non raderet comam, quia illa, ut dicitur, erat Naziræatus Dei ſuper capite ejus; et quod abſolutis diebus abraderet illam, et conſecraret*, erat quia Naziræus repræſentabat Dominum in primis et in ultimis, ac Divinum Ipſius in ultimis erat Humanum Ipſius, quod Divinum fecit uſque ad carnem et oſſa, quæ ſunt ultima; quod uſque ad carnem et oſſa, patet ex eo, quod nihil in ſepulchro reliquerit, et quod Ipſe ad diſcipulos dixerit, *quod Carnem et Oſſa haberet, quæ non ſpiritus*, Luc. xxiv. 39, 40: et cum Ipſum Divinum etiam in ultimis eſt Divinum, tunc ex primis per ultima regit omnia, ut conſtare poteſt ex illis quæ ſupra n. 41 dicta et oſtenſa ſunt, imprimis ex illis quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS allata ſunt; quod nempe Interiora ſucceſſive influant in Exteriora, uſque ad Extremum ſeu Ultimum, et quod ibi etiam exiſtant et ſubſiſtant, n. 634, 6239, 6465, 9216, 9217. Quod non modo ſucceſſive influant, ſed etiam forment in ultimo ſimultaneum, quo ordine, n. 5897, 6451, 8603, 10099. Quod ideo omnia Interiora contineantur in nexu a Primo per Ultimum, n. 9828, et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 297. Quod inde Ultimum præ Interioribus ſit ſanctum, n. 9824. Quod inde in Ultimis ſit robur et potentia, n. 9836: Inde nunc eſt, quod Naziræatus inſtitutus ſit: quod ultimo conſecraret crinem ſuum, mittendo illum in ignem altaris, erat quia ſanctum Divinum repræſentabat, et Ignis Altaris ſignificabat id ſanctum, n. 934, 6314, 6832. Ex his quoque conſtare poteſt, *cur Simſoni erat robur in crinibus*, Judic. xvi. ad fin: nam dicitur quod Naziræus fuerit ab utero matris, Jud. xiii. 7. Cap. xvi. 17. Inde quoque erat, quod non liceret Summo Sacerdoti ac filiis ejus, nec Levitis radere caput, ac inducere ſibi calvitium, Levit. x. 6. Cap. xxi. 5, 10. Ezech. xliv. 20. Tum quod abſcindere barbam, quæ etiam ſimile ſignificabat, apud populum Iſraeliticum eſſet ignominioſum, 2 Sam. x. 4, 5. *Quod quadraginta duo pueri diſcerpti fuerint ab urſis, quia illuſerunt Eliſæo, vocantes illum Calvum*, erat cauſa, quia Elias et Eliſæus repræſentabant Dominum quoad Verbum, quod eſt Divinum Verum, cui ſantitas et robur eſt in ultimis ex primis, ut mox ſupra dictum eſt; quia ſic calvitium ſignificabat deprivationem eorum, ideo hoc factum eſt; urſi etiam ſignificant verum in ultimis; quod Elias et Elizæus repræſentaverint Dominum quoad Verbum, videatur n. 2762, 5247. Ex his quoque patet, cur Eliæ fuit veſtis piloſa, ac Johanni ex pilis camelorum; Johannes enim Baptiſta ſimiliter ac Elias repræſentabat Dominum quoad Verbum, quapropter etiam dictus eſt Elias, videatur n. 7643, 9372. Ex his intellectis ſciri poteſt, quid ſignificatur per caput, capillos, barbam, et calvitium in

Verbo, ut apud Eſajam, " *Tempore illo detondebit Dominus per regem Aſchuris Caput, et pilos pedum, etiam barbam conſumet,*" vii. 20: apud Eundem, " *In omnibus Capitibus calvitium, omnis barba raſa,*" xvi. 2: apud Jeremiam, " *Periit veritas, et exciſa eſt ex ore illorum, tonde crinem, et abjice,*" vii. 28, 29. Apud Ezechielem, " *Accipe novaculam et tranſmitte ſuper caput et barbam,*" v. 1: apud Eundem, " *In omni facie erit pudor, et in omnibus capitibus calvitium,*" vii. 18: apud Eundem, " *Omne caput decalvatum,*" xxix. 18: apud Amos, "*Aſcendere faciam ſuper omne caput calvitium,*" viii. 10: apud Davidem, " *Deus contundet caput hoſtium, verticem capillorum, ambulantium in reatibus,*" Pſalm. lxviii. 22: in his locis et aliis per tondere caput, abradere barbam, et inducere calvitium, ſignificatur deprivare omni vero et bono, quoniam qui deprivatur ultimis etiam deprivatur prioribus, exiſtunt enim et ſubſiſtunt priora in ultimis, ut ſupra eſt dictum. In Mundo ſpirituum etiam apparent qui Calvi ſunt, et inſtructus ſum, quod ſint qui abuſi ſunt Verbo, et ſenſum literæ, qui eſt Divinum Verum ibi in ultimis, applicuerunt ad nefanda, et inde deprivati ſunt omni vero, ſunt etiam malitioſiſſimi; plures ex illis ſunt ex Babylonica Gente: viciſſim autem Angeli apparent in decentibus comis.

67. Tanquam lana candida, tanquam nix, quod ſignificet quoad bonum et verum ibi, conſtat ex ſignificatione lanæ candidæ, quod ſit bonum in ultimis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione nivis, quod ſit verum in ultimis; quod nix ſit verum in ultimis, eſt ex aqua ex qua eſt, et ex albedine et candore, quod aqua ſignificet verum, videatur infra n. 7; et quod albedo et candor verum ex tranſparentia lucis, n. 3301, 3993, 4007, 5319, 8459. Quod Lana candida ſignificet bonum in ultimis, eſt quia lana ſuper agnis et ovibus ſimile ſignificat quod crinis ſuper homine, ac agni et oves ſignificant bonum, agni bonum cœleſte, n. 3519, 3994, 10132, et oves bonum ſpirituale, n. 4169, 4809; inde eſt, quod capilli, per quos ſignificatur Divinum Verum in ultimis, dicantur candidi tanquam lana candida, et tanquam nix; ut quoque de Domino cum transformatus, " *Veſtimenta Ipſius facta ſunt coruſcantia, candida valde ut nix, qualia non poteſt fullo in terra dealbare,*" Marc. ix. 3: et de Antiquo dierum apud Danielem, " *Videns fui uſque dum throni projecti ſunt, et Antiquus dierum ſedit, veſtis Ipſius ſicut nix alba, et crinis capitis Ipſius ſicut lana candida,*" vii. 9; Veſtis etiam ſignificat Divinum in ultimis, videatur ſupra n. 64; et Antiquus dierum Dominum ab æterno. Quia Lana ſignificat bonum in ultimis, ideo aliquoties in Verbo deſcribitur bonum per lanam, et verum per linum et per nivem, ut apud Hoſcheam, " *Dixit, ibo poſt amaſios meos, dantes panem meum et aquas meas, Lanam meam et linum meum; ideo revertar et accipiam frumentum meum in tempore ſuo, et auferam Lanam meam et linum meum,*" ii. 59. Apud Ezechielem, " *Adipem comeditis, et Lanam induitis, quod optimum eſt, mactatis, gregem non paſcitis,*" xxxiv. 3. Apud Davidem, " *Jehovah mittet verbum ſuum in terram, dat nivem ſicut lanam,*" Pſalm. cxlvii. 15, 16. Et apud Eſajam, " *Si fuerint peccata*

veſtra ſicut dibapha, tanquam Nix albeſcent; ſi rubra fuerint ſicut purpura, tanquam Lana erunt," i. 18: quod nix dicatur de peccatis quæ fuerunt ſicut dibapha, et lana de peccatis quæ fuerunt rubra ſicut purpura, eſt quia dibapha ſignificant verum ex bono, et in oppoſito ſenſu falſum ex malo, n. 4922, 9468: ac rubrum et purpura bonum, et in oppoſito ſenſu malum omnis generis, n. 3330, 9467, 9866.

68. Et oculi Ipſius ſicut flamma ignis, quod ſignificet Divinam Providentiam ex Divino Amore Ipſius, conſtat ex ſignificatione Oculorum, quod ſint intellectus, de qua ſupra, n. 37, et cum de Domino, quod ſint præſentia, et inde Providentia, n. 3869, 10569, de qua ſequitur; et ex ſignificatione flammæ ignis, quod, cum de Domino, ſit Divinus Amor: cauſa quod flamma ignis ſit Divinus Amor, eſt quia Dominus e Cœlo apparet ut Sol, et Divinum, quod procedit ab Ipſo, ut Lux, flammea in intimo ſeu tertio Cœlo, et candida in medio ſeu ſecundo Cœlo; ipſe Divinus Amor eſt qui ita apparet; inde eſt, quod Ignis et Flamma in Verbo ſignificent amorem, ut conſtare poteſt ex illis quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt; nempe, quod Ignis in Verbo ſignificet amorem in utroque ſenſu, n. 934, 4906, 5215. Quod Ignis ſacer et cœleſtis ſit Divinus Amor, et omnis affectio quæ illius Amoris, n. 934, 6314, 6832. Quod binæ origines caloris ſint, una ex ſole mundi, ex quo omnia vegetant in tellure, altera ex Sole cœli, qui eſt Dominus, ex Quo omne vitæ angelis et hominibus, n. 3338, 5215, 7324. Quod Amor ſit ignis vitæ, et quod ipſa vita actualiter inde ſit, n. 4906, 5071, 6032, 6314. Quod flamma ſit verum ex bono intimi Cœli, et lux verum ex bono medii Cœli, n. 3222, 6832: ex cauſa, quia Lux in intimo Cœlo apparet flammea, et in medio candida, n. 9750: et præterea in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 140. Quod Oculi, cum de Domino, ſignificent Divinam Providentiam, eſt quia cum de homine, ſignificant intellectum, et Divinus Intellectus quia infinitus eſt Divina Providentia; non aliud per oculos Jehovæ ſignificatur apud Eſajam, "*Inclina Jehovah aurem tuam et audi, et aperi Jehovah oculos tuos et vide,*" xxxvii. 17. Apud Jeremiam, "*Ponam Oculum meum ſuper illos in bonum, et reducam eos ſuper terram ſuam, et ædificabo eos,*" xxiv. 6. Apud Davidem, "*Ecce Oculus Jehovæ ſuper timentibus Ipſum,*" Pſalm. xxxiii. 18. Et apud Eundem, "*Jehovah in templo ſanctitatis ſuæ, Oculi Ipſius vident, et palpebræ Ipſius probant filios hominis,*" Pſalm. xi. 4; et alibi. Quid Divina Providentia, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 267 ad 279.

69. Et Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano tanquam in camino igniti, quod ſignificet ultimum ordinis Divini quod naturale, plenum Divino Amore, conſtat ex ſignificatione Pedum, quod ſint naturale, de qua n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952; inde, cum de Domino, quod ſint ultimum Ordinis Divini, quia id eſt naturale; ex ſignificatione chalcolibani, ſeu æris lævigati, quod ſit bonum naturale, de qua ſequitur; et ex ſignificatione igniti, cum de Domino, quod ſit quod ex Divino

Amore, de qua n. 10055: dicitur tanquam in camino igniti, ut exprimatur Divinus Amor in maximo gradu, et in ſuo pleno, nam Divinum eſt in ſuo pleno cum in ſuo ultimo, et ultimum eſt naturale, videatur ſupra n. 66; inde patet, quod per Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano tanquam in camino ignitos, ſignificetur ultimum ordinis Divini quod naturale, plenum Divino Amore. Dicuntur hæc, ut quoque præcedentia, comparative, ut quod caput et capilli candidi eſſet *tanquam* lana candida *tanquam* nix, et quod Pedes eſſent *ſimiles* chalcolibano *tanquam* in camino igniti, ſed ſciendum eſt, quod omnes comparationes in Verbo ſignificent, quia ſimiliter ac ipſæ res ſunt ex correſpondentiis, videatur n. 3579, 8959, 8989. Quod Pedes, cum de Domino, ſignificent ultimum ordinis Divini, et quod hoc ſit naturale, eſt quia Cœlum eſt Cœlum ex Divino Humano Domini, et quod inde Cœlum in toto complexu referat unum Hominem; et quia tres Cœli ſunt, quod ſupremum Cœlum referat Caput, medium Corpus, et ultimum Pedes.: Divinum quod facit ſupremum Cœlum, vocatur Divinum cœleſte, Divinum autem quod facit medium Cœlum vocatur Divinum ſpirituale, ac Divinum quod facit ultimum Cœlum vocatur Divinum naturale ex ſpirituali et cœleſti; inde patet cauſa, cur hic deſcribitur Dominus quoad Divinum Humanum, quod eſt Filius hominis viſus in medio candelabrorum, non modo quoad Veſtes, ſed etiam quoad Caput, et Pectus, et Pedes; quod Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 63; et quod Candelabra ſint Cœlum, etiam ſupra n. 62. Sed hæc quia arcana ſunt, hactenus in mundo ignota, et tamen ſunt quæ intelligenda, ut comprehendatur ſenſus internus horum, et ſequentium in Libro hoc prophetico, ideo ſingula deſcripta ſunt in ſpecie in Opere de CŒLO ET INFERNO; ut, Quod Divinum Humanum Domini faciat Cœlum, n. 7 ad 12, 78 ad 86, ſeq. Quod inde Cœlum in toto complexu referat unum Hominem, n. 59 ad 77. Quod tres Cœli ſint, et quod ſupremum referat Caput, medium Corpus, et ultimum Pedes, n. 29 ad 40. Ex his inde intellectis conſtare poteſt, quid ſignificatur per Pedes Jehovæ ſeu Domini in Verbo, quod nempe ultimum ordinis Divini ſeu Naturale; et quia Externum Eccleſiæ, Cultus et Verbi eſt ultimum ordinis Divini in Eccleſia, et eſt Naturale, ideo hoc per Pedes Jehovæ ſeu Domini in ſpecie ſignificatur. Quia id per Pedes Jehovæ ſeu Domini ſignificatur, ideo, cum Dominus ſicut Angelus viſus Prophetis alibi, etiam ſimiliter viſus eſt; ut Danieli, "*Suſtuli oculos meos et vidi, ecce Vir indutus linteis, cujus lumbi cincti auro Euphaſi, Corpus ejus ſicut Tharſchiſh; et Oculi ejus ſicut faces ignis; Brachia ejus et Pedes ejus ſicut ſplendor Æris lævigati,*" x. 5, 6. Similiter Cherubi, per quos intelligitur Dominus quoad Providentiam et Cuſtodiam, n. 9277, 9509, 9674, viſi ſunt Ezechieli, "*Pedes eorum erant micantes ſicut ſplendor æris lævigati,*" i. 7. Similiter Dominus viſus ut Angelus poſtea in Apocalypſi, "*Vidi Angelum deſcendentem de cœlo, amictum nube, et iris circum Caput, et Facies ejus ut Sol, et Pedes ejus tanquam columnæ ignis,*" x. 1. Quia talis viſus eſt Dominus quoad Pedes, ideo ſub Pedibus viſus eſt quibuſdam ex filiis Iſraelis, “*Sicut opus lapidis ſapphiri, et quaſi ſubſtantia Cœli quoad puritatem,*” Exod. xxiv. 10: quod Dominus illis non viſus ſit quoad Pedes ſed ſub Pedibus, erat cauſa quia non in Externo Eccleſiæ, Cultus et Verbi erant, ſed ſub illo, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 248. Quoniam Pedes Jehovæ ſeu Domini ſignificant Ultimum Ordinis Divini, et hoc in ſpecie eſt Externum Eccleſiæ, Cultus et Verbi, ideo hoc in Verbo vocatur Scabellum Pedum Ipſius; ut apud Eſajam, “*Gloria Libani ad Te veniet, ad decorandum locum Sanctuarii mei, locum Pedum meorum honorabilem reddam; et incurvabunt ſe ad volas Pedum tuorum,*” lx. 13, 14. Apud Eundem, “*Cœlum Thronus meus, et Terra Scabellum Pedum meorum,*” lxvi. 1. Apud Jeremiam, “*Deus non recordatur Scabelli Pedum ſuorum in die iræ,*” Thren. ii. 1. Apud Davidem, “*Adorate Jehovam verſus Scabellum Pedum Ipſius,*” Pſalm. xcix. 5. Apud Eundem, “*Intrabimus in Habitacula Ipſius, incurvabimus nos Scabello Pedum Ipſius,*” Pſalm. cxxxii. 7. Apud Nahum, “*Jehovæ nubes pulvis Pedum Ipſius,*” i. 3; quod Nubes ſit Externum Verbi, ſeu Verbum quoad literam, videatur ſupra n. 36; et quia Nubes eſt Externum Verbi, etiam eſt Externum Eccleſiæ et Cultus, nam Eccleſia et Cultus ſunt ex Verbo; pulvis Pedum dicitur, quia illa quæ in ſenſu literæ Verbi, qui eſt naturalis, apparent ſparſa.

70. Quod Pedes dicti ſint ſimiles chalcolibano, eſt quia chalcolibanum eſt æs lævigatum micans ex quodam igneo, et æs in Verbo ſignificat bonum naturale: ſunt Metalla æque ſignificativa ac reliqua in Verbo; Aurum ibi ſignificat bonum cœleſte, quod eſt bonum intimum; Argentum ſignificat verum ejus, quod eſt bonum ſpirituale, Æs bonum naturale, quod eſt bonum ultimum; et Ferrum verum ejus, quod eſt verum naturale: quod Metalla ſignificent illa, eſt ex correſpondentia; apparent enim in Cœlo plura fulgentia ſicut ex auro et argento, et quoque plura ſicut ex ære et ferro, et notum eſt ibi quod per illa ſignificentur memorata bona et vera. Inde eſt, quod Antiqui, qui in Scientia Correſpondentiarum fuerunt, appellaverint Sæcula ſecundum illa Metalla; Primum Sæculum, Aureum, quia tunc regnabat innocentia, amor, et inde ſapientia; Secundum autem Sæculum, Argenteum, quia tunc regnabat Verum ex illo bono, ſeu bonum ſpirituale, et inde intelligentia; Tertium Sæculum, Æneum ſeu Cupreum, quia tunc regnabat modo bonum naturale, quod eſt juſtum et ſincerum moralis vitæ; Ultimum autem Sæculum vocabant Ferreum, quia tunc regnabat modo Verum abſque bono, et cum id regnat, tunc quoque regnat falſum: hæc omnia ex ſignificatione ſpirituali illorum Metallorum. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per Statuam Nebuchadnezari in ſomnio viſam, “*Cujus Caput erat ex auro, Pectus et Brachia ex argento, Venter et Latus ex ære; Crura ex ferro, et Pedes partim ex ferro partim ex luto,*” Dan. ii. 32, 33; quod nempe ſtatus Eccleſiæ quoad bonum et verum, a primo tempore uſque ad ultimum ejus; ultimum ejus fuit, quando Dominus in mundum venit. Quando ſcitur, quod Aurum ſignificet bonum cœleſte, Argentum bonum ſpirituale, Æs bonum

naturale, et Ferrum verum naturale, ſciri poſſunt plura arcana in Verbo ubi illa Metalla nominantur; ut quid ſignificatur apud Eſajam, "*Pro Ære adducam Aurum, pro Ferro adducam Argentum, et pro Lignis Æs, et pro Lapidibus Ferrum; et ponam præfecturam tuam pacem, et exactores tuos juſtitiam,*" lx. 17. Sed quia de ſignificatione Æris, quod ſit bonum naturale, hic agitur, velim modo aliqua loca adducere, ubi Æs nominatur et id bonum ſignificat; apud Moſen, "*Aſcher acceptus fratribus ſuis, et intingens in Oleum pedem ſuum, ferrum et æs calceus tuus, et ſicut dies tui fama tua,*" Deutr. xxxiii. 24, 25; Aſcher ut una Tribus ſignificat felicitatem vitæ et jucundum affectionum, n. 3938, 3939, 6408; intingere in oleum pedem ſignificat jucundum naturale, oleum jucundum, n. 9954, pes naturale, ut mox ſupra n. 69; ferrum et æs calceus, ſignificat infimum naturale ex vero et bono, calceus eſt infimum naturale, n. 1748, 1860, 6844; ferrum eſt verum ejus, et æs eſt bonum ejus, ut ſupra. "*Jehovah Deus tuus introducturus eſt te in terram opimam, terram e cujus lapidibus ferrum et e cujus montibus excides æs,*" Deutr. viii. 7, 9. Apud Jeremiam, "*Dabo te populo huic in murum æris munitum, ut oppugnent te, et non prævaleant tibi,*" xv. 20, 21. Apud Ezechielem, "*Javal, Thubal et Meſchech mercatores tui, cum anima hominis et vaſis æris dederunt negotiationem tuam,*" xxvii. 13; agitur in eo Capite de mercaturis Tyri, per quas ſignificantur cognitiones boni et veri; per nomina Javan, Thubal et Meſchech ſignificantur talia quæ boni et veri ſunt de quibus cognitiones, anima hominis eſt verum vitæ, vaſa æris ſunt ſcientifica boni naturalis; quid per Tyrum ſignificatur, videatur n. 1201: quid per mercaturas, n. 2967, 4453: quid per Thubal et Meſchech, n. 1151: quid per Javan, n. 1152, 1153, 1155: quid per animam hominis, n. 2930, 9050, 9281: quid per vaſa, n, 3068, 3079, 3316, 3318. Apud Eundem, "*Pedes Cheruborum erant micantes ſicut ſpecies æris lævigati,*" i. 7; quid Cherubi, et quid pedes, vide mox ſupra n. 69. Apud Eundem, "*Vidi, et ecce Vir, cujus aſpectus ſicut aſpectus æris, et filum lini in manibus ejus, is ſtans in porta,*" xl. 3; ille Angelus, quia menſus eſt murum et portas Domus Dei, quæ ſignificant externa Eccleſiæ, viſus eſt aſpectus ejus ſicut aſpectus æris. Qui ſcit, quod Æs ſignificet externum Eccleſiæ, quod in ſe eſt naturale, is aliquantum ſcire potuit cur Altare holocauſti obductum fuit ex ære, ac cribrum ex ære circum illud, et vaſa ex ære, Exod xxvii. 1 ad 4. Ut et cur magnum Vas, quod mare vocabatur, cum duodecim bovibus ſub illo, ac decem labra cum baſibus, ut et omnia vaſa tabernaculi pro Domo Dei, a Salomone facta ſunt ex ære polito, 1 Reg. viii. 43 ad 47. Qui ſcit, quid Æs ſignificat, is in id arcanum etiam venire poteſt, cur mandatum fuit quod ſerpens æneus poneretur ad aſpiciendum a populo, de quo ita apud Moſen, "*Miſit Jehovah ſerpentes in populum, qui morderunt populum; et dixit ad Moſen, fac tibi ſerpentem, et pone eum ſuper ſignum, et fiet, omnis, qui morſus fuerit, et aſpexerit illum, vivet. Et fecit Moſes ſerpentem æris, et poſuit eum ſuper ſignum, et factum eſt, cum momordit ſerpens* *virum, et aſpexit ſerpentem æris, revixet,*" Num. xxi. 6, 8, 9. Quod ille ſignificaverit Dominum, docet Ipſe apud Johannem, "*Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis, qui credit in Ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam,*" iii. 14, 15; per ſerpentem ſignificatur id quod eſt ultimum vitæ apud hominem, et vocatur Senſuale externum, quod eſt naturale, hoc ultimum, quia in Domino erat Divinum, ideo ſerpens æris apud filios Iſraelis, apud quos omnia erant repræſentativa, factus eſt, et ſignificabat quod ſi aſpicerent in Divinum Humanum Domini, reviverent, hoc eſt, ſi crederent in Ipſum, vitam æternam haberent, ut quoque Ipſe Dominus docet; quod videre in ſenſu ſpirituali ſit credere, videatur etiam ſupra n. 37, 68; et quod ſerpens ſit ſenſuale externum, quod eſt ultimum vitæ hominis, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 195, 196, 197, 6398, 6949, 10313. Quod Æs et Ferrum in Verbo etiam ſignificent durum, ut Eſaj. xlviii. 4. Dan. vii. 19, et alibi, videbitur in ſequentibus.

71. Et vox Ipſius tanquam vox aquarum multarum, quod ſignificet Divinum Verum in ultimis, conſtat ex ſignificatione vocis, cum a Domino, quod ſit Divinum Verum, de qua n. 219, 220, 3563, 6971, 8813, 8914, et ſupra n. 55; et ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera fidei, et quoque cognitiones veri, de qua n. 2702, 3058, 5668, 8568, 10238; et quia cognitiones veri ſunt in ultimis, ideo per vocem ſicut aquarum multarum, quia de Domino, ſignificatur Divinum Verum in ultimis; quod cognitiones et ſcientifica ſint externi ſeu naturalis hominis, quia in luce mundi, ita in ultimis, videatur n. 5212, et in genere de illis in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 51. Quoniam nondum notum eſt, quod Aquæ in Verbo ſignificent vera fidei et cognitiones veri, ex cauſa fortaſſis quia remotum apparet, ideo velim paucis hic oſtendere, quod per Aquas in Verbo illa intelligantur; quod etiam neceſſum eſt, quia abſque cognitione quid Aqua ſignificant, non ſciri poteſt quid ſignificat Baptiſmus, nec quid Lavationes in Eccleſia Iſraelitica, quarum mentio toties fit. Aquæ ſignificant vera fidei, quia Panis ſignificat bonum amoris; quod aquæ et panis illa ſignificent, eſt quia illa quæ ſunt nutritionis ſpiritualis exprimuntur in ſenſu literæ per talia quæ ſunt nutritionis naturalis; Aquæ enim et Panis, per quæ intelligitur omnis potus et omnis cibus in genere, nutriunt corpus, ac vera fidei et bonum amoris nutriunt animam; eſt quoque hoc ex correſpondentia, nam cum Panis et Aqua leguntur in Verbo, Angeli, quia ſpirituales, intelligunt illa quæ eos nutriunt, quæ ſunt bona amoris et vera fidei: Hic aliqua loca afferre velim, ut ſciatur quod Aquæ ſignificent vera fidei, tum cognitiones veri: apud Eſajam, "*Plena eſt Terra ſcientia Jehovæ, ſicut Aquæ mare contegunt,*" xi. 9. Apud Eundem, "*Tunc haurietis Aquas cum lætitia ex fontibus ſalutis,*" xii. 3. Apud Eundem, "*Qui ambulat in juſtitiis, et loquitur rectitudines, Panis dabitur et Aquæ fideles,*" xxxiii. 15, 16. Apud Eundem, "*Pauperes et egeni quærentes Aquam ſed non, lingua eorum ſiti deficit: aperiam ſuper clivis*

fluvios, et in medio vallium fontes ponam, deſertum in ſtagnum aquarum, et terram ſiccam in ſcaturigines aquarum; ut videant, et cognoſcant, et attendant, et intelligant," xli. 17, 18, 20. Apud Eundem, "*Effundam Aquas ſuper ſitientem, et fluenta ſuper aridam; effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, et benedictionem meam ſuper natos,"* xliv. 3. Apud Eundem, "*Exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua ſicut meridies, ut ſis ſicut hortus irriguus, et ſicut exitus aquarum, cujus Aquæ non mentientur,"* lviii. 10. Apud Jeremiam, "*Duo mala fecit populus meus, Me deſeruerunt fontem aquarum vivarum, ad excidendum ſibi foveas, quæ non continent aquas,"* ii. 13. Apud Eundem, "*Magnates miſerunt minorennes aquæ cauſa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, reverſa ſunt vaſa eorum vacua, pudefacti ſunt et ignominia affecti,"* xiv. 3. Apud Eundem, "*Deſeruerunt fontem aquarum vivarum Jehovam,"* xvii. 13. Apud Eundem, "*Cum fletu venient, et cum fletu adducam eos, ducam eos ad fontes aquarum in via recti,"* xxxi. 9. Apud Ezechielem, "*Frangam baculum Panis, et comedent panem pondere et in ſollicitudine, et Aquas menſura et ſtupore bibent, ut careant Pane et Aqua, et deſoletur vir et frater, et contabeſcant propter iniquitates,"* iv. 16, 17. Cap. xii. 18, 19. Eſai. li. 14. Apud Amos, "*Ecce dies venient, quibus immittam famem in terram, non famem ad panem, neque ſitim ad aquas, ſed ad audiendum Verbum Jehovæ: vagabuntur a mari ad mare, et diſcurrent ad quærendum Verbum Jehovæ, nec invenient; in die illo deficient virgines pulchræ et juvenes ſiti,"* viii. 11, 12, 13. Apud Sachariam, "*In die illo exibunt Aquæ vivæ ex Hieroſolyma,"* xiv. 8. Apud Davidem, "*Jehovah Paſtor meus, non carebo, ad Aquas quietum deducet me,"* Pſalm. xxiii. 2. Apud Eundem, "*Non ſitient, Aquas e petra effluere faciet illis, et findet petram ut effluant aquæ,"* Pſalm. xlviii. 21. Apud Eundem, "*Deus, mane quæro Te, ſitit anima mea, laſſus ſine aquis,"* Pſalm. lxiii. 2. Apud Eundem, "*Jehovah mittit verbum ſuum, ſpirare facit ventum, ut fluant aquæ,"* Pſalm. cxlvii. 18, 19. Apud Eundem, "*Laudate Jehovam Cœli cœlorum, et Aquæ quæ deſuper cœlis,"* cxlviii. 4. Apud Johannem, "*Jeſus venit ad fontem Jacobi, venit mulier e Samaria ad hauriendum aquas, cui dixit Jeſus, da Mihi bibere; ſi ſcires donum Dei, et quis ſit, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu peteres ab Ipſo ut daret tibi Aquam viventem; dicit Ipſi mulier, unde habes Aquam viventem; dixit ei Jeſus, omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum; qui vero biberit ex Aqua quam Ego dabo, non ſitiet in æternum, et Aqua quam Ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam,"* iv. 7 ad 15. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, ſi quis ſitiverit, venito ad Me et bibito, quiſquis credit in Me, ſicut dicit Scriptura, flumina e ventre ipſius fluent Aquæ viventis,"* vii. 37, 38. In Apocalypſi, "*Sitienti dabitur e fonte Aquæ vitæ gratis,"* xxi. 6: Et alibi, "*Angelus oſtendit illi fluvium Aquæ vitæ, ſplendidum ſicut chryſtallum, exeuntem ex throno Dei et Agni,"* xxii. 1. Et adhuc ibi, "*Spiritus et ſponſa dicunt, qui audit, dicat veni, et qui ſitit veniat, et qui vult, accipiet Aquam vitæ gratis,"* xxii. 17. Hæc allata ſunt, ut ſciatur quod per Aquas in Verbo ſignificentur vera fidei, et inde quid per Aquam Baptiſmi;

de quo ita Dominus docet apud Johannem, "*Niſi homo generatus fuerit ex Aqua et Spiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei,*" iii. 5; aquæ ibi ſunt vera fidei, et ſpiritus eſt vita ſecundum illa, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 202 ad 209, ſeq. Quia non notum fuerat, quod Aquæ ſignificarent vera fidei, nec quod omnia, quæ apud filios Iſraelis inſtituta fuerunt, eſſent repræſentativa ſpiritualium, ideo creditum eſt, quod per Lavationes illis mandatas abſterſa fuerint illis peccata, cum tamen ne hilum; repræſentabant modo purificationem a malis et falſis per vera fidei et vitam ſecundum illa, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3147, 5954, 10237, 10240. Ex his nunc patet, quod *per vocem, quæ ſicut vox aquarum multarum*, intelligatur Divinum Verum; ut quoque apud Ezechielem, "*Ecce Gloria Dei Iſraelis venit a via orientis, et vox Ipſius ſicut vox aquarum multarum, et terra illuſtrata a gloria Ipſius,*" xliii. 3: apud Davidem, "*Vox Jehovæ ſuper Aquis, Jehovah ſuper Aquis multis,*" Pſalm. xxix. 3: et in ſequentibus in Apocalypſi, "*Audivi vocem e Cælo tanquam vocem aquarum multarum,*" xiv. 2. Scio, quod miraturi ſint quidam, quare in Verbo Aquæ nominantur, et non vera fidei, cum tamen Verbum docebit hominem de vita ſpirituali ejus; et ſi vera fidei loco aquarum dicta fuiſſent, ſciviſſet homo quod non aquæ baptiſmi et lavationum aliquid ad purificationem hominis a malis et falſis feciſſent; ſed ſciendum eſt, quod Verbum, ut Divinum ſit, et ſimul pro Cœlo et pro Eccleſia, omnino naturale erit in litera, nam niſi naturale eſſet in litera, non foret per illud conjunctio Cœli cum Eccleſia, foret enim ſicut domus abſque fundamento, et ſicut anima abſque corpore, ultima enim concludunt omnia interiora et fundant illa, videatur ſupra n. 41; homo etiam eſt in ultimis, et ſuper Eccleſia apud illum fundatur Cœlum: inde nunc eſt, quod talis ſtylus in Verbo ſit, quare homo, cum cogitat ſpiritualiter ex naturalibus, quæ ſunt in ſenſu literæ Verbi, conjungitur Cœlo, cum quo non alioquin conjungeretur.

72. Et habens in dextra ſua manu ſtellas ſeptem, quod ſignificet cognitiones boni et veri omnes ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione habere in dextra ſua manu, quod ſit ab Ipſo; manus enim ſignificat potentiam, et inde quicquid eſt apud illum, ita quoque quicquid ab illo; quod dextra manus dicatur, eſt quia dextra manus ſignificat potentiam boni per verum; quod manus ſignificet potentiam, videatur n. 878, 3091, 4931 ad 4937, 6947, 10017; et inde quod ſignificet quicquid apud illum, ita quoque quicquid ab illo, n. 9133, 10019, 10405: quod dextra manus ſignificet potentiam boni per verum, n. 9604, 9736, 10061: et quod dextra Jehovæ ſignificet Divinam potentiam Domini, ita omnipotentiam, n. 3387, 4592, 4933, 7518, 7673, 8281, 9133, 10019: et ex ſignificatione ſtellarum, quod ſint cognitiones boni et veri, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſeptem, quod ſint omnes, de qua ſupra, n. 20, 24. Quod Stellæ ſignificent cognitiones boni et veri, ita bona et vera, eſt ex apparentia in mundo ſpirituali; ibi enim Dominus apparet ut Sol, et Angeli e longinquo ut

Stellæ; quod Angeli ita appareant, eſt ex receptione lucis ex Domino ut Sole, ita ex receptione Divini Veri quod a Domino, nam hoc eſt Lux cœli; inde eſt, quod dicatur apud Danielem, “*Intelligentes fulgebunt ſicut ſplendor expanſi, et juſtificantes multos ut Stellæ in æternum*,” xii. 3; intelligentes ſunt qui in veris, et juſtificantes qui in bonis, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 346, 347, 348. Cum notum eſt, quod Sol ſignificet Dominum quoad Divinum Amorem, ita quoque Divinum Amorem a Domino, et quod Stellæ ſignificent vera Eccleſiæ et illorum cognitiones, illi ſcire poſſunt, quid in Verbo ſignificatur per quod Sol obſcurabitur, et quod Stellæ non lucebunt, et quoque quod cadent e cœlo; et præterea quid ſtellæ ſignificant alibi in Verbo ubi nominantur; ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, “*Ponam Terram in vaſtitatem, ut peccatores ejus perdat ex ea: ſtellæ cœlorum et ſidera eorum non lucebunt luce ſua; obtenebrabitur Sol in ortu ſuo, et Luna non ſplendere faciet lucem ſuam*,” xiii. 9, 10; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ, quæ eſt cum non amplius bonum amoris et vera fidei; terra quæ in vaſtitatem ponetur eſt Eccleſia; quod Terra ſit Eccleſia, videatur ſupra n. 29. Apud Ezechielem, “*Obtegam cum exſtinxero te et atrabo Stellas, Solem nube obtegam, et Luna non lucere faciet lucem ſuam; omnia luminaria lucis atrabo ſuper te, et dabo tenebras ſuper terra*,” xxxii. 7, 8: tenebræ ſuper terra, ſunt falſa in Eccleſia. Apud Joelem, “*Sol et Luna atrati erunt, et Stellæ contrahent ſplendorem ſuum*,” ii. 10, 11. Cap. iv. 15. Apud Matthæum, “*In conſummatione ſæculi poſt afflictionem dierum Sol obſcurabitur, Luna non dabit lucem ſuam, et Stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur*,” xxiv. 29. Marc. xiii. 24. Apud Danielem, “*Ex uno de cornibus hirci caprarum exivit cornu unum de exiguo, et crevit valde verſus meridiem, et verſus ortum, et verſus decus, et crevit verſus exercitum cœlorum, et dejecit de Exercitu et de Stellis, et conculcavit eos; imo uſque ad Principem exercitus extulit ſe*,” viii. 9, 10, 11; Exercitus cœlorum ſunt bona et vera Eccleſiæ in complexu, n. 3448, 7236, 7988, 8019; in ſpecie quæ pugnant contra falſa, n. 7276: Inde Jehovah dicitur Jehovah Zebaoth, hoc eſt, Exercituum, n. 3448, 7988. In Apocalypſi, “*Draco cauda traxit tertiam partem Stellarum cœli in terram*,” xii. 4; Stellæ etiam ibi ſunt bona et vera Eccleſiæ et cognitiones eorum; tertia pars eſt plurima pars; quid autem Draco, dicetur in ſequentibus: alibi, “*Stellæ cœli ceciderunt in terram*,” Apoc. vi. 13: alibi, “*Stella e cœlo lapſa eſt in terram*,” Apoc. ix. 1: alibi, “*Cecidit e Cœlo Stella magna, ardens velut lampas, cecidit in tertiam partem fluviorum et in fontes aquarum*,” Apoc. viii. 10; quia Stellæ ſignificant vera et bona Eccleſiæ, et cognitiones eorum, per cadere illas e Cœlo ſignificatur quod illa pereant. Apud Davidem, “*Jehovah numerat numerum Stellarum, omnibus nomina vocat*,” Pſalm. cxlvii. 4: apud Eundem, “*Laudate Jehovam Sol et Luna, laudate Ipſum omnes Stellæ lucis*,” Pſalm. cxlviii. 3. In Libro Judicum, “*Venerunt reges, pugnarunt e cœlo, pugnarunt Stellæ de viis ſuis*,” v. 20. Quoniam Angeli in cœlo ſpirituali lucent ut Stellæ, et quoniam omnia vera et bona, quæ apud illos, ſunt a Domino, ideo Dominus ſicut vocatur Angelus, etiam vocatur Stella; ut apud Moſen, "*Orietur Stella ex Jacobo, et ſceptrum ſurget ex Iſraele,*" Num. xxiv. 17: et in Apocalypſi, "*Jeſus Stella ſplendida et matutina,*" xxii. 16. Inde patet, unde erat, "*quod ſapientes ex oriente viderint Stellam, et ſequuti illam, et quod illa ſteterit ubi Jeſus erat natus,*" Matth. ii. 1, 2, 9. Ex his nunc ſciri poteſt, quid ſignificatur per ſeptem ſtellas quæ in dextra manu Filii hominis, qui ibi eſt Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 63.

73. Et ex ore Ipſius romphæa anceps acuta exiens, quod ſignificet ex Verbo diſperſionem falſorum, conſtat ex ſignificatione exire ex ore, cum de Domino, quod ſit Divinum Verum, ita Verbum, nam ex ore Domini id procedit; et ex ſignificatione romphææ ſeu gladii, quod ſit verum pugnans, et quia per verum, cum pugnat, diſperguntur falſa, ideo etiam per romphæam etiam ſignificatur diſperſio falſorum: quod romphæa anceps acuta dicatur, eſt quia prorſus diſpergit: quod romphæa ſeu gladius ſignificet verum pugnans contra falſa, et deſtruens ea, videatur n. 2799, 6353, 8294. Quia in ſequentibus aliquoties memoratur romphæa, ut Cap. ii. 12, 16. Cap. vi. 4, 8. Cap. xiii. 10, 14. Cap. xix. 15, 22; ſuperſedetur hic aliqua loca e Verbo afferre, illuſtrantia et oſtendentia, quod ſignificet verum pugnans et diſperſionem falſorum, illuſtrabitur et oſtendetur in illis locis.

74. Et Facies Ipſius ſicut Sol fulget in ſua potentia, quod ſignificet Divinum Amorem Ipſius ex Quo omnia cœli, conſtat ex ſignificatione faciei, cum de Domino, quod ſit Divinus Amor, ex quo omne bonum, ita quoque omnia cœli, n. 5585, 9306, 9546, 9888: et quod Dominus in Verbo quoad Divinum Humanum dicatur Facies Jehovæ, n. 10579. Quod Dominus ex Divino Amore e cœlo appareat ut Sol fulgens, et quod ab Ipſo ut Sole omnia cœli exiſtant et ſubſiſtant, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 125, et ex illis quæ ibi poſtea ſequuntur.

75. Verſ. 17, 18, 19, 20. *Et cum vidi Ipſum, cecidi ad pedes Ipſius tanquam mortuus: et impoſuit dextram ſuam manum ſuper me, dicens mihi ne time, Ego ſum Primus et Ultimus. Et Qui Vivens, et factus ſum mortuus, et ecce Vivens ſum in ſæcula ſæculorum, amen; et habeo claves inferni et mortis. Scribe quæ vidiſti, et quæ ſunt et quæ futura ſunt. Myſterium ſeptem Stellarum, quas vidiſti in dextra mea, et ſeptem Candelabra aurea: ſeptem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt; et ſeptem candelabra quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Et cum vidi Ipſum, ſignificat præſentiam Divinæ Majeſtatis: cecidi ad pedes Ipſius, ſignificat adorationem ex humiliatione cordis pro Divino: tanquam mortuus, ſignificat vitæ propriæ defectum: et impoſuit dextram manum ſuper me, ſignificat vitam ab Ipſo: dicens mihi ne time, ſignificat recreationem: Ego ſum Primus et Ultimus, ſignificat Qui omnia regit ex primis per ultima, et ſic omnia Cœli: et Qui Vivens, ſignificat Qui ab æterno: et factus ſum mortuus, ſignificat quod rejectus: et ecce vivens ſum in ſæcula ſæculorum, ſignificat ab Ipſo vita æterna:

amen, ſignificat Divinam confirmationem: et habeo claves inſerni et mortis, ſignificat quod Ipſi potentia ſalvandi: ſcribe quæ vidiſti, et quæ ſunt et quæ futura ſunt fieri poſthac, ſignificat ut omnia poſteritati ſint quia Divina: myſterium ſeptem ſtellarum quas vidiſti in dextra mea, ſignificat revelationem de bonis et veris, quæ omnia ab Ipſo: et ſeptem Candelabra aurea, ſignificat et de illis in novo Cœlo et nova Terra: ſeptem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, ſignificat illos qui recipiunt bona et vera a Domino: et ſeptem candelabra quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ, ſignificat quod omnes illi in novo Cœlo et in nova Eccleſia ſint.

76. Et vidi Ipſum, quod ſignificet præſentiam Divinæ Majeſtatis, conſtat ex illis quæ præcedunt de Filio hominis, quæ omnia ſunt Divinæ Majeſtatis, ut patet ab explicatione eorum in ſenſu interno; ut quod indutus eſſet talari et præcinctus ad mamillas zona aurea, per quæ ſignificatur quod Divinum Verum et Divinum Bonum ab Ipſo procedat; quod Caput Ipſius et capilli candidi tanquam lana candida tanquam nix, per quæ ſignificatur Divinum in primis et ultimis; quod pedes ejus eſſent ſimiles chalcolibano in camino igniti, per quæ ſignificatur quod Humanum ejus etiam in ultimis eſſet plenum Divino amore; quod vox ejus tanquam vox aquarum multarum, per quæ ſignificatur, quod omne Divinum Verum ab Ipſo; quod haberet in dextra ſua manu ſtellas ſeptem, per quæ ſignificatur quod inde omnia bona et vera Cœli et Eccleſiæ; quod ab ore ejus romphæa anceps acuta exiret, per quæ ſignificatur quod ab Ipſo diſpergantur omnia falſa; quod facies ejus ſicut Sol fulgeret in ſua potentia, per quæ ſignificatur quod a Divino Amore Ipſius omnia Cœli eſſent; quod hæc Divina ſint, et viſa plena Divinæ Majeſtatis, patet. Quod videre hic ſignificet præſentiam illorum nunc intimam, conſtare poteſt ex eo, quod etiam prius dictum ſit quod illa *viderit*, Verſ. 12, ex quo viſu etiam illa deſcripta ſunt; et quod nunc iterum dicatur, *vidi Ipſum*, et ex viſo ceciderit ad pedes Ipſius ſicut mortuus; inde eſt, quod per *videre* hic ſignificetur præſentia Divinæ Majeſtatis: hæc præſentia facta eſt Johanni cum vidit Faciem Ipſius ſicut Solem in ſua potentia, inde enim illuſtrabatur et implebatur ſtupore pro Divino, nam a Domino ut Sole omnis Divina Lux eſt, et Divina Lux tranſit in interiora, inde talis eſt præſentia et talis impletio; ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno de Domino ut Sole, n. 116 ad 125; de Luce et Calore in cœlo inde, n. 126 ad 140, et de converſione ad Ipſum, n. 17, 123, 144, 145, 151, 255, 272, 310, 548, 561, oſtenſa ſunt. Præterea ſciendum eſt, quod homini bini viſus ſint, unus ex fide cogitativa, alter ex amore; dum modo ei viſus eſt ex fide cogitativa, tunc viſus eſt abſque ſtupore pro Divina Ipſius Majeſtate, cum autem ei viſus eſt ex amore, tunc eſt cum ſtupore Divinæ Majeſtatis; cauſa eſt, quia tunc converſus eſt ad Ipſum, amor enim convertit, non autem fides cogitativa abſque amore, ut conſtare poteſt ex locis nunc ſupra citatis de Converſione ex Opere de Cœlo et Inferno; quod ita ſit, notiſſimum eſt in Mundo

ſpirituali: inde patet, quod per *vidi Ipſum* ſecundo ſignificetur præſentia Divinæ Majeſtatis.

77. Cecidi ad pedes Ipſius, quod ſignificet adorationem ex humiliatione cordis pro Divino, conſtat ex ſignificatione cadere ad pedes, quod ſit adoratio ex humiliatione; quod ſit humiliatio cordis, eſt quia humiliatio quæ ex corde venit pro Divino, illam procidentiam producit; omnes affectiones, quæcunque ſunt, correſpondentes geſtus in corpore habent, in hos fertur et labitur corpus ſicut ex ſe, dum interius eſt in affectione; humiliatio pro homine producit incurvationem ſecundum æſtimationem, ſed pro Divino incurvationem totalem, imprimis cum homo cogitat, quod Divinum ſit omne quoad potentiam et ſapientiam, et homo nihil reſpective, aut quod a Divino ſit omne bonum, et a ſe nihil niſi quam malum; cum homo in hac agnitione eſt ex corde, tunc venit quaſi extra ſe, et inde labitur in faciem, et cum homo ſic extra ſe eſt, etiam remotus eſt a proprio, quod in ſe eſt mere malum, quo remoto Divinum implet illum, et erigit; non quod Divinum talem humiliationem pro ſe velit, ſed quia tunc removetur malum, et quantum removetur malum apud hominem, tantum influit Divinum; malum enim ſolum obſtat; exemplum talis humiliationis videatur in Opuſculo de TELLURIBUS IN UNIVERSO, n. 91. Status hominis, cum Divina præſentia removet proprium apud hominem, et dein implet eum, deſcribitur in hoc Verſu ita, "*Cum vidi Ipſum, cecidi ad pedes Ipſius tanquam mortuus, et impoſuit dextram manum ſuper me, dicens mihi, ne time*:" is ſtatus deſcribitur amplius apud Danielem, "*Suſtuli oculos meos et vidi, ecce vir indutus linteis, cujus facies ſicut aſpectus fulguris, et oculi ejus ſicut faces ignis, pedes ejus ſicut ſplendor æris lævigati: vidi ego ſolus viſionem, viri autem qui fuerunt mecum, non viderunt, ſed timor magnus cecidit ſuper eos, et fugerunt: nec in me relictæ ſunt vires, et factus ſum ſoporatus, et facies meæ ſuper terram; ſed ecce manus tetigit me, et ſuſtulit ſuper genua, et volas manuum mearum, et dixit, ne timeto*," x. 5 ad 12. Is ſtatus etiam deſcribitur apud Ezechielem, cum vidit Cherubos, per quos ſignificatur Dominus quoad Providentiam, "*Cum vidi gloriam Jehovæ, cecidi ſuper facies meas; et audivi vocem loquentem, quæ dixit, fili hominis ſta ſuper pedes tuos, ut loquar ad te: et venit in me ſpiritus cum loquutus eſt ad me, et ſtatuit me ſuper pedes meos, et audivi loquentem ad me*," i. 28. Cap. ii. 1, 2. Cap. iii. 24. Et quoque ſimiliter, cum Jeſus transformatus eſt coram Petro, Jacobo et Johanne; de quo ita apud Matthæum, "*Adhuc Petro loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos, et ecce vox e nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in Quo acquieſco, Ipſum audite: et cum hæc audiſſent diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, et timuerunt valde; tunc accedens Jeſus tetigit eos, et dixit, ſurgite, ne timete; et ſublatis oculis neminem viderunt niſi Jeſum ſolum*," xvii. 5, 6, 7, 8. Ex his apparet, qualis eſt præſentia Divini Humani Domini apud hominem qui in humiliatione cordis eſt, quod nempe cadat in faciem, et per tactum manus Ipſius erigatur in pedes. Quod præſentia Domini quoad Divinum

Humanum fuerit, conſtare poteſt, nam coram Johanne ita apparuit Filius hominis qui in medio candelabrorum; quod Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 63: ſimiliter coram diſcipulis cum Dominus transformatus eſt; quapropter etiam dicitur, quod ſublatis oculis neminem viderint niſi Jeſum ſolum. Quod etiam Dominus quoad Divinum Humanum fuerit qui viſus eſt Danieli et Ezechieli, conſtare poteſt ex Ipſius Domini verbis, "*Quod non vocem Patris unquam audiverint, neque ſpeciem Ipſius viderint*," Joh. v. 37. Cap. i. 18; quod etiam adoraverint Dominum, cum in mundo fuit, procidendo ſuper faciem ad pedes Ipſius, videatur apud Matthæum, Cap. xxviii. 9; apud Marcum, Cap. vii. 25, 26: apud Lucam, Cap. viii. 41. Cap. xviii. 15, 16, 18: et apud Johannem, Cap. xi. 31.

78. Tanquam mortuus, quod ſignificet vitæ propriæ defectum, conſtat ex ſignificatione tanquam mortui, cum de Divina præſentia apud hominem, quod ſit defectus vitæ propriæ; vita enim propria hominis eſt, in quam naſcitur, quæ in ſe non eſt niſi quam malum, eſt enim prorſus inverſa, nam ſpectat ſe ſolum et mundum, et inde ſe vertit retro a Deo et a Cœlo; vita quæ non propria eſt homini, eſt in quam perducitur cum regeneratur a Domino, in quam cum venit, ſpectat Deum et Cœlum primo loco, ac ſe et mundum ſecundo; hæc vita influit apud hominem, cum Dominus præſens eſt; inde patet, quod quantum hæc influit, tantum fiat verſura vitæ; hæc verſura, cum ſubito fit, facit ut homo appareat ſibi ſicut mortuus; inde eſt, quod per tanquam mortuus hic ſignificetur defectus vitæ propriæ. Sed bini illi ſtatus vitæ non ad captum deſcribi poſſunt; alii etiam ſunt apud hominem, et alii apud ſpiritum, et differunt prorſus apud malos et apud bonos: Homo ad præſentiam Divini non corpore vivere poteſt, et qui vivunt obſtipantur columna angelica, quæ moderatur influxum Divinum, nam corpus cujuſvis hominis non eſt receptibile Divini, quapropter id moritur et rejicitur: quod homo ad præſentiam Divini non corpore vivere poſſit, conſtare poteſt a Domini verbis ad Moſen, "*Non potes videre facies meas, quia non videbit Me homo et vivet*," Exod. xxxiii. 20; quapropter Moſes, quia videre voluit, poſitus eſt in foramine petræ, et obtectus uſque dum Dominus præterivit: notum etiam fuit antiquis, quod homo non poſſit videre Deum et vivere, ut conſtat ex Libro Judicum, "*Dixit Manoachus ad uxorem, moriendo moriemur quia Deum vidimus*," xiii. 22: et quoque hoc teſtatum eſt apud filios Iſraelis, cum viſus eſt Dominus e monte Sinai, de quo ita apud Moſen, "*Eſtote parati in diem tertium, quia in die tertio deſcendet Jehovah in oculis omnis populi ſuper monte Sinai; et circumſepies populum circumcirca, dicendo, cavete vobis ab aſcendendo in montem, et tangendo in extremitate ejus; omnis qui tetigerit montem moriendo morietur: et quia terror occupavit illos, dixerunt ad Moſen, loquere tu nobiſcum et audiemus, non autem loquatur nobiſcum Deus, ne forte moriamur*," Exod. xix. 11, 12. Cap. xx. 19: quod per montem Sinai ſignificetur Cœlum

ubi Dominus, et quod per tangere ſignificetur communicare, transferre et recipere, et quod inde ſit quod vetitum ſit tangere in extremitate illius montis, videatur in Explicatione ſuper illa Capita in Arcanis Cœlestibus. Quod Jehovah viſus ſit pluribus, de quibus in Verbo, erat quia circumcincti tunc fuerunt columna ſpirituum, et ſic conſervati, ut ſupra dictum eſt; ita quoque Dominus mihi aliquoties viſus eſt. Alius autem eſt ſtatus ſpirituum ad præſentiam Divinam quam ſtatus hominum; ſpiritus non mori poſſunt, quapropter illi ſi mali ſunt, ad præſentiam Divinam moriuntur morte ſpirituali, quæ qualis eſt mox dicetur; illi autem qui boni ſunt, feruntur in ſocietates ubi ſphæra præſentiæ Divinæ eſt temperata et accommodata ad receptionem: inde eſt, quod tres Cœli ſint, et in quolibet Cœlo plures ſocietates, et quod qui in ſuperioribus cœlis propiores Domino ſint, et qui in inferioribus remotiores ab Ipſo; de quibus videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28, 29 ad 40, 41 ad 50, 206 ad 209. Quid mors ſpiritualis, qua moriuntur ſpiritus mali ad præſentiam Divinam, paucis dicetur; mors ſpiritualis eſt averſio et remotio a Domino, cum autem ſpiritus mali, qui nondum vaſtati ſunt, hoc eſt, determinati ad ſuum amorem regnantem, intrant aliquam ſocietatem angelicam, tunc quia Divinum Domini ibi eſt, cruciantur dire, et ſe non modo avertunt, ſed etiam ſe dejiciunt in profunda, quo nulla lux cœli intrat, quidam in ſpeluncas petrarum tenebroſas, verbo in inferna; de qua re videantur quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 54, 401, 410, 525, 527, oſtenſa ſunt: hæc averſio et remotio a Domino eſt quæ vocatur mors ſpiritualis; ſpirituale cœli etiam mortuum apud illos eſt.

79. Et impoſuit dextram manum ſuper me, quod ſignificet vitam ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione dextræ manus, cum de Domino, quod ſit vita ab Ipſo, de qua ſupra n. 72; quod ſignificet vitam ab Ipſo, eſt quia immediate ſequitur poſt id, *quod ceciderit ad pedes Ipſius tanquam mortuus*; et præterea per tangere manu ſignificatur communicare et transferre in alterum quod apud ſe, et quoque recipere ab altero; ac communicare et transferre in alterum quod apud ſe, cum de Domino, ut hic, eſt vitam, qualis eſt illis qui in illuſtratione ſunt, ac vident et audiunt talia quæ in Cœlo; quod etiam factum eſt cum Johanne, nam is in tali illuſtratione fuit, cum vidit et audivit illa quæ in Apocalypſi deſcripta ſunt. Quod tangere manu ſit communicare et transferre in alterum, eſt quia in manus tranſlata eſt omnis potentia hominis e corpore, quare quod mens vult ut corpus faciat, brachia et manus faciunt, inde eſt quod per brachia et manus in Verbo ſignificetur potentia, videatur n. 878, 3091, 4931 ad 4937, 6947, 7673, 10017; ſed hæc potentia eſt potentia naturalis, et communicatio per illam eſt exſertio virium corporis; potentia autem ſpiritualis eſt velle alterius bonum, et quantum poteſt, velle transferre in alterum quod apud ſe eſt, hæc potentia eſt quæ per manum in ſenſu ſpirituali ſignificatur, et ejus communicatio et tranſlatio per tangere manu. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur, per quod Dominus, qui ibi vocatur Filius hominis,

impoſuerit dextram ſuam manum ſuper Johannem, cum jacuit ſicut mortuus, quod nempe communicaverit et tranſtulerit in illum vitam a Se, de qua ſupra. Simile ſignificatur per tangere, et tangere manu pluribus in locis in Verbo, ut in his ſequentibus, apud Danielem, "*Dominus, qui ibi apparuit illi ut Vir indutus linteis, cujus aſpectus ſicut aſpectus fulguris, et oculi ſicut faces ignis, ac pedes ſicut ſplendor æris lævigati, Tetigit illum, et reſtituit ſuper ſtationem ſuam, ac ſuſtulit illum ſuper genua ſua; ac Tetigit labia ejus, et aperuit os ejus; et addidit Tangere illum, et corroboravit illum,*" x. 4 ad finem. Apud Jeremiam, "*Emiſit Jehovah manum ſuam, et Tetigit os meum, et dixit, do verba mea in os tuum,*" i. 9. Apud Matthæum, "*Jeſus extendens manum ad leproſum, Tetigit illum, dicens, volo mundatus eſto, et ſtatim mundata eſt illius lepra,*" viii. 3. Apud Eundem, "*Jeſus vidit ſocrum Petri febri afflictam, et Tetigit manum ejus, et reliquit eam febris,*" viii. 14, 15. Apud Eundem, "*Jeſus Tetigit oculos duorum cæcorum, et aperti ſunt eorum oculi,*" ix. 29. Apud Eundem, "*Adhuc Petro loquente, ecce nubes lucida inumbravit Diſcipulos, et ecce vox e nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in Quo acquieſco, Ipſum audite; et cum hæc audiſſent diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, et timuerunt valde, tunc accedens Jeſus Tetigit illos, et dixit, ſurgite, ne timete,*" xvii. 5, 6, 7, 8. Apud Lucam, "*Jeſus acceſſit et Tetigit loculum defuncti, et dixit, adoleſcens, tibi dico, ſurge, tunc reſedit qui mortuus, et cœpit loqui,*" vii. 14, 15. Apud Eundem, "*Jeſus Tetigit aurem ſurdi, et ſanavit,*" xxii. 51. Apud Marcum, "*Attulerunt ad Jeſum Infantes, ut Tangeret eos, et ſuſcepit in ulnas, poſuit manus ſuper eos, et benedixit illis,*" x. 13. Apud Eundem, "*Attulerunt male habentes ad Jeſum, ut ſaltem Tangerent fimbriam veſtimenti Ipſius, et quotquot Tetigerunt ſalvi facti ſunt,*" vi. 5. Matth. xiv. 36. Apud Lucam, "*Mulier profluvio ſanguinis laborans, Tetigit fimbriam veſtimenti Jeſu, et ſtatim conſtitit fluxus ſanguinis; Jeſus dixit, quis eſt qui Tetigit Me, Tetigit Me aliquis, Ego cognovi virtutem a Me egreſſam,*" viii. 43, 44, 46. Quia per tangere et imponere manus ſignificatur communicare et transferre in alterum quod apud ſe, ideo ab antiquis temporibus receptum eſt in Eccleſiis imponere manus capiti eorum qui inaugurantur et benedicuntur, ſicut etiam mandatum eſt Moſchi, ut faceret Joſuæ, Num. xxvii. 18 ad 23. Deutr. xxxiv. 9. Quoniam omnia erant repræſentativa et ſignificativa ſpiritualium apud filios Iſraelis, ideo etiam Tactus; quare ſanctificabantur qui tetigerunt ſanctum, et polluebantur qui tetigerunt immundum, ſignificabat enim Tactus communicationem et tranſlationem in alterum et receptionem ab altero, ut conſtare poteſt ex ſequentibus his locis, apud Moſen, "*Omnis qui Tetigerit Tentorium conventus et Arcam Teſtimonii, et Menſam et omnia Vaſa ejus, et Candelabrum et Vaſa ejus, et Altare ſuffimenti, et Altare holocauſti et omnia Vaſa ejus, et Labrum et baſin ejus, ſanctificabitur,*" Exod. xxx. 26 ad 29. "*Quicquid Tetigerit Altare, ſanctum erit,*" Exod. xxix. 37. "*Omne quod Tetigerit reſiduum Minchæ, et reſiduum Carnis ex ſacrificiis, ſanctificabitur,*" Levit. vi. 11, 20. "*Omnis Tangens mortuum, et non* *expiaverit ſe, Habitaculum Jehovæ polluit, ideo exſcindetur anima hæc ex Iſraele. Omnis qui Tetigerit ſuper ſuperficie agri confoſſum gladio, aut os hominis, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem dies. Tangens aquas ſeparationis, immundus ad veſperam. Omne quod Tetigerit immundus, immundum fiet, et anima quæ Tetigerit immunda ad veſperam,*" Num. xix. 11, 13, 16, 21, 22. "*Qui Tangit immundas beſtias, et immunda reptilia, immundus erit: Omne ſuper quod ceciderint, immundum erit; ſive vas ligni, veſtis, aqua, vas teſtæ, cibus, potus, clibanus, fons, ciſterna, receptaculum aquarum, immunda erunt,*" Levit. xi. 31 ad 36: præter alibi, ut Levit. v. 2, 3. Cap. vii. 21. Cap. xi. 37, 38. Cap. xvi. 1 ad fin: Cap. xxii. 4. Num. xvi. 26. Eſaj. lii. 11. Thren. iv. 14, 15. Hoſch. iv. 2, 3. Hagg. ii. 12, 13, 14.

80. Dicens mihi, ne time, quod ſignificet recreationem, conſtat ex ſerie rerum in ſenſu interno; jacuit enim Johannes tanquam mortuus, et Dominus viſus ut Filius hominis, impoſuit dextram manum ſuper eum, et dixit ei, ne time; quod jacuit tanquam mortuus ſignificabat vitæ propriæ ejus defectum, quod Dominus impoſuit dextram manum ſuper eum ſignificabat vitam ab Ipſo, inde quod dixerit ad eum ne time ſignificabat recreationem; omnes enim qui ſubito veniunt a vita propria in quandam ſpiritualem, primum timent, ſed recreantur a Domino; recreatio illis fit per id, quod Divina præſentia, et pro illa timor, accommodetur ad receptionem. Apud omnes in univerſo quidem eſt Dominus præſens, ſed propius et remotius ſecundum receptionem boni per vera apud illos ab Ipſo; bonum enim eſt in quo Dominus eſt præſens apud angelum, ſpiritum et hominem, inde quantum et quale boni a Domino eſt apud illos, tanta et talis præſentia Ipſius eſt; ſi præſentia excedit, fit anguſtia et tremor, ſed recreatio per accommodationem ad receptionem, ut quoque conſtare poteſt ex illis quæ mox ſupra n. 78, dicta et oſtenſa ſunt; hæc recreatio eſt quæ ſignificatur per *ne time*: etiam alibi, ubi a Domino aut Angelo Domini viſo dictum eſt *ne time*; ut Dan. Cap. x. 12, 19. Luc. i. 12, 13. Cap. ii. 8, 9, 10. Matth. xxviii. 5, 9, 10. Recreatio, quæ fit per accommodationem ad receptionem, apparet in mundo ſpirituali, cum ſiſtitur viſibilis, ſicut nubes; tali obvelantur ibi omnes Societates, denſiori et tenuiori ſecundem receptionem: quod etiam Angeli obvelentur tenui correſpondente nube, ne lædantur ab influxu propiori Divini Domini, videatur n. 6849. Quid nubes in ſpirituali mundo, et inde in ſpirituali ſenſu, videatur ſupra n. 36.

81. Ego ſum Primus et Ultimus, quod ſignificet Qui omnia regit ex primis per ultima, et ſic omnia Cœli, conſtat ex illis quæ ſupra n. 41, explicata ſunt.

82. Et Qui Vivens, quod ſit Qui ab æterno, conſtat ex eo, quod Ille ſolus vivens ſit qui ab æterno eſt, et quod reliqui, qui non ab æterno, ab Ipſo creati ſint, et ſic facti recipientes vitæ ab Ipſo; quare Solus Qui ab æterno habet vitam in Se, et nullus præter Ipſum. Quod Dominus tam quoad Divinum quam quoad Humanum vitam habeat in Se, conſtat

apud Johannem, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, in Ipſo Vita erat, et Vita erat Lux hominum: et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis,*" i. 1, 2, 3, 4, 14; quod Dominus ſit Qui intelligitur per Verbum, patet, nam dicitur, Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis. Apud Eundem, "*Quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio vitam habere in Se Ipſo,*" v. 26. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego ſum reſurrectio et Vita,*" xi. 25. Et apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego ſum via, veritas, et Vita,*" xiv. 6. Creditur in mundo, quod homo habeat vitam ſibi inſitam, et ſic quod non continue influat ab Ipſo Qui Solus habet Vitam in Se Ipſo, et Qui ſic Solus eſt Vita; ſed quod hæc fides ſit fides falſi, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 9.

83. Et factus ſum mortuus, quod ſignificet quod rejectus, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus dicatur mortuus, quando non amplius eſt fides et amor in Ipſum; Dominus enim vivit apud illos, qui in amore et fide ſunt in Ipſum, ſed non vivit apud illos qui non in amore et fide ſunt, apud hos dicitur Dominus mortuus quia rejectus; hoc in ſenſu interno intelligitur hic per factus ſum mortuus; at in ſenſu literæ quod ſit crucifixus: ſimile etiam ſignificatur in ſenſu interno per quod Dominus ſit crucifixus, nempe quod rejectus et ita tractatus a Judæis; Dominus enim cum in mundo fuit, erat ipſum Divinum Verum, et quia Divinum Verum a Judæis prorſus rejectum eſt, ideo quoque Dominus, Qui illud erat, ſe crucifigi paſſus eſt; talia ſignificantur per omnia quæ apud Evangeliſtas memorantur de Paſſione Domini; ſingula uſque ad ſingulariſſima id involvunt; quapropter ubi Dominus de Paſſione ſua loquitur, vocat Se Filium hominis, hoc eſt, Divinum Verum, videatur ſupra n. 63: quod Divinum Verum prorſus rejectum ſit a Judæis, notum eſt, nam non agnoverunt quicquam quod ab Ipſo dictum eſt, et ne quidem quod Ipſe eſſet Filius Dei; ex his ſciri poteſt, quomodo etiam intelligenda ſunt quæ Dominus de rejectione ſui ab illis loquutus eſt ad diſcipulos; ut apud Lucam, "*Oportet Filium hominis multa pati et reprobari a ſenioribus et principibus Sacerdotum et ſcribis,*" ix. 22. Apud Eundem, "*Oportet Filium hominis multa pati et reprobari a generatione hac,*" xvii. 25. Apud Marcum, "*Scriptum eſt de Filio hominis, quod multa pateretur, et pro nihilo haberetur,*" ix. 12. Apud Lucam, "*Jeſus aſſumtis duodecim dixit eis, ecce aſcendimus Hieroſolymam, et perficientur omnia quæ prædicta ſunt per Prophetas de Filio hominis, quod tradetur gentibus et illudetur, et contumeliis afficietur, et conſpuetur, et poſtquam Illum flagellaverint, occident, ſed tertia die reſurget,*" xviii. 31, 32, 33; ſingula hæc ſignificant quomodo Divinum Verum, quod erat ex Verbo, tractaverunt; Hieroſolyma ibi eſt Eccleſia Judaica, tradi gentibus, illudi, contumeliis affici, conſpui, flagellari, occidi, ſunt nefandi modi, quibus Divinum Verum tractaverunt; et quia Dominus erat Ipſum Divinum Verum, quia Verbum, Joh. i. 14, et prædictum eſt apud Prophetas, quod id in fine Eccleſiæ ita afficeretur, ideo dicitur, ut perficiantur omnia quæ prædicta ſunt per Prophetas de

Filio hominis: ſimiliter alibi apud Eundem, " *Hæc ſunt quæ loquutus ſum vobis, cum adhuc eram vobiſcum, oportere impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, et Prophetis, et in Pſalmis de Me,*" xxiv. 44. Quod omnia eſſent peracta, cum Jeſus crucifixus, dicit Ipſe cum erat ſuper cruce, " *Cum Jeſus ſciebat, quod omnia eſſent peracta, ut impleretur Scriptura, dixit, Sitio,*" Joh. xix. 28; quod dixerit tunc, ſitio, erat quia novam Eccleſiam deſideravit, quæ Ipſum agnoſceret; quod ſitire in ſpirituali ſenſu ſignificet deſiderare, et quod dicatur de veris Eccleſiæ, videatur n. 4958, 4976, 8568. Hæc quoque ſunt quæ a Daniele prædicta ſunt de vaſtatione et deſolatione, " *Poſt Septimanas ſexaginta et duas excidetur Meſſias, ſed non Sibi; deinde Urbem et Sanctuarium perdet populus principis venturi, ita ut finis ejus cum inundatione: tandem ſuper avem abominationum deſolatio, et uſque ad conſummationem et deciſum ſtillabit ſuper devaſtationem,*" ix. 26, 27; deſolatio et vaſtatio ſignificant reprobationem et rejectionem Divini Veri apud illos qui ab Eccleſia, videatur n. 5360, 5376. Quod Divinum Verum, quod eſt Verbum, ita reprobatum ſit a Judæis, etiam intelligitur per hæc apud Matthæum, " *Dico vobis, Eliam jam veniſſe, quem non agnoverunt, ſed fecerunt ei quæcunque voluerunt; ita futurum eſt ut Filius hominis paſſurus ſit ab illis,*" xvii. 12; per Eliam ſignificatur Verbum, videatur Præfatio ad Caput xviii. Geneſ. et n. 2762, 5247; et quoque per Johannem Baptiſtam, quare is dictus eſt Elias, n. 7643, 9327; inde patet, quid ſignificatur per quod Elias venerit, et quod fecerint ei quæcunque voluerunt, et quod futurum ſit ut Filius hominis paſſurus ſit ab illis; quomodo Judæi explicuerunt Verbum, et ſic rejecerunt illud, patet a plurimis locis apud Evangeliſtas, ubi Dominus id manifeſtat. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per *Ego ſum mortuus*, ſignificetur quod rejectus. Quod etiam Dominus per Paſſionem crucis glorificaverit Humanum ſuum, hoc eſt, Id Divinum fecerit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 294, 295, 302, 305.

84. Et ecce vivens ſum in ſæcula ſæculorum, quod ſignificet ab Ipſo vita æterna, conſtat ex ſignificatione vivens eſſe, quod ſit eſſe ab æterno, et in Ipſo Solo vita a Se Ipſo, de qua ſupra n. 81, hic autem quod ſit vita in aliis, et vita Ipſius in aliis eſt vita æterna; nam dicitur mox prius, quod fuerit mortuus, per quod ſignificatur quod fuerit rejectus, quia non receptus fide et amore, quare hic per vivens eſſe ſignificatur quod recipiatur ab illis qui in vita Ipſius ſunt, quæ vita eſt in fide et amore apud hominem, et illa vita eſt vita æterna: quod in ſæcula ſæculorum ſignificetur in æternum, patet abſque explicatione. Quod vita Domini ſit vita fidei et amoris in Ipſum, et quod illa vita ſit vita æterna, ex pluribus locis in Verbo conſtat, ut a ſequentibus; apud Johannem, " *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in Ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero non credit in Filium, non videbit vitam,*" iii. 14, 15, 16, 36. Apud Eundem, " *Aqua, quam*

Ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam," iv. 10, 11, 14; aqua eſt verum fidei, videatur ſupra n. 71. Apud Eundem, "*Omnis qui videt Filium, et credit in Ipſum, habet vitam æternam: verba, quæ Ego loquor, ſpiritus ſunt et vita ſunt,*" vi. 40, 63; verba, quæ Dominus loquitur, etiam ſunt vera fidei. Apud Eundem, "*Ego ſum reſurrectio et vita; qui credit in Me, etſi moriatur, vivet,*" xi. 25, 26. Apud Eundem, "*Operamini cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis dat,*" vi. 27; cibus, quem Dominus dat, etiam eſt verum et bonum fidei, quia intelligitur cibus ſpiritualis, n. 3114, 4459, 4792, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 8562, 9003. Dictum eſt, quod vita Domini ſit in fide et amore in Ipſum apud hominem, cauſa eſt quia omne fidei et amoris eſt ab Ipſo, et quod ab Ipſo eſt etiam Ipſe eſt, eſt enim Divinum Ipſius procedens, quod vocatur ſpiritus veritatis et ſpiritus ſanctus: et quia Dominus eſt in illo, et eſt Ipſe, ideo dicitur, quod manſuri ſint in Domino, per quod intelligitur in fide et amore in Ipſum ab Ipſo; ut apud Johannem, "*Jeſus dixit, manete in Me et Ego in vobis: ſi manſeritis in Me, et verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis petetis, et fiet vobis: manete in amore meo; ſi verba mea ſervaveritis, manebitis in amore meo: qui manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam,*" xv. 4 ad 10. Ex his ſciri poteſt, quid intelligitur per hæc apud Johannem, "*Vos videtis Me, quia Ego vivo et vos vivetis,*" xiv. 19; quod videre Dominum ſit credere in Ipſum, videatur ſupra, n. 14, 25, 37; et quod fidem habere ſeu credere in Dominum ſit in amore et charitate eſſe, in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 108 ad 122.

85. Amen, quod ſignificet Divinam confirmationem, videatur ſupra n. 35.

86. Et habeo claves inferni et mortis, quod ſignificet quod Ipſi potentia ſalvandi, conſtat ex ſignificatione clavium, quod ſint potentia aperiendi et claudendi, de qua n. 9410; et ex ſignificatione inferni, quod ſint mala, quoniam omnia mala ſunt ex inferno, et ſint inferni; et ex ſignificatione mortis, quod ſit damnatio, quæ etiam vocatur mors ſpiritualis, de qua n. 5407, 6119, 9008; quod habere claves inferni et mortis etiam ſit potentia ſalvandi, eſt quia Dominus ſolus removet inferna apud hominem, et per id damnationem; et quando illa remota ſunt, tunc homo ſalvatur, nam loco eorum influit cœlum et vita æterna; nam Dominus conſtanter præſens eſt apud hominem, et vult implere illum cœlo, ſed obſtant mala quin recipiatur, quapropter quantum inferna removentur, hoc eſt, quantum homo deſiſtit a malis, tantum Dominus cum cœlo influit. Quod Dominus hic ſe dicat habere claves inferni et mortis, eſt quia in mox præcedentibus dicitur, quod Ipſe ſit vivens in ſæcula ſæculorum, per quod intelligitur quod ab Ipſo ſit vita æterna; quantum etiam Dominus recipitur fide et amore, tantum in homine eſt, et quantum in homine eſt, tantum removet mala, et ſic inferna et æternam mortem;

Solus Ille hoc facit, quapropter Ille recipiendus eſt, ut quoque conſtare poteſt a locis e Verbo mox ſupra n. 83 allatis. Quod per infernum ſignificentur mala omnis generis, eſt quia omnia mala inde ſunt; quicquid homo cogitat et vult, vel ex inferno vel ex cœlo eſt; ſi cogitat et vult malum, ex inferno eſt, ſi autem cogitat bonum, e cœlo eſt, non datur aliunde cogitatio et voluntas hominis; homo, qui credit quod cogitet et velit ex ſe, hoc neſcit, ſed aſſeverare poſſum ex omni experientia de hac re, quod omnia, quæ homo cogitat et vult, ab uno aut ab altero ſint; hæc etiam cauſa eſt, quod homo, qui cogitat et vult malum, actualiter in inferno ſit, et ubi actualiter eſt cum vivit in mundo, illuc etiam veniat poſt mortem; non poteſt alio venire, quia ſpiritus ejus formatur et componitur ex illis quæ homo cogitat et vult, quare cum cogitat et vult malum, totus eſt formatus et compoſitus a malo, ſic ut ſit ſuum malum in forma; inde eſt, quod ſpiritus infernales prorſus ſint imagines ſui mali, et monſtra ſecundum mali ſpeciem horrenda; facere autem ut ſpiritus formetur et componatur ad cœlum, eſt unicum medium ut recipiat Dominum fide et amore, nam Dominus ſolus, quia præſens eſt in fide et amore apud hominem, removet mala, et facit illum in imaginem cœli, quæ eſt angelus: ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per habere claves inferni et mortis. Quod dicantur claves, eſt quia omnia inferna occluſa ſunt, et modo aperta cum mali ſpiritus illuc injiciuntur, et cum aliqui inde eximuntur, quod fit cum increſcunt mala apud homines, aperturæ illæ, quæ tunc, dicantur Portæ, et quia dicuntur Portæ, ideo dicuntur claves, per quas ideo ſignificatur potentia aperiendi et claudendi, aperitio enim et occluſio portarum fit per claves. Simile quod hic etiam ſignificatur per claves Petro datas, Matth. xvi. 18, 19, quoniam per Petrum ibi ſignificatur verum ex bono quod a Domino, ita quod Domino ſoli, a Quo omne verum fidei et bonum amoris, ſit illa poteſtas, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 57.

87. Scribe quæ vidiſti, et quæ ſunt et quæ futura ſunt fieri poſthac, quod ſignificet ut omnia poſteritati ſint quia Divina, conſtat ex ſignificatione ſcribere, quod ſit quod ad reminiſcentiam, de qua n. 8620, ita quod ſint poſteritati; et ex ſignificatione quæ vidiſti et quæ ſunt et quæ futura poſthac, quod ſint omnia, nam tria tempora nempe præteritum, præſens et futurum ſignificant omnia; et quia illa quæ ſcriberet a Domino erant, ideo ſignificant Divina, nam a Domino nihil niſi quam Divinum procedit: ſingula etiam quæ in Apocalypſi ſcripta ſunt, æque ac ſingula quæ in Propheticis Verbi alibi, ſenſum internum habent, ac ſenſus internus eſt in luce cœli, quæ eſt Divinum Verum procedens a Domino: hic dicitur quæ vidiſti et quæ ſunt et quæ futura, quia ſupra de Domino dictum eſt Qui Eſt et Qui Fuit et Qui Venturus, ibi, ubi ita dictum eſt, actum eſt de Ipſo Domino, hic autem de Divinis ab Ipſo apud hominem, ut conſtare poteſt a præcedentibus et ſequentibus in ſerie.

88. Myſterium ſeptem ſtellarum quas vidiſti in dextra mea, quod

ſignificet revelationem de bonis et veris quæ omnia ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione myſterii, quod ſit quod reconditum latet in viſione quæ Johanni, hic autem id revelatum, quoniam in nunc ſequentibus dicitur quid intellectum eſt per ſeptem Stellas et per ſeptem Candelabra; et ex ſignificatione ſeptem ſtellarum, quod ſint cognitiones omnium boni et veri, et inde omnia bona et vera, de qua ſupra n. 72; et ex ſignificatione in dextra, cum de Domino, quod ſit quod ab Ipſo, de qua etiam n. 72; inde patet, quod per myſterium ſeptem ſtellarum quas vidiſti, ſignificetur revelatio de bonis et veris quæ omnia ab Ipſo.

89. Et ſeptem Candelabra aurea, quod ſignificet et de illis in novo Cœlo et in nova Terra, conſtat ex ſignificatione ſeptem candelabrorum, quod ſint novum Cœlum et nova Eccleſia, de qua ſupra n. 62; quod ſint bona et vera quæ illis qui in novo Cœlo et in nova Eccleſia, eſt quia in ſenſu interno cum mox præcedentibus ita cohærent; quæ enim in ſenſu literæ ſparſa apparent, in ſenſu interno continentia ſunt, videatur ſupra n. 17.

90. Septem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, quod ſignificet illos qui recipiunt bona et vera a Domino, conſtat a ſignificatione ſeptem ſtellarum, quod ſint bona et vera, omnia Domino, de qua ſupra n. 72; ex ſignificatione Angelorum, quod ſint qui in ſimili correſpondente bono et vero ſunt in cœlis cum illis qui in Eccleſia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſeptem Eccleſiarum, quod ſint omnes qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt, ita omnes qui ab Eccleſia, de qua ſupra n. 20; ex quibus ſimul ut concluſum ſequitur, quod per Septem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, ſignificentur omnes qui recipiunt bona et vera a Domino. Quod per Angelos hic ſignificentur illi qui in ſimili correſpondente bono et vero ſunt in Cœlo cum illis qui in Eccleſia, eſt quia univerſum Cœlum in Societates diſtinctum eſt, et Societates ordinatæ ſecundum affectiones boni et veri in genere et in ſpecie; hæ Societates correſpondent illis in terris qui in ſimilibus affectionibus boni et veri ſunt; omnes hæ Societates vocantur angeli, et unaquævis vocatur Angelus; et quoque Societas, cum apparet e longinquo et quando ſiſtitur videnda ut unum, apparet ut unus Angelus, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 62, 68 ad 72. Præterea eſt Correſpondentia omnimoda Cœli cum Eccleſia, ſeu Angelorum Cœli cum hominibus Eccleſiæ; per hanc correſpondentiam Cœlum cum Eccleſia unum facit. Ex his patet, quid hic ſignificatur per Angelos ſeptem Eccleſiarum, et in ſequenti Capite per Angelum cujuſvis Eccleſiæ, ubi dicitur, Scribe Angelo Epheſinæ Eccleſiæ, Angelo Smyrnæorum Eccleſiæ, Angelo Pergamenſis Eccleſiæ, Angelo Thyatirenſis Eccleſiæ, Angelo Eccleſiæ in Sardibus, Angelo Philadelphienſis Eccleſiæ, et Angelo Laodicenſis Eccleſiæ; manifeſte patet, quod non mandatum ſit ſcribere Angelis, ſed Eccleſiis, ita illis qui in tali bono et vero a Domino ſunt, qui per unamquamvis Eccleſiam deſcribuntur, de quibus in ſequentibus. Quod in Verbo per Angelum non aliud intelli-

gatur, quam bonum et verum quod a Domino apud Angelum et hominem, plenius oſtendetur in ſequentibus; interea videantur quæ in Opere de Cœlo et Inferno de Cœlis et de Societatibus Angelicis oſtenſa ſunt, quoniam abſque cognitione de illis inde, parum intelligi poteſt quid in ſequentibus de Angelis dicetur; cognitio enim præcedet, ut intellectus poſſit in illuſtratione eſſe.

91. Et ſeptem Candelabra aurea quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ, quod ſignificet quod omnes illi in novo Cœlo et in nova Eccleſia ſint, conſtat ex ſignificatione ſeptem Candelabrorum, quod ſint novum Cœlum et nova Eccleſia, de qua ſupra n. 62; et ex ſignificatione ſeptem Eccleſiarum, quod ſint qui in veris ex bono ſeu in fide ex charitate ſunt, de qua etiam ſupra n. 20: inde patet quod per ſeptem Candelabra ſeptem Eccleſiæ ſignificentur omnes illi qui in novo Cœlo et in nova Eccleſia erunt. Omnia quæ in Apocalypſi ſunt, ad id quod ſignificatur per ſeptem Candelabra aurea, nempe Novum Cœlum et Nova Eccleſia, ſpectant ut ad ſuum finem et concluſum, de illis ideo in ultimis Capitibus agitur; reliqua, quæ intercedunt, ſunt talia quæ obſtant et quæ removenda, ut quæ de Dracone et quæ de Beſtiis Babyloniæ memorantur, quibus non obſtantibus vel quibus remotis novum Cœlum et nova Eccleſia exſurgit et patet.

APOCALYPSIS.

CAPUT SECUNDUM.

1. ANGELO Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua, ambulans in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.

2. Novi opera tua, et laborem tuum, et tolerantiam tuam, et quod non poſſis ferre malos, et exploraveris dicentes ſe eſſe Apoſtolos, et non ſunt, et inveneris eos mendaces.

3. Et ſuſtinuiſti, et tolerantiam habes, et propter Nomen meum laboraſti, et non defeciſti.

4. Sed habeo adverſus te, quod charitatem tuam primam reliqueris.

5. Memor eſto itaque unde excideris, et reſipiſce, et prima opera fac; ſin minus, veniam tibi cito, et movebo Candelabrum tuum de loco ſuo, ſi non reſipueris.

6. Sed hoc habes, quod odiſti opera Nicolaitarum, quæ et Ego odi.

7. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis; vincenti dabo illi edere de arbore vitæ, quæ in medio Paradiſi Dei.

8. Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe; hæc dicit Primus et Ultimus, qui fuit mortuus et vivit.

9. Novi tua opera, et afflictionem, et paupertatem, dives ſed es, et blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe, et non ſunt, ſed ſynagoga ſatanæ.

10. Nihil timeas quæ futurus es pati, ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam, ut tentemini, et habebitis afflictionem diebus decem: eſto fidelis uſque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

11. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis; vincens non lædetur a morte ſecunda.

12. Et Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam.

13. Novi opera tua, et ubi habitas, ubi thronus ſatanæ, et tenes Nomen meum, et non negaſti fidem meam, et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis, qui occiſus apud vos, ubi habitat ſatanas.

14. Sed habeo adverſus te pauca, quod habeas illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis edere idolothyta, et ſcortari.

15. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi.

16. Reſipiſce, ſin minus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis romphæa oris mei.

17. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis; vincenti, dabo illi edere de Manna abſcondito; et dabo illi calculum album, et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit.

18. Et Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Filius Dei habens oculos ſuos tanquam flammam ignis, et pedes ſuos ſimiles chalcolibano.

19. Novi tua opera et charitatem, et miniſterium, et fidem, et tolerantiam tuam, et opera tua, et ultima plura prioribus.

20. Sed habeo adverſus te pauca, quod permittas mulierem Jezabel, dicentem ſe prophetiſſam, docere et ſeducere meos ſervos ſcortari et idolothyta edere.

21. Et dedi illi tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, et non reſipuit.

22. Ecce Ego conjicio illam in lectum, et mæchantes cum illa in afflictionem magnam, ſi non reſipuerint ab operibus ſuis.

23. Et filios ejus occidam morte, et cognoſcent omnes Eccleſiæ, quod Ego ſim ſcrutans renes et corda; et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua.

24. Vobis autem dico, et reliquis in Thyatiris, quicunque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt profunda ſatanæ, ſicut dicunt; non impono ſuper vos aliud onus.

25. Attamen quod habetis retinete donec venio.

26. Et vincens et cuſtodiens uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes.

27. Et reget eas virga ferrea, tanquam vaſa fictilia confringentur; ſicut et Ego accepi a Patre meo.

28. Et dabo illi ſtellam matutinam.

29. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis.

◆ ◆ ◆

92. IN præcedentibus dictum eſt, quid per ſeptem Eccleſias et per Angelos earum intelligitur, quod nempe per ſeptem Eccleſias omnes qui in veris ex bono ſunt, et per ſeptem Angelos omnes qui illis correſpondent in Cœlo, videatur n. 20 et 90; et quia Cœlum et Eccleſia per correſpondentiam unum faciunt, ideo dicitur in ſequentibus, *ſcribe Angelo Eccleſiæ*, et non ſcribe Eccleſiæ: cauſa quod ita dicatur, etiam eſt, quia correſpondentia erit, ut Eccleſia ſit Eccleſia apud hominem, ſi non correſpondentia eſſet, non foret communicatio Cœli, ita non Cœlum apud illum, et ſi non Cœlum nec foret Eccleſia apud illum, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 241 ad 248. Quid Correſpondentia hominis Eccleſiæ cum Cœlo, non paucis dici poteſt, ſed qui vult inſtrui poteſt quid ſit ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 87 ad 115, et 291 ad 310, dicta et oſtenſa ſunt: in ſumma, eſt Correſpondentia quando homo ſpiritualis factus eſt, et homo ſpiritualis fit, quando agnoſcit Divinum, et in ſpecie Dominum, et amat vivere ſecundum præcepta in Verbo, nam cum hoc facit, conjungitur Cœlo, et tunc correſpondet ſpirituale cum naturali quod apud illum. Sed ſcio, quod hæc pluribus videantur captum eorum excedere, verum cauſa eſt, quia non eſt jucundum amoris illorum illa ſcire; ſi id foret jucundum amoris eorum, non ſolum illa clare perciperent, ſed etiam multo plura deſiderarent ſcire, hoc enim deſiderat homo quod amat, et quod amat hoc jucundum ejus eſt; quicquid etiam amatur, hoc intrat cum gaudio et ſimul cum luce in mentis ideam.

93. Scribitur hic primum ad Angelum Eccleſiæ Epheſinæ, et *per Angelum illius Eccleſiæ intelliguntur omnes illi in Eccleſia qui in cognitionibus veri et boni ſunt, ita in cognitionibus talium quæ Cœli et Eccleſiæ, et tamen non aut nondum in vita ſecundum illas;* per cognitiones has intelliguntur imprimis doctrinalia; aſt ſola doctrinalia ſeu ſolæ cognitiones veri et boni non faciunt hominem ſpiritualem, ſed vita ſecundum illa; doctrinalia enim ſeu cognitiones abſque vita ſecundum illa, reſident modo in memoria et inde in cogitatione, et omnia quæ ibi ſolum reſident, in naturali ejus homine reſident; quapropter homo non prius fit ſpi-

ritualis, quam cum illa intrant vitam, et tunc intrant vitam quando homo vult illa quæ cogitat, et inde facit illa: quod ita ſit, quiſque ſolum ex eo ſcire poteſt, quod ſi quis novit omnes Leges vitæ moralis et civilis, et non vivit ſecundum illas, uſque non ſit moralis et civilis homo; loqui quidem poteſt de illis ſcientius quam alii, ſed uſque rejicitur: ſimile etiam eſt, ſi quis decem præcepta decalogi ſciat uſque ut poſſit explicare et intelligenter prædicare illa, et tamen non vivit ſecundum illa. De illis itaque intra Eccleſiam qui in cognitionibus talium quæ Eccleſiæ ſunt, hoc eſt, qui in cognitionibus veri et boni ex Verbo ſunt, et non aut nondum in vita ſecundum illa, agitur hic primum, et illi deſcribuntur per ea quæ ſcripta ſunt ad Angelum Eccleſiæ Epheſinæ.

EXPLICATIO.

94. Verſ. 1 ad 7. *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua, ambulans in medio ſeptem Candelabrorum aureorum. Novi opera tua, et laborem tuum, et tolerantiam tuam, et quod non poſſis ferre malos, et exploraveris dicentes ſe eſſe Apoſtolos, et non ſunt, et inveneris eos mendaces. Et ſuſtinuiſti, et tolerantiam habes, et propter Nomen meum laboraſti, et non defeciſti. Sed habeo adverſus te, quod charitatem tuam primam reliqueris. Memor eſto itaque unde excideris, et reſipiſce, et prima opera fac; ſin minus, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco ſuo, ſi non reſipueris. Sed hoc habes, quod odiſti opera Nicolaitarum, quæ et Ego odi. Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis; vincenti dabo illi edere de arbore vitæ, quæ eſt in medio paradiſi Dei.* Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe, ſignificat ad recordationem illis qui intra Eccleſiam in cognitionibus veri et boni ex Verbo ſunt: hæc dicit tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua, ſignificat a Quo omnes cognitiones boni et veri ſunt: ambulans in medio ſeptem Candelabrorum aureorum, ſignificat a Quo vita omnibus in novo Cœlo et nova Eccleſia: novi opera tua, et laborem tuum, et tolerantiam tuam, ſignificat omnia quæ cogitant, volunt, et faciunt, ita omnia amoris et fidei in ſpirituali et naturali homine: et exploraveris dicentes ſe eſſe apoſtolos, et non ſunt, ac inveneris eos mendaces, ſignificat etiam falſa quantum poſſunt ſcrutari: et ſuſtinuiſti, et tolerantiam habes, ſignificat reſiſtentiam contra illos qui impugnant vera fidei, et aſſiduitatem inſtruendi: propter Nomen meum laboraſti, ſignificat agnitionem Domini et cognitionum veri quæ ſpectant Ipſum: et non defeciſti, ſignificat quouſque potuerunt: ſed habeo adverſus te, quod charitatem tuam primam reliqueris, ſignificat quod non vitam, qualis

illis qui in inchoante Eccleſia, eſſentiale cognitionum faciant: memor eſto itaque unde excideris, et reſipiſce, et prima opera fac, ſignificat recordationem priorum, et inde quod deviaverint a Vero, ac ut in animum veniat bonum vitæ inchoantis Eccleſiæ: ſin minus, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum e loco ſuo, ſi non reſipueris, ſignificat ſi non, quod certum ſit non dari cœlum: ſed habes, quod odiſti opera Nicolaitarum, quæ et Ego odi, ſignificat averſationem a Divino pro illis qui ſe parant bonum a vero, ſeu charitatem a fide, ex quo non vita: habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet, et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt: vincenti dabo edere de arbore vitæ, ſignificat qui corde recipit, implebitur bono amoris et inde gaudio cœleſti: quæ eſt in medio paradiſi Dei, ſignificat quod illuc ſpectent et inde procedant omnes cognitiones boni et veri in Cœlo et in Eccleſia.

95. Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe, quod ſignificet ad recordationem illis qui intra Eccleſiam in cognitionibus veri et boni ex Verbo ſunt, conſtat ex ſignificatione ſcribere, quod ſit ad recordationem, de qua n. 8620; quod ſit illis qui intra Eccleſiam qui in cognitionibus veri et boni ex Verbo ſunt, eſt quia illi ſunt qui per Angelum Epheſinæ Eccleſiæ intelliguntur; quod illi intelligantur, conſtat ex illis, quæ ad iſtius Eccleſiæ Angelum ſcripta ſunt; non aliunde ſciri poteſt, quid per cujuſvis Eccleſiæ Angelum intelligitur, quam ex ſenſu interno eorum quæ ſequuntur ſcripta: dicitur ex ſenſu interno, quia omnia, quæ in Apocalypſi, ſunt prophetica, et prophetica non explicabilia ſunt quam per ſenſum internum; quis non videt, qui legit Prophetas, quod arcana ibi ſint, quæ altius recondita ſunt, quam in ſenſu plano literæ, et quia arcana illa a ſolo naturali homine non poſſunt videri, quapropter illi, qui ſanctum habent Verbum, prætereunt illa quæ non intelligunt, dicentes quod inſit arcanum quod non ſciunt, et quod quidam vocant myſticum; quod hoc ſit ſpirituale Verbi, aliqui ſciunt, quia cogitant quod Verbum in ſuo ſinu ſpirituale eſt quia Divinum, ſed uſque hactenus ignotum fuit, quod id ſit ſenſus ejus ſpiritualis, et quod Verbum in hoc ſenſu intelligatur ab Angelis, ac quod per eum ſenſum ſit conjunctio cœli cum homine Eccleſiæ, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 303 ad 310. Quod illi qui in cognitionibus veri et boni *ex verbo* ſunt, intelligantur per Angelum Epheſinæ Eccleſiæ, eſt quia per cognitiones veri et boni intelliguntur doctrinalia Eccleſiæ, et hæc non aliunde poſſunt haberi quam ex Verbo. Cur dicitur, ad Angelum Eccleſiæ ſcribe, et non ad Eccleſiam, videatur ſupra n. 92.

96. Hæc dicit tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua, quod ſignificet a Quo omnes cognitiones boni et veri, conſtat ex ſignificatione ſeptem ſtellarum, quod ſint omnes cognitiones boni et veri, de qua ſupra n. 72; et ex ſignificatione dextræ, cum de Domino, quod ſit quod ab Ipſo, de qua etiam ſupra n. 72, 79; inde per hæc, tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua, ſignificatur, quod a Domino omnes cognitiones boni et veri. Quod

dicatur, quod ſic dicat tenens ſeptem ſtellas in dextra ſua et ambulans in medio candelabrorum aureorum, eſt quia per ſtellas ſignificantur cognitiones boni et veri, et per Candelabra aurea novum Cœlum et nova Eccleſia; præficitur ſic deſcriptioni cuivis Eccleſiæ Divinum characteriſticon, quod indicat de quo agitur, ut quoque deſcriptioni Eccleſiarum ſequentium, ut Verſ. 8, 12, 18. Cap. iii. 1, 7, 14; cauſa quod præſiciatur, eſt quia omne Eccleſiæ eſt a Domino; inde quoque patet, cur in Primo Capite Dominus quoad Divinum Humanum ſuum per repræſentativa, quæ viſa Johanni, deſcriptus eſt, quod nempe ut inde deſumeretur quod præficiendum eſſet deſcriptioni cujuſvis Eccleſiæ, in teſtimonium et memoriale, quod omne Eccleſiæ ſit a Domino, et quidem a Divino Humano Ipſius, ex Hoc enim procedit omne bonum amoris et verum fidei quæ faciunt Eccleſiam; quod immediate procedit ex Ipſo Divino Ipſius, hoc non pervenit ad hominem, quia Ipſum Divinum Ipſius eſt inviſibile, et inde non in cogitationem cadit, et quod non in cogitationem cadit, hoc nec in fidem, nam omne quod fidei eſt cogitabitur. Quod Filius hominis, Qui per Repræſentativa viſa Johanni in Primo Capite deſcriptus eſt, ſit Dominus quoad Divinum Humanum, et inde procedens Divinum Verum, videatur ſupra n. 63. Quod de cognitionibus veri et boni hic primum agatur, eſt quia illæ ſunt prima Eccleſiæ, nemo enim initiari poteſt in fidem et charitatem, quæ faciunt Eccleſiam, niſi per Cognitiones quæ ſunt Eccleſiæ ex Verbo, videatur appendix ex Arcanis Cœlestibus in Opere de Cœlo et Inferno poſt n. 356.

97. Ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum, quod ſignificet a Quo vita omnibus in novo Cœlo et in nova Eccleſia, conſtat ex ſignificatione ambulare, quod ſit vivere, et cum de Domino, quod ſit ipſa vita, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſeptem candelabrorum aureorum, quod ſint omnes in novo Cœlo et in nova Eccleſia, de qua ſupra n. 62: inde patet, quod Dominus viſus ſit in medio candelabrorum, fuerit quia medium ſignificat intimum, candelabra Cœlum et Eccleſiam, et ambulare vitam, et in medio eſſe, cum de Domino, ſignificat in omnibus circum circa eſſe; quare per id repræſentabatur quod omnis vita fidei et amoris in Cœlo et in Eccleſia ſit ab Ipſo, videatur ſupra n. 84: Quod medium ſit intimum et centrum a quo, in Arcanis Cœlestibus, n. 1704, 2940, 2973, 7777. Quod Dominus ſit Centrum commune, a Quo omnis directio et determinatio in Cœlo, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 123, 124. Quod propagatio lucis cœli, quæ eſt Divinum Verum procedens a Domino, ex quo intelligentia et ſapientia angelis, fiat quoque a medio in illos qui circum circa ſunt, ibidem n. 43, 50, 189. Quod ambulare ſignificet vivere, et cum de Domino, ipſam vitam, eſt ex apparentiis in Mundo ſpirituali, ibi omnes ambulant ſecundum ſuam vitam, mali non aliis viis quam quæ ducunt ad infernum, boni autem non aliis viis quam quæ ducunt ad Cœlum; quare cognoſcuntur ibi omnes ſpiritus ex viis quas ambulant; apparent etiam actualiter viæ, at

malis non niſi quam viæ ad infernum, ac bonis non niſi quam viæ ad Cœlum, inde eſt quod quiſque ad ſuam ſocietatem feratur; ex hoc eſt, quod ambulare ſignificet vivere: de his viis et de ambulationibus ſuper iis in Mundo ſpirituali videantur quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 195, 479, 534, 590, et in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 48, oſtenſa ſunt. Quod in Verbo Viæ ſignificent vera aut falſa, et quod ambulare ſignificet vivere, conſtare poteſt a pluribus locis ibi; hic modo aliqua confirmationis cauſa velim adducere: apud Eſajam, "*Jehovæ peccavimus, nec voluerunt in Viis Ipſius ambulare, neque audiverunt legem Ipſius,*" xlii. 24. Apud Moſen, "*Si cuſtodiveritis præcepta amando Jehovam Deum veſtrum, ambulando in omnibus viis Ipſius,*" Deut. xi. 22. Apud Eundem, "*Cuſtodies omne præceptum hoc ad faciendum illud, amando Jehovam Deum tuum, et ambulando in Viis Ipſius omnibus diebus,*" Deut. xix. 9. Cap. xxvi. 17. Apud Eundem, "*Dabo Habitaculum meum in medio eorum, et* AMBULABO IN MEDIO VESTRI, *et ero vobis in Deum,*" Levit. xxvi. 11, 12. Apud Eundem, "*Jehovah Deus tuus* AMBULANS IN MEDIO *caſtrorum veſtrorum, et ideo caſtra veſtra ſancta erunt,*" Deut. xxiii. 15. Apud Eſajam, "*Jehovah recordare, quod ambulaverim coram Te in veritate,*" xxxviii. 3. Apud Eundem, "*Intrans pacem, ambulans in rectitudine,*" lvii. 2. Apud Malachiam, "*In pace et in rectitudine ambulavit Mecum,*" ii. 6. Apud Davidem, "*Liberaſti pedes meos ab impulſione, ad ambulandum coram Deo in luce viventium,*" Pſalm. lvi. 14. Apud Johannem, "*Jeſus dixit, Ego ſum Lux mundi, qui ſequitur Me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lucem vitæ,*" viii. 12. Apud Eundem, "*Adhuc parum Lux vobiſcum eſt, ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant, et ambulans in tenebris neſcit quo vadit, dum Lucem habetis credite in Lucem,*" xii. 35, 36. Apud Marcum, "*Interrogant Phariſæi et Scribæ, quare Diſcipuli non ambulant ſecundam traditionem ſeniorum,*" vii. 5. Apud Moſen, "*Si ambulatis Mecum in adverſum, nec obediveritis voci meæ, ambulabo etiam Ego vobiſcum in adverſum,*" Levit. xxvi. 21, 23, 24, 27. Apud Eſajam, "*Populus hic ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam, habitantes in terra umbræ, lux effulſit ſuper eos,*" ix. 1. Apud Micham, "*Omnes populi ambulant in Nomine Dei ſui, et nos ambulabimus in Nomine Jehovæ Dei noſtri,*" iv. 5. Apud Eſajam, "*Qui inter vos timens Jehovæ, qui ambulat in tenebris, non ſplendor illi,*" l. 10: præter alibi pluries, ut Jerem. xxvi. 4. Ezech. v. 6. Cap. xx. 13, 16. Mich. iv. 5. Sachar. x. 12. Luc. i. 6. Ex his conſtare poteſt, quod per ambulare in ſpirituali ſenſu ſignificetur vivere; et quia ſignificat vivere, ideo, cum de Domino, ut hic, ſignificatur ipſa vita; eſt enim Dominus ipſa vita, et reliqui recipientes vitæ ab Ipſo, videatur ſupra n. 82, 84.

98. Novi opera tua, et laborem tuum, et tolerantiam tuam, quod ſignificet omnia quæ volunt, cogitant et faciunt, ita omnia amoris et fidei in ſpirituali et in naturali homine, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint quæ voluntatis et amoris, de qua ſequitur; ex ſignificatione laboris,

quod ſint quæ cogitationis et fidei, de qua etiam ſequitur; et ex ſignificatione tolerantiæ, quod ſint quæ inde fiunt ſeu quæ faciunt: ſed quod hæc ſignificentur per illa verba, ægre poteſt comprehendi, niſi ſciatur quod omnia quæ fiunt ab homine, fluant ex interioribus quæ mentis ejus ſunt, et quod mens ſit omne in omnibus quæ homo agit, et quod corpus ſit modo obedientia, per quod ſiſtitur in forma apparente coram oculis id quod mens vult et cogitat; inde eſt, quod per externa illa, quæ hic ſunt Opera, Labor et Tolerantia, ſignificentur velle, cogitare, et inde facere, vel quod eodem recidit, amare et credere et inde ſiſtere in actu. Sed uſque hæc non comprehenſibilia ſunt, niſi etiam ſciatur, quod homini ſint binæ facultates, quæ vocantur Voluntas et Intellectus, et quod binæ illæ facultates dicantur una voce Mens; tum quod homini Internum et Externum ſint, Internum in luce Mundi ſpiritualis, Externum in luce Mundi naturalis; de his et illis actum eſt in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, de Voluntate et Intellectu, n. 28 ad 36; et de Interno et Externo homine, n. 36 ad 52. His intellectis ſciri poteſt, quod per Opera in ſpirituali ſenſu intelligatur omne id quod homo vult et amat, et per laborem omne id quod homo cogitat aut credit, et per tolerantiam omne id quod homo inde facit. Sed tranſeamus ab his, quia fortaſſis ignotiora ſunt et inde obſcuriora, quam ut clare percipiantur, ad id ſolum, quod per Opera in ſpirituali ſenſu intelligantur omnia illa quæ ſunt voluntatis ſeu amoris hominis; et hoc ideo, quia in ſequentibus, ubi agitur de ſeptem Eccleſiis, ubivis primum dicitur, *Novi Opera tua;* ut Verſ. 8, 9, *Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe, hæc dicit Primus et Ultimus, novi* OPERA *tua, et afflictionem et paupertatem.* Verſ. 12, 13, *Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit habens romphæam, novi* OPERA *tua et ubi habitas.* Verſ. 18, 19, *Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Filius Dei, novi tua* OPERA *et charitatem.* Cap. iii. Verſ. 1, *Angelo Eccleſiæ in Sardibus ſcribe, hæc dicit habens ſeptem Spiritus Dei, novi* OPERA *tua quod dicaris vivere.* Verſ. 7, 8, *Angelo Philadelphienſis Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Sanctus et Verus, novi* OPERA *tua.* Et Verſ. 14, 15, *Angelo Laodicenſis Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, novi* OPERA *tua.* Quia ubivis ibi dicitur *novi Opera,* patet quod per Opera ſignificentur in genere omnia quæ ſunt Eccleſiæ, et quia omnia Eccleſiæ ſe referunt ad Amorem et Fidem, ideo illa per Opera in ſpirituali ſenſu intelliguntur: quod illa per Opera in ſpirituali ſenſu intelligantur, eſt quia omne Opus ſeu omne Factum ſeu omnis Actus, quæ ad apparentiam fiunt ex corpore, non fiant ex corpore ſed per corpus ex voluntate et cogitatione hominis, non enim movet ſe particula corporis niſi ex illis, inde eſt quod per Opera ſignificentur illa, non autem quæ apparent in externa forma: quod ita ſit, etiam quiſque novit qui reflectit; quiſnam, qui ſapit, aſpicit hominem ex ſolis factis, nonne ex voluntate ejus, ſi bene vult amat facta ejus, ſi autem male vult non amat facta ejus, videt etiam hæc, et explicat ea ſecundum intentionem ejus voluntatis; qui ſpiritualis eſt, adhuc minus attendit ad facta, et explorat voluntatem, cauſa eſt, ut dictum, quia facta nihil ſunt in ſe, ſed omne eorum ex voluntate, ſunt enim facta voluntas in actu. Dicitur voluntas, ſed in ſenſu ſpirituali intelligitur amor, quoniam homo id vult quod amat, et quod amat id vult, voluntas hominis eſt modo receptaculum amoris ejus, videatur quæ in Doctrina Novæ Hierosolymæ de illa facultate hominis, n. 28 ad 36, dicta et oſtenſa ſunt; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 358, 470 ad 484. Quia Opera ſeu facta in Verbo ſignificant in ſpecie illa quæ ex hominis voluntate ſeu amore procedunt, ideo ſæpius in Verbo dicitur, quod homo ſecundum Opera judicabitur et ei retribuetur, ac intelligitur quod non ſecundum Opera in externa forma ſed in interna; ut in ſequentibus locis, "*Venturus eſt Filius hominis in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, et tunc reddet unicuique ſecundum Opera ejus,*" Matth. xvi. 27. "*Beati mortui, qui in Domino moriuntur, imo dicit ſpiritus, ut requieſcant ex laboribus ſuis, Opera eorum ſequuntur illos,*" Apoc. xiv. 13. "*Ego dabo unicuique veſtrum ſecundum Opera ſua,*" Apoc. ii. 23. "*Vidi mortuos parvos et magnos ſtantes coram Deo, et libri aperti ſunt, et judicati ſunt mortui juxta ea quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum Opera illorum; dedit mare illos qui in eo mortui ſunt, ac mors et infernus dedit illos qui in iis, et judicati ſunt quilibet ſecundum Opera illorum,*" Apoc. xx. 13, 15. "*Ecce venio, et merces mea Mecum, ut dem unicuivis ſecundum Opera ejus,*" Apoc. xxii. 12. Apud Jeremiam, "*Retribuam illis juxta Opus illorum, et juxta Factum manuum illorum,*" xxv. 14. "*Jehovah, Cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias hominum, ad dandum cuivis ſecundum Vias ejus et ſecundum fructum Operum ejus,*" Jerem. xxxii. 19. "*Viſitabo ſuper vias ejus, et Opera ejus retribuam illi,*" Hoſch. iv. 9. "*Jehovah juxta vias noſtras, et juxta Opera noſtra facit nobiſcum,*" Sachar. i. 6: ubi Dominus de Ultimo Judicio prædicit, non niſi quam Opera recenſet, et quod intrabunt in vitam æternam qui bona Opera fecerunt, et in damnationem qui mala Opera, Matth. xxv. 32 ad 46. Quod opera ſignificent illa quæ ſunt amoris et fidei, etiam manifeſtat Dominus his verbis, "*Dixerunt ad Jeſum, quid faciemus ut Operemur Opera Dei, reſpondit, hoc eſt Opus Dei, ut credatis in Ipſum Quem miſit Pater,*" Joh. vi. 28, 29. Et alibi, "*Veniet nox quando nemo poteſt Operari,*" Joh. ix. 4; nox ſignificat ultimum tempus Eccleſiæ, quando nulla fides quia nulla charitas; quod nox id tempus ſignificet, videatur n. 2353, 6000. Quod Opera toties dicantur, eſt quia ſenſus literæ Verbi unice conſiſtit ab externis quæ in natura ſunt et apparent coram oculis; et hoc ob cauſam, ut ſenſus ſpiritualis ſingulis inſit ſicut anima corpori, nam alioquin non foret Verbum communicativum cum Angelis, foret enim ſicut domus abſque fundamento, videatur ſupra n. 8, 16: inde quoque eſt, quod, cum Opera nominantur, ab Angelis, quia ſpirituales ſunt, non intelligantur opera, ſed illa ex quibus opera, quæ ſunt, ut ſupra dictum, voluntas ſeu amor, et indè cogitatio quæ fidei: ſed hanc rem in clariore luce expoſitam videas in Opere de Cœlo et Inferno, n. 470 ad 483, ubi oſtenditur, quod homo ſit poſt mortem qualis ejus vita fuit in mundo. Quod per Laborem in ſenſu ſpirituali intelligantur omnia quæ homo cogitat, eſt quia ſpiritualiter laborare eſt cogitare: et quod per Tolerantiam ſignificentur omnia quæ homo facit, eſt quia tolerare hic eſt aſſiduus eſſe, ac removere obſtantia quæ in naturali homine, quæ continue aſſurgunt et remorantur.

99. Et quod non poſſis ferre malos, quod ſignificet quod rejiciant mala, conſtat ex ſignificatione non poſſe ferre, quod ſit rejicere, nam quod homo non poteſt ferre, hoc rejicit. Quod mali ſignificent mala, eſt quia Angeli cogitant abſtracte a perſonis, et inde cum in ſenſu literæ Verbi dicuntur mali, cogitant mala; per malos enim intelliguntur homines qui mali, ita perſonæ: quod talis cogitatio Angelorum ſit, eſt quia in ſapientia cœleſti ſunt, et ea ſapientia extenſionem habet in univerſum Cœlum, quare ſi cogitarent determinate ad perſonas, periret illa extenſio, et cum ea quoque Sapientia eorum: in hoc differt ſpirituale a naturali: inde nunc eſt, quod per malos ſignificentur mala. De ſapientia Angelorum quod extenſa ſit in univerſum Cœlum per id quod cogitent abſtracte a ſpatio, tempore et materiali, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 169, 191, ad 199, 265 ad 275; et quod abſtracte a perſonis, in Arcanis Cœlestibus, n. 8343, 8985, 9007.

100. Et exploraveris dicentes ſe eſſe Apoſtolos, et non ſunt, ac inveneris eos mendaces, quod ſignificet etiam falſa quantum poſſunt ſcrutari, conſtat ex ſignificatione explorare, quod ſit indagare et ſcrutari; ex ſignificatione Apoſtolorum, quod ſint qui docent vera Eccleſiæ, et abſtracte a perſonis ipſa vera quæ docentur, de qua ſequitur; et ex ſignificatione non eſſe, et inveniri mendaces, quod ſint non vera ſed falſa, mendacium enim et mendax ſignificat falſum, n. 8908, 9248; ex his et præcedentibus conſtare poteſt, quod per novi quod non poſſis ferre malos, et exploraveris dicentes ſe Apoſtolos et non ſunt, ac inveneris eos mendaces, ſignificetur quod rejiciant mala et quoque falſa quantum poſſunt ſcrutari; agitur enim in iis quæ ſcripta ſunt ad hanc Eccleſiam de illis qui in cognitionibus veri et boni ſunt, ita in cognitionibus talium quæ Cœli et Eccleſiæ, videatur ſupra n. 93, ideo de illis hic primum dicitur, quod rejiciant mala, et quantum ſcrutari poſſunt etiam falſa, nam intereſt illis qui in cognitionibus ſanctorum Eccleſiæ ſunt, primum in genere ſcire quid bonum et verum, et quoque quid malum et falſum, nam ſuper cognitione illorum fundantur omnes cognitiones reliquæ; idcirco etiam in Doctrina Novæ Hierosolymæ omnium primo actum eſt de Bono et Vero, n. 11 ad 27, ex quibus etiam patet, quid Malum et Falſum. Quod per Apoſtolos ſignificentur illi qui docent vera Eccleſiæ, eſt quia Apoſtoli dicti ſunt ab eo quod miſſi ſint ad docendum et evangelizandum de Domino et de appropinquatione Regni Dei per Ipſum, ita vera Eccleſiæ, per quæ cognoſcitur Dominus et appropinquatur Regnum Dei; Regnum Dei in terris eſt Eccleſia: exinde conſtare poteſt quid per Apoſtolos in ſenſu ſpirituali Verbi intelligitur, quod nempe non duodecim Apoſtoli qui miſſi a Domino ad do-

cendum de Ipſo et de Regno Ipſius, ſed omnes illi qui in Veris Eccleſiæ ſunt, et abſtracte a perſonis ipſa vera: in Verbo enim ſolenne eſt de Perſonis loqui, at qui in ſenſu ſpirituali ejus ſunt, ut ſunt Angeli, nihil perſonæ cogitant, ſed abſtracte ab illis, proinde ſolum de rebus; cauſa etiam eſt, quia materiale eſt cogitare de perſonis, at ſpirituale cogitare abſque idea perſonæ; ſic etiam ubi nominantur in Verbo Diſcipuli, ubi Prophetæ, ubi Sacerdotes, ubi Reges, ubi Judæi, ubi Iſrael, ubi Habitatores Zionis et Hieroſolymæ, et ſic porro; ipſa etiam Nomina perſonarum et locorum vertuntur in res apud Angelos, videatur n. 768, 1224, 1264, 1876, 1888, 4310, 4442, 5225, 5905, 6516, 10216, 10282, 10329, 10432; et quod Angeli cogitent abſtracte a perſonis, n. 8343, 8985, 9007. Quod Diſcipuli Domini dicti ſunt Apoſtoli ex eo quod miſſi ſint ad docendum de Ipſo et de Regno Ipſius, patet apud Lucam, "*Jeſus miſit duodecim Diſcipulos ſuos prædicare Regnum Dei; et reverſi Apoſtoli narraverunt Ipſi quæcunque fecerunt; et Jeſus loquebatur illis de Regno Dei,*" ix. 1, 2, 10, 11: Apud Eundem, "*Cum factus eſt dies, Jeſus vocavit Diſcipulos ſuos, et eligens ex illis duodecim, quos et Apoſtolos nominavit,*" vi. 13: Apud Eundem, "*Mittam ad illos Prophetas et Apoſtolos, et ex illis occident et perſequentur,*" xi. 49. Prophetæ et Apoſtoli dicuntur, quia per Prophetas æque ac per Apoſtolos intelliguntur qui miſſi ſunt ad docendum vera, ſed per Prophetas illi qui in Veteri Teſtamento, et per Apoſtolos illi qui in Novo: quod Prophetæ in Verbo ſignificent docentes vera, et abſtracte a perſonis ipſa vera, videatur n. 2534. Quia duodecim Apoſtoli ſignificant ipſa vera Eccleſiæ, ideo dicitur in Apocalypſi, "*Murus Novæ Hieroſolymæ habens fundamenta duodecim, et in illis Nomina duodecim Apoſtolorum Agni,*" xxi. 14; quod per novam Hieroſolymam intelligatur Eccleſia quoad doctrinam, videatur in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n. 6: quod per Murum ejus ſignificentur vera doctrinæ tutantia, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 6419: quod per Fundamenta muri cognitiones veri ſuper quibus doctrina fundatur, n. 9642: quod per Duodecim omnia vera in complexu, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913; inde patet, cur dicitur quod in fundamentis muri Nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

101. Et ſuſtinuiſti et tolerantiam habes, quod ſignificet reſiſtentiam contra illos qui impugnant vera fidei, et aſſiduitatem inſtruendi, conſtat ex ſignificatione ſuſtinere, cum de illis qui in cognitionibus veri et boni ſunt, quod ſit reſiſtentia contra illos qui impugnant vera fidei, nam qui in cognitionibus ſunt, defendunt illa, et reſiſtunt illis qui contra illa ſunt; et ex ſignificatione tolerantiam ſeu patientiam habere, quod ſit aſſiduitas inſtruendi.

102. Propter Nomen meum laboraſti, quod ſit agnitionem Domini et cognitionum veri quæ ſpectant Ipſum, conſtat ex ſignificatione Nominis Jehovæ ſeu Domini, quod in ſupremo ſenſu ſit Divinum Humanum Ipſius, de qua n. 2628, 6887; et in ſenſu reſpectivo omnia amoris et fidei per

quæ colitur Dominus, quia hæc ſunt Divina quæ a Divino Humano Ipſius procedunt, n. 2724, 3006, 6674, 9310; et ex ſignificatione laborare, quod ſit incumbere animo et ſtudio, ut ea ſciantur et agnoſcantur; id enim ſignificat laborare, cum dicitur de illis, qui cognitionibus veri et boni ſtudent: ex his ſequitur, quod per propter Nomen meum laboraſti, ſignificetur agnitio Domini et cognitionum quæ ſpectant Ipſum; cognitiones quæ ſpectant Ipſum, ſunt omnia quæ amoris et fidei. Multis in locis in Verbo dicitur propter Nomen Jehovæ, propter Nomen Domini, propter Nomen Jeſu Chriſti, quod ſanctificandum Nomen Dei, et ſimilia: illi qui non ultra ſenſum literæ cogitant, opinantur quod ſolum Nomen intelligatur; ſed non intelligitur Nomen, verum omne id per quod Dominus colitur, quod omne ſe refert ad amorem et fidem; inde per Nomen Domini in Verbo intelliguntur omnia amoris et fidei, per quæ colitur; hic vero agnitio Domini et cognitionum veri quæ ſpectant Ipſum, quia hoc dicitur ad illos qui modo ſtudent cognitionibus. Quod per Nomen Jehovæ ſeu Domini non intelligatur ipſum Nomen, ſed omnia amoris et fidei, ducit cauſam ex ſpirituali mundo; ibi nomina quæ in terris, non enuntiantur, ſed nomina perſonarum, de quibus loquuntur, formantur ex idea omnium quæ ſciuntur de illis, quæ in unam vocem compinguntur; talis eſt enuntiatio nominum in Mundo ſpirituali; unde eſt, quod etiam nomina ibi ſicut omnia reliqua ſint ſpiritualia: Nomen Dominus et Nomen Jeſus Chriſtus nec ibi enuntiantur ſicut in terris, ſed pro illis Nominibus Nomen formatur ex idea omnium quæ ſciuntur et creduntur de Ipſo, quæ idea eſt ex omnibus amoris et fidei in Ipſum, cauſa eſt, quia hæc in complexu ſunt Dominus apud illos; eſt enim Dominus apud unumquemvis in bonis amoris et fidei quæ ab Ipſo: quia ita eſt, unuſquiſque ibi ſtatim cognoſcitur qualis eſt quoad amorem et fidem in Dominum, modo enuntiat ſpirituali voce ſeu ſpirituali Nomine Dominum ſeu Jeſum Chriſtum: et inde quoque eſt, quod illi qui non in aliquo amore aut in aliqua fide in Ipſum ſunt, non poſſint nominare Ipſum, hoc eſt, formare aliquod Nomen ſpirituale de Ipſo: ex his nunc patet, unde eſt quod per Nomen Jehovæ, Domini aut Jeſu Chriſti in Verbo non intelligatur Nomen, ſed omne amoris et fidei per quod colitur. Ne itaque invaleat opinio, quæ apud plures regnat, quod ſolum Nomen Jeſus Chriſtus, abſque amore et fide in Ipſum, ita abſque cognitionibus per quas amor et fides, aliquid ad ſalutem faciat, velim aliqua loca e Verbo afferre, ubi propter Nomen Ipſius, et in Nomine Ipſius, dicitur, ex quibus illi, qui altius cogitant, videre poſſunt, quod non ſolum Nomen intelligatur; ut, "*Jeſus dixit, eritis exoſi omnibus propter Nomen meum,*" Matth. x. 22. Cap. xxiv. 9, 10. "*Ubi ſunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum,*" Matth. xviii. 20. "*Quotquot Ipſum receperunt, dedit illis poteſtatem, ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius,*" Joh. i. 12. "*Cum Jeſus erat Hieroſolymis, multi crediderunt in Nomen Ipſius,*" Joh. ii. 23. "*Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei,*" Joh. iii. 17, 18. "*Hæc ſcripta* *ſunt, ut credatis quod Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in Nomine Ipſius,*” Joh. xx. 31. “*Benedictus qui venit in Nomine Domini,*” Matth. xxi. 9. Cap. xxiii. 39. Luc. xiii. 35. Cap. xix. 38. “*Quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter Nomen Meum, centupla accipiet et vitam æternam,*” Matth. xix. 29. Quid hic ſignificatur per domos, fratres, ſorores, patrem, matrem, uxorem, liberos et agros, quæ relicturi propter Nomen Domini, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10490. “*Jeſus dixit, quodcunque petieritis in Nomine Meo, hoc faciam,*” Joh. xiv. 14, 15, 16; petere in Nomine Meo, eſt ex amore et fide. “*Multi venient in Nomine Meo, dicentes quod Ego ſim, ne ergo ite poſt eos,*” Luc. xxi. 8. Marc. xiii. 13; venire in Nomine Meo et dicere quod Ego ſim, eſt prædicare falſa et dicere eſſe vera, et ſic ſeducere. Simile ſignificatur per dicere ſe eſſe Chriſtum, et tamen non eſſe, apud Matthæum, “*Multi venient ſub Nomine meo, dicentes Ego ſum Chriſtus, et multos ſeducent,*” xxiv. 11, 23 ad 27; per Jeſum enim intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per Chriſtum Dominus quoad Divinum Verum, n. 3004, 3005, 3009, 5502, et per non Chriſtum Verum non Divinum ſed falſum. Simile quod per Nomen Domini intelligitur per Nomen Jehovæ in Veteri Teſtamento, quia Dominus ibi eſt Jehovah, ut apud Eſajam, “*Dicetis in die illo, confitemini Jehovæ, invocate Nomen Ipſius,*” xii. 4. Apud Eundem, “*Jehovah expectavimus Te, ad Nomen tuum et ad memoriam tuam deſiderium animæ noſtræ: per Te commemorabimus Nomen tuum,*” xxvi. 8, 13. Apud Eundem, “*Ab ortu ſolis invocabitur Nomen meum,*” xli. 25. Apud Malachiam, “*Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum Nomen meum inter gentes, et in omni loco ſuffitus allatus Nomini meo; nam magnum Nomen meum inter gentes,*” i. 11. Apud Eſajam, “*Omnem vocatum in Nomine meo, in gloriam meam creavi, formavi illum,*” xliii. 7. Apud Micham, “*Omnes populi ambulant in Nomine Dei ſui, et nos ambulabimus in Nomine Jehovæ Dei noſtri,*” iv. 5. Apud Moſen, “*Non feres Nomen Dei tui in vanum; non habebit Jehovah innocentem, qui tulerit Nomen Ipſius in vanum,*” Deut. v. 11. Apud Eundem, “*Separavit Jehovah Levitas, ut miniſtrarent et benedicerent in Nomine Jehovæ,*” Deut. x. 8. Apud Eundem, “*Colent Jehovam in uno loco, ubi ponet Nomen ſuum,*” Deut. xii. 5, 11, 13, 14, 18, 26. Cap. xvi. 2, 6, 11, 15, 16; ubi ponet Nomen ſuum eſt ubi erit cultus ex bono amoris et veris fidei; hoc factum eſt Hieroſolymæ, et ideo per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam et cultum, videatur in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n. 6. Quoniam per Nomen Jehovæ ſeu Domini in ſenſu ſpirituali omnis cultus ex bono amoris et veris fidei ſignificatur, ideo in ſupremo ſenſu per Nomen Jehovæ intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, ex cauſa quia ex Divino Humano Ipſius procedit omne amoris et fidei: quod Dominus in ſupremo ſenſu intelligatur per Nomen Jehovæ, patet apud Johannem, “*Jeſus dixit, Pater glorifica Nomen tuum, venit vox e cœlo dicens, et glorificavi et rurſus glorificabo,*”

glorificabo," xii. 28. Apud Eſajam, "*Dabo Te in fœdus populo, in lucem gentium; Ego Jehovah hoc Nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo,*" xlii. 6, 8; ibi de Domino Venturo. Apud Jeremiam, "*Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi Germen juſtum, qui regnabit Rex, et hoc Nomen Ipſius quo vocabunt Ipſum, Jehovah Juſtitia noſtra,*" xxiii. 5, 6. Inde patet, quid in Oratione Dominica intelligitur per "*Sanctificetur Nomen tuum,*" Matth. vi. 9; quod nempe Divinum Humanum Domini ſancte habendum, et colendum. Quia Nomen Domini illa ſignificat, conſtare poteſt quid intelligitur per ſequentia hæc; apud Johannem, "*Paſtor ovium proprias oves vocat Nomine ſuo,*" x. 3. Apud Lucam, "*Gaudete quod Nomina veſtra ſcripta ſint in Cœlo,*" x. 20. Et in Apocalypſi, "*Habeo pauca Nomina in Sardibus,*" iii. 4. Qui non ſcit quid Nomen ſignificat in Verbo, nequaquam ſcire poteſt, quomodo intelligenda ſunt hæc apud Matthæum, "*Quiſquis recipit prophetam in Nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipiet juſtum in Nomine juſti, mercedem juſti accipiet; et qui potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ ſolum in Nomine Diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam,*" x. 41, 42. Recipere prophetam in Nomine prophetæ, juſtum in Nomine juſti, et potum dare in Nomine diſcipuli, ſignificat amare verum propter verum, bonum propter bonum, et exercere charitatem ex fide veri; per prophetam enim ſignificatur verum, per juſtum ſignificatur bonum, et per diſcipulum ſignificatur bonum ex vero, et dare potum frigidæ eſt ex obedientia charitatem exercere, in Nomine eorum eſt propter quale illorum, ita propter illa; quis uſquam illa intellecturus eſſet, niſi ſciret quid ſignificat Nomen. Amare et facere verum propter verum, et bonum propter bonum, eſt affici vero et bono propter illa, et non propter ſui famam, honorem, et lucrum; illa affectio veri et boni, eſt affectio vere ſpiritualis, at affectio veri et boni propter ſui famam, honorem, et lucrum, eſt affectio mere naturalis; et quia illi qui amant verum et bonum propter verum et bonum, ſeu quia eſt verum et bonum, in ſpirituali affectione veri et boni ſunt, ideo dicitur quod mercedem prophetæ et juſti accipient, hoc eſt, quod in ſpirituali affectione veri et boni ſint, quæ affectio in ſe mercedem, quia cœlum, habet. Quod felicitas cœli ſit in affectione amandi et faciendi verum et bonum abſque fine mercedis, ita propter verum et bonum, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 6388, 6478, 9174, 9984. Quod Propheta ſignificet docentem verum, ita quoque abſtracte verum quod docetur, n. 2534, 7269. Quod Juſtum ſignificet bonum amoris in Dominum, n. 2235, 9857. Quod Diſcipulus ſignificet bonum ex vero, quod eſt bonum charitatis, n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397. Quod potum dare ſit inſtruere in bonis et veris fidei, ac ita charitatem exercere, n. 3069, 3772, 4017, 4018, 8652, 9412. Et quod Nomen ſignificet quale rei, n. 144, 145, 1754, 1896, 2009, 3237: inde Nomen Jehovæ ſeu Domini omne quale per quod colitur, n. 2724, 3006, 6674, 9310.

103. Et non defeciſti, quod ſignificet quouſque potuerunt, conſtat ex ſignificatione non deficere, cum de illis qui ſtudent cognitionibus veri et boni, quod ſit quantum poſſunt; agitur enim in nunc ſequentibus de vita

ſecundum illas, qui in vita ſecundum illas ſunt, illi ultra vadunt, et non deficiunt, ſed qui adhuc in ſolis cognitionibus ſunt, illi progrediuntur quouſque poſſunt, nec adhuc lucem vitæ habent, ex qua vigor.

104. Sed habeo adverſus te, quod charitatem tuam primam reliqueris, quod ſignificet quod non vitam, qualis illis qui in inchoante Eccleſia, eſſentiale cognitionum faciant, conſtat ex ſignificatione charitatis primæ, quod ſit vita ſecundum cognitiones boni et veri, qualis illis qui in inchoante Eccleſia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione relinquere charitatem illam, quod ſit eam non eſſentiale cognitionum facere; nam qui cognitionibus veri et boni ſtudent, et per eas ſalvari ſe credunt, illi faciunt cognitiones eſſentiale, et non vitam, cum tamen vita ſecundum cognitiones eſt eſſentiale. Sed quia in nunc ſequentibus de hoc eſſentiali Eccleſiæ et ſalutis agitur, plura de eo ibi dicentur. Quod charitas ſit vita, eſt quia omnis vita ſecundum præcepta Domini in Verbo vocatur Charitas, quapropter charitatem exercere eſt ſecundum præcepta illa vivere; quod ita ſit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, in Articulo de amore erga proximum ſeu charitate, n. 84 ad 106; et in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39. Vita inchoantis Eccleſiæ hic intelligitur per Charitatem primam, nam omnis Eccleſia incipit a Charitate, et deflectit ſucceſſive ab illa ad ſolam fidem, vel ad opera meritoria; de qua re, et de charitate, videantur quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt, nempe, Quod omnis Eccleſia inchoet a Charitate, ſed quod temporis tractu ab illa deflectat, n. 494, 501, 1327, 3773, 4649: Et ſic ad falſa ex malo et tandem ad mala, n. 1834, 1835, 2910, 4683, 4689: communiter ad ſolam fidem, n. 1834, 1835, 2231, 4683, 8094. Comparatio Eccleſiæ inchoantis et decreſcentis cum ortu et occaſu ſolis, n. 1837; et cum hominis infantia et ſenectute, n. 10134. Quod non prius Eccleſia ſit apud hominem, quam cum cognitiones veri et boni implantata ſunt vitæ, n. 3310. Quod Charitas faciat Eccleſiam, n. 809, 916, 1798, 1799, 1844, 1894. Quod internum Eccleſiæ ſit charitas, n. 4766, 5826. Quod una Eccleſia foret, et non plures ut hodie, ſi omnes ſpectarentur ex charitate, tametſi quoad doctrinalia fidei et quoad ritualia cultus differrent, n. 1286, 1316, 1798, 1799, 1834, 1844, 2385, 2982, 3267, 3451. Quod cultus Domini conſiſtat in vita charitatis, n. 8254, 8256. Quod quale cultus ſit ſecundum quale charitatis, n. 2190.

105. Memor eſto itaque unde excideris, et reſipiſce, et prima opera fac, quod ſignificet recordationem priorum, et inde quod deviaverint a vero, ac ut in animum veniat bonum vitæ inchoantis Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione memor eſſe, quod hic ſit recordatio priorum; ex ſignificatione unde excideris, quod ſit deviatio inde, ita deviatio a vero; ex ſignificatione reſipiſcere, quod ſit ut in animum veniat; et ex ſignificatione prima opera facere, quod ſit bonum vitæ inchoantis Eccleſiæ; quod opera ſint omnia illa vitæ quæ procedunt ex amore et fide, videatur n. 98; et quod prima opera, quæ ſunt charitatis, ſint quæ inchoantis Eccleſiæ, mox ſupra, n. 104. Quod vita ſecundum cognitiones ſit eſſentiale Eccleſiæ, et non cognitiones abſque vita ſecundum illas, conſtare poteſt unicuivis qui expendit; cognitiones enim, quamdiu non vivitur ſecundum

illas, reſident ſolum in memoria, et quamdiu ibi ſolum reſident, non afficiunt interiora hominis, nam memoria homini data eſt, ut ſit receptaculum, a quo deſumantur quae inſervitura ſunt vitæ, et tunc inſerviunt vitæ quando homo vult illa et facit illa; totus ſpiritus hominis non eſt niſi quam ſua voluntas, quapropter homo, cum ſit ſpiritus, non poteſt reſiſtere alicui rei quæ eſt contra voluntatem ejus, totus enim nititur in id: quod ita ſit, notiſſimum eſt in mundo ſpirituali, et quoque vidi exploratum aliquoties, num ſpiritus poſſit facere contra ſuam voluntatem, ex qua ille eſt, et compertum quod non poſſet: inde patuit, quod hominis voluntas ſit quæ format ſpiritum ejus, et quod ſpiritus hominis, poſtquam reliquit corpus, ſit ſua voluntas. Sive dicas voluntatem, ſive amorem, idem eſt, nam quod homo amat hoc vult, quare etiam ſive dicas quod ſpiritus hominis non reſiſtere poſſit ſuæ voluntati, ſeu dicere quod non poſſit reſiſtere ſuo amori, idem eſt. Cognitiones veri et boni, antequam intrant voluntatem ſeu amorem hominis, nihil prorſus faciunt ad ſalutem ejus, ex cauſa quia non intra hominem ſunt, ſed extra illum; at uſque cognitiones ſunt neceſſariæ, quoniam abſque illis homo nihil ſcire poteſt de vita ſpirituali, et qui nihil ſcit de illa, nec fieri poteſt ſpiritualis; quod enim homo ſcit, hoc poteſt cogitare, poteſt velle, et poteſt facere, non autem quod non ſcit; ſed uſque ſi non altius intrant quam in memoriam et inde cogitationem, non afficiunt illum, proinde non ſalvant. Creditur a pluribus hodie in mundo, imprimis ab illis qui ſolam fidem eſſentiale Eccleſiæ faciunt, quod ſcire doctrinalia, et ex ſcientia credere quod vera ſint, ſalvet hominem utcunque vivit; ſed aſſeverare poſſum, quod nemo per illa ſola ſalvetur; vidi plures, etiam doctiſſimos, in infernum conjectos; at viciſſim illos, qui vixerunt ſecundum cognitiones veri et boni ex Verbo, elevatos in cœlum: inde patet, quod cognitiones nihil faciant, ſed vita ſecundum illas, et quod cognitiones modo doceant quomodo vivendum eſt. Vivere ſecundum cognitiones veri et boni, eſt cogitare quod ita non aliter faciendum ſit, quia præceptum eſt a Domino in Verbo; cum homo inde cogitat, et inde vult et facit, tunc ſit ille ſpiritualis; ſed oportet illos, qui intra Eccleſiam ſunt, credere in Dominum, et cum cogitant de Ipſo, cogitare de Divino Ipſius in Humano, quoniam ex Divino Humano Ipſius procedit omne charitatis et fidei.

106. Sin minus, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum e loco ſuo, ſi non reſipueris, quod ſignificet ſi non, quod certum ſit non dari cœlum, conſtat ex ſignificatione venire cito, quod ſit pro certo, quod cito ſit certum, videatur ſupra, n. 7; ex ſignificatione Candelabri, quod ſit Eccleſia et Cœlum, de qua etiam ſupra, n. 62; inde removere candelabrum e loco ſuo, eſt ſeparare ab Eccleſia et Cœlo, ſeu non dari illis cœlum. Quod illis, qui in ſolis cognitionibus ſunt, et non in vita ſecundum illas, non ſit cœlum, videatur ſupra, n. 104.

107. Sed habes quod odiſti opera Nicolaitarum, quod et Ego odi, quod ſignificet averſationem a Divino pro illis qui ſeparant bonum a vero ſeu charitatem a fide, e quo non vita, conſtat ex ſignificatione habes quod odiſti, quod ſit averſatio, quod ſit averſatio a Divino, eſt quia dicitur quod

ſecundum illas, qui in vita ſecundum illas ſunt, illi ultra vadunt, et non deficiunt, ſed qui adhuc in ſolis cognitionibus ſunt, illi progrediuntur quouſque poſſunt, nec adhuc lucem vitæ habent, ex qua vigor.

104. Sed habeo adverſus te, quod charitatem tuam primam reliqueris, quod ſignificet quod non vitam, qualis illis qui in inchoante Eccleſia, eſſentiale cognitionum faciant, conſtat ex ſignificatione charitatis primæ, quod ſit vita ſecundum cognitiones boni et veri, qualis illis qui in inchoante Eccleſia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione relinquere charitatem illam, quod ſit eam non eſſentiale cognitionum facere; nam qui cognitionibus veri et boni ſtudent, et per eas ſalvari ſe credunt, illi faciunt cognitiones eſſentiale, et non vitam, cum tamen vita ſecundum cognitiones eſt eſſentiale. Sed quia in nunc ſequentibus de hoc eſſentiali Eccleſiæ et ſalutis agitur, plura de eo ibi dicentur. Quod charitas ſit vita, eſt quia omnis vita ſecundum præcepta Domini in Verbo vocatur Charitas, quapropter charitatem exercere eſt ſecundum præcepta illa vivere; quod ita ſit, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, in Articulo de amore erga proximum ſeu charitate, n. 84 ad 106; et in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39. Vita inchoantis Eccleſiæ hic intelligitur per Charitatem primam, nam omnis Eccleſia incipit a Charitate, et deflectit ſucceſſive ab illa ad ſolam fidem, vel ad opera meritoria; de qua re, et de charitate, videantur quæ in Arcanis Cœlestibus oſtenſa ſunt, nempe, Quod omnis Eccleſia inchoet a Charitate, ſed quod temporis tractu ab illa deflectat, n. 494, 501, 1327, 3773, 4649: Et ſic ad falſa ex malo et tandem ad mala, n. 1834, 1835, 2910, 4683, 4689: communiter ad ſolam fidem, n. 1834, 1835, 2231, 4683, 8094. Comparatio Eccleſiæ inchoantis et decreſcentis cum ortu et occaſu ſolis, n. 1837; et cum hominis infantia et ſenectute, n. 10134. Quod non prius Eccleſia ſit apud hominem, quam cum cognitiones veri et boni implantata ſunt vitæ, n. 3310. Quod Charitas faciat Eccleſiam, n. 809, 916, 1798, 1799, 1844, 1894. Quod internum Eccleſiæ ſit charitas, n. 4766, 5826. Quod una Eccleſia foret, et non plures ut hodie, ſi omnes ſpectarentur ex charitate, tametſi quoad doctrinalia fidei et quoad ritualia cultus differrent, n. 1286, 1316, 1798, 1799, 1834, 1844, 2385, 2982, 3267, 3451. Quod cultus Domini conſiſtat in vita charitatis, n. 8254, 8256. Quod quale cultus ſit ſecundum quale charitatis, n. 2190.

105. Memor eſto itaque unde excideris, et reſipiſce, et prima opera fac, quod ſignificet recordationem priorum, et inde quod deviaverint a vero, ac ut in animum veniat bonum vitæ inchoantis Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione memor eſſe, quod hic ſit recordatio priorum; ex ſignificatione unde excideris, quod ſit deviatio inde, ita deviatio a vero; ex ſignificatione reſipiſcere, quod ſit ut in animum veniat; et ex ſignificatione prima opera facere, quod ſit bonum vitæ inchoantis Eccleſiæ; quod opera ſint omnia illa vitæ quæ procedunt ex amore et fide, videatur n. 98; et quod prima opera, quæ ſunt charitatis, ſint quæ inchoantis Eccleſiæ, mox ſupra, n. 104. Quod vita ſecundum cognitiones ſit eſſentiale Eccleſiæ, et non cognitiones abſque vita ſecundum illas, conſtare poteſt unicuivis qui expendit; cognitiones enim, quamdiu non vivitur ſecundum

illas, reſident ſolum in memoria, et quamdiu ibi ſolum reſident, non afficiunt interiora hominis, nam memoria homini data eſt, ut ſit receptaculum, a quo deſumantur quæ inſervitura ſunt vitæ, et tunc inſerviunt vitæ quando homo vult illa et facit illa: totus ſpiritus hominis non eſt niſi quam ſua voluntas, quapropter homo, cum ſit ſpiritus, non poteſt reſiſtere alicui rei quæ eſt contra voluntatem ejus, totus enim nititur in id: quod ita ſit, notiſſimum eſt in mundo ſpirituali, et quoque vidi exploratum aliquoties, num ſpiritus poſſit facere contra ſuam voluntatem, ex qua ille eſt, et compertum quod non poſſet: inde patuit, quod hominis voluntas ſit quæ format ſpiritum ejus, et quod ſpiritus hominis, poſtquam reliquit corpus, ſit ſua voluntas. Sive dicas voluntatem, ſive amorem, idem eſt, nam quod homo amat hoc vult, quare etiam ſive dicas quod ſpiritus hominis non reſiſtere poſſit ſuæ voluntati, ſeu dicere quod non poſſit reſiſtere ſuo amori, idem eſt. Cognitiones veri et boni, antequam intrant voluntatem ſeu amorem hominis, nihil prorſus faciunt ad ſalutem ejus, ex cauſa quia non intra hominem ſunt, ſed extra illum; at uſque cognitiones ſunt neceſſariæ, quoniam abſque illis homo nihil ſcire poteſt de vita ſpirituali, et qui nihil ſcit de illa, nec fieri poteſt ſpiritualis; quod enim homo ſcit, hoc poteſt cogitare, poteſt velle, et poteſt facere, non autem quod non ſcit; ſed uſque ſi non altius intrant quam in memoriam et inde cogitationem, non afficiunt illum, proinde non ſalvant. Creditur a pluribus hodie in mundo, imprimis ab illis qui ſolam fidem eſſentiale Eccleſiæ faciunt, quod ſcire doctrinalia, et ex ſcientia credere quod vera ſint, ſalvet hominem utcunque vivit; ſed aſſeverare poſſum, quod nemo per illa ſola ſalvetur; vidi plures, etiam doctiſſimos, in infernum conjectos; at viciſſim illos, qui vixerunt ſecundum cognitiones veri et boni ex Verbo, elevatos in cœlum: inde patet, quod cognitiones nihil faciant, ſed vita ſecundum illas, et quod cognitiones modo doceant quomodo vivendum eſt. Vivere ſecundum cognitiones veri et boni, eſt cogitare quod ita non aliter faciendum ſit, quia præceptum eſt a Domino in Verbo; cum homo inde cogitat, et inde vult et facit, tunc fit ille ſpiritualis; ſed oportet illos, qui intra Eccleſiam ſunt, credere in Dominum, et cum cogitant de Ipſo, cogitare de Divino Ipſius in Humano, quoniam ex Divino Humano Ipſius procedit omne charitatis et fidei.

106. Sin minus, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum e loco ſuo, ſi non reſipueris, quod ſignificet ſi non, quod certum ſit non dari cœlum, conſtat ex ſignificatione venire cito, quod ſit pro certo, quod cito ſit certum, videatur ſupra, n. 7; ex ſignificatione Candelabri, quod ſit Eccleſia et Cœlum, de qua etiam ſupra, n. 62; inde removere candelabrum e loco ſuo, eſt ſeparare ab Eccleſia et Cœlo, ſeu non dari illis cœlum. Quod illis, qui in ſolis cognitionibus ſunt, et non in vita ſecundum illas, non ſit cœlum, videatur ſupra, n. 104.

107. Sed habes quod odiſti opera Nicolaitarum, quod et Ego odi, quod ſignificet averſationem a Divino pro illis qui ſeparant bonum a vero ſeu charitatem a fide, e quo non vita, conſtat ex ſignificatione habes quod odiſti, quod ſit averſatio, quod ſit averſatio a Divino, eſt quia dicitur quod

et Ego odi; ex ſignificatione operum, quod ſint quæ ſunt mentis, unde opera, de qua ſupra, n. 98; ex ſignificatione Nicolaitarum, quod ſint qui ſeparant bonum a vero, ſeu charitatem a fide, qui hoc faciunt illis non eſt vita: quod illis non ſit vita, eſt quia omnis vita ſpiritualis eſt charitatis, et nulla fidei ſeparatæ, fidei enim eſt ſcire et cogitare, at charitatis eſt velle et facere; qui ſeparant charitatem a fide, illi prorſus nihil ſcire poſſunt, quid facit Cœlum et Eccleſiam apud hominem, ita quid vitam ſpiritualem, quoniam non cogitant intra ſe ſed extra ſe, cogitare extra ſe eſt ſolum ex memoria, nam hæc eſt extra hominem ſicut eſt atrium per quod intratur in domum et ejus conclavia; et in cogitationem quæ extra hominem cœlum non poteſt influere, nam cœlum influit in illa quæ intra hominem ſunt, et per ea in illa quæ extra illum ſunt; inde eſt, quod nec inſtrui poſſint quid facit Cœlum et Eccleſiam, ſeu vitam æternam, nam unuſquiſque inſtruitur e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Domino de talibus quæ ſunt vitæ eternæ, ita per viam vitæ ejus, quæ eſt per viam animæ et cordis ejus; qui credit, quod in cognitionibus veri poſſint eſſe, qui ſeparant charitatem a fide, multum fallitur, capiunt enim omnia a ſe, et nihil e cœlo, et quæ homo a ſe capit et non e cœlo, hæc falſa ſunt, quia in tenebris cogitat, et non in luce; omnis lux in talibus quæ Eccleſiæ ſunt, e cœlo veniet. Sunt quidem in Eccleſia plures, qui dicunt charitatem eſſe eſſentiale Eccleſiæ et non fidem ſeparatam, ſed dicere id et credere id, et non vivere vitam charitatis, eſt modo dicere illam eſſe et non facere illam eſſentiale, quare illi in eodem loco ſunt cum illis qui dicunt fidem eſſe eſſentiale, eſt enim illis charitas ſolius fidei, et non vitæ, quapropter nec illi poſſunt illuſtrari: in Mundo ſpirituali apparet apud illos niveum quoddam ſicut lucis, ſed ea lux, ex qua illud niveum, eſt naturalis, quæ talis eſt, ut influente luce Cœli, quæ eſt lux ſpiritualis, vertatur in tenebras; habitant ad ſiniſtrum ibi pæne in Angulo ſeptentrionis et occidentis; illi tantum ſunt intelligentes, quantum cognitiones veri et boni applicuerunt vitæ. Omnes illi, qui in cognitionibus veri et boni ſunt, et non ſecundum illas in bono vitæ, vivere poſſunt æque moralem vitam ac illi qui in cognitionibus ſunt et per illas in bono vitæ, ſed uſque moralis illorum vita eſt naturalis et non ſpiritualis, quoniam in vita ſua non ſincere, juſte et bene vivunt ex religione, et qui non ex religione bene vivunt, ii non poſſunt conjungi cœlo, nam religio facit hominem ſpiritualem, et conjungit illum angelis, qui modo ſpirituales ſunt: ex religione bene vivere, eſt cogitare, velle et facere, quia ita præceptum eſt in Verbo, et quia Dominus id mandavit; at non ex religione vivere, eſt cogitare, velle et facere ſolum propter leges civiles et morales; hi quia non ſpectant alio quam ad has, ideo ſe conjungunt ſolum mundo, pro quo leges illæ ſunt; at illi ſpectant ad Dominum, et inde ſe conjungunt Ipſi: quod gentes ſalventur eſt unice ex eo, quod in vita ſua ſpectent ad religionem, cogitantes et dicentes quod ita et non aliter faciendum ſit, quia eſt contra leges religionis ſuæ, ita contra Divinum, et cum ita cogitant et inde faciunt, imbuunt vitam ſpiritualem, quæ talis eſt apud illos, ut poſtea in Mundo ſpirituali recipiant vera præ Chriſtianis, illis qui nihil cogitant ex Verbo et ex doctrina Eccleſiæ quæ ex Verbo, dum aliquid faciunt. Illi qui non ex religione cogitant, quia non ſpirituales ſunt, nec habent conſcientiam, quare ſi externa illorum vincula, quæ ſunt pro lege et pro fama, illis remitterentur, ruerent in omne nefas; at viciſſim, ſi illis, qui cogitant ex religione, externa vincula, quæ ſunt timores pro lege et fama, auferrentur, uſque ſincere, juſte et bene agerent, nam timent Deum, et in vita obedientiæ et charitatis tenentur e cœlo a Domino Cui conjuncti ſunt. Quod illi, qui ſeparant charitatem a fide, dicantur Nicolaitæ, eſt præcipue ex vocis illius ſono in Cœlo, nam ſonat ex vero ſeu fide, et non ex bono ſeu charitate: quod ex vocibus in Verbo, ſciri poſſit num involvant bonum aut verum, ita quoque num unum ſeparatum ab altero, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 241.

108. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet, et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex ſignificatione habens aurem audiat, quod ſit qui intelligit auſcultet ſeu obediat, quod audire ſit intelligere et facere, ſeu auſcultare, videatur ſupra n. 14; ex ſignificatione ſpiritus, hic ſpiritus Dei, quod ſit Divinum Verum procedens a Domino, de qua in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3704, 5307, 6788, 6982, 6993, 7004, 7499, 8302, 9199, 9228, 9229, 9270, 9407, 9818, 9820, 10330; et ex ſignificatione Eccleſiarum, quod ſint qui in veris ex bono, ſeu in fide ex charitate, ita qui ab Eccleſia, nam non alii ab Eccleſia ſunt. Hæc verba dicuntur, nempe, *habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis*, unicuivis Eccleſiæ, hic Epheſinæ, poſtea Smyrnenſi, Verſ. 11. Pergamenſi, Verſ. 17. Thyatirenſi, Verſ. 29. Sardenſi, Cap. iii. Verſ. 6. Philadelphienſi, Verſ. 13: et Laodicenſi, Verſ. 22, ex cauſa, ut unuſquiſque, qui ab Eccleſia, ſciat, quod ſcire et intelligere vera et bona fidei, ſeu doctrinalia, et quoque Verbum, non faciat Eccleſiam, ſed auſcultare, hoc eſt, intelligere et facere; hoc enim ſignificat habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis. Quia id facit Eccleſiam et format cœlum apud hominem, et non ſcire ac intelligere abſque facere, ideo etiam Dominus idem aliquoties dicit, nempe, *Qui habet aurem ad audiendum audiat*, ut Matth. xi. 15. Cap. xiii. 43. Marc. iv. 9, 23. Cap. vii. 16. Luc. viii. 8. Cap. xiv. 35: in Apocalypſi additur, quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quia ſignificat quid Divinum Verum docet et dicit illis qui ab Eccleſia ſunt, ſeu quod idem, quid Dominus, nam omne Divinum Verum procedit ab Ipſo, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13, 133, 138, 139; ideo etiam Ipſe Dominus non dixit, quid ſpiritus dicit, quia Ipſe erat Divinum Verum Qui dixit. Quod non ſcire et intelligere vera Divina faciat Eccleſiam et formet cœlum apud hominem, ſed ſcire, intelligere et facere, docet Dominus aperte plurimis in locis; ut apud Matthæum, "*Qui audit verba mea, et facit ea, comparatur viro prudenti, qui autem audit et non facit comparatur viro ſtulto*," vii. 24, 27. Apud Eundem, "*Qui in terram bonam ſeminatus eſt, is eſt qui verbum audit, et attendit, et inde fructum fert*," xiii. 25. Apud Lucam, "*Omnis veniens ad Me, et audiens verba mea, et faciens ea, oſtendam*

cui ſimilis; ſimilis eſt homini ædificanti domum, et poſuit fundamentum ſuper petra; at audiens et non faciens, eſt ſimilis homini ædificanti domum ſuper terra ſine fundamento," vi. 47, 48, 49. Apud Eundem, "*Mater mea et fratres mei ſunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt illud,*" viii. 19, 20, 21; præter multis aliis in locis; in his locis audire ſimpliciter ſignificat audire, quod eſt ſcire et intelligere; audire etiam in communi ſermone id ſignificat quando dicitur audire id, at ſignificat et intelligere et facere cum dicitur audire ei ſeu audiens eſſe, ſimiliter auſcultare. Præterea illi qui ſeparaverunt vitam a fide, ſunt ſimiles illis de quibus Dominus loquitur apud Matthæum, "*Videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt,*" xiii. 13, 14, 15. Ez. xii. 2.

109. Vincenti dabo edere de arbore vitæ, quod ſignificet qui corde recipit implebitur bono amoris, et inde gaudio cœleſti, conſtat ex ſignificatione vincere, quod ſit corde recipere, de qua ſequitur; ex ſignificatione edere, quod ſit appropriari et conjungi, de qua n. 2187, 2343, 3168, 3813, 5643; et ex ſignificatione arboris vitæ, quod ſit bonum amoris et inde gaudium cœleſte, de qua etiam ſequitur. Quod vincere ſit corde recipere, eſt quia omnis, qui recepturus eſt vitam ſpiritualem, pugnabit contra mala et falſa quæ ſunt vitæ ejus naturalis, et quando illa vincit, tunc bona et vera, quæ ſunt vitæ ſpiritualis, recipit corde; recipere corde eſt voluntate et amore, nam cor in Verbo ſignificat illa, videatur n. 2930, 3313, 7542, 8910, 9050, 9113, 10336; quapropter recipere corde eſt ex voluntate ſeu amore facere illa; hoc intelligitur per vincere. Quod Arbor vitæ ſignificet bonum amoris et inde gaudium cœleſte, eſt quia Arbores ſignificant talia quæ ſunt apud hominem in ejus interioribus, quæ mentis ſeu animi ejus ſunt, frondes et folia illa quæ ſunt cognitionum veri et boni, ac fructus ipſa bona vitæ: hæc ſignificatio arborum trahit ſuam originem ex mundo ſpirituali, ibi enim apparent arbores omnis generis, et arbores, quæ apparent, correſpondent interioribus Angelorum et ſpirituum quæ ſunt mentis eorum, arbores pulcherrimæ et fructiferæ illorum interioribus qui in bono amoris et inde in ſapientia ſunt; arbores minus pulchræ et fructiferæ illis qui in bono fidei; at arbores ſolum foliaceæ et abſque fructibus, illis qui modo in cognitionibus veri ſunt; ac arbores tetræ cum fructibus malignis, illis qui in cognitionibus ſunt et in malo vitæ; illis autem qui non in cognitionibus et in malo vitæ ſunt, non apparent arbores, ſed loco illarum ſaxa et arenæ: hæ apparentiæ in mundo ſpirituali actualiter fluunt ex correſpondentia, nam interiora quæ mentis eorum ſunt per tales effigies ſiſtuntur actualiter coram oculis eorum: ſed hæc melius videri poſſunt ex binis Articulis in Opere de CŒLO ET INFERNO, in Primo, ubi agitur de *Correſpondentia Cœli cum omnibus Telluris*, n. 103 ad 115; et in Altero, ubi agitur *de Repræſentativis et Apparentiis in Cœlo*, n. 170 ad 176; et in ſequentibus ibi, n. 177 ad 190. Inde nunc eſt, quod in Verbo toties nominentur Arbores, per quas ibi ſignificantur ea apud homines quæ ſunt mentis eorum; et inde quoque eſt quod in Primis Capitibus Geneſeos dicantur binæ Arbores in horto Edenis

poſitæ, una quæ vocatur Arbor Vitæ, et altera quæ Arbor Scientiæ; per Arborem vitæ ibi ſignificatur bonum amoris in Dominum, et inde gaudium cœleſte, quæ erant illis qui tunc ab Eccleſia, et intelliguntur per Hominem et ejus Uxorem; et per Arborem ſcientiæ ſignificatur jucundum cognitionum abſque alio uſu quam ut audiant docti et captent famam eruditionis ſolum propter honorem aut lucrum. Quod Arbor vitæ etiam ſignificet gaudium cœleſte, eſt quia bonum amoris in Dominum, quod in ſpecie per illam arborem ſignificatur, gaudium cœleſte in ſe habet, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 395 ad 414; et in Doctrina Noviæ Hieroſolymæ, n. 230 ad 239. Quod Arbores, quæ toties nominantur in Verbo, ſignificent interiora hominis quæ mentis et animi ejus ſunt, et illa quæ ſuper arboribus, ut folia et fructus, talia quæ ex illis, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; “*Dabo in deſerto cedrum ſchittim, et myrtum et arborem olei, ponam in ſolitudine abietem, tædam et buxum,*” Eſaj. xli. 19; ibi agitur de Eccleſiæ inſtauratione. “*Gloria Libani ad te veniet, abies, tæda et buxus ſimul, ad decorandum locum Sanctuarii mei,*” Eſaj. lx. 13. “*Cognoſcant omnes arbores agri, quod Ego Jehovah humiliem arborem altam, exaltem arborem humilem; areſaciam arborem viridem, et germinare faciam arborem aridam,*” Ezech. xvii. 24. “*Ecce Ego in te incendam ignem, qui comedet in te arborem viridem, et omnem arborem aridam,*” Ezech. xxi. 3. “*Vitis exaruit, et ficus languet, malus punica etiamque palma et malus, omnes Arbores agri exſiccatæ ſunt; exaruit gaudium de filiis hominum,*” Joel i. 2. “*Cum Angelus clanxit, facta eſt grando et ignis, qui cecidit ſuper terram, et tertia pars arborum combuſta eſt,*” Apoc. viii. 7. “*Beltſhaſar vidit in ſomnio arborem in medio terræ, cujus altitudo magna, folium pulchrum, flos multus, et cibus omnibus in ea,*” Dan. iv. 7, 8, 9. Quia Arbores in genere ſignificant talia quæ apud hominem, ac interiora quæ mentis ejus ſunt, faciunt, et ſic quoque ſpiritualia quæ Eccleſiæ, et hæc et illa varia ſunt, ideo tot ſpecies arborum nominantur, et unaquæque ſpecies ſignificat aliquod differens; quid variæ ſpecies ſignificant, oſtenſum eſt in Arcanis Cœlestibus, ut quid Arbor olei, n. 9277, 10261: quid Cedrus, n. 9472, 9486, 9528, 9715, 10178: quid Vitis, n. 1069, 5113, 8375, 6378, 9277: quid Ficus, n. 217, 4231, 5113: et ſic porro. Inſuper illa quæ ſunt ſuper arboribus, ut folia et fructus, ſignificant talia quæ apud hominem, Folia vera apud illum, et Fructus bona; ut in ſequentibus; “*Erit ſicut Arbor plantata juxta aquas, et juxta fluvium emittit radices; erit folium ejus viride; nec ceſſabit a ferendo fructum,*” Jerem. xvii. 8. “*Juxta fluvium exeuntem e Domo Dei aſcendit ſuper ripa hinc et hinc Arbor cibi, cujus non decidit folium, neque conſumitur fructus ejus, in menſes ſuos renaſcitur, quia aquæ ejus e Sanctuario exeunt, unde fructus ejus in cibum, et folium ejus in medicamentum,*” Ezech. xlvii. 12. “*E medio plateæ et fluvii exeuntis e throno Dei et Agni hinc et hinc arbor vitæ faciens fructus duodecim, per menſem quemvis reddens fructum ſuum, et folia arboris ad ſanitatem gentium,*” Apoc. xxii. 2. “*Beatus vir, cujus in lege beneplacitum, erit ſicut Arbor plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo, et folium non decidit,*” Pſalm. i. 3. “*Ne timete, quia Arbor feret fructum, Ficus atque Vitis dabit vim ſuam,*” Joel ii. 22. “*Saturantur arbores Jehovæ,* *Cedri Libani quas plantavit,"* Pſalm. civ. 16. " *Laudate Jehovam Arbores fructus, et omnes Cedri,"* Pſalm. cxlviii. 9. Quia fructus ſignificabant bona vitæ apud hominem, ideo in Eccleſia Iſraelitica, quæ erat Eccleſia repræſentativa, mandatum fuit, ut fructus arborum, ſicut ipſi homines, circumciderentur, de quibus ita legitur, " *Fructus arboris inſerviens eſui præputiabitur in terra Canaan, et erunt præputiati tribus annis, et anno quarto erit omnis fructus ſanctus, laudes Jehovæ, quinto autem comedentur,"* Levit. xix. 23, 24, 25. Quia fructus arboris ſignificabant bona vitæ, ideo etiam mandatum eſt, *ut in Teſto Tabernaculorum acciperent fructus arboris bonoris, et ramos, ac lætarentur coram Jehovah, et ſic feriarentur feſtum,"* Levit. xxiii. 40, 41; per Tabernacula enim ſignificabantur bona amoris cœleſtis, et inde ſanctus cultus, n. 414, 1102, 2145, 2152, 3312, 3391, 10545; et per Teſtum Tabernaculorum ſignificabatur implantatio illius boni ſeu amoris, n. 9296. Quia fructus ſignificabant bona amoris, quæ ſunt bona vitæ, *ideo inter benedictiones erat, quod arbor agri daret fructum ſuum; et inter maledictiones quod non daret fructum,* Levit. xxxv. 4, 20. Et ideo quoque vetitum fuit, cum obſideretur aliqua urbs, " *ne ſecurim mitterent in aliquam arborem fructus boni,"* Deut. xx. 19, 20. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per fructus ſignificentur bona amoris, ſeu quod idem, bona vitæ, quæ etiam opera vocantur, ut quoque in his locis apud Evangeliſtas, " *Securis ad radicem arboris jacet, omnis arbor non faciens fructum bonum exſcindetur et in ignem conjicietur,"* Matth. iii. 10. Cap. vii. 16 ad 21. " *Aut facite arborem bonam et fructum bonum, aut facite arborem putrem et fructum putrem; ex fructu enim cognoſcitur arbor,"* Matth. xii. 33. Luc. vi. 43, 44. " *Omnis palmes non ferens fructum, auferretur, omnis autem fructum ferens putabitur, ut plus fructus ferat,"* Joh. xv. 2 ad 8. " *Ficum habebat aliquis in Vinea ſua plantatam, venit fructum quærens in ea, ſed non invenit, dicit ad vinitorem, ecce tribus annis venio quærens fructum ex ficu et non invenio, exſcinde eam, quid terram infrugiferam reddet,"* Luc. xiii. 6 ad 20. " *Jeſus vidit Ficum juxta viam, venit ad illam, et nihil invenit in ea niſi folia tantum, dixit, nunquam ex te fructus erit, et arefacta eſt ſtatim ficus,"* Matth. xxi. 19. Marc. xi. 13, 14, 20. Ficus ſignificat naturalem hominem et ejus interiora, et fructus bona ejus, n. 217, 4231, 5113; folia autem ſignificant cognitiones, n. 885: inde patet, quid ſignificatur per quod ficus arefacta ſit quia Dominus in ea ſolum folia invenit, et non fructus. Hæc omnia allata ſunt, ut ſciatur quid ſignificatur per Arborem vitæ in medio Paradiſi Dei, quod nempe bonum amoris procedens a Domino, et inde gaudium cœleſte.

110. Quæ eſt in medio paradiſi Dei, quod ſignificet quod illuc ſpectent, et inde procedant omnes cognitiones boni et veri in Cœlo et in Eccleſia, conſtat ex ſignificatione medii, quod ſit centrum quo omnia quæ circum circa ſpectant et ex quo procedunt, de qua ſupra n. 97; et ex ſignificatione Paradiſi, quod ſint cognitiones boni et veri et inde intelligentia, de qua n. 100, 108, 1588, 2702, 3220; et quia illa per Paradiſum ſignificantur, ideo per Paradiſum Dei ſignificatur Cœlum, et quia Cœlum etiam ſignificatur Eccleſia, nam Eccleſia eſt Cœlum Domini

in terris, quæ vocantur Paradiſus Dei quia Dominus eſt in medio ibi, et ab Ipſo eſt omnis intelligentia et ſapientia. Quoniam hactenus non notum fuit, quod omnia in Verbo per correſpondentias ſcripta ſint, et inde quod ſpiritualia ibi inſint ſingulis quæ ibi dicta, credunt quod per Paradiſum, de quo agitur in Secundo Capite Geneſeos, intelligatur Hortus paradiſiacus, ſed non intelligitur ibi aliquis Paradiſus terreſtris ſed Paradiſus cœleſtis, qui eſt illis qui in intelligentia et ſapientia ex cognitionibus boni et veri ſunt, videatur ſupra, n. 109, et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 176, 185; inde conſtare poteſt, non ſolum quid per Paradiſum ſeu Hortum in Edene ſignificatum eſt, ſed etiam quid per Paradiſos ſeu Hortos Dei in Verbo, ut apud Eſajam, "*Conſolabitur Jehovah Zionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, adeo ut ponat deſertum ejus in Eden, et ſolitudinem in Hortum Jehovæ; lætitia et gaudium invenietur in ea,*" li. 3. Apud Ezechielem, "*In Eden Horto Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum,*" xxviii. 13; hæc dicuntur de Tyro, quia per Tyrum in Verbo ſignificatur Eccleſia quæ in cognitionibus veri et boni, et inde intelligentia, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 1201; intelligentia ejus inde eſt Eden hortus Dei, ſimiliter lapis pretioſus ex quo tegumentum, n. 114, 9863, 9865, 9868, 9873. Apud Eundem, "*Ecce Aſchur Cedrus in Libano; Cedri non occultaverunt eam in Horto Dei; omnis arbor in Horto Dei non par fuit illi in pulchritudine; pulchram feci eam per multitudinem ramorum ejus, et æmulatæ ſunt illi omnes arbores Eden in Horto Dei,*" xxxi. 3, 8, 9; per Aſchurem in Verbo intelliguntur illi qui per cognitiones boni et veri rationales facti ſunt, ita quibus mens illuſtrata e cœlo; quod Aſchur ſit rationale hominis, videatur n. 119, 1186. Aliquantum etiam hic explicabitur, quomodo intelligendum eſt, quod omnes cognitiones boni et veri ſpectent ad bonum amoris in Dominum, et quoque quod inde procedant, quæ ſignificantur per Vincenti dabo edere ex arbore vitæ quæ eſt in medio Paradiſi Dei; Bonum amoris in Dominum eſt Ipſe Dominus, quoniam Dominus eſt in ſui amoris bono apud hominem, ſpiritum et angelum: quod omnes cognitiones boni et veri illuc ſpectent ſeu ad Ipſum, notum eſt in Eccleſia Chriſtiana; docet enim doctrina ibi, quod abſque Domino nulla ſalus, et quoque quod in Domino omnis ſalus; cognitiones boni et veri ſeu doctrinalia ex Verbo docent, quomodo homo poſſit venire ad Deum, et conjungi Ipſi; quod nemo poſſit conjungi Deo niſi a Domino et in Domino, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 283, 296; inde conſtare poteſt, quod omnia quæ docet Eccleſia ex Verbo ſpectent Dominum et amorem in Ipſum, ut finem ad quem: quod omnes cognitiones boni et veri ſeu doctrinalia ex Verbo procedant a Domino, etiam notum eſt in Eccleſia, docetur enim ibi, quod omne amoris et omne fidei ſit e cœlo, et nihil ab homine, et quod nemo poſſit amare Deum et credere in Ipſum a ſe; amare Deum et credere in Ipſum involvunt omnia quæ Eccleſia docet, quæ vocantur doctrinalia et cognitiones, quoniam ex his amatur et creditur; amor et fides abſque præviis cognitionibus non datur, nam abſque illis foret homo vacuus; ex his ſequitur, quod ſicut omne amoris et fidei procedit a Domino, ita quoque omnes cognitiones boni et veri quæ faciunt et formant amorem et fidem. Quia omnes cognitiones boni et veri ſpectant Dominum et procedunt ab Ipſo, et hoc ſignificatur per Arborem vitæ in medio Paradiſi Dei, ideo omnes arbores in Paradiſo vocantur arbores vitæ, et arbores Jehovæ: arbores vitæ in Apocalypſi, “*E medio plateæ et fluvii exeuntis e Throno Dei et Agni, hinc et hinc Arbor Vitæ faciens fructus duodecim,*” xxii. 2: et Arbores Jehovæ apud Davidem, “*Saturantur Arbores Jehovæ, et Cedri Libani quas plantavit,*” Pſalm. civ. 16: inde quoque patet, quod per arborem vitæ in medio Paradiſi, intelligatur omnis arbor ibi, hoc eſt, omnis homo, in cujus medio, hoc eſt, in quo eſt Dominus. Ex his et ex illis quæ in præcedente Articulo oſtenſa ſunt, ſciri poteſt, quid ſignificatur per quod Dominus daturus ſit vincenti edere de Arbore Vitæ quæ in medio Paradiſi Dei.

111. Verſ. 8, 9, 10, 11. *Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe: hæc dicit Primus et Ultimus, Qui fuit mortuus et vivit. Novi tua opera, et afflictionem et paupertatem, dives ſed es, et blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe, et non ſunt, ſed ſynagoga Satanæ. Nihil timeas quæ futurus es pati; ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam, ut tentemini, et habebitis afflictionem diebus decem; eſto fidelis uſque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, vincens non lædetur a morte ſecunda.* Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe, ſignificat ad recordationem illis intra Eccleſiam, qui volunt intelligere Verbum, et nondum intelligunt, et inde parum adhuc in cognitionibus veri et boni ſunt, quas tamen corde deſiderant: hæc dicit Primus et Ultimus, ſignificat Dominum Qui omnia ex Divino Humano ex primis per ultima regit: Qui fuit mortuus et vivit, ſignificat quod rejectus, et tamen ab Ipſo vita æterna: novi tua opera, ſignificat amorem: et afflictionem, ſignificat anxietatem ex deſiderio cognoſcendi vera: et paupertatem, dives ſed es, ſignificat agnitionem quod nihil ex ſe ſciant: et blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe et non ſunt, ſignificat invectionem ab illis qui putant ſe in cognitionibus boni et veri eſſe, quia habent Verbum, et tamen non ſunt: ſed ſynagoga Satanæ, ſignificat doctrinam omnium falſorum apud illos: ne timeas quæ futurus es pati, ſignificat ne doleant quod tales perſequantur vos: ecce futurum, ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam, ſignificat quod qui in falſis ex malo ſunt, aggreſſuri deprivare illos omni vero ex Verbo: ut tentemini, ſignificat inde incrementum deſiderii veri: et habebitis afflictionem diebus decem, ſignificat quod infeſtatio et inde tentatio duratura ſit aliquo tempore: eſto fidelis uſque ad mortem, ſignificat permanentiam in veris ad finem: et dabo tibi coronam vitæ, ſignificat ſapientiam et inde felicitatem æternam: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt: et vincens non lædetur a morte ſecunda, ſignificat quod qui permanet in genuina affectione veri ad finem vitæ ſuæ in mundo, in novum cœlum venturus ſit.

112. Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe, quod ſignificet ad recordationem illis intra Eccleſiam qui volunt intelligere Verbum, et nondum intelligunt, et inde parum adhuc in cognitionibus veri et boni ſunt, quas tamen corde deſiderant, conſtat ex ſignificatione ſcribere, quod ſit ad recordationem, ut ſupra n. 95; et ex ſignificatione Angeli Eccleſiæ Smyrnæorum, quod ſint illi intra Eccleſiam qui volunt intelligere Verbum et

nondum intelligunt, et inde parum in cognitionibus veri et boni ſunt, quas tamen corde deſiderant; quod hi per Angelum Eccleſiæ Smyrnæorum intelligantur, conſtat ex illis quæ ad illum Angelum ſcripta ſunt, quæ ſequuntur; nam non aliunde ſciri poteſt, quinam per Angelum cujuſvis Eccleſiæ intelliguntur, quam ex ſcriptis ad illum in ſenſu interno. In illis, quæ ad Angelum Epheſinæ Eccleſiæ, de quo mox prius ſcripta ſunt, deſcripti ſunt, qui in cognitionibus veri et boni ſunt, et non ſimul aut nondum in vita ſecundum illas, hic nunc deſcribuntur illi qui in cognitionibus veri et boni ſunt, et ſimul in vita ſecundum illas; hi itaque ſunt qui in affectione veri ex origine ſpirituali ſunt, illi autem qui in affectione veri ex origine naturali: ſunt affectiones veri in genere ex binis originibus, nempe ex origine naturali et ex origine ſpirituali; illi qui in affectione veri ex origine naturali ſunt, ſpectant primario ad ſe et ad mundum, et inde naturales ſunt; at illi qui in affectione veri ex origine ſpirituali ſunt, ſpectant primario ad Dominum et ad Cœlum, et inde ſpirituales ſunt; affectio ſeu amor hominis vel ſpectat deorſum vel ſpectat ſurſum, qui ſpectat ad ſe et ad mundum, illi ſpectant deorſum, at qui ſpectant ad Dominum et ad Cœlum, illi ſpectant ſurſum; interiora hominis, quæ mentis ejus ſunt, actualiter ſpectant illuc quo ejus amor ſeu affectio, nam amor determinat illa; et qualis eſt determinatio interiorum hominis quæ ejus mentis ſunt, talis homo poſt mortem manet in æternum: ſpectare deorſum aut ſurſum eſt ex amore per intellectum, ita per illa quæ formant et faciunt intellectum, quæ ſunt cognitiones veri et boni. Quod de illis intra Eccleſiam, qui in cognitionibus veri et boni ſunt, et non ſimul aut nondum in vita ſecundum illas, ita de illis qui in affectione veri ex origine naturali ſunt, ad Angelum Epheſinæ Eccleſiæ ſcriptum ſit, et nunc ad Angelum Eccleſiæ Smyrnæorum de illis qui in cognitionibus veri et boni ſunt et ſimul in vita ſecundum illas, ita de illis qui in affectione veri ex origine ſpirituali ſunt, eſt cauſa quia illud primum Eccleſiæ eſt, et hoc ſecundum, nemo enim poteſt introduci in Eccleſiam et formari ad Cœlum, niſi per cognitiones ex Verbo, abſque illis homo non ſcit viam ad Cœlum, et abſque illis Dominus non poteſt habitare apud illum; quod abſque cognitionibus veri et boni ex Verbo nemo ſciat aliquid de Domino, de Cœlo Angelico, de charitate et fide, notum eſſe poteſt; et quod homo non ſcit, hoc non cogitare poteſt, ita nec velle, proinde nec credere et amare; inde patet, quod homo per cognitiones diſcat viam ad cœlum: quod abſque cognitionibus veri et boni ex Verbo Dominus non poſſit adeſſe et ducere hominem, etiam notum eſt, nam qui nihil novit de Domino, de Cœlo, de charitate et fide, ejus mens ſpiritualis, quæ mens ſuperior eſt et viſura per lucem cœli, vacua eſt, et nihil habet ex Divino in ſe, et tamen Dominus non poteſt eſſe apud hominem quam in ſuo apud illum, hoc eſt, in illis quæ ab Ipſo; inde eſt, quod dictum ſit, quod Dominus non poſſit habitare apud hominem, niſi is in cognitionibus veri et boni ex Verbo ſit, et inde in vita. Ex his ut in ſumma ſequitur, quod homo naturalis nequaquam fieri poſſit ſpiritualis abſque cognitionibus veri et boni ex Verbo. Quod per Angelum Eccleſiæ Smyrnæorum intelligantur illi intra Eccleſiam qui volunt intelligere Verbum et nondum intelligunt, et inde parum adhuc in cognitionibus veri et boni ſunt, quas tamen deſiderant, eſt quia illi in affectione veri ſpirituali ſunt, et qui in affectione veri ſpirituali ſunt, etiam in vita charitatis ſunt, nam inde illis affectio ſpiritualis, aliunde homini non eſt ſpirituale quam ex charitate; qui in affectione illa ſunt, illi ſtudent Verbo, et nihil plus deſiderant quam intelligere illud, et quia innumerabilia inibi ſunt quæ non intelligunt, quoniam Verbum in ſinu ſuo eſt ſpirituale, et hoc includit infinita Arcana, ideo homo quamdiu adhuc in mundo vivit, et tunc ex naturali homine videt, parum poteſt in cognitionibus veri et boni eſſe, ſed ſolum in communibus, quibus uſque implantari poſſunt innumerabilia quando in mundum ſpiritualem ſeu Cœlum venit: homo, qui in affectione veri ex origine ſpirituali eſt, is ſcit multo plura quam novit, nam communes cognitiones, quæ ſunt apud illum, ſunt ſicut vaſa, quæ multis impleri poſſunt, et quoque actualiter implentur dum in Cœlum venit; quod ita ſit, modo ex eo conſtare poteſt, quod omnes Angeli qui in Cœlo ſunt, ex humano genere ſint, et tamen illis ſapientia talis eſt, ut deſcribatur per inenuntiabilia et incomprehenſibilia, ut notum eſt; quod Angeli cœli non aliunde ſint quam ex Genere humano, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 311 ad 317; et in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 14 ad 22. Illa impletio intelligentiæ et ſapientiæ eſt, quæ intelligitur per Domini verba apud Lucam, "*Menſura bona, preſſa, agitata et ſuperfluens dabitur in ſinum veſtrum,*" vi. 38: apud Matthæum, "*Quicunque habet, dabitur ei, ut abundantius habeat,*" xiii. 12. Cap. xxv. 29: et apud Lucam, "*Dominus dixit ſervo, qui ex mina ei data acquiſivit decem minas; quia in modico fidelis fuiſti, poteſtatem habebis ſuper decem urbes,*" xix. 16, 17: per decem ibi ſignificatur multum et plenum, et per urbes intelligentia et ſapientia: quod decem ſignificent multum et plenum, videatur n. 1988, 3107, 4638; et quod urbes ſignificent illa quæ ſunt intelligentiæ et ſapientiæ, n. 2450, 2712, 2943, 3216, 3584, 4492, 4493, 5297.

113. Hæc dicit Primus et Ultimus, quod ſignificet Dominum Qui omnia ex Divino Humano ex primis per ultima regit, conſtat ex ſignificatione Primi et Ultimi, cum de Domino, quod ſit regens omnia ex primis per ultima, de qua ſupra n. 41; quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, Qui hic et in ſequentibus loquitur ad Angelos Eccleſiarum, conſtare poteſt ex Capite præcedente ubi ſimilia dicuntur de Filio hominis, et Filius hominis eſt Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 63; hoc patet manifeſte a collatione, nempe, deſcribitur in Capite præcedente Filius hominis, quod viſus ſit *in medio Candelabrorum aureorum, habens in dextra ſua manu ſtellas ſeptem*, Verſ. 13, 16; eadem hæc præmittuntur ſcriptis ad Angelum Epheſinæ Eccleſiæ, his verbis, "*Hæc dicit habens ſeptem ſtellas in dextra ſua manu, ambulans in medio Candelabrorum aureorum,*" Verſ. 1, hujus Capitis. In præcedente Capite deſcribitur Filius hominis ita, "*Ego ſum Primus et Ultimus, et Qui vivens, et factus ſum mortuus, et ecce vivens in ſæcula ſæculorum,*" Verſ. 17, 18; hæc præmittuntur hic ſcriptis ad Angelum Eccleſiæ Smyrnæorum, his verbis, "*Hæc dicit Primus et Ultimus, Qui fuit mortuus et vivit,*" Verſ. 8. In præcedente Capite deſcribitur Filius hominis, quod "*ex ore Ipſius viſa ſit romphæa anceps acuta exiens,*"

exiens," Verſ. 16; hoc præmittitur ſcriptis ad Angelum Pergamenſis Eccleſiæ, his verbis, "*Hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam,*" Verſ. 11. In præcedente Capite deſcribitur Filius hominis, quod viſus ſit "*habere oculos tanquam flammam ignis, et pedes ſimiles chalcolibano tanquam in Camino ignitos,*" Verſ. 14, 15; hæc præmittuntur ſcriptis ad Angelum Thyatiris Eccleſiæ, his verbis, "*Hæc dicit Filius Dei habens oculos ſuos tanquam flammam ignis, et pedes ſuos ſimiles chalcolibano,*" Verſ. 18; ſimiliter ante ſcripta ad Angelos trium reliquarum Eccleſiarum, de quibus in Capite ſequente; ex his conſtare poteſt, quod ſit Filius hominis qui dicit illa quæ ſcribuntur ad Eccleſias, et quia per Filium hominis intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, ut ſupra n. 63, oſtenſum eſt, ſequitur quod omnia quæ ſcripta ſunt ad Eccleſias, a Divino Humano Domini ſint; et quoque inde ſequitur quod Divinum Humanum ſit omne in omnibus Eccleſiæ, ſicut eſt omne in omnibus Cœli; hic etiam per quod ſit Primus et Ultimus ſignificatur, quod Dominus ex Divino Humano ſuo omnia ex primis per ultima regat. Quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit omne in omnibus Cœli, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 7 ad 12, et 78 ad 86, et reliqua ibi: et quia Dominus eſt omne in omnibus Cœli, eſt etiam omne in omnibus Eccleſiæ, nam Eccleſia eſt Regnum Domini in terris. Hoc aſſeverare poſſum, quod nemo, qui intra Eccleſiam eſt, et non agnoſcit Divinum Domini in Humano Ipſius, poſſit intrare in Cœlum; agnoſcere Divinum Domini in Humano Ipſius, eſt cogitare de Divino Ipſius cum de Humano Ipſius; cauſa quod ita cogitandum ſit, eſt quia totum Cœlum eſt ex Divino Humano Ipſius, ut oſtenſum videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, a principio ad finem: et ſupra in Explicatione ſuper Apocalypſin, n. 10, 49, 52, 82.

114. Qui fuit mortuus et vivit, quod ſignificet quod rejectus et tamen ab Ipſo vita æterna, conſtat ex ſignificatione mortuus eſſe, cum de Domino, quod ſit rejectus eſſe, de qua ſupra n. 83; et ex ſignificatione vivere, quod ſit quod ab Ipſo vita æterna, de qua etiam ſupra n. 84. Dominus rejectus dicitur, cum non aditur et colitur, et quoque dum aditur et colitur ſolum quoad Humanum ſuum, et non ſimul quoad Divinum; quare rejicitur hodie intra Eccleſiam ab illis qui non Ipſum adeunt et colunt, ſed orant Patrem ut miſereatur propter Filium, cum tamen nuſquam aliquis homo nec Angelus poteſt adire Patrem, et Ipſum immediate colere, eſt enim Divinum inviſibile, cum Quo nemo conjungi fide et amore poteſt; quod enim inviſibile eſt, hoc non cadet in ideam cogitationis, et ideo nec in affectionem voluntatis, et quod non cadit in ideam cogitationis hoc nec cadet in fidem, nam quæ fidei erunt cogitabuntur, et quoque quod non intrat in affectionem voluntatis hoc nec intrat in amorem, nam quæ amoris erunt afficient voluntatem hominis, in hac enim reſidet omnis amor qui eſt homini, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 28 ad 35: at Divinum Humanum Domini cadit in ideam cogitationis et ſic in fidem, et inde in affectionem voluntatis ſeu amorem; inde patet quod nulla conjunctio ſit cum Patre niſi a Domino et in Domino; hoc perquam clare docet Ipſe Dominus apud Evangeliſtas; apud Johannem, "*Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius Qui in ſinu Patris eſt,*

Ipſe expoſuit," i. 18. Apud Eundem, "*Neque vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis,*" v. 37. Apud Matthæum, "*Nemo cognoſcit Patrem niſi Filius, et cui Filius vult revelare,*" xi. 27. Apud Johannem, "*Ego ſum via, veritas, et vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me,*" xiv. 6. Apud Eundem, "*Si Me cognoſcitis, etiam Patrem meum cognoſcitis; is qui Me videt, videt Patrem; Philippe, nonne credis, quod Ego in Patre et Pater in Me, credite Mihi quod Ego in Patre, et Pater in Me,*" xiv. 7 ad 11; et "*quod Pater et Dominus unum ſint,*" cap. x. 30, 38. Apud Eundem, "*Ego ſum Vitis, vos palmites, ſine Me non poteſtis facere quicquam,*" xv. 5. Inde conſtare poteſt, quod Dominus rejectus ſit ab illis intra Eccleſiam, qui immediate adeunt Patrem, et Ipſum orant ut miſereatur propter Filium; hi enim non aliter poſſunt quam cogitare de Humano Domini, ſicut de Humano alius hominis, ita non ſimul de Divino Ipſius in Humano, minus de Divino Ipſius conjuncto Humano Ipſius ſicut conjuncta eſt anima corpori, ſecundum doctrinam in univerſo Chriſtiano Orbe receptam, videatur ſupra n. 10, et 26: quis uſquam in Chriſtiano Orbe, qui Divinum Domini agnoſcit, talis vult eſſe, ut Divinum Ipſius ponat extra Humanum Ipſius; cum tamen cogitare de ſolo Humano et non ſimul de Divino Ipſius in Humano, eſt intueri illa ſeparata, quod non eſt intueri Dominum, nec utrumque ut unam Perſonam, cum tamen doctrina in Chriſtianiſmo recepta etiam eſt, quod Divinum et Humanum Domini non ſint duo ſed unica Perſona. Homines Eccleſiæ hodie quidem cogitant de Divino Domini in Humano Ipſius, cum ex doctrina Eccleſiæ loquuntur, at prorſus aliter dum cogitant et ſecum loquuntur extra doctrinam; ſed ſciatur, quod alius ſtatus ſit homini cum ex doctrina cogitat et loquitur, et alius cum extra doctrinam; dum ex doctrina cogitat et loquitur, tunc ex memoria naturalis ſui hominis cogitat et loquitur; at cum extra doctrinam, tunc ex ſpiritu ſuo, nam ex ſpiritu cogitare et loqui, eſt ex interioribus mentis ſuæ, unde eſt ipſa fides ejus; hominis etiam ſtatus poſt mortem fit, qualis ejus ſpiritus cogitatio et loquela ſecum fuit extra doctrinam, et non qualis ejus cogitatio et loquela fuit ex doctrina, ſi non hæc una fuerit cum illa: quod bini ſtatus homini quoad fidem et amorem ſint, unus dum in doctrina eſt, et alter cum extra doctrinam; at quod ſtatus ejus fidei et amoris extra doctrinam ſalvet illum, et non ſtatus ejus loquelæ de fide et amore cum ex doctrina, niſi hic unum faciat cum illo, homo neſcit, cum tamen cogitare et loqui ex doctrina de fide et amore eſt loqui ex naturali homine et ejus memoria, ut conſtare poteſt ex eo ſolo, quod æque mali quam boni ita cogitare et loqui poſſint quando cum aliis; quapropter etiam antiſtites mali æque ac boni, ſeu antiſtites qui nullam fidem habent æque ac qui fidem habent, poſſunt prædicare Evangelium cum ſimili ad apparentiam zelo et affectione, cauſa eſt, quia tunc homo, ut dictum eſt, ex ſuo naturali homine et ejus memoria cogitat et loquitur; at cogitare ex ſuo ſpiritu, non eſt ex naturali homine et ejus memoria, ſed ex ſpirituali homine, et hujus fide et affectione: ex hoc ſolum conſtare poteſt, quod bini ſtatus ſint homini, et quod prior ſtatus non ſalvet illum, ſed poſterior; eſt enim homo poſt mortem ſpiritus, ergo qualis homo fuit in mundo quoad ſpiritum, talis manet poſt exceſſum e mundo. Præterea, quod bini illi ſtatus homini Eccleſiæ ſint, ex multa experientia datum eſt ſcire; homo enim poſt mortem mitti poteſt in utrumque ſtatum, et quoque actualiter in utrumque mittitur; multi ex illis, cum miſſi ſunt in priorem ſtatum, loquuti ſunt ſicut Chriſtiani, et ex loquela illa ab aliis crediti ſunt quod Chriſtiani eſſent, ſed ut primum in ſtatum poſteriorem, qui proprius erat ſpiritus eorum, remiſſi ſunt, tunc loquuti ſunt ſicut ſpiritus diabolici, et prorſus contra illa quæ prius; videatur in opere de CŒLO ET INFERNO, n. 491 ad 498, et 499 ad 511. Ex his conſtare poteſt, quomodo etiam intelligendum eſt, quod Dominus rejectus ſit hodie ab illis qui intra Eccleſiam, nempe quod quidem ex doctrina ſit, quod agnoſcendum et credendum ſit Divinum Domini in eodem gradu quo Divinum Patris, nam docet doctrina, *quod ſicut eſt Pater, etiam eſt Filius increatus, infinitus, æternus, omnipotens, Deus, Dominus, ac nemo Eorum Maximus et Minimus, Primus et Ultimus,* videatur Symbolum Athanaſii; et uſque tamen non adeunt et colunt Dominum et Ipſius Divinum, ſed Patris, quod fit dum orant Patrem ut miſereatur propter Filium, et cum hoc dicunt, prorſus non cogitant de Divino Domini, ſed de Humano Ipſius ſeparato a Divino, ita de Humano Ipſius ſimili cum humano alterius hominis; et quoque ſimul tunc non de uno Deo ſed de duobus aut tribus: ita cogitare de Domino eſt rejicere Ipſum, nam non ſimul cogitare de Divino Ipſius cum de Humano Ipſius, per ſeparationem tunc excludunt Divinum, quod tamen non duo ſunt ſed una Perſona, ac unum faciunt ſicut anima et corpus. Loquutus ſum quondam cum ſpiritibus, qui, dum vixerunt in mundo, fuerunt ex religione Pontificia, et quæſivi num in mundo uſquam cogitaverint de Divino Domini, dixerunt quod cogitaverint quoties in doctrina cum viſu eſſent, et quod tunc agnoverint Divinum Ipſius par Divino Patris; at cum extra doctrinam, quod ſolum de Humano Ipſius et non de Divino; quærebantur cur dicunt quod poteſtas, quæ fuit Humano Ipſius, data ſit ei a Patre et non a Se Ipſo, quia Divinum Ipſius agnoverunt par Divino Patris, tunc averterunt ſe, nihil reſpondentes; ſed dictum illis eſt, quod cauſa fuerit, quia tranſtulerunt in ſe omnem Divinam Ipſius poteſtatem, quod non potuiſſent niſi ſeparaviſſent: quod Dominus apud hos rejectus ſit, quiſque poteſt ex eo concludere, quod pro Domino colent Papam, et quod nullam poteſtatem Domino amplius tribuant. Hic etiam referre velim magnum ſcandalum auditum a Papa, qui vocatus Benedictus XIV; dixit aperte, quod crediderit, cum in mundo vixit, quod Domino nulla poteſtas ſit, quia omnem tranſtulit in Petrum et inde in ejus Succeſſores; addens quod crediderit, quod Sancti eorum plus poteſtatis habeant quam Dominus, quia illi a Deo Patre illam retinent, at quod Dominus omnem ſibi abdicaverit et dederit Pontificibus; ſed quod uſque colendus ſit, quia abſque eo non ſancte colitur Papa. Sed is, quia Divinum ſibi arrogavit etiam poſt mortem, poſt aliquot dies in infernum conjectus eſt.

115. Quod Dominus dicat ad Angelum hujus Eccleſiæ, Ego ſum Primus et Ultimus, Qui fuit mortuus et vivit, eſt quia hic agitur de illis intra Eccleſiam qui in affectione veri ſpirituali ſunt, qui ſunt qui inquirunt vera ex Verbo, et cum inveniunt illa, gaudent corde, ſolum ex cauſa quia vera ſunt; et ſimul dicitur hic de illis, qui in affectione veri mere naturali ſunt, qui ſunt qui non inquirunt vera, nec gaudent illis quia vera ſunt, ſed ſolum acquieſcunt in doctrinalibus ſuæ Eccleſiæ, et non curant ſi illa aut vera aut

falſa ſint; hæc diſcunt memoria tenus, et quoque confirmant ex Verbi ſenſu literæ; et hoc faciunt ſolum ad aucupandum famam, honores aut lucrum; hi ſunt apud quos Dominus eſt mortuus, hoc eſt, rejectus. Affectio veri ſpiritualis, quæ eſt amare verum quia eſt verum, non datur quam apud illos, qui conjuncti ſunt Domino per agnitionem et fidem Divini Ipſius in Humano, quoniam omne verum Cœli et omne verum Eccleſiæ non aliunde eſt quam ex Divino Humano Domini, procedit enim inde Divinum Verum, quod ſpiritus veritatis ſeu ſpiritus ſanctus vocatur; inde eſt omnis affectio veri et ſapientia Angelis Cœli; quod ita ſit, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140, 265 ad 275, 346 ad 356; hi ſunt apud quos Dominus vivit.

116. Novi tua opera, quod ſignificet amorem, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint quæ ſunt voluntatis ſeu amoris, quia opera inde procedunt, et id a quo aliquid procedit, facit omne in eo quod procedit, ſimiliter ut cauſa in effectu, nam ablata aut ceſſante cauſa, ceſſat effectus; ita etiam voluntas hominis et inde opera, voluntas eſt cauſa et opera ſunt effectus, et notum eſt quod ceſſante voluntate ceſſet opus; inde patet quod opera ſint voluntas in cauſa: voluntas hominis eſt ſpiritualis, opera autem inde ſunt naturalia, inde nunc eſt, quod per opera in ſpirituali ſenſu intelligatur voluntas: quod etiam per opera intelligatur amor, eſt quia id quod homo amat, hoc vult, et quod corde vult hoc amat; et ſi penitius inſpicis, videbis quod omnia interioris voluntatis hominis ſint amoris ejus: quod tamen in communi ſermone dicatur hominis amor et non ejus voluntas, eſt quia amores multiplices ſunt, et plures in uno homine, et omnes ſimul in voluntate, quæ non aliter quam ſicut una ab homine percepitur, quia diſtinguit inter voluntatem et intellectum: eſt itaque voluntas ipſum ſpirituale hominis, quia amor eſt ſpiritualis. Quod in Verbo opera nominentur et non voluntas ſeu amor, ut hic et in ſequentibus ad Angelos Eccleſiarum, *novi opera tua*, et non novi voluntatem tuam ſeu amorem tuum, eſt cauſa, quia omnia quæ in ſenſu literæ Verbi naturalia ſunt, et in ſe continent ſpiritualia, quapropter ut ſenſus ſpiritualis Verbi pateat, explorandum eſt ſpirituale, quod in naturale, ſeu a quo naturale procedit.

117. Et afflictionem, quod ſignificet anxietatem ex deſiderio cognoſcendi vera, conſtat ex ſignificatione afflictionis, quod ſit anxietas mentis ex deſiderio cognoſcendi vera, agitur enim de illis qui volunt intelligere Verbum, et nondum bene intelligunt, videatur ſupra, n. 112; et hi in anxietate quoad ſpiritum ſunt, quando non intelligunt: quod illis talis anxietas ſit, quando non intelligunt, non ſcire poſſunt alii quam qui in affectione veri propter verum ſunt, ita qui in affectione ſpirituali; quinam illi ſunt, videatur mox ſupra, n. 115; cauſa eſt, quia illi conjuncti ſunt Angelis Cœli, et hi continue deſiderant vera, quia intelligentiam et ſapientiam, deſiderant illas ſicut famelicus cibum, quapropter etiam intelligentia et ſapientia vocatur cibus ſpiritualis; hoc etiam deſiderium eſt homini ab infantia, quia homo cum infans eſt, et dein cum puer, conjunctus eſt Cœlo, et ex Cœlo hoc deſiderium eſt; ſed perit apud illos qui ſe vertunt ad mundum. Ex his ſciri poteſt, quid anxietas mentis ſeu anxietas ſpiritualis, quæ ſignificatur hic per afflictionem.

flictionem. Quod talis anxietas illis ſit, cum legunt Verbum, et non bene intelligunt illud, eſt quia omnia vera Cœli et Eccleſiæ inde ſunt, et ibi recondita latent in ſenſu ejus ſpirituali, at non aperiuntur aliis quam qui conjuncti ſunt Cœlo, quoniam ille ſenſus Verbi in Cœlo eſt; ſed e Cœlo non influit ipſe ſpiritualis ſenſus Verbi apud hominem, verum influit in affectionem ejus, et per hanc in cognitiones quæ apud illum, et ſic deſiderium ejus incendit, et tunc quantum ex ſenſu literali Verbi videre poteſt, tantum recipit genuina vera Eccleſiæ. Quiſque qui in affectione veri ſpirituali eſt, appercipit quod pauca ſint quæ ſcit, et infinita quæ non ſcit; novit etiam quod illud ſcire et agnoſcere, ſit primus gradus ad ſapientiam; et quod ad primum gradum non venerint, qui ex ſcientiis ſuperbiunt, ac intelligentiſſimos ſe inde credunt; hi etiam ſolent ex falſis plus quam ex veris gloriari, ſpectant enim ſui famam, et hac ſolum afficiuntur, et non ipſo vero; tales ſunt, qui ſolum in naturali affectione et inde deſiderio ſunt, de qua etiam videatur ſupra, n. 115.

118. Et paupertatem, dives ſed es, quod ſignificet agnitionem quod nihil ex ſe ſciant, conſtat ex ſignificatione paupertatis, quod ſit agnitio cordis quod nihil ex ſe ſciant, de qua ſequitur; et ex ſignificatione dives ſed eſſe, quod ſit affectio veri ſpiritualis, de qua etiam ſequitur. Quod per Paupertatem hic intelligatur paupertas ſpiritualis, et quod per dives eſſe intelligatur ſpiritualiter dives eſſe, patet, quoniam illa dicuntur ad Eccleſiam; ſpiritualiter pauper eſſe et tamen dives eſſe, eſt agnoſcere corde quod nihil ex ſe ſciat, intelligat et ſapiat, ſed quod ſcit, intelligit et ſapit, omne ſit ex Domino; in tali agnitione ſunt omnes Angeli Cœli, quapropter etiam intelligentes et ſapientes ſunt, et in eo gradu in quo ſunt in agnitione et perceptione quod ita ſit; ſciunt enim et percipiunt quod nihil veri quod fidei vocatur, et nihil boni quod amoris ſit ab ipſis, ſed a Domino, et quod omnia quæ intelligunt et ſapiunt ſe referant ad verum fidei et ad bonum amoris, inde quoque ſciunt, quod illis omnis intelligentia et ſapientia ſit a Domino, et quia hoc ſciunt et agnoſcunt, et quoque hoc volunt et amant, ideo continue influit a Domino Divinum Verum, a quo omnis intelligentia et ſapientia, quam recipiunt quantum illo afficiuntur, hoc eſt, quantum illud amant: viciſſim autem ſpiritus inferni credunt quod omnia quæ cogitant, volunt et inde loquuntur et faciunt, ſint ab ipſis, et nihil a Deo, nam non credunt in Divinum, inde quoque illis loco intelligentiæ et ſapientiæ eſt inſania et ſtultitia, cogitant enim contra verum et volunt contra bonum, quod eſt inſanus et ſtultus eſſe: ſimiliter facit omnis homo qui in amore ſui eſt, is quia modo ſpectat ad ſe, non poteſt aliter quam ſibi omnia tribuere, et quia hoc facit non in aliqua agnitione eſt, quod omnis intelligentia et ſapientia ſit a Domino; inde quoque eſt, quod cum ſecum cogitant, contra vera et bona Eccleſiæ et Cœli cogitent, tametſi cum loquuntur cum hominibus, aliter dicant, ex cauſa ne perdant famam. Ex his ſciri poteſt, quid per paupertatem in ſpirituali ſenſu intelligitur. Quod is qui ſpiritualiter pauper eſt, uſque dives ſit, eſt quia in affectione veri ſpirituali eſt; influit enim intelligentia et ſapientia a Domino in hanc affectionem: affectio enim cujuſvis recipit, et imbibit ſui convenientia ſicut ſpongia aquas, ita affectio veri ſpiritualis vera ſpiritualia

quæ ſunt vera Eccleſiæ ex Verbo. Quod affectio veri ſpiritualis non aliunde ſit quam a Domino, eſt quia Dominus in Cœlo et Eccleſia eſt Divinum Verum, procedit enim ab Ipſo, et quia Dominus amat ducere unumquemque ad ſe et ſalvare, et hoc non poteſt niſi quam per cognitiones veri et boni ex Verbo, ideo amat indere illas homini, et facere illas ejus vitæ, ſic enim non aliter poteſt aliquem ducere ad ſe et ſalvare; inde patet quod omnis affectio ſpiritualis veri ſit a Domino, et quod nemo in illa poſſit eſſe, niſi agnoſcat Divinum Domini in Humano Ipſius, per hanc enim agnitionem eſt conjunctio, et ſecundum conjunctionem receptio: ſed de his videantur plura in Opere de CŒLO ET INFERNO, ubi actum eſt de *Sapientia Angelorum Cœli*, n. 265 ad 275; et *de Sapientibus et Simplicibus in Cœlo*, n. 346 ad 356, et præterea ibi, n. 13, 19, 25, 26, 133, 139, 140, 205, 297, 422, 523, 603; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 11 ad 27; ac ſupra in Explicatione ſuper Apocalypſin, n. 6, 59, 112, 115, 117. In Verbo paſſim nominantur pauperes et egeni, et quoque eſurientes et ſitientes, et per pauperes et egenos ſignificantur qui credunt ſe nihil ſcire ex ſe, et quoque qui non ſciunt quia non habent Verbum, et per eſurientes et ſitientes ſignificantur illi qui continue deſiderant vera et per illa perfici; hi et illi ſunt qui intelliguntur per pauperes, egenos, eſurientes et ſitientes in his locis, "*Beati pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt Regnum Cœlorum; beati eſurientes et ſitientes juſtitiam, quoniam illi ſaturabuntur,*" Matth. v. 3, 6. "*Beati pauperes quia eorum eſt Regnum Cœlorum, beati eſurientes quoniam ſaturabimini,*" Luc. vi. 20, 21. "*Pauperibus prædicabitur Evangelium, et pauperes audiunt Evangelium,*" Luc. vii. 22. Matth. xi. 5. "*Paterfamilias dixit ſervo, ut abiret in plateas et vicos urbis, et introduceret pauperes,*" Luc. xiv. 21. "*Tunc paſcent primogeniti pauperum, et egeni confidenter cubabant,*" Eſaj. xxiv. 30. "*Eſurivi et dediſtis Mihi edere; ſitivi et potaſtis Me,*" Matth. xxv. 35. "*Pauperes et Egeni quærentes aquam, ſed non; lingua eorum ſiti deficit, Ego Jehovah exaudiam illos; aperiam ſuper clivis fluvios, et in medio vallium fontes ponam,*" Eſaj. xli. 17, 18. Ex ultimo hoc loco patet, quod pauperes et egeni ſint qui deſiderant cognitiones boni et veri, aqua enim quam quærunt eſt verum, quod aqua ſit verum fidei, videatur ſupra, n. 71; deſiderium eorum deſcribitur per quod lingua eorum ſiti deficiat, et abundantia quam habituri, per quod aperientur fluvii ſuper clivis, et fontes in medio vallium. Qui non ſciunt, quod per Divites ſignificentur illi qui Verbum habent, et inde in cognitionibus veri et boni poſſunt eſſe, et quod per pauperes ſignificentur illi qui non habent Verbum, et uſque deſiderant vera; non aliter ſciunt quam quod per Divitem, Luc. xvi. 19. ſeq. qui induebatur purpura et byſſo, intelligantur divites in mundo, et per pauperem projectum ad veſtibulum ejus, et deſiderabat ſaturari micis quæ cadebant ex menſa divitis, intelligantur pauperes in mundo; ſed per Divitem ibi intelligitur Gens Judaica, quæ habebat Verbum, et potuit inde in cognitionibus veri et boni eſſe, et per pauperem ibi intelliguntur gentes quæ non habebant Verbum, et tamen deſiderabant cognitiones veri et boni; quod dives deſcribatur per quod indutus eſſet purpura et byſſo, erat quia purpura ſignificat genuinum bonum, n. 9467; et byſſus genuinum verum, n. 5319, 9469, 9596, 9744, utrumque ex Verbo; et quod pauper deſcribatur per quod projectus eſſet ad veſtibulum divitis, et deſideraret ſaturari micis quæ caderent e menſa divitis, erat quia projici ad veſtibulum erat rejici, ac privari lectione et intellectu Verbi, et velle ſaturari micis ex menſa divitis, eſt deſiderare aliqua vera inde, nam cibus ſignificat illa quæ ſunt ſcientiæ, intelligentiæ et ſapientiæ, in genere bonum et verum, n. 3114, 4459, 4792, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656, 8562, 9003; et menſa ſignificat receptaculum earum, n. 9527. Quia pauper in deſiderio illo erat, quod idem eſt cum affectione veri ſpirituali, ideo de eo dicitur, quod ſublatus ſit ab Angelis in Sinum Abrahami, per quod ſignificatur quod in ſtatum Angelicum quoad intelligentiam et ſapientiam, ſinus Abrahami eſt Divinum Verum quod in Cœlo, qui enim in illo ſunt, apud Dominum ſunt; quod Abraham in Verbo ſignificet Dominum, videatur n. 2011, 2833, 2836, 3245, 3251, 3305, 3439, 3703, 6098, 6185, 6276, 6804, 6847. Simile quod per divitem, et per pauperem eſurientem ibi, ſignificatur per divites et eſurientes apud Lucam, "*Eſurientes implevit bono, et divites dimiſit inanes*," i. 53. Quod per divitias in Verbo intelligantur divitiæ ſpirituales, quæ ſunt cognitiones veri et boni ex Verbo, videatur n. 1694, 4508, 10227; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 365; et in oppoſito ſenſu cognitiones falſi et mali, quas confirmant ex ſenſu literæ Verbi, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1694. Quod Divitiæ in Verbo ſignificent cognitiones veri et boni, et inde intelligentiam et ſapientiam, eſt ex correſpondentia; in Cœlo enim apud Angelos apparent omnia ſicut fulgentia ex auro, argento et lapidibus pretioſis; et hoc quantum in intelligentia veri et ſapientia boni ſunt: etiam apud ſpiritus, qui infra Cœlos ſunt, ſunt divitiæ in apparentia ſecundum receptionem veri et boni a Domino apud illos.

119. Et blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe, et non ſunt, quod ſignificet invectionem ab illis qui putant ſe in cognitionibus boni et veri eſſe, quia habent Verbum, et tamen non ſunt, conſtat ex ſignificatione blaſphemiæ, quod ſit vituperatio et invectio; et ex ſignificatione Judæorum, quod ſint qui in cognitionibus boni et veri ex Verbo ſunt, nam Judah in Verbi ſenſu ſupremo ſignificat Dominum quoad amorem cœleſtem, in ſenſu interno Regnum cœleſte Domini et Verbum, et in ſenſu externo doctrinam e Verbo quæ Eccleſiæ cœleſtis, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3881, 6363; inde conſtare poteſt, quod per blaſphemiam dicentium ſe Judæos eſſe et non ſunt, ſignificetur vituperatio et invectio ab illis, qui dicunt ſe agnoſcere Dominum, et eſſe in Regno Ipſius, inque vera doctrina, quia habent Verbum, et non tamen ſunt, in genere qui dicunt ſe in cognitionibus boni et veri eſſe ex Verbo, et tamen in falſis et malis ſunt. Qui nihil de ſenſu interno Verbi norunt, non aliter ſcire poſſunt quam quod in Propheticis Verbi per Jehudam et Judæos intelligantur Jehudah et Judæi, aſt per Nomina eorum ibi non illi intelliguntur, ſed omnes qui in vera doctrina Eccleſiæ ſunt, ita qui in cognitionibus boni et veri ex Verbo, et in oppoſito ſenſu illi qui in falſa doctrina ſunt, ita qui vera et bona Verbi adulteraverunt: quod non Jehudah et Judæi ſint intellecti, conſtare ſolum poteſt ex eo, quod ſenſus internus ſit in ſingulis Verbi, et quoque in nominibus perſonarum et locorum,

et quod in illo ſenſu non agatur niſi de rebus Cœli et Eccleſiæ, inde quoque per nomina Jehudæ et Iſraelis; et quia apud illos inſtituta fuit Eccleſia, in qua repræſentativa et ſignificativa cœleſtium fuerunt omnia, ideo per Nomina eorum ſignificatum eſt id quod eſſentialiter facit Eccleſiam, nempe in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus, et in interno Verbum Ipſius, ac in externo Doctrina ex Verbo, ut ſupra dictum eſt: inde patet, quantum hallucinantur qui ſecundum literam credunt, quod Judæi reducendi ſint in terram Canaanem, et quod illi electi et deſtinati ſint ad cœlum præ aliis; cum tamen pauci ex illa gente ſalvantur, quoniam non alii ſalvantur quam qui credunt in Dominum, et qui credit in Dominum in mundo, is credit in Ipſum poſt obitum; et illa gens prorſus a ſua fide rejicit Ipſum. Quod per Jehudam intelligatur Dominus quoad Regnum ſuum et quoad Verbum, conſtare poteſt a Prophetico Iſraelis de filiis ſuis, quod cum evolvitur per ſenſum internum patet, quid unaquævis Tribus in Eccleſia repræſentavit. Quod Tribus Jehudæ repræſentaverit Regnum Domini ſeu Eccleſiam ubi Verbum, conſtat manifeſte, nam de Jehudah dicitur, "*Catulus leonis Jehudah, a præda aſcendiſti, fili mi: non recedet ſceptrum de Jehudah, nec Legiſlator ab inter pedes ejus, uſque dum venit Schilo, et huic adhæſio populorum, qui ligabit ad vitem pullum aſininum ſuum, et ad vitem nobilem filium aſinæ ſuæ; dum laverit in vino veſtimentum ſuum, et in ſanguine uvarum velamen ſuum,*" Geneſ. xlix. 9, 10, 11; quod ſingula hæc ſignificent Regnum Domini ſeu Eccleſiam, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, ubi illa explicantur. Qui ſcit, quod per Jehudam intelligatur in ſupremo ſenſu Dominus, et in interno Regnum Ipſius ac Verbum, ac in externo doctrina e Verbo, ac in oppoſito ſenſu illi qui negant Dominum et adulterant Verbum, ſcire poteſt quid per Jehudam plurimis in locis in Verbo ſignificatur; ut in ſequentibus his, "*Audite domus Jacobi, vocati nomine Iſraelis, et ex aquis Jehudæ exiverunt,*" Eſaj. xlviii. 1; domus Jacobi et Iſraelis eſt Eccleſia; ex aquis Jehudæ exire eſt ex doctrina e Verbo, Eccleſia enim inde eſt; quod aquæ ſint vera doctrinæ ex Verbo, videatur ſupra, n. 71. "*Filios Jehudæ et filios Hieroſolymæ vendidiſtis filiis Græcorum, ut longe removeatis eos a terminis eorum. Fiet in die illo omnes rivi Jehudæ fluent aquis, et fons e domo Jehovæ exibit, et Jehudah in æternum ſedebit,*" Joel iv. 6, 18, 20; vendere filios Jehudæ et filios Hieroſolymæ filiis Græcorum, eſt falſificare bona et vera Eccleſiæ; in die illo, eſt quando finis illius Eccleſiæ eſt, et nova apud gentes inſtaurata; omnes rivi Jehudæ fluent aquis, ſignificant abundantiam veri et boni ex Verbo illis qui in Nova Eccleſia; quod ex Verbo, ſignificatur per quod fons e domo Jehovæ exibit; inde patet, quod per Jehudam qui in æternum ſedebit, non intelligatur Jehudah ſeu Judaica gens, ſed omnes illi qui in bono per vera ex Verbo ſunt. Similia intelliguntur per Jehudam in ſequentibus his locis, "*Domus Jehudæ miſerebor, et ſalvabo illos, et congregabuntur filii Jehudæ et filii Iſraelis una, et ponent ſibi caput unum, et aſcendent e terra, quia magnus dies Jehovæ,*" Hoſch. i. 7, 11. "*Tunc adhærebunt Gentes multæ Jehovæ in die illo, erunt Mihi in populum, habitabo namque in te, tunc Jehovah hæreditatem ſibi faciet Jehudam, portionem ſuam ſuper terra ſanctitatis, et eliget iterum Hieroſolymam,*" Sach. ii. 15, 16. "*Viſitabit Jeho-*

vah Zebaoth gregem ſuum, domum Jehudæ, et ponet eos equum gloriæ in bello; potentem reddam domum Jehudæ,” Sach. x. 3, 6. “*Deus ſalvabit Zionem, et ædificabit urbes Jehudæ, et habitabunt ibi, et hereditabunt eam, et ſemen ſervorum illius hæreditabunt eam; et amantes Nomen Jehovæ habitabunt in ea,*” Pſalm. lxix. 36, 37. “*Producam ex Jacobo ſemen, et ex Jehudah hæredem montium meorum, ut poſſideant eum electi mei,*” Eſaj. lxv. 9; præter in plurimis aliis locis. Porro quod Gens Judaica non intellecta ſit in Verbo in illis locis et in aliis ubi vocantur Electi et Hæredes, videri poteſt ex illis quæ de Gente illa ex Arcanis Cœlestibus allata ſunt in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 248. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe, et non ſunt.

120. Sed ſynagoga Satanæ, quod ſignificet doctrinam omnium falſorum apud illos, conſtat ex ſignificatione ſynagogæ, quod ſit doctrina, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſatanæ, quod ſit infernum ex quo omnia falſa; ſunt bina genera Infernorum, unum in quo ſunt illi qui in malis, et alterum in quo ſunt illi qui in falſis mali; infernum in quo ſunt illi qui in malis, una voce vocatur Diabolus, ac Infernum in quo ſunt illi qui in falſis mali, una voce vocatur Satanas: quod ita nominentur Inferna, ignorant illi qui nihil de Infernis ſciunt, et qui de diabolo captaverunt opinionem quod creatus fuerit lucis Angelus, et quia rebellis factus cum turba ſua dejectus ſit, et ſic factum eſt Infernum: quod Inferna dicantur Diabolus et Satanas, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 311, 544, 553; et in Opuſculo de Ultimo Judicio in articulo ubi oſtenſum eſt, quod *Cœlum et Infernum ſint ex Humano Genere*, n. 14 ad 22. Præterea ſciendum eſt, quod ſicut omnia bona et vera ſunt e Cœlis a Domino, ita omnia mala et falſa ex Infernis; qui credit, quod bona et vera aliunde ſint quam e Cœlis a Domino, et quod mala et falſa aliunde quam ex Infernis, multum fallitur, homo ſolum eſt receptaculum eorum, et quo ſe vertit, inde recipit, ſi ſe vertit ad Cœlum, quod fit per bona amoris et vera fidei, tunc recipit bona et vera a Domino; at ſi ſe vertit ad Infernum, quod fit per mala amoris et falſa fidei, tunc recipit mala et falſa ab Infernis: quoniam nunc omnia mala et falſa ab infernis ſunt, et inferna una voce dicuntur vel diabolus vel ſatanas, ſequitur quod per Diabolum etiam ſignificentur omnia mala et per Satanam omnia falſa; inde nunc eſt, quod per ſynagogam Satanæ ſignificetur doctrina omnium falſorum. Quod per Synagogam ſignificetur doctrina, eſt quia in Synagogis docebatur, et quoque lites in doctrinalibus dirimebantur; quod in Synagogis doceretur patet apud Matth. Cap. iv. 23. Cap. ix. 35. Cap. xiii. 54. Marc. i. 21, 22, 28, 39. Cap. vi. 2. Luc. iv. 15, 16, 44. Cap. xiii. 10, 14. Joh. xviii. 20: quod lites in doctrinalibus in Synagogis dirimerentur, concludi poteſt ex illis quæ dicuntur apud Matthæum, Cap. x. 17. Marc. xiii. 9. Luc. xii. 11. Cap. xxi. 12. Joh. ix. 22. Cap. xii. 42. Cap. xvi. 23. Quod apud gentem Judaicam fuerit Doctrina omnium falſorum, conſtare poteſt ex multis quæ de illa gente nota ſunt, quod nempe negaverint Dominum, quod velint Meſſiam cujus regnum ſit in terris, et qui evehat illos ſupra omnes gentes in mundo, quod omnem cultum in externis ponant, et quod interna cultus quæ ſunt fidei et amoris in Dominum, rejiciant, quod omnia in Verbo ad ſe applicent, et illud per traditiones a ſe

inventas falſificent, videatur Matth. xv. 6, 7, 8, 9. Marc. vii. 1 ad 13: porro qualis illa gens quoad interiora ſua ab initio fuerat, conſtare poteſt ex Cantico Moſis Deutr. Cap. xxxii. et alibi pluries; et in Collectis ex Arcanis Cœlestibus in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 248.

121. Ne timeas quæ futurus es pati, quod ſignificet ne doleant quod tales perſequantur vos, conſtat ex ſignificatione ne timeas, cum de illis qui paſſuri ſunt perſequutiones, quod ſit ne doleant animo nam timor eorum eſt etiam dolor; et ex ſignificatione quæ futurus es pati, nempe ab illis qui in doctrina omnium falſorum ſunt, quod ſit quod tales perſequuturi ſint. Agitur nunc de perſequutione illorum qui in affectione veri ſpirituali ſunt ab illis qui in falſis: hoc imprimis conſtare poteſt ex illis qui tales in mundo ſpirituum ſunt, de quo mundo videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 421 ad 535, nam ibi patent omnes quales ſunt quoad interiora quæ ſunt cogitationis et intentionis, quoniam quiſque ibi in ſe eſt, quia eſt ſpiritus, ac ſpiritus eſt qui cogitat et intendit: omnes ibi ſpiritus vel conjuncti ſunt infernis vel conjuncti cœlis; illi qui conjuncti ſunt infernis, ut primum appercipiunt aliquem in affectione veri ſpirituali eſſe, incipiunt flagrare odio, et conantur eum perdere, non ſuſtinent viſum ejus; plerique ex illis cum modo parumperpercipiunt jucundum affectionis veri ſpiritualis, quod eſt ipſum jucundum cœli, fiunt ſicut inſani, et tunc nihil jucundius illis eſt quam id exſtinguere; inde patet, quod omnia inferna ſint contra affectionem veri ſpiritualem, et quod omnes Cœli ſint in illa. Simile foret in terris inter homines, ſi in perceptione eſſent in qua ſunt ſpiritus; ſed quia in tali non ſunt, et inde non ſciunt quinam ſunt, quieſcunt, et inter ſe amice agunt ſecundum jucunda mundi: ſed uſque ſe manifeſtat inter Eccleſias apud illos qui religioſis ſtudent: et quoque ſe manifeſtat apud illos qui in affectione illa ſpirituali ſunt per id quod falſa in cogitationes eorum irrumpant conantia exſtinguere deſiderium eorum et inde jucundum; falſa illa quæ in cogitationes irrumpunt ſunt ab inferno; nam omnia, quæ homo cogitat, vel ex inferno vel e cœlo ſunt, ut ſupra, n. 120, dictum eſt.

122. Ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam, quod ſignificet quod qui in falſis ex malo ſunt aggreſſuri deprivare illos omni vero ex Verbo, conſtat ex ſignificatione conjicere in cuſtodiam, cum de illis qui in affectione veri ſpirituali ſunt, quod ſit conari et aggredi deprivare veris ex Verbo, de qua ſequitur; et ex ſignificatione diaboli, quod ſint inferna quæ ſunt in malo et inde falſis, de qua ſupra n. 119. Quod conjicere in cuſtodiam, cum de illis qui in affectione veri ſpirituali ſunt, ſit conari et aggredi deprivare veris ex Verbo, eſt quia vera ſunt ſicut in cuſtodia aut in carcere, cum falſa irrumpunt, et quamdiu hæc ſub intuitione ſunt, vera non poſſunt apparere, minus in libertatem emitti; illi qui in affectione veri ſpirituali ſunt, qui ſunt qui amant vera quia vera ſunt, in tali carcere toties detinentur, quoties non intelligunt Verbum, et tamen volunt intelligere; falſa quæ captivant, exſurgunt ab inferno in naturalem hominem, quando dominantur ibi jucunda amoris ſui et mundi, hæc enim jucunda ſunt origines omnium malorum et inde falſorum, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 65 ad 83. Hoc in ſpirituali ſenſu intelligitur per conjici a Diabolo in cuſtodiam; diabolus enim quia

eſt infernum, et ex inferno omne malum exſurgit, et ejus influxus eſt in naturalem hominem et non in ſpiritualem, ideo afficit omnes qui in illorum amorum jucundis ſunt, et hos ſibi ſubjicit et facit turbam ſuam; nam omnes qui in Infernis ſunt, in malis et inde falſis ex amoribus ſui et mundi ſunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 551 ad 565; ſed quod jucunda illorum amorum vertantur in correſpondentia, quæ qualia ſunt videatur etiam ibi, n. 485 ad 490. Hæc conjectio in cuſtodiam a diabolo deſcribitur in Verbo per quod Judæi et mali perſequuturi ſint Diſcipulos Domini, illos probris affecturi et occiſuri, nam per diſcipulos Domini intelliguntur omnes qui in Veris ex bono ſunt, ita qui in Veris ex Domino; et cum illi per diſcipulos Domini intelliguntur, etiam in ſenſu abſtracto a perſonis, qui ſenſus eſt ipſe ſenſus ſpiritualis Verbi, intelliguntur ipſa vera et bona quæ ex Domino per Verbum Ipſius; quod per duodecim Diſcipulos Domini intelligantur omnia fidei et amoris in complexu, ita omnia vera et bona Eccleſiæ, videatur n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397; quod Verbum in Cœlo intelligatur abſtracte a perſonis, ſupra n. 99, 100. Qui novit, quod per Diſcipulos Domini intelligantur omnes qui in veris ex bono a Domino ſunt, et in ſenſu abſtracto ipſa vera ex bono, et quod per conjectionem illorum in cuſtodiam a diabolo intelligatur conatus illorum qui in falſis ex malo ſunt deprivandi illos veris, ac in ſenſu abſtracto a perſonis detentio et captivatio verorum a falſis, ut ſupra, illi intelligere poſſunt quid in utroque ſenſu ſignificatur in ſequentibus his locis, “*Injicient in vos manus et perſequentur vos, tradentes vos in ſynagogas et cuſtodias propter Nomen meum,*” Luc. xxi. 12; quod propter Nomen Domini ſignificet propter bona amoris et vera fidei ab Ipſo, videatur ſupra n. 102. “*Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio habiti propter Nomen meum,*” Matth. xxiv. 9, 11. “*Tradent vos in Synedria et in Synagogas, et flagellabunt vos propter Me,*” Matth. x. 17. 18. Marc. xii. 9. “*Ecce mitto ad vos Prophetas, et Sapientes et Scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris, et perſequemini ab urbe in urbem,*” Matth. xxiii. 34. “*Homo Paterfamilias plantavit vineam, et locavit agricolis; cum appropinquavit tempus fructuum, miſit ſervos ſuo ad agricolas, ut acciperet fructus ejus, ſed apprehendentes agricolæ ſervos, unum ceciderunt virgis, alterum occiderunt, alium lapidarunt: iterum miſit alios ſervos, ſed fecerunt iis ſimiliter. Tandem miſit ad eos Filium ſuum, ſed agricolæ videntes Filium dixerunt inter ſe, hic eſt hæres, venite occidamus Ipſum, et poſſideamus hæreditatem Ipſius, et apprehendentes Ipſum, ejecerunt extra vineam, et occiderunt,*” Matth. xxi. 33 ad 44. “*Dixit Sapientia Dei, mittam ad illos Prophetas et Apoſtolos, et ex illis occident et perſequentur,*” Luc. xi. 49; quod per Prophetas in Verbo intelligantur docentes vera, et in ſenſu abſtracto a perſonis doctrina veri, videatur n. 2534, 7269; et quod ſimilia per Apoſtolos, ſupra n. 100. “*Beati cum probris affecerint vos, et perſequuti fuerint, dixerintque omne verbum malum contra vos mentientes propter Me, gaudete et exultate, quoniam merces veſtra multa in cœlis; ſic enim perſequuti ſunt Prophetas, qui ante vos,*” Matth. v. 10, 11, 12. “*Beati cum odio habuerint vos homines, et cum ſeparaverint, et probro affecerint et ejecerint Nomen veſtrum ſicut malum propter Filium hominis; ſecundum hoc faciebant Prophetis patres eorum,*” Luc. vi. 22, 23. Simile quod in his locis, ſignificatur etiam per verba Domini, quod ſequuturi

Ipſum et portaturi crucem ſuam, in his ſequentibus, " *Jeſus dixit Diſcipulis ſuis, ſi quis vult poſt Me venire, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur Me,*" Matth. xvi. 24. Marc. viii. 34; abnegare ſeipſum eſt rejicere mala quæ ex proprio. " *Qui non portat crucem ſuam, et venit poſt Me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus,*" Luc. xiv. 27. " *Jeſus dixit ad adoleſcentem divitem, unum tibi deeſt, abi, vende quæcunque habes, et veni ſequere Me portans crucem,*" Marc. x. 21; per hoc in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod rejecturus eſſet falſa quæ erant doctrinæ Judaicæ, et accepturus doctrinam veri a Domino, et quod ſubiturus impugnationes et tentationes a falſis; quare falluntur qui credunt, quod qui Dominum volunt ſequi vendituri ſint ſua bona, et paſſuri crucem. Quoniam Dominus erat ipſum Divinum Verum, quod apud Johannem, Cap. i. 1, 2, 3, 14, vocatur Verbum, ideo per quod Dominus paſſus ſit Se flagellari et crucifigi, ſignificatur quod a Judæis ita factum ſit cum Divino Vero quod in Verbo: quod omnia quæ de Paſſione Domini apud Evangeliſtas memorantur, involvant et ſignificent quod Judæi ita Divinum Verum tractaverint, videatur ſupra n. 83; quare dicit Dominus, " *Mementote ſermonis mei, ſi Me perſequuti ſunt, etiam vos perſequentur,*" Joh. xv. 20. Quod Judæi in ſpecie intelligantur per diabolum qui conjecturus eſſet diſcipulos Domini in cuſtodias, et quod in genere intelligantur omnes qui ſe Judæos vocant et non ſunt, ſed ſynagoga Satanæ, ſecundum ea quæ ſupra n. 119, 120, allata ſunt, patet a Domini verbis apud Johannem, " *Loquelam meam non cognoſcitis, quia non poteſtis audire ſermonem meum; vos ex patre diabolo eſtis, et deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, et in veritate non ſtetit, quia non veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax eſt et pater ejus,*" viii. 43, 44; quod ab initio fuerint contra vera, et in falſis ex malo, ſignificatur per quod pater eorum eſſet homicida ab initio, et non veritas ſed mendacium in eo, homicida eſt deſtructor veri Eccleſiæ, et pater ſunt priores. De gente Judaica qualis fuerat et quoque hodie eſt, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 248. Quod per vinctos in carcere ſignificentur qui in falſis ex malo, in Arcanis Cœlestibus, n. 4988, 5096. Quod per vinci in carcere ſignificetur detineri et ſeparari a veris, n. 5037, 5083, 5086, 5096; et quoque quod tentari, n. 5037, 5038. Quod Judæi tales fuerint, ut nunc deſcriptum eſt, erat quia in amore ſui et mundi fuerunt præ aliis gentibus, et qui tales ſunt cum legunt Verbum, omnia applicant ſuis amoribus, et Judæi imprimis, quia toties nominati ſunt: ſimiliter fit cum aliis qui in illis amoribus ſunt, nam is amor qui dominatur, mentem legentis vertit ſolum ad illa, quæ favent ei, amor enim eſt quaſi ignis, ex quo lucent illa quæ favent, cætera vel prætereuntur ſicut non viſa, vel trahuntur in partes per ſiniſtram explicationem, et ſic falſificantur. Hi et illi infeſtant eos qui in affectione veri ſpirituali, et intelliguntur per diabolum, qui illos qui ab Eccleſia Domini ſunt, injicit in cuſtodiam, ex his enim e mundo ſpirituali influunt omnia falſa apud illos qui deſiderant vera, quæ illos tenent quaſi vinctos in carcere; intelliguntur etiam per eos de quibus Dominus dicit, " *In cuſtodia fui et non viſitaſtis Me,*" Matth. xxv. 43.

123. Ut tentemini, quod ſignificet inde incrementum deſiderii veri, conſtat ex ſignificatione tentari, quod ſit infeſtari a falſis, de qua in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 197, 198, hic autem, quia dicitur, quod conjiciet

ex vobis diabolus in cuſtodiam, per quod intelligitur illa infeſtatio, ideo per tentari ſignificatur incrementum deſiderii et inde veri, quoniam tentationes id efficiunt: quod per Tentationes, in quibus homo vincit, fiat illuſtratio et perceptio veri et boni, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 8367, 8370. Quod inde intelligentia et ſapientia, n. 8966, 8967. Quod vera poſt tentationes in immenſum creſcant, n. 6663; præter plura, de quibus videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 187 ad 201.

124. Et habebitis afflictionem diebus decem, quod ſignificet quod infeſtatio et inde tentatio duratura ſit aliquo tempore, conſtat ex ſignificatione afflictionis, quod ſit infeſtatio et tentatio illorum qui in affectione veri ſpirituali ſunt ab illis qui in falſis, quod hoc per afflictionem intelligatur, patet, quoniam de illis dicitur; et ex ſignificatione dierum decem, quod ſit duratio aliquo tempore: cauſa quod per dies decem ſignificetur duratio aliquo tempore, eſt quia per quadraginta dies ſignificatur integra duratio infeſtationis et tentationis, videatur n. 2959, 7985, 7986, et decem ſunt inde aliqua pars; omnes enim numeri in Verbo ſignificant res aut ſtatus, ac varios ſecundum reſpectum ad alios numeros; numerus decem abſque reſpectu ad alios numeros ſignificat plenum aut multum, videatur n. 3107, 4638, at reſpective ad majorem ſignificat quantum ad uſus, n. 9757; hic itaque durationem aliquo tempore, ita ſicut uſus poſtulat. Quod omnes numeri in Verbo ſignificent res aut ſtatus, n. 482, 487, 647, 755, 813, 1963, 1988, 2075, 2252, 3252, 4264, 4495, 4674, 5265, 6175, 9488, 9659, 10217, 10253. Qui expendit, videre poteſt, quod hic per afflictionem dierum decem, quam habituri ſunt qui conjecti in cuſtodiam a diabolo, aliud ſignificetur quam afflictio dierum decem.

125. Eſto fidelis uſque ad mortem, quod ſignificet permanentiam in veris ad finem, conſtat abſque explicatione: dicitur uſque ad mortem, quia qualis homo eſt cum moritur, talis manet in æternum; vita anteacta eſt modo vita formationis ſpiritus ejus, de qua re videantur plura in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 470 ad 484.

126. Et dabo tibi coronam vitæ, quod ſignificet ſapientiam et inde felicitatem æternam, conſtat ex ſignificatione coronæ, cum de illis qui in ſpirituali affectione cognitionum veri et boni ſunt, quod ſit ſapientia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione vitæ, quod ſit felicitas æterna, quæ etiam vita æterna vocatur: quod illis, qui in ſpirituali affectione veri et boni ſunt, de quibus hic agitur, ſit felicitas æterna, eſt quia Cœlum apud hominem implantatur per cognitiones veri et boni ex Verbo; qui credit quod Cœlum implantetur per alia media, multum fallitur; homo enim naſcitur ſolum naturalis cum facultate ut fieri poſſit ſpiritualis, ſed fit ſpiritualis per vera ex Verbo et per vitam ſecundum illa; quis uſquam fieri poteſt ſpiritualis, niſi ſciat aliquid de Domino, de Cœlo, de vita poſt mortem, de fide et de amore, et de reliquis quæ ſunt media ſalutis; ſi homo illa ignoraret, manſurus eſſet naturalis, et mere naturalis homo non poteſt aliquid commune habere cum Angelis cœli, qui ſpirituales ſunt: ſunt binæ mentes apud hominem, una exterior et altera interior, mens exterior vocatur mens naturalis, mens autem interior vocatur mens ſpiritualis; illa mens ſeu naturalis aperitur per cognitiones rerum quæ ſunt in mundo, hæc autem mens ſeu ſpiritualis aperitur per cognitiones rerum quæ

ſunt in Cœlo, quas docet Verbum, et ex Verbo Eccleſia, per has fit homo ſpiritualis dum novit illas et vivit ſecundum illas: hoc intelligitur per Domini verba apud Johannem, "*Niſi quis fuerit generatus ex aqua et ſpiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei,*" iii. 5; per aquam ſignificantur vera fidei, et per ſpiritum vita ſecundum illa, videatur ſupra n. 71; et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 202 ad 209. Perplurimi hodie credunt, quod in Cœlum venturi ſint ſolum per ſanctum cultum in templis, perque adorationes et preces; ſed illi ex iis qui non curant cognitiones veri et boni ex Verbo, ac illas imbuunt non ſolum memoria ſed etiam vita, manent naturales ut prius, nec fiunt ſpirituales, nam ſanctus eorum cultus, adorationes et preces non procedunt ex aliqua origine ſpirituali; mens enim eorum ſpiritualis non eſt aperta per cognitiones rerum ſpiritualium et per vitam ſecundum illas, ſed eſt vacua, et cultus procedens ex vacuo eſt modo geſtus naturalis, cui non aliquid ſpirituale ineſt; ſi tales quoad moralem et civilem vitam inſinceri ac injuſti ſunt, tunc ſanctus eorum cultus, adorationes et preces intus in ſe habent tale quod repellit cœlum a ſe, loco quod credant, quod per illa recipiant cœlum, eſt enim eorum ſanctus cultus ſicut vas in quo ſunt tetra et ſordida quæ tranſpirant; et eſt ſicut veſtis ſplendida intra quam eſt corpus ſcatens ex ulceribus; vidi tales ad multa millia dejectos in infernum: aliter vero ſanctus cultus, adorationes et preces apud illos qui in cognitionibus veri et boni ſunt et in vita ſecundum illas, apud hos placent illa Domino, nam ſunt effectus ſpiritus eorum in corpore, ſeu effectus fidei et amoris eorum, ſic tantum non ſunt geſtus naturales ſed actus ſpirituales. Ex his conſtare poteſt, quod cognitiones veri et boni ex Verbo et vita ſecundum illas, ſolum faciant hominem ſpiritualem, et quod ei, qui ſpiritualis per illa fit, indi poſſit ſapientia Angelica a Domino, et cum hac felicitas æterna; nec eſt Angelis aliunde felicitas quam ex ſapientia. Quod Corona ſignificet Sapientiam, eſt quia omnia quæ inveſtiunt hominem ac inſigniunt illum, trahunt ſignificationem ab illa parte hominis quam inveſtiunt ſeu inſigniunt, videatur n. 9827, ac Corona ſapientiam, quia inſignit caput, per quod in Verbo ſignificatur ſapientia, reſidet enim ibi; ut apud Ezechielem, "*Ornavi te ornatu, dedique armillas ſuper manus tuas, et torquem ſuper guttur tuum. Inſuper dedi monile ſuper naſum tuum, et inaures ſuper aures tuas, et Coronam ornatus in caput tuum,*" xvii. 11, 12; ibi agitur de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia, qualis illa a Domino inſtaurata eſt; per ſingula hæc inſignia in ſenſu ſpirituali intelliguntur talia quæ ſunt Eccleſiæ, et ſignificationem trahunt ex parte cui applicantur; per Coronam ornatus ibi intelligitur ſapientia; quid autem per ornatum, videatur n. 10536, 10540: quid per armillas, n. 3103, 3105: quid per torquem, n. 5320: quid per monile, n. 4551: et quid per inaures, n. 4551, 10402. Similiter ſapientia quæ ex cognitionibus veri et boni ex Verbo et ex vita ſecundum illas, ſignificatur per Coronam in pluribus aliis locis in Verbo, ut Eſaj. xxviii. 5. Jerem. xiii. 18. Thren. v. 15, 16. Ezech. xxi. 30, 31. Cap. xxiii. 42. Sach. vi. 11, 12, 13. Pſalm. lxxxix. 39, 40. Pſalm. cxxxii. 17, 18. Hiob. xix. 9. Apoc. iii. 11. Cap. iv. 4. Quod Reges coronentur, eſt ex antiquis temporibus quando ſciverunt repræſentativa et ſignificativa; ſciverunt enim quod Reges repræſentarent Dominum quoad Divinum Verum, et quod Corona ſignificatura eſſet ſapientiam: quod

Reges repræſentaverint Dominum quoad Divinum Verum, videatur n. 1672, 2015, 2069, 3009, 4581, 4966, 5068, 6148. Quod Reges ac filii Regis dicantur qui in veris ſunt, ſupra n. 31; et quia illi dicuntur reges in Verbo, et regibus eſt corona, ideo hic, ubi de illis agitur, dicitur quod accepturi coronam vitæ.

127. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, videatur ſupra n. 108, ubi dicuntur ſimilia.

128. Et vincens non læditur a morte ſecunda, quod ſignificet quod qui permanet in genuina affectione veri ad finem vitæ ſuæ in mundo, in novum cœlum venturus ſit, conſtat ex ſignificatione vincere, cum de illis qui deſiderant cognitiones veri et boni ex Verbo, quod ſit permanere in genuina affectione veri uſque ad finem vitæ in mundo; dicitur vincens, quia illi ſunt qui ſpiritualem tentationem, quæ eſt a malis et falſis, ſubeunt, et pugnant, quibus reſiſtere, et quæ domare et ſubjugare ſicut ſuos hoſtes, eſt vincere. Sed nemo vincit, niſi permaneat in affectione veri ſpirituali uſque ad finem vitæ in mundo, tunc abſolvitur opus, nam homo in æternum manet qualis tunc eſt, nempe qualis ejus vita ad illum terminum fuit, mors eſt complementum ejus. Sed vincere nemo poteſt, niſi ſolus Dominus; homo qui credit ex ſe vincere, et non Dominus apud illum, is non vincit, ſed ſuccumbit; eſt enim fides ſpiritualis quæ vincit, et nihil fidei ſpiritualis eſt ab homine, ſed omne ejus a Domino; quid fides ſpiritualis, videatur in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39; et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 108 ad 120; et quid Tentatio ſpiritualis, ibi n. 187 ad 201. Quod non lædi a morte ſecunda ſit venire in novum Cœlum, non ſciri poteſt niſi ſciatur quid prius cœlum, et quid novum cœlum, de quibus in Apocalypſi, Cap. xxi; quid prius cœlum, aliquid oſtenſum eſt in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 65 ad 72, et quid novum Cœlum, in Nova Hierosolyma et ejus Doctrina, n. 1 ad 7. Sed quid prima Mors et quid ſecunda Mors, tum quid prima Reſurrectio et ſecunda Reſurrectio, dicitur in Explicatione ad Cap. xx. xxi. ubi dicitur, “*Reliqui ex mortuis non reviviſcent, donec conſummati fuerint mille anni, hoc eſt Reſurrectio prima: beatus et ſanctus qui habet partem in Reſurrectione prima, in hos ſecunda Mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei et Chriſti,*” xx. 5, 6. “*Eorum pars erit in ſtagno ardente igne et ſulphure, quod eſt Mors ſecunda,*” xxi. 8: inde patet, quod Mors ſecunda ſit damnatio, inde lædi ab illa eſt damnari, ac viciſſim non lædi ab illa eſt ſalvari; et quia omnes qui ſalvantur in novum Cœlum veniunt, ideo per non lædi a morte ſecunda ſignificatur venire in novum Cœlum, de quo, et a quibus id, videatur in Opuſculo de Nova Hierosolyma et ejus Doctrina, n. 2 ad 6.

129. Verſ. 12 ad 17. *Et Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit habens romphæam ancipitem acutem. Novi opera tua, et ubi habitas, ubi thronus Satanæ; et tenes Nomen meum, et non negaſti fidem meam, et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis qui occiſus apud vos, ubi habitat Satanas. Sed habeo adverſus te pauca, quod habeas illic tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balacum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis, edere idolothyta et ſcortari. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum quod odi. Reſipiſce, ſin minus, veniam tibi cito,*

et pugnabo cum illis romphæa oris mei. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis: vincenti dabo illi edere de manna abſcondito; et dabo illi calculum album, et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo novit niſi qui accipit. Et Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe, ſignificat ad recordationem illis intra Eccleſiam qui in tentationibus ſunt: hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam, ſignificat Dominum Qui ſolus in tentationibus pugnat: novi opera tua, ſignificat amorem et fidem: ubi habitas, ſignificat inter quos nunc vivit: ubi thronus Satanæ, ſignificat ubi regnant omnia falſa: et tenes Nomen meum, ſignificat agnitionem Divini in Humano Ipſius: et non negaſti fidem, ſignificat conſtantiam in veris: et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis qui occiſus apud vos, ſignificat in eo tempore et ſtatu quo odio habentur omnes qui Divinum Humanum Domini profitentur: ubi habitat Satanas, ſignificat ab illis qui in doctrina omnium falſorum ſunt: ſed habeo adverſus te pauca, ſignificat quod cavendum ſit: quod habeas illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis, ſignificat illos qui quoad intellectum illuſtrati ſunt et docent vera, ſed uſque amant dolo perdere illos qui ab Eccleſia: edere idolothyta et ſcortari, ſignificat ut imbuant mala et inde falſa: ita habes tu tenentes doctrinam Nicolaitarum quod odi, ſignificat illos qui ſeparant bonum a vero ſeu charitatem a fide, quod eſt contra Divinum ordinem: reſipiſce, ſignificat diſſociationem ab illis: ſin minus, veniam tibi cito, et pugnabo contra illos romphæa oris mei, ſignificat ſi non, cum viſitatio venit, quod diſpergentur: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet, quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt: vincenti dabo edere de manna abſcondito, ſignificat iis, qui in tentationibus vincunt, jucundum amoris cœleſtis ex Divino Humano Domini: et dabo illi calculum album, ſignificat ſapientiam et intelligentiam: et in calculo nomen novum ſcriptum quod nemo novit niſi qui accipit, ſignificat ſtatum vitæ interioris ignotum omnibus præter illis qui in eo ſunt.

130. Et Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe, quod ſignificet ad recordationem illis intra Eccleſiam qui in tentationibus ſunt, conſtat ex ſignificatione ſcribere, quod ſit ad recordationem, de qua n. 8620; ex ſignificatione Angeli, quod ſit recipiens Divini Veri, et in ſenſu ſupremo ipſum Divinum Verum procedens a Domino, de qua ſequitur; et ex ſignificatione Eccleſiæ in Pergamo, quod ſint illi intra Eccleſiam qui in tentationibus ſunt; quod ii ſint qui intelliguntur per Eccleſiam in Pergamo, patet a ſcriptis ad illam, quæ ſequuntur, aliunde non ſciri poteſt quid per unamquamvis Eccleſiam ex ſeptem ſignificatur; nam ut prius oſtenſum eſt, non intelligitur aliqua Eccleſia in Epheſo, in Smyrna, in Pergamo, Thyatira, Sarde, Philadelphia et Laodicea, ſed omnes qui ab Eccleſia Domini ſunt, et per unamquamvis aliquid quod facit Eccleſiam apud hominem; et quia prima Eccleſiæ ſunt cognitiones veri et boni, et affectio veri ſpiritualis, ideo de illis primum actum eſt, nempe in ſcriptis ad Angelum Epheſinæ et Smyrnenſis Eccleſiæ, de cognitionibus veri et boni ad Angelum Epheſinæ Eccleſiæ, et de affectione veri ſpirituali ad Angelum Smyrnenſis Eccleſiæ: et quia nemo poteſt imbui cognitionibus veri et boni quoad vitam, ac perſiſtere in affectione veri ſpirituali, niſi ſubeat tentationes, ideo nunc de illis agitur in ſcriptis ad angelum

Eccleſiæ in Pergamo: inde apparet quo ordine ſequuntur illa, quæ ſub nominibus ſeptem Eccleſiarum docentur. Quod dicatur, *ad Angelum Eccleſiæ ſcribe*, et non ad Eccleſiam, eſt quia per Angelum ſignificatur Divinum Verum, quod facit Eccleſiam, Divinum enim Verum docet, quomodo homo victurus eſt ut fiat Eccleſia: quod per Angelum in Verbo in ſenſu ejus ſpirituali non intelligatur aliquis Angelus, ſed in ſupremo ſenſu Divinum Verum procedens a Domino, et in ſenſu reſpectivo is qui recipit illud, conſtare poteſt ex eo quod omnes Angeli ſint recipientes Divini Veri a Domino, et quod nullus Angelus ſit ex ſe Angelus, et quod tantum Angelus ſit quantum illud recipit, nam Angeli præ hominibus ſciunt et percipiunt, quod omne bonum amoris et verum fidei non ſit ab ipſis ſed a Domino, et quia bonum amoris et verum fidei faciunt ſapientiam et intelligentiam eorum, et hæc totum Angelum, ideo norunt et dicunt ſe modo eſſe recipientes Divini procedentis a Domino, et ſic in eo gradu eſſe Angelos in quo id recipiunt; inde eſt quod velint ut Angeli intelligantur ſpiritualiter, quod eſt abſtracte a perſonis, nempe Divina Vera. Per Divinum Verum intelligitur ſimul Divinum Bonum, quoniam unita procedunt a Domino, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13, 140. Nunc quia Divinum Verum procedens a Domino facit Angelum, ideo in ſupremo ſenſu in Verbo per Angelum intelligitur Ipſe Dominus; ut apud Eſajam, "*Angelus facierum Jehovæ liberavit eos, ob amorem ſuum et indulgentiam ſuam: Hic redemit eos et aſſumpſit eos, et portavit eos omnibus diebus æternitatis*," lxiii. 9. Apud Moſen, "*Angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat illis*," Geneſ. xlviii. 16. Apud Eundem, "*Ego mitto Angelum coram te, ad cuſtodiendum te in via, cavete tibi a faciebus Ipſius, quia Nomen meum in medio Illius*," Exod. xxiii. 20 ad 23. Quia Dominus quoad Divinum Verum vocatur Angelus, ideo etiam Divina Vera in ſenſu ſpirituali intelliguntur per Angelos, ut in ſequentibus locis, "*Mittet Filius hominis Angelos ſuos, qui colligent e Regno ſuo omnia offendicula. In conſummatione ſæculi exibunt Angeli et ſeparabunt malos e medio juſtorum*," Matth. xiii. 41, 49. "*In conſummatione ſæculi Filius hominis mittet Angelos ſuos cum tubæ voce magna, et congregabit electos e quatuor ventis*," Matth. xxiv. 31. "*Quando venerit Filius hominis in gloria ſua, et omnes ſancti Angeli cum Ipſo, tunc ſedebit ſuper throno gloriæ ſuæ*," Matth. xxv. 31. "*Dixit Jeſus, exhinc videbitis Cœlum ſe aperiens, et Angelos Dei aſcendentes et deſcendentes ſuper Filium hominis*," Joh. i. 52; in his locis in ſenſu ſpirituali per Angelos intelliguntur Divina Vera, et non Angeli; ut in locis antecedentibus, quod in Conſummatione ſæculi Angeli collecturi ſint omnia offendicula, ſeparaturi malos e medio juſtorum, quod collecturi electos cum tubæ voce magna e quatuor ventis, et quod Filius hominis cum Angelis ſeſſurus ſuper throno gloriæ; ibi non intelligitur, quod Angeli id una cum Domino facturi ſint, ſed quod ſolus Dominus per Divina ſua Vera, quoniam Angeli nihil potentiæ ex ſe habent, ſed omnis potentia eſt Domino per Divinum ſuum Verum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 230 ad 233: ſimile intelligitur per quod viſuri Angelos Dei aſcendentes et deſcendentes ſuper Filium hominis, nempe quod Divina Vera in Ipſo et ab Ipſo eſſent. Per Angelos etiam alibi intelliguntur Divina Vera quæ a Domino, proinde Dominus quoad Divina Vera, ut "*quod ſeptem Angelis* *datæ ſint ſeptem tubæ, et quod Angeli illi tubis clanxerint,"* Apoc. viii. 2, 6, 7, 8, 10, 12, 13. Cap. ix. 1, 13, 14; dicitur quod datæ ſint Angelis tubæ, et quod illis clanxerint, quia per tubas et illarum clangorem ſignificatur Divinum Verum revelandum, videatur ſupra, n. 55. Similia etiam intelliguntur per "*Angelos pugnantes contra draconem,*" Apoc. xii. 7, 9. "*Per Angelum volantem in medio Cœli habentem Evangelium æternum,*" Apoc. xiv. 6. "*Per ſeptem Angelos effundentes ſeptem phialas,*" Apoc. xvi. 1, 2, 3, 4, 8, 10, 12. "*Per duodecim Angelos ſuper duodecim portis Novæ Hieroſolymæ,*" Apoc. xxi. 12; quod ita ſit, videbitur etiam in ſequentibus. Quod per Angelos intelligantur Divina Vera quæ ſunt a Domino, patet manifeſte apud Davidem, "*Jehovah facit Angelos ſuos Ventos, et Miniſtros ſuos Ignem flammantem,*" Pſalm. civ. 2, 3; per quæ ſignificatur Divinum Verum et Divinum Bonum, nam Ventus Jehovæ in Verbo ſignificat Divinum Verum, et Ignis Ipſius Divinum Bonum, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Arcanis Cœlestibus oſtenſa ſunt, ut quod Ventus narium Jehovæ ſit Divinum Verum, n. 8286; quod quatuor Venti ſint omnia veri et boni, n. 3708, 9642, 9668; quod inde reſpirare in Verbo ſignificet ſtatum vitæ fidei, n. 9281: ex quibus patet, quid ſignificatur per quod Jehovah inſpiraverit in nares Adami, Geneſ. ii. 7; per quod Dominus inſpiraverit in diſcipulos, Joh. xx. 22; per quod dicatur "Ventus quo vult ſpirat, et vocem ejus audis, non ſcis unde venit," Joh. iii. 8; de quibus videatur n. 96, 97, 9229, 9281; et inſuper, n. 1119, 3886, 3887, 3889, 3892, 3893: quod Ignis flammans ſit Divinus Amor et inde Divinum Bonum, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 133 ad 140, 565, 567, 568, et ſupra, n. 68. Quod Angelus ſignificet Divinum Verum procedens a Domino, patet manifeſte ex his in Apocalypſi, "*Menſus eſt murum novæ Hieroſolymæ 144 cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli,*" xxi. 17; quod murus Hieroſolymæ non ſit menſura Angeli, quiſque videre poteſt, ſed quod ſint omnia vera tutantia, quæ per Angelum ibi intelliguntur, patet a ſignificatione muri Hieroſolymæ, et a ſignificatione numeri centum quadraginta quatuor; quod Murus ſignificet omnia vera tutantia, videatur n. 6419; quod numerus centum quadraginta quatuor ſignificet omnia veri in complexu, n. 7973; quod menſura ſignificet quale rei quoad verum et bonum, n. 3104, 9603, 10262; videantur etiam illa quoad ſenſum ſpiritualem explicata in Opuſculo de Nova Hierosolyma et ejus Doctrina, n. 1. Quia per Angelos in Verbo ſignificantur Divina Vera, ideo homines, ex quibus Divina Vera, aliquoties in Verbo dicuntur Angeli, ut apud Malachiam, "*Labia ſacerdotis cuſtodire debent ſcientiam, et legem quærent ex ore illius, quia Angelus Jehovæ ille,*" xi. 7; is Angelus Jehovæ dicitur ex eo quod doceat Divinum Verum, non quod is ſit Angelus Jehovæ ſed Divinum Verum quod docet; notum etiam in Eccleſia eſt, quod nemini ſit Divinum Verum ex ſe; Labia etiam ibi ſignificant Doctrinam veri, et Lex ipſum Divinum Verum; quod Labia ſignificent Doctrinam Veri, videatur n. 1286, 1288; et quod Lex ipſum Divinum Verum, n. 3382, 7462. Inde quoque eſt quod Johannes Baptiſta dicatur Angelus, "*Jeſus dixit, hic eſt de quo ſcriptum eſt, ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante Te,*" Luc. vii. 27; cauſa quod is dictus ſit Angelus eſt quia per illum in ſenſu ſpirituali ſignificatur Verbum, quod eſt Divinum Verum, ſimiliter ac Elias, videatur n. 9643, 9372; et quod ſignificatur hoc per perſonam in Verbo intelligitur, videatur n. 665, 1097, 1361, 3147, 3670, 3881, 4208, 4281, 4288, 4292, 4307, 4500, 6304, 7048, 7439, 8588, 8788, 8806, 9229. Dicitur, quod per Angelos in Verbo in ſenſu ejus ſpirituali intelligantur Divina Vera a Domino procedentia, quoniam hæc faciunt Angelos, et dum loquuntur illa, non ex ſe loquuntur ſed ex Domino; quod ita ſit non modo ſciunt ſed etiam percipiunt Angeli; homo qui credit quod nihil fidei ſit a ſe ſed a Deo, id quoque ſcit, ſed non percipit: quod nihil fidei ſit ab homine ſed omne a Deo, eſt quod nihil veri, quod vitam habet, ſit ab homine ſed a Deo, nam verum eſt fidei, et fides eſt veri.

131. Hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam, quod ſignificet Dominum qui ſolus in tentationibus pugnat, conſtat ex ſignificatione romphææ ſeu gladii, quod ſit verum pugnans contra falſum, et in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra verum; anceps acuta dicitur quia penetrat utrinque: hoc quia per romphæam ſignificatur, ideo per illam etiam ſignificatur diſperſio falſorum, et quoque tentatio; quod diſperſio falſorum, videatur ſupra, n. 78; quod tentatio, eſt quia in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur de tentationibus; quod etiam ſignificetur tentatio per romphæam, eſt quia tentatio eſt pugna veri contra falſum et falſi contra verum; quod tentatio ſpiritualis ſit talis pugna, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 187 ad 201; quod per *hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam* intelligatur Dominus quod ſolus in tentationibus pugnet, eſt quia in Capite præcedente Verſ. 16. dictum eſt, quod "*viſum quod ex ore Filii hominis ambulantis inter ſeptem candelabra romphæa anceps acuta exiret*;" et per Filium hominis intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, videatur ſupra, n. 63; quod Dominus ſolus in tentationibus pugnet, et nihil homo, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 195 ad 200. Quod per romphæam ſeu gladium ſignificetur pugna veri contra falſum, et falſi contra verum, eſt quia per Bella in Verbo ſignificantur Bella ſpiritualia, ac bella ſpiritualia ſunt verorum contra falſa ac falſorum contra vera; et quia bella in Verbo talia ſignificant, ideo etiam omnia arma belli, ſicut gladius, haſta, arcus, tela, clypeus, et plura, ſignificant aliqua ſpecialia pugnæ ſpiritualis, gladius imprimis, quia in bellis pugnatur gladiis: quod Bella ſignificent pugnas ſpirituales, videatur n. 1659, 1664, 8295, 10455; et quod inde ſingula arma belli ſignificent aliquid pugnæ ſpiritualis, n. 1788, 2686. Quod gladius in Verbo ſignificet verum pugnans contra falſum, ac falſi contra verum, ac inde diſperſionem falſorum, et quoque tentationem ſpiritualem, conſtare poteſt a plurimis locis ibi, quorum aliqua hic confirmationis cauſa in medium afferre volo, ut apud Matthæum, "*Jeſus dixit, ſe non veniſſe mittere pacem ſuper terram, ſed gladium*," x. 34; per gladium ibi intelligitur tentationis pugna; cauſa, quod ita dictum ſit, erat, quia homines eo tempore in falſis erant, et Dominus detexit vera interiora, et falſa non niſi quam per pugnas ex his veris poſſunt ejici. Apud Lucam, "*Jeſus dixit diſcipulis, nunc qui habet crumenam tollat, ſimiliter peram, qui vero non habet, vendat veſtimenta ſua, et emat gladium*," xxii, 35 ad 38; per crumenam et peram ſignificantur cog-

nitiones ſpirituales, ita vera, per veſtimenta ſignificantur propria, et per gladium pugna. Apud Jeremiam, "*Gladie contra Chaldæos et contra habitatores Babelis, et contra principes ejus et contra ſapientes ejus; Gladie contra mendaces ut ſtulteſcant; Gladie contra fortes ejus ut conſternentur; Gladie contra equos ejus, et contra currus ejus; Gladie contra theſauros ejus ut diripiantur; ſiccitas ſuper aquas ejus ut exareſcant,*" l. 35, 36, 37, 38: per Gladium ibi ſignificatur diſperſio et vaſtatio veri; per ſingulos illos apud quos erit, ut per Chaldæos, habitatores Babelis, principes et ſapientes ejus, mendaces, fortes, equos, currus, theſauros, ſignificantur illi aut illa quæ vaſtabuntur, ut per equos intellectualia, per currus doctrinalia, et per theſauros cognitiones; inde dicitur ſiccitas ſuper aquas ejus ut exareſcant, aquæ enim ſunt vera Eccleſiæ et ſiccitas ut exareſcant eſt vaſtatio; quod ſiccitas et exareſcentia ſit ubi non verum, videatur n. 8185: quod aquæ ſint vera Eccleſiæ, ſupra n. 71: quod theſauri ſint cognitiones, n. 1694 4508, 10227: quod equi ſint intellectualia, et currus doctrinalia, in Opuſculo de EQUO ALBO, n. 2 ad 5. Apud Eſajam, "*Jehovah diſceptabit, et in Gladio ſuo cum omni carne, et multiplicabuntur confoſſi Jehovæ,*" lxvi. 16. Apud Jeremiam, "*Super omnes colles in deſerto venerunt Vaſtatores, quia Gladius Jehovæ devorans a fine terræ uſque ad finem terræ,*" xii. 12. Apud Ezechielem, "*Propheta et dic; Gladius exacutus, etiamque expolitus, ut mactet mactationem exacutus eſt, ut ſit ei ſplendor expolitus eſt; iteretur Gladius tertio, Gladius confoſſorum, Gladius confoſſionis magnæ penetralia penetrans, ut colliqueſcat cor, et multiplicentur offendicula; contra omnes portas eorum dabo aciem Gladii; ah factus eſt in fulgur,*" xxi. 14 ad 20, 33. Apud Eſajam, "*Obviam ſitienti adferte aquas, cum pane prævenite vagabundum; nam coram Gladio vagabuntur, coram Gladio extenſo, et coram arcu tenſo, et propter gravitatem belli,* xxi. 14, 15. Apud Ezechielem, "*Cohorreſcent cum volare fecero Gladium meum præter facies eorum, ut trepident ad momenta vir propter animam ſuam, per Gladios potentium dejiciens multitudinem eorum,*" xxxii. 10, 11, 12. Apud Davidem, "*Exultabunt ſancti in gloria, cantabunt ſuper cubilibus ſuis, celſitudines Dei in gutture eorum, et Gladius orium in manu eorum,*" Pſalm. cxlix. 5, 6. Apud Eundem, "*Accinge Gladium tuum ſuper femur tuum, O Potens, in honore tuo conſcende currum, equita ſuper verbo veritatis, docebit Te mirabilia dextra tua, tela tua acuta,*" Pſalm. xlv. 4, 5, 6. In Apocalypſi, "*Data eſt Machæra magna ſedenti ſuper equo rufo,*" vi. 4. Et alibi, "*Ex ore ſedentis ſuper equo albo exibat romphæa acuta, ut per eam percutiat Gentes: reliqui occiſi ſunt romphæa ſedentis ſuper equo,*" xix. 15, 22; per Gladium in illis locis ſignificatur Verum pugnans et deſtruens: hæc deſtructio apparet imprimis in Mundo ſpirituali, illi ibi qui in falſis ſunt non ſuſtinent verum, anguntur ſicut qui luctantur cum morte cum veniunt in ſphæram lucis, hoc eſt, ubi Divinum Verum eſt, et quoque ſic deprivantur veris et vaſtantur. Sicut pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habent, ita quoque Gladius, et in eo ſenſu ſignificat falſum pugnans contra verum, ac deſtruens illud. Vaſtationes Eccleſiæ, quæ ſunt quando ibi non amplius vera ſed modo falſa, deſcribuntur in Verbo per Gladium, ut in ſequentibus his locis, "*Cadent ore gladii, et captivabuntur inter omnes gentes, tandem Hieroſolyma erit conculcata ab omnibus gentibus, uſque dum imple-*

buntur tempora gentium," Luc. xxi. 24; Conſummatio ſæculi, de qua ibi agitur, eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quando regnatura falſa; cadere ore gladii eſt quod verum deſtruetur per falſum; gentes ibi ſunt mala; Hieroſolyma eſt Eccleſia. Apud Eſajam, "*Rarum reddam Hominem præ auro puro; inventus confodietur; et omnis congregatus cadet gladio,*" xiii. 13, 15; homo qui rarus pro illis qui in veris; confodi et cadere gladio pro conſumi falſo. Apud Eundem, "*In die illo rejicient vir idola argenti ſui et idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ: Tunc cadet Aſchur gladio non viri, et gladius non hominis comedet eum; qui vero fugit ſibi coram gladio, juvenes ejus in tributum erunt,*" xxxi. 7, 8; idola quæ fecerunt manus ſunt falſa ex propria intelligentia; Aſchur eſt rationale per quod; cadere gladio non viri et non hominis, eſt non deſtrui per aliquam pugnam veri contra falſum; qui fugit ſibi coram gladio juvenes ejus in tributum erunt, eſt verum quod non deſtruitur hoc ſerviet falſis: quod hic ſenſus iſtorum verborum ſit, non apparet in ſenſu literæ, inde patet quantum diſtat ſenſus ſpiritualis a ſenſu literæ. Apud Jeremiam, "*In bonum percuſſi filios veſtros, et diſciplinam non acceperunt, comedit gladius veſter prophetas veſtros,*" ii. 30. Apud Eundem, "*Ecce prophetæ dicentes, non videbitis gladium, et fames non erit vobis; gladio et fame conſumentur prophetæ; ſi egredior in agrum, ecce confoſſi gladio, et ſi intro urbem ecce ægritudines famis,*" xiv. 13 ad 18; agitur hic et ibi de Eccleſiæ vaſtatione quoad verum, prophetæ ſunt qui docent vera, et gladius qui conſumit eos eſt falſum pugnans et deſtruens; ager eſt Eccleſia, urbs eſt doctrina, confoſſi gladio in agro ſunt apud quos in Eccleſia deſtructa ſunt vera, fames quæ intra urbem eſt defectus omnis veri in doctrina. Apud Eundem, "*Abnegarunt Jehovam quando dixerunt non Ille, non veniet ſuper nos malum, ac gladium famemque non videbimus,*" v. 12. Apud Eundem, "*Juvenes morientur gladio, ac filii filiæque eorum morientur fame,*" xi. 22; Juvenes ſunt qui in veris, et abſtracte ipſa vera; mori gladio eſt deſtrui per falſa; filii filiæque ſunt cognitiones veri et boni; fames eſt defectus earum. In Threnis, "*Cum periculo animarum noſtrarum adducimus panem noſtrum propter gladium deſerti,*" v. 9; deſertum eſt ubi non bonum quia non verum; gladius ejus eſt deſtructio veri; panis eſt bonum quod cum periculo animarum recipitur, quia omne bonum implantatur homini per verum. Apud Ezechielem, "*Gladius foris, ac peſtis et fames intus, qui in agro gladio morietur, qui in urbe peſtis et fames comedent,*" vii. 15; gladius eſt deſtructio veri; peſtis eſt inde conſumtio; fames eſt plenarius defectus: ſimiliter alibi, ut Jerem. xxi. 7. Cap. xxix. 17, 18. Cap. xxxiv. 17. Apud Sachariam, "*Væ paſtori nihili deſerenti gregem, Gladius ſuper brachio ejus, et ſuper oculo dextro ejus; brachium ejus areſcendo exareſcet, et oculus dexter ejus caligando caligabit,*" xi. 17; gladius ſuper brachio eſt deſtructio voluntarii quoad bonum, gladius ſuper oculo dextro eſt deſtructio intellectualis quoad verum; quod periturum omne bonum et omne verum ſignificatur per quod brachium areſcendo exareſcet et oculus dexter caligando caligabit. Apud Eſajam, "*Sic dicetis ad dominum veſtrum, ne time propter verba quæ audiviſti, quibus blaſphemarunt pueri Regis Aſchuris Jehovam, ecce cadere faciam eum gladio in terra ſua. Et Sancheribus Rex Aſchuris reverſus eſt, et factum eſt cum incurvaret ſe in domo Niſroth Dei ſui, duo filii percuſſerunt* *eum gladio*," xxxvii. 6, 7, 38; quia Rationale eſt quod agnoſcit et quod negat Divinum, et cum negat arripit omne falſum loco veri, et ſic perit, ideo hoc repræſentativum exſtitit, nempe quod Rex Aſchuris, quia blaſphemavit Jehovam, a filiis in domo Niſroth Dei ſui percuteretur gladio, Aſchur ſignificat rationale in utroque ſenſu, n. 119, 1186; filii regis illius ſignificant falſa; et gladius deſtructionem per illa. Apud Moſen, "*Urbs quæ colit alios deos, percuteretur gladio et combureretur igne*," Deut. xiii. 13, 19; hoc ſtatutum erat, quia eo tempore omnia repræſentativa erant; colere alios deos eſt colere ex falſis; percuti gladio eſt perire falſo, et comburi igne eſt perire malo falſi. Apud Eundem, "*Quiſquis tetigerit in agro confoſſum gladio, immundus erit*," Num. xix. 16, 18, 19; in agro confoſſus gladio repræſentabat illos intra Eccleſiam qui deſtruxerunt vera apud ſe; ager ibi eſt Eccleſia. Quod gladius ſignificet falſum deſtruens verum, patet apud Davidem, "*Inflammantur filii hominis, dentes eorum haſta et tela, et lingua eorum gladius acutus*," Pſalm. lvii. 5. "*Ecce eructant ore ſuo, gladii in labiis eorum*," Pſalm. lix. 8. "*Operantes iniquitatem acuunt ſicut gladium linguam ſuam, tendunt telum ſuum verbo amaro*," Pſalm. lxiv. 4. Ex his patet, quid ſignificatur per Domini verba ad Petrum, "*Omnes accipientes gladium, per gladium peribunt*," Matth. xxvi. 51, 52, nempe quod qui credunt falſa perituri ſint per falſa. Ex his nunc patet, quid per romphæam, machæram, ſeu gladium in Verbo in utroque ſenſu ſignificatur. Quod talia per gladium ſignificentur, eſt quoque ex apparentia in Mundo ſpirituali; quando ibi pugnæ ſpirituales ſunt, quæ ſunt pugnæ veri contra falſum, et falſi contra verum, tunc apparent varia arma belli, ſicut Enſes, Haſtæ, Clypei, et ſimilia; non quod per talia illis pugnæ ſint, ſed ſunt modo apparentiæ repræſentativæ pugnarum ſpiritualium; quando falſa acriter pugnant contra vera, tunc quandoque e Cœlo apparet ſplendor aut fulgur Enſis utrinque ſe vibrantis, ex quo magnus terror; quo diſſipantur illi qui ex falſis pugnant: ex eo patet, quid intelligitur per hæc apud Ezechielem, "*Exhorreſcent cum volare fecero Gladium meum præter facies eorum, ut trepident ad momenta propter animam ſuam*," xxxii. 10, 11, 12. Et apud Eundem, "*Propheta et dic, Gladius exacutus eſt, etiamque expolitus, ut ſit ei ſplendor, ut colliqueſcat cor, ah factus eſt in fulgur*," xxi. 14 ad 20, 33: quod inde tantus terror ſit, eſt quia ferrum ex quo enſis ſignificat verum in ultimis, ac ſplendor et fulgur eſt ex luce cœli et ejus vibratione ſuper eum, lux Cœli eſt Divinum Verum procedens a Domino; Divinum Verum ita incidens in illos qui in falſis ſunt terrorem incutit. Exinde quoque patet, quid ſignificatur per quod ejecto Adamo "*ab Oriente Edenis habitare facti ſint Cherubi, et flamma Gladii hinc inde vertentis et vibrantis ſe ad cuſtodiendum viam ad Arborem vitæ*," Geneſ. iii. 24; per arborem vitæ ſignificatur amor cœleſtis, qui eſt amor in Dominum; per Cherubos cuſtodia; per flammam gladii hinc inde vertentis ſe terrifica abactio et rejectio omnium qui in falſis ſunt; Oriens Edenis eſt ubi præſentia Domini eſt in illo amore: ſignificatur itaque per illa, quod omnis aditus clauſus ſit ad agnoſcendum ſolum Dominum, qui non vitam amoris vivit. Quod per gladium ſignificetur falſum, patet manifeſte apud Ezechielem, ubi de principe Tyri hoc dicitur, "*Evaginabunt gladios ſuper pulchritudinem ſapientiæ* *tuæ*," xxviii. 7; per principem Tyri ſignificatur intelligentia quæ ex cognitionibus veri, quia illa exſtinguitur per falſa, ideo dicitur ſuper ſapientiam, quod non dici poſſet niſi per gladios intelligerentur falſa.

132. Novi opera tua, quod ſignificet amorem et fidem, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 98 et 116, oſtenſa ſunt.

133. Ubi habitas, quod ſignificet inter quos nunc vivit, conſtat ex ſignificatione habitare, quod ſit vivere; quod habitare in ſenſu ſpirituali ſit vivere, eſt quia habitationes in Mundo ſpirituali ſunt omnes diſtinctæ ſecundum vitas ac vitæ differentias, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, de ſocietatibus in Cœlo, n. 41 ad 50, et n. 205 oſtenſa ſunt; inde eſt quod in Verbo per habitare ſignificetur vivere. Quod habitare ſit vivere, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 1293, 3384, 3613, 4451, 6051: quod cohabitare ſit concordem vitam agere, n. 6792. Quod habitationes in Verbo ſignificent illa quæ mentis ſunt, ita quæ intelligentiæ et ſapientiæ, ex quibus vita homini, n. 2719, 7910. Quod urbes dicantur de veris doctrinæ, habitatores de bono vitæ, n. 2268, 2451, 2712. Habitare in medio eorum, cum de Domino, quod ſit præſentia Ipſius et influxus in vitam amoris et fidei, n. 10153. Habitaculum Domini quod ſit Cœlum, n. 8269, 8309. Quod Habitaculum Tentorii apud filios Iſraelis repræſentaverit et ſignificaverit Cœlum, n. 9481, 9594, 9632.

134. Ubi thronus Satanæ, quod ſignificet ubi regnant omnia falſa, conſtat ex ſignificatione ubi thronus, quod ſit ubi regnat, nam per thronum ſignificatur regnum; ex ſignificatione Satanæ, quod ſint inferna ubi et unde omnia falſa, de qua ſupra, n. 120. Multis in locis in Verbo memorantur throni, et per illos in ſenſu ſpirituali ſignificatur judicium ex Divinis Veris, et in ſupremo ſenſu Regnum Spirituale Domini, ubi Divinum Verum pluſquam Divinum Bonum Domini recipitur, videatur n. 2129, 5313, 5315, 6397, 8625; ſed quia thronus nominatur hic in oppoſito ſenſu, ſuperſedetur nunc e locis e Verbo id oſtendere; oſtendetur in ſequentibus.

135. Et tenes Nomen meum, quod ſignificet agnitionem Divini in Humano Domini, ac omnia amoris et fidei in Ipſum, conſtat ex illis quæ ſupra de ſignificatione Nominis Jehovæ, Domini, et Jeſu Chriſti, n. 102 oſtenſa ſunt. Quod per Nomen Domini in Verbo primario intelligatur agnitio Divini in Humano Ipſius, eſt quia inde ſunt omnia amoris et fidei, non enim aliunde procedunt Divina bona quæ amoris et Divina vera quæ ſunt fidei quam a ſolo Domino, et ea non influere poſſunt apud hominem, niſi cogitet de Divino Domini cum ſimul de Humano Ipſius, Divinum Ipſius nec eſt ſeparatum ab Humano, ſed eſt in Humano, videatur ſupra, n. 10, 26, 49, 52, 77, 97, 113, 114: aſſeverare poſſum ex omni experientia de Spirituali Mundo, quod nemo ſit in veris fidei et in bonis amoris, niſi qui cogitat de Divino Domini ſimul cum de Humano Ipſius, ut et quod nemo ſit ſpiritualis ſeu Angelus, niſi in illa cogitatione et tunc agnitione fuerit in mundo; homo debet conjungi Divino ſuo fide et amore, ut poſſit ſalvari, et omnis conjunctio eſt cum Domino, et conjungi ſolum Humano Ipſius et non ſimul Divino, non eſt conjunctio, nam Divinum ſalvat, non Humanum abſque Divino: quod Humanum Domini ſit Divinum, videatur Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 280 ad 310.

136. Et non negaſti fidem, quod ſignificet conſtantiam in veris, conſtat ex ſignificatione non negare, cum de fide, quod ſit conſtans eſſe, nam qui conſtans eſt, non negat; et ex ſignificatione fidei, quod ſint vera, quoniam verum eſt fidei et fides eſt veri. Sunt duo quæ faciunt vitam hominis ſpiritualem, amor et fides, omne bonum ſe refert ad amorem et omne verum ad fidem; ſed verum tantum eſt fidei apud hominem, quantum trahit ex bono amoris, quoniam omne verum eſt ex bono, eſt enim forma ejus, et omne bonum eſt Eſſe veri; bonum enim cum formatur, ut appareat menti et per mentem in loquela, vocatur verum; inde dictum eſt quod bonum ſit Eſſe veri: ſed de his plura videantur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 11 ad 27, tum 28 ad 35, 54 ad 64, 108 ad 122.

137. Et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis qui occiſus apud vos, quod ſignificet in eo tempore et ſtatu quo odio habentur omnes qui Divinum Humanum Domini profitentur, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit tempus et ſtatus, de qua n. 23, 488, 493, 893, 2788, 3462, 3785, 4850, 10656, inde in diebus in quibus, ſignificat in eo tempore et ſtatu; ex ſignificatione Antipatis Martyris mei fidelis, quod ſint qui profitentur Divinum Humanum Domini, de qua ſequitur; et ex ſignificatione occidi, quod ſit odio haberi, quod occidi ſit odio haberi, eſt quia qui odio habet is perpetuo occidit, non aliud gerit animo ac vult quam occidere, et quoque occideret niſi inhiberent leges; hoc latet in odio, quapropter qui odio habet proximum, in altera vita, quando ei vincula externa auferuntur, continue ſpirat necem alterius; hoc mihi teſtatum factum eſt multa experientia. Quod Antipas martyr fidelis ſignificet illos qui odio habentur propter agnitionem Divini Humani Domini, eſt quia Antipas quidam eo tempore ideo occiſus eſt, quapropter per illum intelliguntur omnes qui ideo odio habentur: ſicut per Lazarum, qui projectus ad veſtibulum divitis et deſideravit ſaturari micis ex menſa ejus cadentibus, intelliguntur omnes quos Dominus amat quia deſiderant vera ex affectione ſpirituali, videatur ſupra n. 118; quod Dominus amaverit quendam dictum Lazarum, quem etiam exſuſcitavit a mortuis, patet apud Johannem, Cap. xi. 3, 5, 36; et quod accubuerit cum Domino ad menſam, Cap. xii. propterea Lazarus dictus eſt a Domino, qui voluit ſaturari micis cadentibus e menſa divitis, per quod ſignificatur deſiderium ad vera ex affectione ſpirituali ut ſupra n. 118 oſtenſum eſt: ſicut nominatus eſt Lazarus propterea, ita Antipas quia martyr factus ob Nomen Domini, hoc eſt, ob agnitionem Divini Humani Ipſius. Quod illi odio habeantur ab omnibus illis qui non cogitant de Divino Domini ſimul cum de Humano Ipſius, non ſciri poteſt ex illis qui in mundo ſunt, ſed ex iiſdem in altera vita, omnes illi ibi flagrant tanto odio contra illos qui ſolum Dominum adeunt, ut paucis deſcribi non poſſit, nihil potius cupiunt quam occidere illos; cauſa eſt, quia omnes qui in infernis ſunt, contra Dominum ſunt, et omnes qui in cœlis ſunt cum Domino ſunt; et illi qui ab Eccleſia ſunt, et non agnoſcunt Divinum Domini in Humano Ipſius, unum agunt cum Infernis, inde eſt illis tantum odium: illis ſæpius dictum eſt, quod male faciant, quia ſciunt ex Verbo, "*quod Domino ſit omnis poteſtas in cœlis et in terris,*" Matth. xxviii. 18, ita quod ſit Deus cœli et terræ: "*tum quod Ipſe ſit via, veritas et vita, et quod nemo veniat ad Patrem niſi per Ipſum,*" Joh. xiv. 6: ut et,

quod “ *qui videt Dominum videat Patrem, quia Ipſe in Patre et Pater in Ipſo,*” Joh. xiv. 7 ad 11: Et “ *quod nemo ſpeciem Patris viderit, nec vocem Ipſius audiverit, et quod ſolus Dominus qui in ſinu Ipſius, et qui unum cum Illo,*” Joh. i. 18. Cap. v. 37, præter plura; quibus auditis avertunt ſe, non enim poſſunt negare, ſed offenduntur, et ſpirant uſque necem omnium profitentium Dominum, ut prius, ex cauſa quia odium illis eſt inſitum, videatur ſupra n. 114. Quod illi odio habituri ſint omnes propter Dominum, prædixerat Dominus quibuſdam in locis, ut apud Matthæum, “ *In conſummatione ſæculi tradent vos in afflictionem, et occident vos, et eritis odio habiti ab omnibus propter Nomen meum,*” xxiv. 9, 10: apud Johannem, “ *Jeſus dixit, ſi mundus vos odit, ſcite quod Me prius quam vos oderit: ſi Me perſequuti ſunt, etiam vos perſequentur; hæc omnia facient vobis propter Nomen meum,*” xv. 18 ad 25; et præter hæc videantur loca ſupra n. 122 ex Verbo allata. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod per Antipas martyr meus fidelis, qui occiſus apud vos, intelligantur qui odio habentur, quia Divinum Humanum Domini profitentur.

138. Ubi habitat Satanas, quod ſignificet ab illis qui in doctrina omnium falſorum ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra n. 120 et 134 allata et oſtenſa ſunt. In præcedentibus deſcribitur inter quos ſunt qui in tentationibus, nempe quod ſint inter illos qui in omnis generis falſis ſunt; homo enim quoad corpus ſuum eſt cum hominibus in Mundo naturali, at quoad cogitationes et intentiones eſt cum Spiritibus in Mundo ſpirituali; quando in tentationem ſpiritualem venit, tunc eſt inter illos ſpiritus qui in falſis ſunt, hi cogitationes ejus ligant, et tenent illos ſicut vinctos in carcere, et continue infundunt ſcandala contra vera fidei, et evocant mala vitæ ejus; ſed Dominus continue tutatur hominem influendo ab interiori, et ſic tenet hominem in conſtantia reſiſtendi; tales ſunt tentationes ſpirituales. Quod homo qui in tentationibus eſt inter ſpiritus qui in falſis ſunt, intelligitur per hæc in hoc Verſu, “ *Novi ubi habitas, ubi thronus Satanæ;*” et quoque per hæc, “ *et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis occiſus apud vos, ubi habitat Satanas;*” et conſtantia reſiſtendi intelligitur per hæc, “ *Tenes Nomen meum, et non negaſti fidem meam.*” Sed in Tentationes ſpirituales non alii immittuntur, quam qui agnoſcunt Divinum Domini in Humano Ipſius, et in affectione veri ſpirituali ſunt; reliqui ſunt naturales homines, qui non tentari poſſunt. Sed de Tentationibus videantur quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 187 ad 201 oſtenſa ſunt.

139. Sed habeo adverſus te pauca, quod ſignificet quod cavendum ſit, conſtat a ſequentibus, nam ibi dicitur a quibus cavendum eſt.

140. Quod habeas illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis, quod ſignificet illos qui quoad intellectum illuſtrati ſunt et docent vera, ſed uſque amant dolo perdere illos qui ab Eccleſia, conſtat ex Hiſtoricis Verbi de Bileamo et Balaco in ſenſu ſpirituali intellectis, quæ prius memoranda ſunt: Bileamus ex Pethor Meſopotamiæ erat Præſtigiator, et ideo vocatus a Balaco Rege Moabi ut maledicerit populo Iſraelitico, ſed hoc inhibuit Jehovah, et dedit ei loqui prophetice; ſed uſque poſtea conſuluit Balaco perdere illum populum dolo, abducendo illum a cultu Jehovæ ad cultum Baalpeoris: inde nunc per Bileamum intelliguntur illi qui quoad intellectum illuſtrati ſunt et docent vera, ſed uſque amant dolo

perdere illos qui ab Eccleſia. Quod Bileamus Præſtigiator fuerit, conſtat ex his apud Moſen, “ *Iverunt ſeniores Moabi et ſeniores Midianis ad Bileamum, et præſtigiæ in manu eorum,*” Num. xxii. 7. “ *Cum viderit Bileamus quod bonum in oculis Jehovæ benedicere Iſraeli, non ivit ſicut prioribus vicibus obviam divinationibus,*” Num. xxiv. 1. Et apud Joſuam, “ *Bileamum filium Beoris præſtigiatorem occiderunt filii Iſraelis gladio ſuper confoſſos eorum,*” xiii. 22. Quod vocatus ſit a Balaco Rege Moabi ad maledicendum populo Iſraelitico, videatur Num. xxii. 5, 6, 16, 17. Deut. xxiii. 4, 5: ſed quod Jehovah hoc inhibuerit, ac dederit ei loqui prophetice, Num. xxii. 9, 10, 12, 20. Cap. xxiii. 5, 16; Prophetica quæ loquutus eſt, videantur Num. xxiii. 7 ad 15, 18 ad 24. Cap. xxiv. 5 ad 9, 16 ad 19, 20 ad 24, quæ omnia ſunt vera, quia dicitur quod “ *Jehovah poſuerit verbum in os ejus,*” Num. xxii. 5, 12, 16. Quod poſtea conſuluerit Balaco perdere populum Iſraeliticum dolo, abducendo a cultu Jehovæ ad cultum Baalpeoris, patet ab his apud Moſen, “ *In Schittim cœpit populus ſcortari cum filiabus Moabi, et vocarunt populum ad ſacrificia deorum ſuorum; comedit populus et incurvavit ſe diis eorum, imprimis adjunxit ſe Baalpeori, ideo occiſi ſunt ab Iſraele viginti quatuor millia,*” Num. xxv. 1, 9, 18. *Occiderunt Bileamum inter Midianitas; et filii Iſraelis captivas duxerunt omnes fœminas ex Midianitis, quod erat ex conſilio Bileami ad tradendum illos prævaricationi contra Jehovam per negotium Peoris,*” Num. xxxi. 16. Quod per Bileamum intelligantur, qui quoad intellectum illuſtrati ſunt et docent vera, ſequitur ex nunc oſtenſis, nam loquutus eſt prophetice vera de Iſraele et quoque de Domino, quod quoque de Domino, videatur in prophetia ejus, Num. xxiv. 17; loqui prophetice de Iſraele, non eſt de populo Iſraelitico ſed de Eccleſia Domini quæ per Iſraelem ſignificatur; illuſtrationem intellectus ſui etiam ipſe deſcribit his verbis, “ *Dictum Bileami filii Beoris, dictum viri aperti oculos, dictum audientis verba Dei, qui procidit et revelatus oculos,*” Num. xxiv. 3, 4, 15, 16; apertus oculis et revelatus oculos eſt illuſtratus quoad intellectum; oculi enim in Verbo ſignificant intellectum, videatur n. 2701, 4410, 4421, 4523 ad 4534, 9051, 10569. Quod per Bileamum ſimul intelligantur qui amant dolo perdere illos qui ab Eccleſia, etiam patet ex ſupra oſtenſis; et præterea continue, cum equitavit ſuper Aſina, meditatus eſt præſtigiis uti ad perdendum filios Iſraelis, et cum hoc non potuit aggredi per maledictiones, conſuluit Balaco perdere illos vocando ad ſacrificia deorum ejus, et ſcortando cum filiabus Moabi; per filios Iſraelis, quos perdere voluit, ſignificatur Eccleſia, quoniam apud illos Eccleſia inſtituta fuit, videatur n. 6426, 8805, 9340. Arcanum de aſina, ſuper qua Bileamus equitavit, quæ ter deflexit e via ex viſo Angelo cum enſe evaginato, et quod loquuta ſit ad Bileamum, velim hic paucis explicare: Bileamus cum equitavit ſuper Aſina, continuo meditatus eſt præſtigias contra filios Iſraelis, lucrum quo honoraretur in animo ejus erat, quod etiam patet ex his ejus verbis, “ *Non ivit ſicut prioribus vicibus obviam divinationibus,*” Num. xxiv. 1; corde etiam præſtigiator erat, quare cum ex ſe, non aliud cogitavit; per Aſinam ſuper qua equitatur, in ſenſu ſpirituali Verbi ſignificatur intellectuale illuſtratum, quapropter equitare ſuper Aſina ſeu mula erat inſigne ſummi Judicis et Regis, videatur ſupra n. 31, et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2731, 5741, 9212; Angelus cum enſe evaginato ſignificat Divinum

num Verum illuſtrans et pugnans contra falſum, videatur etiam ſupra n. 131: inde per quod aſina ter deflexerit e via, ſignificatur quod intellectus illuſtratus non concordaret cum cogitatione præſtigiatoris, quod etiam intelligitur per quod Angelus dixit ad Bileamum, "*Ecce ego exivi in adverſum, quia mala eſt via coram me,*" Num. xxii. 33; per viam in ſenſu ſpirituali Verbi ſignificatur id quod homo ex intentione cogitat, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 479, 534, 590, et in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 43; quod detentus ſit a cogitatione et intentione præſtigiis utendi per timorem mortis, patet ab Angeli dictis ad illum, "*Niſi Aſina declinaſſet coram me, utique etiam nunc te occidiſſem,*" Num. xxii. 33. Auditum a Bileamo ſicut Aſina loquuta ſit ad illum, ſed uſque non illa loquuta eſt, verum audita eſt loquela ſicut ab illa; quod ita ſit, per vivam experientiam mihi ſæpius oſtenſum eſt, datum eſt audire equos ſicut loquentes, quod tamen non erat ab illis ſed ſicut ab illis: cum Bileamo actualiter ita factum eſt, ob cauſam ut deſcriberetur hiſtoria illa in Verbo propter ſenſum internum in ſingulis, in quo deſcribitur quomodo Dominus tutatur illos qui in veris et bonis ſunt, ne lædantur a talibus qui loquuntur quaſi ex illuſtratione, et tamen animum et intentionem ſeducendi gerunt; qui credit quod Bileamus potuiſſet lædere filios Iſraelis per præſtigias, multum fallitur, nam præſtigiæ nihil quicquam valuiſſent contra illos, quod etiam ipſe Bileamus fatetur, dicendo, "*non valet divinatio contra Jacobum, nec præſtigiæ contra Iſraelem,*" Num. xxiii. 23. Quod Bileamus ſeducere potuiſſet illum populum dolo, erat cauſa quia populus ille talis fuit corde, Jehovam modo ore colebant ſed Baalpeorem corde, et quia tales erant, ideo hoc permiſſum fuit. Præterea ſciendum eſt, quod homo poſſit in illuſtratione eſſe quoad intellectum, tametſi in malo eſt quoad voluntatem; facultas enim intellectualis ſeparata eſt a facultate voluntaria apud omnes qui non regenerati ſunt, at ſolum apud illos qui regenerati ſunt unum agunt; intellectus enim eſt ſcire, cogitare et loqui vera, voluntatis autem eſt velle illa quæ intelligit, et ex voluntate ſeu amore facere illa: diſſidentia utriuſque apparet manifeſte apud ſpiritus malos, quando illi convertuntur ad bonos ſpiritus, etiam intelligunt vera et quoque agnoſcunt illa, pæne ſicut illuſtrati forent, aſt ut primum ſe convertunt ab illis, redeunt ad voluntatis ſuæ amorem, et nihil veri vident, imo negant illa quæ audiverunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 153, 424, 455. Quod Intellectus in illuſtratione poſſit eſſe, datum eſt homini propter reformationem; in voluntate enim hominis reſidet omne malum, tam in quod naſcitur, quam in quod ſemet introducit, et voluntas non emendari poteſt, niſi homo ſciat et per intellectum agnoſcat vera et bona, et quoque falſa et mala, alioquin non poteſt hæc averſari et illa amare. Plura de voluntate et intellectu videantur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 28 ad 36.

141. Edere idolothyta et ſcortari, quod ſignificet ut imbuant mala et inde falſa, conſtat ex ſignificatione edere, quod ſit appropriare ſibi et conſociari, de qua n. 2187, 2343, 3168, 3513, 5643, 8001, ita quoque imbuere; ex ſignificatione idolothytorum, quæ ſunt quæ ſanctificata ſunt idolis, quod ſint mala omnis generis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſcortari, quod ſit falſificare vera, de qua etiam ſequitur. Quod Bileamus conſuluerit Balaco,

laco, ut invitaret filios Iſraelis ad ſacrificia deorum ejus, conſtat ex illis quæ in præcedente articulo oſtenſa ſunt, et ex his apud Moſen, "*Conſedit Iſrael in Schittim, ubi cœpit populus ſcortari cum filiabus Moabi; vocavit enim populum ad ſacrificia deorum ſuorum, et comedit populus, et incurvavit ſe diis eorum; imprimis adjunxit ſe populus Baal Peori; ideo accenſa eſt ira Jehovæ contra Iſraelem, et occiſi ſunt quatuor et viginta millia,*" Num. xxv. 1, 2, 3, 9: fuerat ex ſtatutis ubi Sacrificia inſtituta ſunt, quod ex Sacrificiis imprimis Euchariſticis aliqua adolerentur ſuper Altari, et aliqua comederentur in loco ſancto; ipſa ſacrificia ſignificabant cultum ex amore et fide, et commeſſationes appropriationes boni illius: quod Sacrificia ſignificaverint omnia cultus ex bono amoris et fidei, videatur n. 923, 6905, 8680, 8936, 10042; et quod commeſſationes appropriationem boni, n. 10109. Quia commeſſationes ex ſanctificatis Jehovæ ſignificabant appropriationem boni, inde commeſſationes ex ſacrificiis quæ pro diis gentium erant, et idolothyta vocabantur, ſignificabant appropriationem mali. Quod ſcortari in ſenſu ſpirituali ſignificet imbuere falſa, tum quoque falſificare vera, conſtat ex pluribus locis in Verbo; ſimile ſignificabatur per ſcortationes filiorum Iſraelis cum filiabus Moabi; omnia enim Hiſtorica in Verbo involvunt ſpiritualia et ſignificant illa, ut conſtare poteſt ab Explicationibus ſuper Geneſin et Exodum, quæ ARCANA CŒLESTIA vocantur; et quia commeſſationes filiorum Iſraelis ex idolothytis et ſcortationes eorum cum filiabus Moabi talia quoque involvebant, nam quæ ſignificant involvunt, ideo mandatum eſt ut Capita populi ſuſpenderentur Jehovæ coram ſole, et ideo Pinchaſus filius Eleazaris transfodit in lupinari virum ex Iſraele et fœminam Midianitiden, propter quod etiam benedictus eſt; et ideo quoque occiſi ſunt ex Iſraele ad viginti quatuor millia, videatur Num. xxv. 1 ad fin. tales pœnæ et tales plagæ nequaquam ob ſolam commeſſationem ex idolothytis, et ſcortationem cum fœminis alius gentis potuiſſent ex mandato fieri, niſi involviſſent nefanda contra Cœlum et Eccleſiam, quæ non exſtant in literali ſenſu Verbi, ſed ſolum in ejus ſenſu ſpirituali; nefanda illa quæ involvebantur, erant, quod prophanarent ſimul bona et vera Eccleſiæ; quod erat, ut ſupra dictum eſt, appropriatio mali et falſi. Quod adulteria et ſcortationes talia involvant, conſtat ex plurimis locis in Verbo, ubi illa memorantur, ex quibus manifeſte patet, quod per illa ſignificentur adulterationes boni et falſificationes veri; ut in his ſequentibus: apud Ezechielem, "*Hieroſolyma confiſa es pulchritudini, et Scortata es ob famam tuam, adeo ut effuderis Scortationes tuas ſuper omnem tranſeuntem. Scortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnis carne, ac multiplicaſti Scortationem tuam. Scortata es cum filiis Aſchuris, cum ſatietas tibi nulla, cum quibus ſcortata es. Multiplicaſti Scortationem tuam uſque ad terram negotiationis Chaldæam: Mulier adultera ſub viro ſuo accipit alienos. Omnes meretricibus ſuis dant mercedem, tu vero dediſti mercedes omnibus amaſiis tuis, et remuneraſti eos, ut veniant ad te in circuitu in Scortationibus tuis. Quare Meretrix audi verbum Jehovæ,*" xvi. 15, 26, 28, 29, 32, 33, 35, ſeq. quis non videre poteſt, quod hic per ſcortationes non intelligantur ſcortationes in ſenſu communi naturali; agitur enim de Eccleſia, ubi omnia vera Verbi falſificata ſunt, hæc ſunt quæ per ſcortationes intelliguntur, nam ſcortationes in ſpirituali ſenſu ſeu ſcortationes ſpirituales non aliud ſunt quam falſificationes veri; Hieroſolyma ibi eſt Eccleſia, filii Ægypti cum quibus ſcortata eſt ſunt ſcientifica et cognitiones omnis generis ſiniſtre applicata ad confirmandum falſa; filii Aſchuris ſunt ratiocinationes ex illis; terra negotiationis Chaldæa eſt prophanatio veri; mercedes quas dedit amaſiis ſuis ſunt venditationes falſorum; ex adulteratione boni per falſificationes veri vocatur illa Eccleſia mulier adultera ſub viro ſuo. Apud Eundem, “*Duæ Mulieres filiæ unius matris, ſcortatæ ſunt in Ægypto; in adoleſcentia ſua ſcortatæ ſunt: ſcortata eſt una ſub Me et dilexit amaſios Aſſyrios propinquos; dedit ſcortationes ſuas ſuper illis; attamen ſcortationes ſuas in Ægypto non deſeruit. Altera corrupit amorem ſuum pluſquam illa, et ſcortationes ſuas ſupra ſcortationes ſororis; addidit ad ſcortationes amavit Chaldæos; venerunt ad illam filii Babelis ad concubitum amorum, et polluerunt eam per ſcortationem ſuam,*” xxiii. 2, 3, 5, 6, 7, 11, 14, 16, 17, ſeq. quod per ſcortationes hic ſimiliter intelligantur ſcortationes ſpirituales a ſingulis patet; duæ mulieres filiæ unius Matris, ſunt binæ Eccleſiæ Iſraelitica et Judaica; ſcortationes cum Ægyptiis, Aſſyriis et Chaldæis ſimilia hic ſignificant, quæ mox ſupra; concubitus amorum cum filiis Babelis eſt prophanatio boni. Apud Jeremiam, “*Scortata es cum ſociis multis, prophanaſti terram ſcortationibus tuis et malitia tua; num vidiſti quæ fecit averſa Iſrael, abiens hæc ſuper omnem montem altum, et ſub omni arbore viridi, et ſcortabaris ibi: etiam perfida Jehuda abivit et ſcortata eſt, adeo ut a voce ſcortationis ſuæ prophanaverit terram; mæchata eſt cum lapide et ligno,*” iii. 2, 6, 8, 9; Iſrael eſt Eccleſia quæ in vero, Jehudah Eccleſia quæ in bono, has enim binas Eccleſias repræſentaverunt; falſificationes veri ſignificantur per ſcortationes Iſraelis, et adulterationes boni per ſcortationes Jehudæ; abire in omnem montem altum, et ſub omni arbore viridi et ſcortari, eſt inquirere omnes cognitiones boni et veri, etiam ex Verbo, ac falſificare; mæchari cum lapide et ligno, eſt pervertere et prophanare omne verum et bonum, lapis ſignificat verum, et lignum bonum. Apud Eundem, “*Diſcurrite per plateas Hieroſolymæ, et quærite in vicis ejus, ſi inveniatis virum, ſi ſit faciens judicium, quærens veritatem; cum ſaturavi eos, ſcortati ſunt, et domum meretrices turmatim venerunt,*” v. 1, 7; diſcurrere plateas et quærere in vicis Hieroſolymæ, eſt videre et explorare in Eccleſiæ iſtius doctrinalibus, nam Hieroſolyma eſt Eccleſia, ac plateæ et vici ſunt doctrinalia; ſi inveneritis virum, ſi ſit faciens judicium, quærens veritatem, eſt num aliquid ibi verum ſit; cum ſaturavi eos, ſcortati ſunt, eſt quod cum vera illis revelata ſunt falſificaverint ea; Eccleſia talis quoad doctrinam eſt domus meretricis in quam turmatim veniunt. Apud Eundem, “*Adulteria tua, hinnitus tui, ſcelus ſcortationis tuæ ſuper collibus in agro vidi abominationes tuas; væ tibi Hieroſolyma, non mundaberis,*” xiii. 27; hinnitus ſunt prophanationes veri, quia equus ſignificat intellectuale ubi verum; colles in agro ſunt bona veri in Eccleſia, quæ perverſa ſunt. Apud Eundem, “*In Prophetis Hieroſolymæ vidi obfirmationem horrendam, adulterando et eundo in mendacio,*” xxiii. 14: apud Eundem, “*Fecerunt ſtultitiam in Iſraele, et mæchati ſunt cum uxoribus ſociorum ſuorum, et loquuti ſunt verbum meum in Nomine meo mendaciter,*” xxix. 23; adulterare et mæchari hic manifeſte pro pervertere vera, prophetæ ſignificant illos qui docent vera ex Verbo, nam dicitur adulterando et eundo in mendacio, et loquuti verbum meum mendaciter, mendacium in Verbo ſignificat falſum. Apud Moſen, “*Filii veſtri erunt paſcentes in deſerto quadraginta annis; et portabunt ſcortationes ſuas uſque dum conſumuntur corpora eorum in deſerto,*” Num. xiv. 33; quod filii Iſraelis non portaverint ſcortationes, et ideo conſumti fuerint in deſerto, ſed quia reſpuerunt cœleſtia vera, conſtat ex eo, quod hoc dictum ſit illis, quia intrare non voluerunt in terram Canaanem, ſed redire in Ægyptum; per terram Canaanem ſignificatur Cœlum et Eccleſia cum ejus veris, et per Ægyptum ſignificantur illa falſificata et verſa in magica. Apud Micham, “*Omnia ſculptilia ejus contundentur, et omnes mercedes meretriciæ comburentur igne; et omnia idola ejus ponam in vaſtitatem, nam ex mercede meretricis congregavit; ideo uſque in mercedem meretrices revertentur,*” i. 7; ſculptilia et idola ſignificant falſa quæ ex propria intelligentia; mercedes meretriciæ ſunt cognitiones veri et boni quas applicuerunt falſis et malis et ſic perverterunt. Apud Hoſcheam, “*Loquutus eſt Jehovah ad Prophetam, accipe tibi mulierem ſcortationum et liberos ſcortationum, quia ſcortando ſcortatur terra a poſt Jehovam,*” i. 2; per hoc repræſentatum eſt, qualis Eccleſia erat, quod nempe tota in falſis. Apud Eundem, “*Peccarunt Mihi, gloriam eorum in ignominiam convertam, ſcortabantur, quia Jehovam dereliquerunt; ſcortatio, vinum et muſtum occupavit cor, ſcortantur filiæ veſtræ, et nurus veſtræ adulterantur,*” iv. 7, 10, 11; ſcortatio, vinum et muſtum ſunt falſificata vera, ſcortatio eſt ipſa falſificatio, vinum eſt falſum interius, muſtum eſt falſum exterius; filiæ quæ ſcortantur ſunt bona veri perverſa, nurus quæ adulterantur ſunt mala conjuncta falſis inde. Apud Eſajam, “*Fiet a fine ſeptuaginta annorum viſitabit Jehovah Tyrum, ut redeat ad mercedem meretriciam ſuam, et ſcortetur cum omnibus Regnis terræ ſuper faciebus orbis; tandem erit mercatura ejus ſanctum Jehovæ,*” xxiii. 17, 18; Tyrus in Verbo eſt Eccleſia quoad cognitiones veri et boni; merces meretricia ſunt eædem applicatæ malis et falſis pervertendo; mercatura ejus eſt venditatio earum; ſcortari cum omnibus regnis terræ eſt cum omnibus et ſingulis veris Eccleſiæ; quod mercatura et merces meretricia futura ſit ſanctum Jehovæ, eſt quia per illas ſignificantur cognitiones veri et boni ab illis applicatæ falſis et malis, et homo per ipſas cognitiones in ſe ſpectatas poteſt ſapere, nam cognitiones ſunt media ſapiendi, et quoque ſunt media inſaniendi, ſunt media inſaniendi cum falſificantur per applicationes ad mala et falſa; ſimile ſignificatur per illud, quod per quod facerent ſibi amicos ex injuſto mammone, Luc. xvi. 9; et per quod mandatum ut mutuo acciperent ab Ægyptiis aurum, argentum et veſtes, et eis auferrent, Exod. iii. 22. Cap. xii. 35, 36; per Ægyptios enim ſignificantur ſcientifica omnis generis, quibus uſi ſunt ad falſificandum vera. Apud Moſen, “*Exſcindam animam quæ reſpicit ad pythones et ad hariolos, ad ſcortandum poſt illos,*” Levit. xx. 5. Apud Eſajam, “*Intrat pacem, ambulat in rectitudine, vos autem accedite filii præſtigiatricis, ſemen adulteri, et ſcortata eſt,*” lvii. 3. Apud Nahum, “*Væ urbi ſanguinum, tota in mendacio: eques aſcendit, et ſplendor gladii, et fulgur haſtæ, multitudo confoſſorum, præ multitudine ſcortationum ſcorti, magiſtræ præſtigiarum, vendentes gentes per ſcortationes ſuas,*” iii. 1, 3, 4. Apud Moſen, “*Non pangendum eſt fœdus cum habitatoribus* *terræ, ne ſcortentur filii et filiæ poſt deos eorum,*" Exod. xxxiv. 16. Apud Eundem, "*Ut recordemini omnium præceptorum Jehovæ et faciatis ea, nec inveſtigetis poſt cor veſtrum, et poſt oculos veſtros, poſt quos vos ſcortari ſolitis,*" Num. xv. 39. In Apocalypſi, "*Babylon a vino iræ ſcortationis potavit omnes gentes,*" xiv. 8. "*Angelus dixit, monſtrabo judicium Meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquis multis, cum qua ſcortati ſunt reges terræ,*" xvii. 1, 2. "*Babylon ex vino furoris ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes, et reges terræ cum ea ſcortati ſunt,*" xviii. 3. "*Judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram ſcortatione ſua,*" xix. 2; quod in his locis per ſcortationes intelligantur falſificationes veri, patet. Quia talia per ſcortationes et adulteria ſignificantur, et quoque talia per illa ſignificantur in Cœlo; ideo in Eccleſia Iſraelitica, quæ erat Eccleſia Repræſentativa, in qua omnia ſignificabant, ſequentia mandata ſunt, "*Quod non eſſet Meretrix et Scortator in Iſraele,*" Deut. xxiii. 18. "*Quod vir, qui adulterium commiſerit cum uxore viri, et qui adulterium commiſerit cum uxore ſocii, occidendo occideretur,*" Levit. xx. 10. "*Quod donum meretricium non inferretur in domum Jehovæ, quocunque voto,*" Deut. xxiii. 19. "*Quod filii Aharonis non acciperent meretricem in uxorem, neque mulierem repudiatam a viro ſuo. Quod ſummus Sacerdos in uxorem acciperet virginem. Quod filia Sacerdotis, ſi prophanaverit ſe ſcortando, igne combureretur,*" Levit. xxi. 7, 9, 13, 14; præter plura. Quod Scortationes et Adulteria talia involvant, ex multa experientia in altera vita teſtatum factum eſt; ſphæræ ex ſpiritibus qui tales fuerunt, manifeſtarunt illa; ex præſentia ſpirituum, qui confirmarunt apud ſe falſa, et applicuerunt vera ex ſenſu literæ Verbi ad confirmanda illa, ſphæra ſcortationis nefanda exhalat: omnibus gradibus prohibitis, de quibus Exod. xx. 11 ad 21, correſpondent tales ſphæræ, cum differentia ſecundum applicationem verorum ad falſa, et ſecundum conjunctionem falſorum cum malis, imprimis cum malis ſcaturientibus ex amore ſui, de quibus plura videantur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 384, 385, 386.

142. Ita habes tu tenentes doctrinam Nicolaitarum quod odi, quod ſignificet illos qui ſeparant bonum a vero ſeu charitatem a fide, quod eſt contra Divinum Ordinem, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 107, dicta et oſtenſa ſunt, ubi ſimilia. Quibus addendum eſt, quod qui ſeparant verum a bono ſeu fidem a charitate, avertant a ſe omnem influxum cœli in bona quæ faciunt, unde bona illorum non ſunt bona, influit enim Cœlum, hoc eſt, per Cœlum Dominus in bonum amoris hominis, quapropter qui rejicit bonum charitatis a doctrina Eccleſiæ, et loco ejus recipit illa ſolum quæ vocantur fidei, excluſus eſt e cœlo, vera apud illum non habent vitam, ac vita veri, quæ eſt bonum, conjungit, non autem verum abſque vita, ſeu fides abſque charitate; ſed plura de his videantur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, ubi de Charitate n. 84 ad 107, et de Fide n. 108 ad 123.

143. Reſipiſce, quod ſignificet diſſociationem ab illis, conſtat ex ſignificatione reſipiſcere, cum de illis quæ ſignificantur per doctrinam Balaam, et per doctrinam Nicolaitarum, quod ſit diſſociari ab illis; reſipiſcentia nec aliud eſt, nam non eſt alicui reſipiſcentia, niſi actualiter ſeparet ſe ab illis a quibus ſe reſipuit, et tunc ſeparat ſe ab illis, cum fugit illa, et averſatur illa; quod hoc ſit reſipiſcentia ſeu pœnitentia, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolyma, n. 159 ad 172.

144. Sin minus, veniam tibi cito, et pugnabo contra illos romphæa oris mei, quod ſignificet, ſi non, cum viſitatio venit, quod diſpergentur, conſtat ex ſignificatione venire tibi cito, cum de Domino, quod ſit viſitatio, de qua ſequitur; et ex ſignificatione romphææ oris, quod ſit verum pugnans contra falſum, et tunc diſperſio falſorum, de qua ſupra, n. 78 et 131; hic autem diſperſio illorum, qui tenent doctrinam Balaam, et doctrinam Nicolaitarum, hoc eſt, qui quoad intellectum illuſtrati ſunt et docent vera, et uſque amant dolo perdere illos qui ab Eccleſia, tum qui ſeparant bonum a vero ſeu charitatem a fide, de quibus videatur ſupra, n. 140 et 142. Quod venire cito ſit viſitatio, eſt quia adventus Domini in Verbo ſignificat viſitationem, videatur n. 6895; viſitatio eſt exploratio hominis poſt mortem qualis eſt, antequam judicatur.

145. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra n. 14 et 108, dicta et oſtenſa ſunt, ubi ſimilia verba.

146. Vincenti dabo edere de Manna abſcondito, quod ſignificet eis qui in tentationibus vincunt jucundum amoris cœleſtis ex Divino-Humano Domini, conſtat ex ſignificatione vincentis, quod ſint qui in tentationibus vincunt, nam illi ſunt, de quibus in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur, videatur ſupra, n. 130; ex ſignificatione dare edere, quod ſit appropriari et conjungi per amorem et charitatem, de qua n. 2187, 2343, 3168, 3513, 5643, et quia dicitur de manna abſcondito, per quod intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, per edere de illo hic ſignificatur jucundum amoris cœleſtis, nam hoc appropriatur a Divino Humano Domini illis qui recipiunt Ipſum amore et fide; et ex ſignificatione mannæ abſconditi, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, quod id ſit Manna conſtat ab Ipſius Domini verbis apud Johannem, "*Patres noſtri ederunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt, Panem e Cœlo dedit eis quem ederent: Panis Dei eſt Qui de Cœlo deſcendit et dat vitam mundo: Ego ſum Panis vitæ: patres veſtri ederunt manna in deſerto, et mortui ſunt: Hic eſt Panis ille qui e cœlo deſcendit, ut qui edit de eo non moriatur. Ego ſum Panis Vivus Qui e Cœlo deſcendi; ſi quis ederit ex hoc Pane, vivet in æternum. Panis quem Ego dabo, Caro mea eſt,*" vi. 31 ad 58: quod Ipſe Dominus ſit Qui intelligitur per Mannam et Panem, Ipſe aperte docet, dicit enim, Ego ſum Panis vitæ Qui e Cœlo deſcendi; quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, etiam docet dicendo, Panis quem Ego dabo Caro mea eſt. Idem docet Dominus cum inſtituit Sanctam Cœnam, "*Jeſus accipiens panem, et benedicens, et dedit Diſcipulis et dixit, accipite, comedite, hoc eſt Corpus meum,*" Matth. xxvi. 26. Marc. xiv. 22. Luc. xxii. 19: edere de hoc pane eſt conjungi Ipſi per amorem, nam edere ſignificat appropriari et conjungi, ut ſupra, et amor eſt conjunctio ſpiritualis. Idem hoc ſignificatur per edere in Regno Dei, apud Lucam, "*Beatus qui edit panem in Regno Dei,*" xiv. 15: apud Eundem, "*Edetis et bibetis in menſa mea in Regno Dei,*" xxii. 30: apud Matthæum, "*Multi ab Oriente et Occidente venient, et accumbent cum Abrahamo, Iſaco et Jacobo in Regno Dei,*" viii. 11: quod per Abrahamum, Iſacum et Jacobum intelligatur Dominus, videatur n. 1893,

n. 1893, 4615, 6098, 6185, 6276, 6804, 6847: et apud Johannem, "*Non operemini cibum qui perit, ſed cibum qui permanet, quem Filius hominis dabit vobis,*" vi. 27; quod Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra, n. 63. Quod dicatur Manna abſconditum, eſt quia jucundum amoris cœleſtis, quod accipiunt illi qui per amorem conjuncti ſunt Domino, prorſus ignotum eſt illis qui in amore non cœleſti ſunt; et hoc jucundum nemo poteſt accipere, niſi qui Divinum Humanum Domini agnoſcit, ex Hoc enim illud procedit. Quia hoc jucundum ignotum fuit filiis Iſraelis in deſerto, ideo vocabant illud Man, ut conſtat apud Moſen, "*Dixit Jehovah Moſi, ecce Ego faciam ut pluat vobis panis ex ipſo cœlo; et mane fuit ſtratus ros circa ipſa caſtra; cumque elevaſſet ſe ſtratus ille ros, ecce in ſuperficie ipſius deſerti tenue rotundum, quod videntes dicebant Man hoc:* (quid hoc:) *dixit Moſes eis, hic eſt panis ille, quem dat vobis Jehovah ad comedendum: et vocavit domus Iſraelis nomen ejus Man,*" Exod. xvi. 3. ad fin. Et apud Eundem, "*Jehovah cibavit te manna, quod non noveras, nec noverunt patres tui, ut doceret te, quod non per panem ſolum vivat homo, ſed per omne enuntiatum oris Jehovæ vivat homo,*" Deut. viii. 3. Quod hoc jucundum, quod intelligitur per Man, ignotum fuerit filiis Iſraelis, erat quia in jucundo corporeo præ aliis gentibus erant, et qui in hoc jucundo ſunt, prorſus non ſcire poſſunt aliquid de jucundo cœleſti; quod filii Iſraelis tales fuerint, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 248. Jucundum dicitur, ac intelligitur jucundum amoris, nam omne jucundum vitæ eſt amoris. Quia eſt jucundum amoris cœleſtis quod per edere ex Manna abſcondito ſignificatur, ideo id vocatur Panis cœlorum apud Davidem, "*Jehovah præcepit ætheribus deſuper, et oſtia cœlorum patefecit, et depluere fecit ſuper eos man in cibum, et frumentum cœlorum dedit illis,*" Pſalm. lxxviii. 23, 24: et alibi, "*Jehovah pane cœlorum ſaturavit eos,*" Pſalm. cv. 40: panis cœlorum dicitur, quia depluebat e cœlo cum rore, ſed in ſenſu ſpirituali dicitur panis cœlorum, quia defluit a Domino per Cœlum Angelicum, in hoc ſenſu non aliud Cœlum intelligitur, et non alius panis quam qui nutrit animam hominis; quod panis hic in hoc ſenſu intelligendus ſit, conſtat ex ipſis Domini verbis apud Johannem, "*Quod Ipſe ſit Manna ſeu Panis qui e Cœlo deſcendit,*" vi. 31 ad 58: et apud Moſen, "*Quod Jehovah cibaverit eos manna, ut doceret quod non per panem ſolum vivat homo, ſed per omne enuntiatum oris Jehovæ,*" Deut. viii. 3; enuntiatum oris Jehovæ eſt omne quod procedit ex Domino, et hoc in ſpecie eſt Divinum Verum unitum Divino Bono, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13, 133, 139, 140, 284 ad 290. Hoc jucundum etiam deſcribitur per correſpondentias apud Moſen, "*Man apparuit quaſi ſemen coriandri album, et ſapor ſicut placentæ melle ſubactæ,*" Exod. xvi. 31: et alibi apud Eundem, "*Fecerunt ex eo placentas, ſapor ejus erat ſicut ſucci olei,*" Num. xi. 7, 8. Man quod tale eſſet quoad viſum et ſaporem, erat quia ſemen coriandri album ſignificat verum ex origine cœleſti, placenta bonum amoris cœleſtis, mel ejus jucundum externum, oleum ipſum illum amorem, et ſuccus ejus ex quo ſapor, jucundum ejus internum, pluvia cum rore, in quo fuit manna, influxum Divini Veri in quo id jucundum. Quod ſemen ſignificet verum ex origine cœleſti, videatur n. 3038, 3373, 10248, 10249: quod album dicatur de illo vero, n. 3901, 3993, 4007, 5319. Quod placenta ſignificet bonum amoris cœleſtis, n. 7978, 9992, 9993: quod oleum ſignificet ipſum illum amorem, n. 886, 3728, 9780, 9954, 10261, 10269; inde ſuccus hujus ſignificat jucundum ejus, quia inde ſapor, et ſapor eſt jucundum et amœnum, n. 3502, 4791 ad 4805: ſed plura de his videantur in Explicatione ſuper Cap. xvi. Exodi in ARCANIS CŒLESTIBUS. Quod jucundum amoris cœleſtis ſignificetur per edere ex manna abſcondito, cum tamen per mannam abſconditum ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum, eſt quia idem eſt, ſive dicas Divinum Humanum Domini, ſive dicas Divinum Amorem, nam Dominus eſt Ipſe Divinus Amor, et quod ab Ipſo procedit eſt Divinum Bonum unitum Divino Vero, utrumque eſt Amoris, et quoque eſt Dominus in Cœlo, inde edere ab Ipſo eſt conjungi Ipſi, et hoc per amorem ab Ipſo. Sed hæc melius intelligi poſſunt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13 ad 19, 116 ad 125, 126 ad 140; et quoque in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 210 ad 222, 307, dicta et oſtenſa ſunt, quæ videantur.

147. Et dabo illi calculum album, quod ſignificet ſapientiam et intelligentiam, conſtat ex ſignificatione Calculi albi, cum a Domino, quod ſit receptio ab Ipſo et influxus, et quia eſt receptio et influxus a Domino, eſt quoque ſapientia et intelligentia ab Ipſo, nam qui recipiunt a Domino, et apud quos Dominus influit, illi in ſapientia et intelligentia ſunt. Quod dare calculum album illa ſignificent, eſt quia in judiciis colligebantur ſuffragia per calculos, ſententiæ affirmativæ per calculos albos, et negativæ per calculos nigros, inde per calculum album ſignificatur receptio ſapientiæ et intelligentiæ.

148. Et in Calculo nomen novum ſcriptum quod nemo novit niſi qui accipit, quod ſignificet ſtatum vitæ interioris ignotum omnibus præter illis qui in eo ſunt, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale ſtatus, de qua n. 1754, 1896, 2009, 3237, 3421, hic quale ſtatus vitæ interioris, quia dicitur nomen novum quod nemo novit niſi qui accipit, nam quale ſtatus vitæ interioris prorſus ignotum eſt illis qui non in vita interiore ſunt; in vita interiore ſunt qui in amore in Dominum ſunt, et non alii in amore in Dominum ſunt quam qui agnoſcunt Divinum in Humano Ipſius, quod amare Dominum ſit vivere ſecundum præcepta Ipſius, videatur n. 10143, 10153, 10578, 10645, 10829: vita interior eſt vita ſpiritualis in qua ſunt Angeli cœli, vita autem exterior eſt vita naturalis, in qua ſunt omnes qui non in cœlo ſunt; et apud illos qui vivunt ſecundum præcepta Domini, et agnoſcunt Divinum in Humano Ipſius, aperitur mens interior, et tunc homo fit ſpiritualis; at qui non ita vivunt, nec agnoſcunt, manent naturales. Quod ſtatus vitæ interioris ſeu ſpiritualis ſit ignotus omnibus illis qui non in amore cœleſti ſunt, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 395 ad 414; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 105, 238. Quod Nomen in Verbo ſignificet quale ſtatus, conſtat ex plurimis locis ibi, quorum aliqua hic, confirmationis cauſa, velim adducere, ut apud Eſajam, "*Tollite in altum oculos veſtros, et videte, quis creavit hæc, qui educit in numero exercitum, omnes nomine vocat,*" xl. 26; omnes nomine vocat eſt quod ſciat omnes quales ſunt, et illis det ſecundum ſtatum amoris et fidei apud illos. Apud Johannem, "*Qui ingreditur per oſtium,*

Paſtor eſt ovium, huic aperit janitor, et oves vocem ejus audiunt, et ſuas oves nomine vocat, et educit eas," x. 2, 3; ſimiliter. Apud Eſajam, "*Sic ait Jehovah Creator tuus Jacob, et formator tuus Iſrael, ne timeto, nam redemi te, et vocavi te nomine, Mihi tu,"* xliii. 1. Apud Eundem, "*Ut cognoſcas quod Ego Jehovah, qui vocaveram nomine tuo, propter ſervummeum Jacobum et Iſraelem electummeum; vocavi te nomine tuo cum non noſceres Me,"* xlv. 3, 4; vocavi te nomine tuo, eſt quod noverit qualis ſtatus Eccleſiæ, nam Jacob et Iſrael ſunt Eccleſia, Jacob Eccleſia externa, et Iſrael Eccleſia interna. Apud Eundem, "*Iſrael ſi auſcultaſſes præceptis meis, non exciſum neque perditum fuiſſet nomen ejus coram Me,"* xlviii. 19; exſcindi et perdi nomen coram Jehovah, eſt quale ſtatus per quem conjungitur, qui ſtatus eſt ſtatus ſpiritualis illius qui ab Eccleſia quæ per Iſraelem ſignificatur. Apud Eundem, "*Jehovah ab utero vocavit Me, a viſceribus matris meminit nominis mei,"* xlix. 1; meminit nominis mei, eſt qualis eſt. Apud Eundem, "*Propter Zionem non tacebo, et propter Hieroſolymam non quieſcam, et videbunt gentes juſtitiam, et omnes reges gloriam tuam, et vocabitur tibi Nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit,"* lxii. 1, 2. Apud Eundem, "*Servis ſuis vocabit nomen aliud,"* lxv. 15; vocare nomen novum et nomen aliud, eſt dare alium ſtatum vitæ, nempe ſtatum vitæ ſpiritualis. Apud Ezechielem, "*Urbs ſanguinum polluta nomine,"* xxii. 5; urbs ſanguinum eſt doctrina violentiam inferens bono charitatis, quæ polluta nomine dicitur, cum ſcatet falſis et inde malis, quæ faciunt quale ejus. Apud Moſen, "*Moſes dixit ad Jehovam, Tu dixiſti, novi te nomine tuo: et Jehovah dixit ad Moſen, etiam verbum hoc quod dixiſti faciam, quia novi te nomine,"* Exod. xxxiii. 12, 17; quod noverit Moſen nomine, eſt quod noverit qualis eſt. In Apocalypſi, "*Habes pauca nomina in Sardibus, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: vincens hic veſtietur veſtimentis albis, et confitebor Nomen ejus coram Patre meo: qui vincit, ſcribam ſuper eum Nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hieroſolymæ, et nomen meum novum,"* iii. 4, 5, 12; quod nomen hic ſignificet quale ſtatus quoad bonum amoris et verum fidei, conſtare poteſt. Alibi, "*Quorum non ſcripta ſunt nomina in Libro vitæ,"* Apoc. xiii. 8. Cap. xvii. 8; nomina ſcripta in libro vitæ, ſunt omnia amoris et fidei ejus, ita omnia vitæ ſpiritualis ejus, qualia ſunt. Alibi, "*Videbunt faciem Dei et Agni, et nomen Ipſius in frontibus eorum,"* Apoc. xxii. 4; nomen in frontibus eſt ſtatus amoris, frons enim correſpondet amori, et inde ſignificat illum. Quod nomen in Verbo ſignificet quale ſtatus hominis, eſt quia in ſpirituali Mundo quilibet nominatur ſecundum ſtatum vitæ in quo eſt, ita varie: loquela enim ſpiritualis non eſt ſicut loquela humana, exprimuntur omnia ibi ſecundum ideas de rebus et de perſonis, ac ideæ illæ cadunt in voces; quod melius conſtare poteſt ex illis quæ de Loquela Angelorum Cœli in Opere de Cœlo et Inferno, n. 134 ad 245, oſtenſa ſunt. Porro videatur ſupra n. 102 et 135, ubi oſtenditur, quid nomen Jehovæ, Domini et Jeſu Chriſti in Verbo ſignificat.

149. Verſ. 18 ad 29. "*Et Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe: hæc dicit Filius Dei habens oculos ſuos tanquam flammam ignis, et pedes ſuos ſimiles chalcolibano. Novi tua opera et charitatem, et miniſterium et fidem, et tolerantiam tuam et opera tua, et ultima plura prioribus. Sed habeo adverſus te pauca, quod permittas mulierem Jeſabel, dicentem ſe prophetiſſam, docere et ſeducere meos ſervos*

ſcortari et idolothyta edere. Et dedi illi tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, et non reſipuit. Ecce Ego conjicio eam in lectum, et mæchantes cum illa in afflictionem magnam, ſi non reſipuerint ab operibus ſuis. Et filios ejus occidam morte, et cognoſcent omnes Eccleſiæ, quod Ego ſim ſcrutans renes et corda, et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua. Vobis autem dico, et reliquis in Thyatiris, quicunque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt profunda Satanæ, ut dicunt, non impono ſuper vos aliud onus. Attamen, quod habete, retinete donec venio. Et vincens et cuſtodiens uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes. Et reget eas virga ferrea, tanquam vaſa fictilia confringentur; ſicut et Ego accepi a Patre meo. Et dabo illi ſtellam matutinam. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis. Et Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, ſignificat illos ab Eccleſia, apud quos Internum et Externum, ſeu ſpiritualis et naturalis homo unum faciunt: hæc dicit Filius hominis, ſignificat Dominum quoad Divinum Humanum, a quo illud Eccleſiæ: habens oculos ſuos tanquam flammam ignis, ſignificat Divinam Providentiam ex Divino amore Ipſius, ac Divinam ſapientiam et intelligentiam communicatam illis qui in amore et inde fide in Ipſum ſunt: et pedes ſuos ſimiles chalcolibano, ſignificat ultimum ordinis Divini, quod naturale plenum Divino amore: novi opera tua et charitatem, ſignificat Internum eorum qui ab Eccleſia: et miniſterium et fidem, ſignificat bonum et verum ibi: et tolerantiam, ſignificat conjunctionem cum Externo: et opera tua, et ultima plura prioribus, ſignificat Externa inde: ſed habeo adverſus te pauca, ſignificat quod cavendum: quod permittas mulierem Jeſabel, ſignificat jucundum amoris ſui et mundi: dicentem ſe prophetiſſam, docere et ſeducere meos ſervos, ſignificat quod inde doctrina omnium falſorum: ſcortari et idolothyta edere, ſignificat falſificationes veri et adulterationes boni: et dedi illi tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, et non reſipuit, ſignificat quod qui inde in falſis ſunt non ſe convertant ad vera et per vera: ecce Ego conjicio eam in lectum, ſignificat quod relinquantur ſuo naturali homini et ibi doctrinæ falſorum: et mæchantes cum illa in afflictionem magnam, ſignificat tentationes graves illis qui ſe addicant falſis eorum: ſi non reſipuerint ab operibus ſuis, ſignificat ſi non ſe ſeparent ab illis: et filios ejus occidam morte, ſignificat quod ſic falſa exſtinguantur: et cognoſcent omnes Eccleſiæ quod Ego ſim ſcrutans renes et corda, ſignificat agnitionem omnium qui ab Eccleſia ſunt, quod Dominus ſolus ſciat et exploret exteriora et interiora, ac quæ fidei et amoris ſunt: et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua, ſignificat beatum æternum ſecundum internum ejus in externo: vobis autem dico et reliquis in Thyatiris, ſignificat omnibus et ſingulis apud quos Internum conjunctum eſt Externo: quicunque non habent doctrinam hanc, ſignificat apud quos jucundum externum, quod eſt jucundum amoris ſui et mundi, non dominatur: et qui non cognoverunt profunda Satanæ, ut dicunt, ſignificat illaqueationem ab illis: non impono ſuper vos aliud onus, ſignificat quod hoc ſolum cavendum ſit: attamen quod habetis retinete donec venio, ſignificat permanentiam in ſtatu amoris et fidei uſque ad viſitationem: et vincens et cuſtodiens uſque ad finem opera mea, ſignificat poſt pugnam contra illos amores et remotionem illorum quantum poteſt, perſeverationem in amore et fide: et dabo illi poteſtatem ſuper gentes, ſignificat ſuper mala apud ſe, quæ tunc a Domino diſcutientur: et reget eas virga ferrea, ſignificat quod caſtigaturus mala per vera quæ ſunt in naturali homine: tanquam vaſa fictilia confringentur, ſignificat diſperſionem falſorum totalem: ſicut et Ego accepi a Patre meo, ſignificat comparative ſicut Dominus a Divino ſuo cum glorificavit Humanum ſuum: et dabo illi ſtellam matutinam, ſignificat intelligentiam et ſapientiam a Divino Humano Domini: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt.

150. Et Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, quod ſignificet illos ab Eccleſia apud quos Internum et Externum ſeu ſpiritualis et naturalis homo unum faciunt, conſtat ex ſcriptis ad hunc Angelum in ſenſu interno intellectis, in illis agitur de conjunctione Interni ſeu ſpiritualis hominis cum Externo ſeu naturali, ſeu de illis ab Eccleſia apud quos illa conjuncta ſunt. Eſt apud unumquemvis hominem Internum et Externum, Internum ejus eſt quod vocatur ſpiritualis homo, Externum quod vocatur naturalis homo; cum homo naſcitur, primum aperitur Externus ſeu naturalis homo, ac poſtea, ſicut adoleſcit et perficitur intelligentia et ſapientia, aperitur Internus ſeu ſpiritualis homo; Externus ſeu naturalis homo aperitur per talia quæ homo haurit ex mundo, at Internus ſeu ſpiritualis homo aperitur per talia quæ haurit ex Cœlo; nam Externus ſeu naturalis homo formatus eſt ad receptionem talium quæ in mundo ſunt, at Internus ſeu ſpiritualis homo ad receptionem talium quæ in Cœlo ſunt; illa quæ in Mundo ſunt, ad quorum receptionem formatus eſt Externus ſeu naturalis homo, ſe referunt in genere ad omnia quæ ſunt vitæ civilis et moralis; at illa quæ in cœlo ſunt, ad quorum receptionem formatus eſt Internus ſeu ſpiritualis homo, ſe referunt in genere ad omnia quæ amoris et fidei ſunt. Quoniam illa bina ſunt apud hominem, ac unum et alterum diſtincte per ſua media aperiendum eſt, patet, quod niſi aperiatur Internum per ſua media, homo maneat ſolum Naturalis, et quod tunc Internum ejus clauſum ſit: ſed illi, apud quos Internum clauſum eſt, non ſunt homines Eccleſiæ, nam Eccleſia apud hominem formatur per communicationem cum Cœlo, et communicatio cum Cœlo non datur niſi Internum ejus aperiatur per ſua media, quæ omnia, ut ſupra dictum eſt, ſe referunt ad amorem et fidem. Porro ſciendum eſt, quod apud hominem Eccleſiæ, qui eſt qui a Domino regeneratus eſt per vera quæ fidei vocantur et vitam ſecundum illa, conjunctum ſit Internum et Externum, ſeu Spiritualis et Naturalis homo, et quod conjuncta ſint per correſpondentias, quæ quales ſunt, et inde qualis per illas conjunctio eſt, conſtare poteſt ex iis quæ de illis in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt, ex quibus Collecta videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 261. Quia nunc homo non prius fit homo Eccleſiæ, quam cum Internus ſeu Spiritualis homo apertus eſt, et hic conjunctus cum Externo ſeu Naturali homine, ideo nunc de his intra Eccleſiam agitur; nam, ut ſupra n. 20 dictum eſt, per ſeptem Eccleſias non intelliguntur ſeptem Eccleſiæ, ſed omnes in genere qui ab Eccleſia Domini ſunt, et inde ad Angelum cujuſvis Eccleſiæ agitur de talibus quæ faciunt Eccleſiam, hic itaque, ſeu ad Angelum Eccleſiæ in Thyatiris, de Interno et Externo, et

conjunctione utriuſque apud illos. Sed quia hactenus ignotum fuit, quod bina illa actualiter ſint apud hominem, et quod aperienda et conjungenda ſint, ut homo ſit homo Eccleſiæ, et quia illa paucis non deſcribi poſſunt, ideo actum eſt de illis in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 36 ad 53, et 179 ad 182, quæ videantur.

151. Hæc dicit Filius hominis, quod ſignificet Dominum quoad Divinum Humanum, a Quo illud Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione Filii hominis, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, et quoad Divinum Verum, quia hoc ab Ipſo procedit, de qua ſupra n. 63; quod etiam ſit a Quo illud Eccleſiæ, nempe aperitio Interni ſeu ſpiritualis hominis, et ejus conjunctio cum Externo, eſt quia omne Eccleſiæ apud hominem eſt ex Divino Humano Domini, omne enim amoris et fidei, quæ faciunt Eccleſiam, ex Divino Humano Domini procedit, et non immediate ab Ipſo Divino, nam quod immediate ab Ipſo Divino Ipſius procedit, hoc non cadit in aliquam cogitationem et affectionem hominis, et inde nec in fidem et amorem, quia eſt longe ſupra illa; ut conſtare poteſt ex eo, quod homo non poſſit cogitare de Ipſo Divino abſque Humana forma, niſi ſicut de natura in minimis, cogitatio quæ non determinatur ad aliquam ſpeciem, eſt diffuſa quaquaverſum, et diffuſum diſſipatur; hoc apprimis ſcire datum eſt ex illis e Chriſtiano Orbe in altera vita, qui ſolum cogitaverunt de Patre, et non de Domino, quod ſibi naturam in minimis faciant Deum, et tandem decidant ab omni idea Dei, conſequenter ab idea et fide omnium quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt. Aliter illi, qui de Deo ſub Humana forma cogitaverunt, illi omnes ideas ad Divinum determinatas habent, nec vagantur ut priores quaquaverſum; et quia Divinum ſub Humana forma eſt Divinum Humanum Domini, ideo Dominus illorum cogitationes et affectiones ad Se flectit et determinat: quia hoc primarium Eccleſiæ eſt, ideo id jugiter influit e cœlo apud hominem, unde quaſi inſitum eſt cuivis cogitare de Divino ſub Humana forma, et ſic intus in ſe videre ſuum Divinum, præter apud illos qui hoc inſitum apud ſe exſtinxerunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 82. Cauſa etiam inde videri poteſt, quod omnes, quotcunque ſunt, homines poſt mortem, quando fiunt ſpiritus, vertantur ad ſuos amores, et quod inde qui Divinum ſub Humana forma coluerunt, ad Dominum, Qui apparet illis ut Sol ſupra Cœlos; qui autem Divinum non ſub Humana forma coluerunt, illi vertuntur ad amores naturalis ſui hominis, qui omnes ſe referunt ad amores ſui et mundi, ita retro a Domino, et vertere ſe retro a Domino, eſt ad Infernum: quod convertant ſe omnes ad ſuos amores in ſpirituali Mundo, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 17, 123, 142, 143, 144, 145, 151, 153, 255, 272, 510, 548, 552, 561. Omnes qui antiquis temporibus vixerunt, et Divinum coluerunt, Divinum ſub Humana forma cogitatione viderunt, et vix aliquis Divinum inviſibile; et Divinum ſub Humana forma etiam tunc erat Divinum Humanum; ſed quia hoc Divinum Humanum erat Divinum Domini in Cœlis et tranſiens Cœlos, et Hoc tandem, cum Cœlum invalidum factum eſt ex eo, quod homines, ex quibus Cœlum, ſucceſſive ab Internis facti ſint Externi, et ſic Naturales, ideo placuit Ipſi Divino Humanum induere, et Hoc glorificare ſeu Divinum facere, ut ſic ex Se poſſet afficere omnes tam qui in Mundo ſpirituali quam qui in Mundo naturali ſunt, et

ſalvare illos qui Ipſius Divinum in Humano agnoſcunt et colunt: hoc manifeſtatum eſt plurimis in locis apud Prophetas Veteris Teſtamenti, et quoque apud Evangeliſtas, ex quibus ſolum hæc apud Johannem volo afferre, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: omnia per Ipſum facta ſunt, et abſque Eo factum eſt nihil quod factum eſt. In Ipſo vita erat, et vita erat Lux hominum; et Lux illa in tenebris lucet, et tenebræ illam non comprehenderunt. Erat Lux Vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum: in mundo erat, ſed mundus Eum non agnovit. Et Verbum Caro factum eſt, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipſius,*" i. 1 ad 14; quod Dominus quoad Humanum ibi intelligatur per Verbum, patet clare, nam dicitur Verbum Caro factum eſt, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipſius; et quod Humanum ſuum Divinum fecerit, etiam patet, Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et hoc Caro factum eſt, hoc eſt, homo: et quia omne Divinum Verum procedit a Divino Humano Domini, et illud eſt Divinum Ipſius in Cœlis, ideo etiam per Verbum ſignificatur Divinum Verum, et ideo dicitur Ipſe Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Lux eſt etiam Divinum Verum; et quia homines ab internis ita externi ſeu naturales facti ſunt, ut non amplius agnoverint Divinum Verum, ita nec Dominum, ideo dicitur quod tenebræ lucem non comprehenderint, et quod mundus Ipſum non agnoverit. Quod Verbum ſit Dominus quoad Divinum Humanum, et inde Divinum Verum procedens, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 263 et 304. Quod Lux ſit Divinum Verum, et quod Tenebræ ſint falſa in quibus ſunt qui non in luce, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140, 175. Quod qui agnoſcunt Dominum, et colunt Ipſum ex amore et fide, et non in amoribus ſui et mundi ſunt, regenerentur et ſalventur, etiam ibi docetur, his verbis, "*Quotquot Ipſum receperunt, dedit iis poteſtatem ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius, qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt,*" i. 12, 13; ex ſanguinibus ſunt illi qui deſtruunt amorem et charitatem; voluntas carnis eſt omne malum ex amoribus ſui et mundi, eſtque proprium hominis voluntarium, quod in ſe non eſt niſi quam malum; voluntas viri eſt falſum inde ex proprio illo voluntario; quod qui in his amoribus non ſunt recipiant Dominum, regenerentur et ſalventur, intelligitur per quod qui credunt in Nomen Ipſius, fiant filii Dei, et ſint ex Deo nati. Quod credere in Nomen Domini ſit Divinum Humanum Ipſius agnoſcere, et ab Ipſo recipere amorem et fidem, videatur ſupra n. 102, 135: quod Sanguines ſint quæ deſtruunt amorem et charitatem, in Arcanis Cœlestibus, n. 4735, 5476, 9127: Quod Caro ſit proprium voluntarium hominis, quod in ſe non eſt niſi quam malum, n. 210, 215, 731, 874, 875, 876, 987, 1047, 2307, 2318, 3518, 3701, 3812, 4328, 8480, 8550, 10283, 10284, 10286, 10731; et quod proprium hominis ſit amor ſui et amor mundi, n. 694, 731, 4317, 5660. Quod Vir ſit intellectuale, et inde verum aut falſum, quoniam ex uno aut altero eſt illud, n. 3134, 3309, 9007, ita voluntas viri eſt proprium intellectuale, quod cum exiſtit ex proprio voluntario, quod in ſe non eſt niſi quam malum; non eſt niſi quam falſum, ubi enim malum eſt in voluntate ibi falſum eſt in intellectu; quod a Deo naſci ſit regenerari a Domino, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 173 ad 184. Præterea quod omnes in Univerſo ex influxu e Cœlo, et ex revelatione colant Divinum ſub Humana forma, videatur in Opuſculo de TELLURIBUS IN UNIVERSO, n. 98, 122, 141, 154, 158, 159, 169: Tum quod omnes Angeli Cœlorum ſuperiorum, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 78 ad 86. Ex his nunc conſtare poteſt, quod omne Eccleſiæ, ita quoque omne Cœli apud homines ſit ex Divino Humano Domini. Quia ita eſt, ideo in Primo Capite Apocalypſeos deſcribitur Filius hominis, Qui eſt Divinum Humanum, per varia repræſentativa, et dein ex illa deſcriptione deſumta ſunt Exordia ad ſingulas Eccleſias, videatur ſupra n. 113; et in ſpecie ad hanc Eccleſiam, ad quam agitur de præcipuo eſſentiali Eccleſiæ, nempe de Conjunctione Interni et Externi ſeu de regeneratione hominis Eccleſiæ, dicitur enim ad Angelum hujus Eccleſiæ, *Hæc dicit Filius hominis habens oculos ſuos tanquam flammam ignis.*

152. Habens oculos ſuos tanquam flammam ignis, quod ſignificet Divinam Providentiam ex Divino amore Ipſius, ac Divinam ſapientiam et intelligentiam communicatam illis qui in amore et inde fide in Ipſum ſunt: quod oculi ſicut flamma ignis, cum de Domino, ſit Divina Ipſius Providentia ex Divino Ipſius amore, videatur ſupra n. 68; quod etiam ſit Divina ſapientia et intelligentia communicata illis qui in amore et inde fide in Ipſum ſunt, eſt quia per oculos in Verbo, cum de hominibus, ſignificatur intellectus veri, et intellectus veri eſt intelligentia et ſapientia; inde per oculos, cum de Domino, ſignificatur Divina ſapientia et intelligentia procedens ab Ipſo, et quod procedit ab Ipſo, hoc communicatur Angelis et hominibus qui in amore et inde fide in Ipſum ſunt; omnis etiam ſapientia et intelligentia, quæ eſt Angelis et hominibus, non eſt eorum ſed Domini apud illos; quod etiam notum eſt in Eccleſia, ſcitur enim quod omne bonum quod eſt amoris et omne verum quod eſt fidei, a Deo ſit, et nihil ab homine, ac vera interius viſa et agnita faciunt intelligentiam, et hæc una cum bonis interius perceptis et inde viſis faciunt ſapientiam; inde nunc eſt, quod per habere oculos tanquam flammam ignis, etiam ſignificetur Divina ſapientia et intelligentia Domini communicata illis qui in bonis amoris et inde fide in Ipſum ſunt. Quod Oculi ſignificent intellectum, eſt quia omnis viſus oculorum apud homines et Angelos inde eſt; quod omnis viſus oculorum inde ſit, apparet ſicut paradoxon illis, qui non ſciunt cauſas rerum interiores, ex quibus effectus ſiſtuntur in corpore; qui illas non ſciunt, non aliter credunt, quam quod oculus videat ex ſe, auris audiat ex ſe, lingua guſtet ex ſe, et corpus ſentiat ex ſe, cum tamen interior vita hominis, quæ eſt vita ſpiritus ejus, quæ vita eſt vita intellectus et voluntatis ejus ſeu cogitationis et affectionis, ſentit per organa corporis illa quæ in mundo ſunt, et ſic percipit illa naturaliter; totum corpus cum omnibus ſuis ſenſoriis eſt modo inſtrumentum ſuæ animæ ſeu ſui ſpiritus; quæ etiam eſt cauſa, quod, cum ſeparatur ſpiritus hominis a corpore, corpus prorſus nihil ſentiat, at ſpiritus poſtea ſentiat æque ac prius: quod ſpiritus hominis æque videat, audiat, ſentiat poſt ſolutionem a corpore, ut prius in corpore, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 461 ad 469; præterea de correſpondentia intellectus cum viſu oculi, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4403 ad 4421, 4523 ad 4534. Apud beſtias etiam interior earum vita, quæ quoque anima earum vocatur, pariter per organa externa corporis earum ſentit, ſed cum differentia, quod non rationaliter ſicut homo,

ita non ex intellectu et voluntate tali, qualis eſt homini, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 108; et de Ultimo Judicio, n. 25. Inde nunc eſt quod per Oculum in Verbo ſignificetur Intellectus veri, ſeu Intelligentia et Sapientia, ut conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, “ *Dic populo huic, audite audiendo, ſed non intelligite, ac videte videndo et non cognoſcite; impingua cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus obline, ne forte videat oculis ſuis,*” vi. 9, 10. Joh. xii. 40; oculos oblinere ne forte videat oculis ſuis, eſt obtenebrare intellectum ne intelligat. Apud Eundem, “ *Effudit Jehovah ſuper vos ſpiritum ſomnolentiæ, et occluſit oculos veſtros, prophetas et capita veſtra, videntes obtexit,*” xxix. 10; occluſit oculos, prophetas et capita, et videntes obtexit, eſt intellectum veri, prophetæ etiam ſunt qui docent vera, qui etiam vocantur capita quia caput ſignificat intelligentiam; et quoque vocantur videntes ex revelatione Divini Veri apud illos. Apud Eundem, “ *Non connivebunt oculi videntium, et aures audientium auſcultabunt,*” xxxii. 3; videntium oculi pro illorum qui intelligunt vera. Apud Eundem, “ *Qui occludit oculos ſuos ne videant malum: Regem in pulchritudine ſua videbunt oculi tui,*” xxxiii. 15, 17; occludere oculos ne videant malum, eſt malum non admittere in cogitationem; regem in pulchritudine ſua videbunt oculi, eſt quod intellecturi verum in ſua luce cum amœnitate, nam per regem ibi non intelligitur rex, ſed verum, videatur ſupra n. 31. Apud Jeremiam, “ *Audite hæc, popule ſtulte, cui non cor, quibus oculi non vident, et quibus aures non audiunt,*” v. 21. Ezech. xii. 2. In Threnis, “ *Cecidit Corona capitis noſtri, propter hoc factum eſt languidum cor noſtrum, et propter hoc caligarunt oculi noſtri,*” v. 17; corona capitis eſt ſapientia, videatur ſupra n. 126; cor languidum eſt voluntas boni non amplius, quod cor ſit voluntas et amor, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 95; oculi ſunt intellectus veri, qui caligantes dicuntur, cum non amplius intelligitur verum. Apud Sachariam, “ *Pœna paſtoris deſerentis gregem, gladius ſuper oculo dextro ejus, et oculus dexter caligando caligabit,*” xi. 17; gladius ſuper oculo dextro et oculus dexter caligando caligabit, eſt quod periturum omne verum in intellectu per falſum, quod gladius ſit deſtructio veri per falſum, videatur ſupra n. 131. Apud Eundem, “ *Plaga, qua percutiet Jehovah omnes populos qui pugnabunt contra Hieroſolymam, oculi ejus contabeſcent in foraminibus ſuis,*” xiv. 12; populi qui pugnabunt contra Hieroſolymam, ſunt qui contra Eccleſiam, Hieroſolyma eſt Eccleſia, oculi eorum quod contabeſcent, eſt quod peritura intelligentia, pugnant enim ex falſis contra vera. Apud Sachariam, “ *Percutiam omnem equum ſtupore, et omnem equum populorum cæcitate,*” xii. 4; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ, per equum ſignificatur intellectuale, quare per quod equus percuteretur ſtupore et cæcitate, eſt quod intellectus; quod Equus ſignificet intellectuale, videatur in Opuſculo de Equo Albo, n. 1 ad 5. Apud Davidem, “ *Exaudi Me Jehovah, Deus mi illumina oculos meos, ne forte dormiam mortem,*” Pſalm. xiii. 4; illumina oculos eſt intellectum. Apud Moſen, “ *Non accipies munus, quia munus occæcat oculos ſapientum,*” Deut. xvi. 19; occæcare oculos ſapientum eſt ut non videant ſeu intelligant verum. Apud Matthæum, “ *Lucerna corporis eſt Oculus, ſi Oculus ſimplex, totum corpus lucidum; ſi Oculus malus, totum*

tum corpus obtenebratum; ſi ergo lumen ſunt tenebræ, tenebræ quantæ," vi. 22, 23. Luc. xi. 34: hic per oculum non intelligitur oculus ſed intellectus, per oculum ſimplicem intellectus veri, per oculum malum intellectus falſi, tenebræ ſunt falſa, totum corpus eſt totus ſpiritus, nam is totus eſt qualis ejus voluntas et inde intellectus; ſi ei intellectus veri ex voluntate boni, eſt is angelus lucis, ſi autem ei intellectus falſi, eſt is ſpiritus tenebrarum: per illa verba deſcribitur hominis reformatio per intellectum veri; inde patet, quod qui ſcit quid oculus ſignificat, ſcire poſſit arcanum illorum verborum; quod homo reformetur per vera in intellectu, videatur ſupra n. 112, 126. Apud Matthæum, "*Si oculus dexter ſcandalizaverit te, erue eum et abjice abs te, nam bonum eſt luſcus intrare in vitam, quam duos habens oculos mitti in gehennam ignis,*" v. 29. Cap. xviii. 9. Marc. v. 47; per oculum nec hic intelligitur oculus ſed intellectus cogitans, per oculum dextrum ſcandalizantem intellectus cogitans malum, eruere et abjicere illum eſt tale non admittere ſed rejicere; luſcus eſt intellectus non cogitans malum, ſed modo verum, intellectus enim cogitare poteſt verum, ſi cogitat malum eſt ex voluntate mali; quod oculus dexter dicatur, eſt quia per illum ſignificatur intellectus boni, et per ſiniſtrum intellectus veri, videatur n. 4410, 6923. Apud Eſajam, "*Audient in die illo ſurdi verba Libri, et ex caligine et e tenebris oculi cæcorum videbunt,*" xxix. 18. Apud Eundem, "*Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures ſurdorum,*" xxxv. 5, 6. Apud Eundem, "*Dabo te in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcorum, ad educendum e carcere vinctum, et e domo clauſtri ſedentes in tenebris,*" xlii. 7. Apud Eundem, "*Educ populum cæcum, cui oculi ſunt, et ſurdos quibus aures,*" xliii. 8; aperire oculos cæcorum eſt inſtruere illos qui adhuc ignorant vera, et uſque deſiderant illa, ita gentes. Simile ſignificatur per ſanationes cæcorum a Domino, Matth. ix. 27, 28, 29. Cap. xx. 29 ad fin. Cap. xxi. 14. Marc. viii. 23, 25. Luc. xviii. 35 ad fin. Joh. ix. 1 ad 21; nam omnia Miracula Domini involvebant talia quæ ſunt Eccleſiæ et Cœli, inde erant illa Divina, videatur n. 7337, 8364, 9031. Quia Oculus ſignificabat Intellectum, ideo inter ſtatuta apud filios Iſraelis erat, "*Quod Cæcus aut Confuſus oculo ex ſemine Aharonis non accederet ad offerendum ſacrificium, nec intra velum intraret,*" Levit. xxi. 17 ad 23. "*Quod Cæcum non offerendum eſſet in ſacrificium,*" Levit. xxii. 22. Malach. i. 8. Inde etiam inter maledictiones erat, "*Febris conſumens oculos,*" Levit. xxvi. 16. Ex his nunc ſciri poteſt, quid per oculos Filii hominis qui tanquam flamma ignis, ſignificatur, quod nempe Divina ſapientia et intelligentia communicata illis qui in amore et inde fide in Dominum ſunt: quod etiam ſignificetur Divina Ipſius Providentia, conſtat ex illis quæ ſupra n. 68, oſtenſa ſunt: quibus addendum eſt, quod de Cherubis dicitur apud Ezechielem, et de quatuor animalibus circa Thronum in Apocalypſi, per quæ etiam Divina Domini Providentia, et in ſpecie Cuſtodia ne adeatur Dominus niſi per bonum, ſignificatur; apud Ezechielem, "*Vidi ecce quatuor Rotæ juxta Cherubos; tota Caro eorum, et Dorſa eorum, et Manus eorum, et Alæ eorum, et Rotæ erant plena Oculis circum circa,*" x. 12. Et in Apocalypſi, "*Circa Thronum erant quatuor Animalia plena Oculis ante et retro; unumquodvis habebat Alas circum et intus plenas Oculis,*" iv. 6, 8; quatuor hæc animalia etiam erant Cherubi, nam ſimilis pæne eſt deſcriptio eorum quæ eſt Cheruborum apud Ezechielem: illis tot oculi adſcribuntur, quia Divina Domini Providentia, quæ per Cherubos ſignificatur, eſt omnia in Cœlis et in Terris ex Divina ſapientia regere; Dominus enim ex Divina Providentia videt omnia, diſponit omnia, et proſpicit omnia. Quod per Cherubos ſignificetur Divina Providentia Domini, et in ſpecie Cuſtodia ne Dominus adeatur niſi per bonum, videatur n. 9277, 9509, 9674.

153. Et pedes ſuos ſimiles chalcolibano, quod ſignificet ultimum ordinis Divini quod naturale, plenum Divino amore, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 69, dicta et oſtenſa ſunt, ubi ſimilia. Quia in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur de Eccleſiæ Interno quod ſpirituale, et de ejus Externo quod naturale, quod unum facient, videatur ſupra, n. 150; ideo præmittitur de Domino, a Quo omne Eccleſiæ, *Hæc dicit Filius hominis habens oculos tanquam flammam ignis, et pedes ſimiles chalcolibano;* per oculos enim reſpective ad homines ſignificatur Internum quod ſpirituale, et per pedes externum quod naturale, at per Oculos et Pedes reſpective ad Dominum ſignificantur Divina, a quibus illa apud homines.

154. Novi opera tua et charitatem, quod ſignificet Internum eorum qui ab Eccleſia, conſtat ex ſignificatione Operum, quod ſint illa quæ ſunt voluntatis ſeu amoris cœleſtis, de qua ſupra, n. 98; et ex ſignificatione charitatis, quod ſint quæ ſunt amoris ſpiritualis; quod per opera et charitatem ſignificetur internum Eccleſiæ, eſt quia illa quæ ſunt voluntatis ſeu amoris faciunt Internum ejus, at illa quæ ſunt intellectus et fidei faciunt Externum ejus. Sunt bini Amores, qui faciunt Cœlum ſeu Eccleſiam, Amor in Dominum et Amor erga proximum ſeu Charitas, Amor in Dominum eſt qui vocatur amor cœleſtis, et amor erga proximum, qui eſt charitas, eſt qui vocatur amor ſpiritualis; quod ita dicantur, eſt ex eo quod Cœlum diſtinctum ſit in duo Regna, quorum unum vocatur Regnum Cœleſte, alterum Regnum Spirituale, inde quoque Amores, qui ibi regnant, ita vocantur, videatur Opus de CŒLO ET INFERNO, n. 13 ad 19, et 20 ad 28; ac DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 54 ad 62, et 84 ad 100; ubi etiam oſtenſum eſt, quid Amor cœleſtis et quid Amor ſpiritualis, quod nempe Amor cœleſtis ſit ex affectione voluntatis facere præcepta Domini, et quod Amor ſpiritualis ſit ex affectione intellectus facere præcepta Domini: ſunt duo apud hominem, quæ faciunt Cœlum aut Eccleſiam apud illum, Amor et Fides, Amor reſidet in Voluntate hominis, nam quod homo amat hoc quoque vult; Fides autem reſidet in Intellectu hominis, nam quod homo credit, hoc quoque cogitat, et Cogitatio eſt intellectus; Internum itaque Eccleſiæ cœleſtis, eſt ex affectione intellectus, proinde ex amore veri, facere præcepta Domini, nam quod facere præcepta Domini ſit amare Ipſum, docet Ipſe, apud Johannem, Cap. xiv. 21, 23: Internum Eccleſiæ cœleſtis eſt quod intelligitur per Opera, ac Internum Eccleſiæ ſpiritualis eſt quod intelligitur per Charitatem. Sed quia hæc, ut clare appercipiantur, non paucis exponi poſſunt, videantur quæ de illis in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ dicta ſunt, nempe de Voluntate et Intellectu, n. 28 ad 36. De Interno et Externo homine, n. 36 ad 53. De Amore in genere, n. 54 ad 64. De Amore erga proximum ſeu

Charitate, n. 84 ad 107. Et de Fide, n. 108 ad 122. Et in Opere de CŒLO ET INFERNO, ubi agitur de amore cœleſti et de amore ſpirituali, n. 13 ad 19.

155. Et miniſterium et fidem, quod ſignificet bonum et verum ibi, conſtat ex ſignificatione miniſterii, quod ſit bonum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione fidei, quod ſit verum; cauſa quod fides ſignificet verum, eſt quia verum eſt fidei et fides eſt veri. Quod miniſterium ſignificet bonum, eſt quia miniſterium in Verbo dicitur de bono; inde eſt quod functio Aharonis, filiorum ejus et Levitarum dicta fuerit Miniſterium, et in genere functio ſacerdotum; et quod per miniſtrare Jehovæ ſeu Domino, intelligatur colere Ipſum ex bono amoris: inde patet, quod miniſterium ſe referat ad opera, et fides ad charitatem, de quibus mox ſupra, ubi dictum eſt, *Novi Opera tua et Charitatem*, nam fides et charitas unum faciunt, ubi enim non charitas ibi nec fides, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 108 ad 122; et in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 40. Quod Miniſterium et miniſtrare in Verbo dicatur de bono amoris, conſtare poteſt a ſequentibus locis; apud Davidem, "*Jehovah facit Angelos ſuos Spiritus, Miniſtros ſuos ignem flammantem*," Pſalm. civ. 4; quod Jehovah faciat Angelos ſuos ſpiritus eſt quod recipientes Divini Veri, videatur ſupra, n. 130; quod faciat miniſtros ſuos ignem flammantem eſt quod recipientes Divini boni, nam per ignem flammantem ſignificatur bonum amoris, videatur ſupra, n. 68; inde patet, quod per miniſtros intelligantur illi qui in bono amoris ſunt. Apud Eundem, "*Benedicite Jehovæ omnes Exercitus Ipſius, Miniſtri Ipſius facientes voluntatem Ipſius*," Pſalm. ciii. 21, 22; Exercitus Jehovæ dicuntur qui in veris ſunt, videatur n. 3448, 7236, 7988, 8019; miniſtri qui in bonis; quare dicitur facientes voluntatem Ipſius; facere voluntatem Domini eſt ex bono amoris, nam omne bonum ſe refert ad voluntatem, ſicut omne verum ad intellectum. Apud Eſajam, "*Vos ſacerdotes Jehovæ vocabimini, miniſtri Dei veſtri*," lxi. 6; ſacerdotes vocantur miniſtri, quia illi repræſentabant Dominum quoad bonum amoris, inde eſt qui in bono amoris ſunt, in Verbo dicantur ſacerdotes, videatur n. 2015, 6148, 9809, 10017; ex eo etiam eſt quod dicantur miniſtri Dei: inde eſt quod functio Aharonis et filiorum ejus dicatur miniſterium, et quoque functio Levitarum ſacerdotum; et quod intrare in tentorium conventus et fungi ibi miniſterio, et quoque accedere ad altare et ibi fungi miniſterio, dicatur Miniſtrare, videatur Exod. xxviii. 35. Cap. xxxi. 20. Num. viii. 15, 19, 24, 25, 26: Et apud Jeremiam, "*Fœdus meum irritum fiet cum Levitis Sacerdotibus miniſtris meis*," xxxiii. 21; quod Aharon repræſentaverit Dominum quoad Bonum amoris, videatur n. 9806, 9966, 10017: quod etiam in genere Sacerdotes, n. 2015, 6148: quod inde per Sacerdotium in Verbo ſignificetur Divinum Bonum Divini Amoris Domini, n. 9806, 9809. Sunt duo Regna, in quæ totum Cœlum diſtinctum eſt, unum in quo Angeli qui in bono amoris cœleſtis ſunt, alterum in quo ſunt Angeli qui in bono amoris ſpiritualis ſeu in Charitate; Regnum Cœleſte Domini vocatur Sacerdotium Ipſius, et Regnum Spirituale vocatur Regium Ipſius, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 24, 226; de illis qui in Regno Cœleſti dicitur miniſtrare, at de illis qui in Regno Spirituali ſunt dicitur ſervire;

vire; inde patet, quid per miniſtrare et miniſtrum, et quid per ſervire et ſervum ſignificatur in ſequentibus his locis, "*Jeſus dixit Diſcipulis, quiſquis voluerit eſſe magnus, eſſe debet veſter Miniſter, et quiſquis voluerit eſſe primus, eſſe debet veſter Servus: ſicut Filius hominis non venit ut Ipſi miniſtretur, ſed ut miniſtret,*" Matth. xx. 26, 27, 28. Cap. xxiii. 11, 12. Marc. ix. 35. Luc. xxii. 24 ad 27. "*Jeſus dixit, ſi quis miniſtraverit Mihi, ſequitor Me; tunc ubi Ego ſum, etiam Miniſter meus erit; imo ſi quis Mihi miniſtraverit, honorabit eum Pater,*" Joh. xii. 26. "*Jeſus dixit, beati ſervi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes; dico vobis, quod cincturus ſit Se et accumbere facturus eos, Ipſeque accedens miniſtraturus illis,*" Luc. xii. 37. Apud Eſajam, "*Filii Alienigenæ, qui adhærent Jehovæ ad miniſtrandum Illi, et ad amandum Nomen Jehovæ,*" lvi. 6; quia miniſtrare prædicatur de bono amoris, ideo dicitur ad miniſtrandum Jehovæ, et ad amandum; ac ideo dicitur de Domino quod Ipſe miniſtraturus. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per miniſterium ſignificetur omne quod fit ex bono amoris, ita bonum amoris.

156. Et tolerantiam, quod ſignificet conjunctionem cum Externo, et tunc pugnam, conſtat ex ſignificatione tolerantiæ, cum de illis qui in Interno et Externo Eccleſiæ ſunt, de quibus hic agitur, quod fit conjunctio Interni cum Externo, et pugna tunc; quod hoc per tolerantiam ſignificetur, eſt quia conjunctio Interni cum Externo, ſeu Spiritualis hominis cum Naturali fit per tentationes, aliter non conjunguntur, ideo pugna per quam illa conjunctio fit, quia homo tunc patitur et ſuſtinet, ſignificatur per tolerantiam. Quod Internus homo cum Externo conjungatur per Tentationes, quæ ſunt pugnæ ſpirituales, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10865; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 190, 194, 199.

157. Et opera tua, et ultima plura prioribus, quod ſignificet externa inde, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint externa in quibus interna, nam Opera ſunt ultimi effectus, in quibus interna ſe ſiſtunt ſimul, et ibi in ſerie, formant ibi ſuum ultimum et plenum; interna dicuntur, quæ ſunt cogitationis et voluntatis, et ſpiritualiter loquendo, quæ ſunt amoris et fidei, hæc ſunt in operibus, unde hæc ſunt ultima. Quod interiora quæ mentis ſucceſſive influant in externa, uſque in extremum ſeu ultimum, et quod ibi etiam exiſtant et ſubſiſtant, videatur n. 634, 6239, 6465, 9216, 9217: quod etiam forment in ultimo ſimultaneum, qua ſerie, n. 5897, 6451, 8603, 10099: quod totus homo ſit in factis ſeu operibus, et quod id nondum exiſtat, quod modo eſt in velle et non in facere, cum homo facere poteſt, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 475, 476. His adjicere velim arcanum, quod nondum notum eſt; Spiritus hominis in tali forma humana apparet poſt mortem, in quali vita affectionis ejus fuit in mundo, in forma pulchra ſi vita amoris cœleſtis ei fuerat, at in forma impulchra ſi vita amoris terreſtris; inde eſt quod angeli ſint formæ amoris et charitatis: ſed illis non forma tam pulchra eſt ex affectione ſolius cogitationis et voluntatis, ſed ex illarum affectione in factis ſeu operibus; facta enim ſeu opera ex affectione voluntatis et cogitationis ſeu amoris et fidei faciunt externam ſpeciem ſpiritus, ita pulchritudinem faciei, corporis et loquelæ ejus; cauſa eſt, quia ſicut interiora deſinunt in facta ſeu opera, ut in ſua extrema, ita in formam corporis externam; nam notum eſt, quod omne voluntatis

hominis deſinat in corporis extrema; pars ibi, in quam non deſinit voluntas, non eſt pars corporis, ut patet ab actibus etiam minimis corporis, qui omnes fluunt ex nutu voluntatis, et ſiſtuntur in corporis extremis, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 59, 60; et in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 30, 31: idem conſtare poteſt ex eo, quod ſpiritus hominis ſit prorſus ſicut ejus voluntas, non ſicut ejus voluntas quæ non abit in actum quando poteſt, ea voluntas eſt modo cogitatio, in qua apparet ſicut velle, ſed eſt ſicut voluntas actualis, quæ non potius deſiderat quam agere, hæc voluntas eſt eadem cum ejus amore, ſecundum hanc eſt totus ſpiritus, et ejus forma humana; quod voluntas ſeu amor ſit ipſe ſpiritus, videatur ſupra, n. 105; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 479; unde eſt quod toties in Verbo dicatur, quod homo debeat facere præcepta, et quod ei retribuetur ſecundum facta, hoc eſt, ſecundum amorem in factis, non autem ſecundum amorem abſque factis, ſi facere poteſt. Dicitur, novi opera tua, et ultima plura prioribus, et per ultima plura prioribus intelligitur, quod pleniora ſint amore poſt conjunctionem Interni hominis cum Externo, nam quantum Internus conjungitur Externo, tantum plus Interni eſt in Externis, conſequenter in factis ſeu operibus; externa enim ſeu opera non ſunt niſi quam effectus interiorum, quæ ſunt voluntatis et inde cogitationis, et effectus trahunt omne ſuum ab Internis, a quibus exiſtant, ſicut motus a ſuo conatu, conatus in homine eſt voluntas, et motus inde eſt actio. Ex illis quæ in hoc Verſu explicata ſunt, conſtare poteſt, quo ordine deſcribitur conjunctio Interni cum Externo apud hominem Eccleſiæ, nempe Internum per novi opera tua et charitatem; bonum Interni et verum ejus per miniſterium et fidem; conjunctio Interni cum Externo per tolerantiam; et Externa inde per novi opera tua, et ultima plura prioribus: ſed quod illa involvantur iis verbis, nemo videre poteſt ex ſenſu literæ, ſed ex ſenſu ſpirituali, qui ineſt ſenſui literæ.

158. Sed habeo adverſus te pauca, quod ſignificet quod cavendum, conſtat ex ſequentibus, nam ibi dicitur a quibus cavendum eſt.

159. Et permittas mulierem Jeſabel, quod ſignificet jucundum amoris ſui et mundi, conſtat ex ſignificatione mulieris Jeſabel, quod ſit Eccleſia prorſus perverſa, nam per mulierem in Verbo ſignificatur Eccleſia, videatur n. 252, 253, 749, 770, 6014, 7337, 8994, hic Eccleſia perverſa; et quia omnis perverſio Eccleſiæ exiſtit ex binis amoribus, nempe ex amore ſui et amore mundi, inde per Jeſabel ſignificatur illorum amorum jucundum: vocatur Eccleſia in qua regnant illi amores, mulier Jeſabel, ex eo quod per Iſabelem uxorem Achabi in Verbo repræſentabatur illorum amorum jucundum, et per id perverſio Eccleſiæ; omnia enim quæ in Verbo, etiam Hiſtorico, ſcripta ſunt, repræſentativa ſunt talium quæ Eccleſiæ, videatur Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 249 ad 266. Quod omnis perverſio Eccleſiæ ex illis binis amoribus, dum regnant ſuper amores cœleſtes, exiſtat, eſt quia illi bini amores prorſus oppoſiti ſunt binis amoribus, qui faciunt Cœlum et Eccleſiam, qui ſunt Amor in Dominum et amor erga proximum, et quia ex illis binis amoribus exiſtunt omnia mala et inde falſa; quod ita ſit, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 59, 61, 65 ad 83; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 252, 396, 399, 400, 486, 551 ad 565, 566 ad 575.

Quod Iſabel uxor Achabi repræſentaverit illa quæ dicta ſunt, videbitur in nunc ſequentibus: hic primum de jucundis amorum aliquid dicetur: unuſquiſque homo talis eſt qualis ejus amor, et omne jucundum vitæ ejus eſt ex ſuo amore; quicquid enim amori ejus favet, hoc percipit jucundum, et quicquid amori ejus adverſatur, hoc percipit injucundum; quapropter ſive dicatur, quod homo ſit qualis ejus amor, ſive dicatur quod homo talis ſit quale eſt ejus vitæ jucundum, idem eſt: qui itaque ſunt amores ſui et mundi, hoc eſt, apud quos illi amores regnant, illi non habent aliud vitæ jucundum, ſeu aliam vitam, quam vitam infernalem, nam amores illi, ſeu jucunda vitæ ex illis, quæ perpetua ſunt, vertunt omnes cogitationes et intentiones illorum ad ſe et ad mundum, et quantum vertunt illas ad ſe et ad mundum, tantum immergunt illas proprio hominis, quod ei ex hæreditario eſt, ita ſimul in omnis generis mala; et quantum cogitationes et intentiones hominis vertuntur ad proprium ejus hæreditarium, quod in ſe non eſt niſi quam malum, tantum avertuntur a Cœlo; nam interiora hominis quæ ejus mentis ſunt, hoc eſt, quæ ejus cogitationis et intentionis, ſeu ejus intellectus et voluntatis, actualiter vertuntur ad amores ſuos, deorſum, hoc eſt, ad ſe, ubi amor ſui et ejus jucunda regnant, et extrorſum, hoc eſt a cœlo ad mundum, ubi amor mundi et ejus jucunda regnant: aliter vero cum homo ſuper omnia amat Deum, et proximum ſicut ſeipſum, tunc Dominus vertit interiora quæ ſunt mentis hominis, ſeu cogitationis et intentionis ejus, ad Se, ita avertit illas a proprio ejus, et elevat, et hoc præter quod homo aliquid de eo ſciat: inde eſt, quod ſpiritus hominis, qui eſt ipſe homo, poſt ſolutionem a corpore actualiter vertatur ad amorem ſuum, quia is facit jucundum vitæ ejus, hoc eſt, vitam ejus; quod omnes ſpiritus actualiter ad amores ſuos vertantur, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 17, 123, 142, 143, 144, 145, 151, 153, 272, 510, 548, 552, 561; et ſupra n. 41. Hoc aliquantum illuſtrari poteſt ex eo, quod omnia minima corporis ſe vertant ad centrum commune noſtri orbis, quod centrum gravium vocatur, et quod inde ſit, quod homines, ubicunque ſunt, etiam qui in oppoſito verſu et antipodes vocantur, inſiſtant pedibus: at hoc centrum gravium eſt modo centrum gravium in natura, verum centrum gravium aliud eſt in mundo ſpirituali, hoc determinatur apud hominem ex amore in quo eſt, deorſum ſi ei amor infernalis eſt, et ſurſum ſi amor ei cœleſtis eſt; et quo amor hominis determinatur, eo quoque cogitationes et intentiones ejus, nam hæ ſunt in ſpirituali mundo, et a viribus, quæ ibi, aguntur. Ex his nunc conſtare poteſt quod perverſio Eccleſiæ, quæ per mulierem Jeſabel ſignificatur, apud homines unice ſit ex amoribus ſui et mundi, quoniam hi vertunt interiora hominis, quæ mentis ejus ſunt, deorſum, et ſic avertunt a Cœlo. Perverſio Eccleſiæ apud homines dicitur, quia Eccleſia eſt in homine, ſicut cœlum eſt in Angelo; omnis Eccleſia conſtituitur ex illis qui Eccleſiæ ſunt, et non ab aliis tametſi natis ubi Eccleſia eſt; hoc manifeſte ſciri poteſt ex eo, quod amor et fides faciat Eccleſiam, ac amor et fides erunt in homine, proinde etiam Eccleſia: quod Cœlum ſit in Angelo, et quod Eccleſia in homine, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 33, 53, 54, 57, 454: et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 232, 233, 241, 245, 246.

160. Dicentem ſe prophetiſſam docere, et ſeducere meos ſervos, quod ſig-

nificet quod inde doctrina omnium falſorum, conſtat ex ſignificatione prophetæ, quod ſit qui docet vera, et abſtracte a perſona, doctrina veri, de qua n. 2534, 7269; inde in oppoſito ſenſu per prophetam intelliguntur qui docent falſa, et abſtracte a perſonis doctrina falſorum, ſimiliter hic per prophetiſſam; quia hic per prophetiſſam ſignificatur docens falſa, et doctrina omnium falſorum, ideo additur quod doceat et ſeducat Domini ſervos; docere et ſeducere dicitur, quia docere prædicatur de veris et falſis, ac ſeducere de bonis et malis, ac ſervi Domini in Verbo dicuntur qui in veris ſunt, et miniſtri qui in bono, videatur ſupra, n. 155. Dicitur de Iſabele, quod ſe dicat prophetiſſam, non quod Iſabel uxor Achabi ſe dixerit prophetiſſam, ſed quia per illam ſignificatur jucundum amoris ſui et mundi, et hoc jucundum docet et ſeducit illos qui in veris ſunt; quiſque enim, dum ex ſe, cogitat ex ſuo amore, ac inde ſe imbuit falſis, quod eſt docere et ſeducere. De Iſabele legitur in Verbo; quod Achabus Rex Iſraelitarum acceperit Iſabelem filiam Regis Zidoniorum in uxorem, et quod abiverit et ſerviverit Baali, et ei erexerit altare in Samaria, et fecerit lucum, 1 Reg. xvi. 31, 32, 33. Quod Iſabel occiderit Prophetas Jehovæ, 1 Reg. xviii. 4, 13: et quod etiam occidere voluerit Eliam, Cap. xix. 1, 2, ſeq: Quod per dolum, ſubſtituendo falſos teſtes, abſtulerit vineam Nabatho, et eum occiderit, Cap. xx. 6, 7, ſeq: inde prædictum ab Elia, quod canes comederent illam, 1 Reg. xxi. 23. 11 Reg. ix. 10: et dein quod juſſu Jehu dejecta ſit e feneſtra, et quod aſperſum fuerit de ſanguine ejus ad parietem, et ad equos qui conculcaverent eam, 11 Reg. ix. 32, 33, 34. Per hæc omnia repræſentabatur perverſio Eccleſiæ ex jucundo amoris ſui et mundi, et ex inde ſcaturientibus malis et falſis, nam omnia Hiſtorica Verbi, æque ac Prophetica, ſunt repræſentativa talium quæ Eccleſiæ ſunt; per Baalem, cui ſervivit, et cui erexit Altare, ſignificatur cultus ex malis amoris ſui et mundi; per lucum quem fecit, ſignificatur cultus ex falſis inde; per quod occiderit prophetas Jehovæ, ſignificatur deſtructio Eccleſiæ quoad ſua vera; per quod etiam occidere vellet Eliam, ſignificatur quod annihilare vellet Verbum, nam hoc Elias repræſentavit; per vineam, quam per falſos teſtes abſtulit Nabotho, ſignificatur falſificatio veri et adulteratio boni; per propheticum Eliæ, quod canes illam comederent, ſignificatur immundities et prophanatio; per quod dejecta ſit e feneſtra, et per quod aſperſum ſit e ſanguine ejus ad parietem et ad equos qui conculcaverunt eam, ſignificatur ſors illorum qui tales ſunt; qualis ſors illorum ſit, conſtare poteſt ex ſingulis ibi in ſenſu interno. Ex his videri poteſt, quod non alia Iſabel intelligatur per Mulierem Iſabelem dicentem ſe prophetiſſam, quam Iſabel uxor Achabi, de qua in Verbo; et quod per illam deſcribantur illi qui in doctrina omnium falſorum ſunt ex jucundis amorum ſui et mundi.

161. Scortari et idolothyta edere, quod ſignificet falſificationes veri et adulterationes boni, conſtat ex ſignificatione ſcortari, quod ſit falſificare vera, de qua ſupra, n. 141; et ex ſignificatione edere idolothyta, quod ſit appropriare malum, de qua etiam ſupra, n. 141; quod etiam ſit adulterare bonum, eſt quia appropriationes mali in rebus Eccleſiæ ſunt adulterationes boni, applicantur enim ejus bona ad mala, et ſic adulterantur; ut pro exemplo, bona Eccleſiæ Iſraeliticæ ſignificabantur per Altare, ſacrificia, et commeſſationes

ex ſacrificatis, hæc cum addicarentur Baali, tunc bona applicabantur ad mala, præter ſimilia alia: pariter in Eccleſia, ubi non ſunt repræſentativa, ſi applicatur Verbum ad confirmandum mala amoris ſui, ut fit a Gente Pontificia ad dominium ſuper univerſum Cœlum. Quod per ſcortari et idolothyta edere, ſignificetur falſificare vera et adulterare bona, patet quoque ex eo, quod facta Iſabelis una voce dicantur ſcortationes et incantationes, in Libro Secundo Regum, "*Cum videret Jehoramus Jehu, dixit num pax Jehu, qui dixit quid pax, uſque ad Scortationes Iſabelis matris tuæ et Incantationes ejus multas,*" ix. 22.

162. Et dedi illi tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, et non reſipuit, quod ſignificet quod qui inde in falſis ſunt, non ſe convertant ad vera et per vera, conſtat ex ſignificatione reſipiſcere a ſcortatione, quod ſit a falſis ſe convertere ad vera, ſcortatio enim eſt falſificatio veri, ac reſipiſcere eſt ſe convertere ab illis, nam reſipiſcentia eſt actualis converſio a falſis ad vera, ac diſſociatio et ſeparatio ab illis, ut ſupra, n. 143; et ex ſignificatione non reſipuit, quod ſit quod non a falſis ad vera ſe convertant: hæc dicta ſunt de Iſabele, ſed intelliguntur qui ex jucundo amorum ſui et mundi falſificarunt vera et adulterarunt bona, nam in Propheticis Verbi nominatur una perſona, et per illam intelliguntur omnes qui tales. Paucis dicetur de eo, quod qui apud ſe falſificarunt vera applicando ad jucundum amoris ſui, poſtea ſe non convertant ad vera; homo ex ſpirituali ſeu interno homine, et ex ejus intellectuali videt vera, quæ Eccleſiæ ſunt, ex Verbo, ſed non recipit illa ibi, niſi quantum amat illa uſque ut velit facere illa; cum homo hoc ita vult, tunc Internus ſeu ſpiritualis homo ex naturali et ejus memoria evocat et elevat vera, quæ ibi, ad ſe, ac conjungit illa amori qui eſt voluntatis ejus; ita aperitur Internus ſpiritualis homo, ubi eſt mens hominis interior et ſuperior, et ſucceſſive impletur et perficitur: at ſi homo patitur, ut naturale jucundum, quod eſt jucundum amoris ſui et mundi, prædominetur, tunc homo ex illo jucundo videt omnia, et ſi vera, applicat illa ſuo amori, et falſificat; quod cum fit, cluditur Internus ſpiritualis homo, nam hic, quia ad receptionem talium quæ in Cœlo ſunt, accommodatus eſt, non ſuſtinet falſificari vera, quare cum falſificantur, ſe contrahit et claudit, pæne ſicut fibrilla aculeo tacta; quo ſemel clauſo regnat amor ſui aut amor mundi, aut uterque ſimul, ac format Externum ſeu naturalem hominem prorſus in oppoſitum Interno ſeu ſpirituali homini: inde nunc eſt, quod qui falſificaverunt vera applicando ad jucunda amoris ſui et mundi, poſtea non poſſint convertere ſe ad vera. Hæc nunc ſunt quæ intelliguntur per ea verba, "Dedi Mulieri Iſabeli tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, et non reſipuit."

163. Ecce Ego conjicio illam in lectum, quod ſignificet quod relinquantur ſuo naturali homini et ibi doctrinæ falſorum, conſtat ex ſignificatione lecti, quod ſit naturalis homo, et quoque doctrina falſorum, de qua ſequitur. Agitur in nunc ſequentibus, de illis qui ſe patiuntur ſeduci ab illis, qui in Doctrina falſorum ſunt ex jucundo amorum ſui et mundi, qui ſunt qui per Iſabelem intelliguntur, ut ſupra dictum eſt: ii, qui ſe ſeduci patiuntur, non ſunt ſicut illi qui falſificaverunt vera et adulteraverunt bona

ex jucundo illorum amorum, nam hi viderunt vera, et applicuerunt illa ad favorem jucundorum ſuorum, et ſic perverterunt, hi ſunt qui poſtea non poſſunt convertere ſe ad vera et illa agnoſcere, et hi ſunt de quibus in præcedente Articulo, n. 162, actum eſt: verum ii qui hoc non fecerunt, ſed ſe ab illis ſeduci paſſi ſunt, non ita occluſerunt Internum ſeu ſpiritualem hominem apud ſe, non enim ipſi falſificaverunt vera, ſed credunt illis qui falſificaverunt, quia ſonant ut vera, non enim altius cogitant, quam quod credendum ſit Anteſignanis, quia intelligentes et ſapientes, ita pendent ex ore magiſtri; tales ſunt plerique hodie in Chriſtianiſmo, imprimis qui nati ſunt in terris, ubi religio Pontificia, hi itaque ſunt qui intelliguntur per Mæchantes cum Iſabele in lecto. Quod lectus ſignificet Doctrinam falſorum, et ſimul naturalem hominem, eſt quia Doctrina falſorum non aliunde eſt quam ex naturali homine ſeparato a ſpirituali; et naturalis homo ſeparatus a ſpirituali mundana videt in luce, at cœleſtia in caligine, inde falſum loco veri et malum loco boni; et ſi videt verum, falſificat id, et ſi bonum adulterat id; influit enim Cœlum per Spiritualem ſeu Internum hominem in Naturalem ſeu Externum, et non in Naturalem ſeu Externum immediate, in hunc immediate tunc influit mundus; et cum mundus naturalis apud hominem non regitur per mundum ſpiritualem, tunc vinculum ruptum eſt cum Cœlo, quo rupto homo mundum facit omne ac Cœlum parvi aut nihili, tum ſe omne et Deum parvi aut nihili: cum Externus ſeu naturalis homo in tali ſtatu eſt, tunc in falſis eſt ex malis ſcaturientibus ex amore ſui et mundi: inde eſt, quod quia per Lectum ſignificatur Naturalis homo, etiam per illum ſignificetur doctrina falſorum. Quod per Lectum ſignificetur Naturalis homo, eſt quia ſubſtratus eſt ſpirituali, et ſic in illo inque illis quæ ibi ſicut in ſuo Lecto cubat. Quod Lectus ſignificet Naturalem hominem, et quoque doctrinalia quæ ibi, conſtare poteſt a locis in Verbo ubi nominatur, ut in ſequentibus; apud Amos, "*Sicut eripuerit paſtor ex ore leonis duo crura et particulam auris, ſic eripientur filii Iſraelis habitantes in Samaria in Angulo Lecti et in extremitate Spondæ,*" iii. 12; Leo ſignificat Eccleſiam, hic illos ibi qui deſtruunt bona et vera; crura et particula auris ſunt bona quæ in naturali homine, et inde aliquid apperceptionis veri; filii Iſraelis habitantes in Samaria ſunt qui ex Eccleſia; in Angulo lecti et in extremitate ſpondæ, ſunt qui in pauco naturali lumine ex ſpirituali, et inde in aliquibus veris. Apud Eundem, "*Væ ſecuris in Zione, et confidentibus in montibus Samariæ, iis qui cubant ſuper lectis eboris, et ſuper ſpondis ſuis, eduntque agnos de grege, et vitulos e medio ſaginarii, excogitant ſibi inſtrumenta cantus, et bibunt ex ſchyphis vini, et primitiis oleorum ſe ungunt, et ſuper confractione Joſephi non afficiuntur dolore,*" vi. 1, 4, 5, 6; confidentes in montibus Samariæ, ſunt qui ſibi fidunt, et ex propria intelligentia doctrinas excludunt; Samaria eſt Eccleſia perverſa ſpiritualis; lecti eboris ſunt fallaciæ ſenſuum ſuper quibus fundatur doctrina; extendere ſe ſuper ſpondis, eſt inde falſa confirmare et multiplicare; edere agnos de grege, vitulos e medio ſaginarii, bibere ex ſchyphis vini, et ungere ſe primitiis oleorum, eſt vera et bona Verbi ex ſenſu ejus literæ afferre, applicare et falſificare; ſupra confractione Joſephi non affici dolore, eſt nihili facere quod Eccleſia ſpiritualis pereat, et vera ejus infringantur; quod

Joſephus in ſupremo ſenſu ſignificet Dominum quoad Divinum ſpirituale, in ſenſu interno Domini Regnum ſpirituale, ita etiam Eccleſiam ſpiritualem, in externo fructificationem boni et multiplicationem veri, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417, 6526. Apud Moſen, "*Benedictiones patris tui prævaleant ſuper benedictionibus parentum meorum, fiant ſuper caput Joſephi, et ſuper verticem lecti fratrum ejus,*" Geneſ. xlix. 26; Joſephus, ut dictum eſt, eſt Eccleſia ſpiritualis Domini; vertex lecti fratrum eſt ſpirituale quod influit in omnia vera et bona illius Eccleſiæ; duodecim enim filii ſeu tribus Iſraelis ſignificant omnia vera et bona Eccleſiæ in complexu, videatur n. 3858, 3926, 4060, 6335. Apud Lucam, "*Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto uno, unus acceptabitur alter relinquetur: duæ erunt molentes, una acceptabitur altera relinquetur: duo erunt in agro, unus acceptabitur alter relinquetur,*" xvii. 35, 36; agitur de conſummatione ſæculi, quæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ quando judicium; eſſe in uno lecto eſt in una doctrina Eccleſiæ; duæ molentes, ſunt qui colligunt et addiſcunt talia quæ inſerviunt fidei; duo in agro, ſunt qui in Eccleſia ſibi applicant vera et bona; quod molentes ſint qui colligunt et addiſcunt talia quæ inſerviunt fidei, videatur n. 4335, 7780, 9995. Quod ager ſit receptio veri et boni, n. 368, 3310, 9141, 9295. Apud Johannem, "*Jeſus dixit ægroto ad piſcinam Bethſaidæ, ſurge tolle lectum tuum, et ambula; et ſtatim factus eſt ſanus homo, et ſuſtulit lectum ſuum et ambulavit; poſtea invenit eum Jeſus, et dixit ei, ecce ſanus factus es, ne pecca amplius, ne pejus tibi fiat,*" v. 8 ad 12, 14. Et apud Marcum, "*Removerunt tectum ubi Jeſus erat, et dimiſerunt Lectum ſuper quo paralyticus jacebat. Jeſus dixit, quid eſt facilius dicere, remiſſa ſunt tibi peccata tua, vel dicere, ſurge et tolle Lectum tuum et ambula: tunc dixit, ſurge tolle Lectum tuum et ambula, et abi in domum tuam; tunc ſurrexit ſtatim et tollens Lectum exivit coram omnibus,*" ii. 4, 9, 12; quod Dominus dixerit ægrotis illis, ſurge tolle lectum et ambula, ſignificat doctrinam et vitam ſecundum illam, lectus doctrinam, et ambulare vitam, quod ambulare ſit vivere, videatur ſupra n. 97, et ægrotus ſignificat illos qui tranſgreſſi ſunt et peccaverunt; quapropter Dominus dixit ægroto ad piſcinam Bethſaidæ, Ecce ſanus factus es, ne pecca amplius, ne quid pejus tibi fiat; et paralytico per tectum demiſſo in lecto, quid eſt facilius dicere, remiſſa ſunt tibi peccata, ſive ſurge tolle lectum et ambula: qui non ſciunt aliquid de ſenſu interno Verbi, credere poſſunt, quod verba quæ Dominus loquutus eſt, non plus involvant quam quæ exſtant in ſenſu literæ, ſed uſque ſingula, quæ Dominus loquutus eſt, ſpiritualem ſenſum habent, nam loquutus eſt ex Divino, ac ita ſimul coram Cœlo cum coram mundo, videatur n. 2533, 4637, 4807, 9049, 9063, 9086, 10126, 10726. Deſcribitur Lectus Ogi Regis Baſchanis ita apud Moſen, "*Ogus Rex Baſchanis relictus fuit de reliquiis Rephaim; ecce lectus ejus lectus ferri, nonne ille in Rabbath filiorum Ammonis, cujus longitudo novem ulnarum, et quatuor ulnarum latitudo, in cubito viri,*" Deutr. iii. 11; deſcribitur ibi Ogi lectus, quia erat ex reliquiis Rephaim, et quia erat Rex Baſchanis; per Rephaim enim ſignificabantur qui in amore ſui præ aliis erant, et inde ſumme naturales, et ex perſuaſione ſuæ eminentiæ ſuper alios in omnis generis falſis, videatur n. 581, 1268, 1271, 1673, 3686; et per Baſchanem ſignificabatur Externum Eccleſiæ, ita naturale, erat enim Baſchan extra terram Canaanem ubi Eccleſia, ideo Lectus ejus deſcribitur, qui non deſcriptus eſſet, niſi talia per Ogum ſignificata fuiſſent; nam quicquid in Verbo, etiam Hiſtorico, memoratur, quoad omnem vocem ſignificant, inde eſt quod Verbum ſit in omnibus et ſingulis ſpirituale, proinde ab intimis ad ultima Divinum; inde quoque eſt, quod etiam memoratum ſit, quod Lectus eſſet ex ferro, et quod eſſet in Rabbath filiorum Ammonis, et quod longitudo ejus eſſet novem ulnarum, et latitudo quatuor in cubito viri, ferrum enim ſignificat Naturale, videatur infra n. 176; Rabbath Ammonis ſignificat falſificationes veri, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 2468; ac longitudo novem ulnarum et latitudo quatuor in cubito viri, ſignificat conjunctionem mali et falſi: ex his videri poteſt quale eſt Verbum in ſuo ſinu. Quia Lectus ſignificat doctrinam, ideo inter ſtatuta in Eccleſia apud Filios Iſraelis erat, "*Quod omne cubile ſuper quo cubat fluxu affectus immundum eſſet; et quod vir qui tetigerit cubile ejus, lavaret veſtes ſuas et ablueret ſe aquis,*" Levit. xv. 4, 5; fluxu affectus ſignificat illos qui in naturali amore ſunt ſeparato a ſpirituali; lavare veſtes et ſe abluere aquis ſignificat purificationem per vera fidei, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 202 ad 209. Quia Jacob in Verbo ſignificat Eccleſiam externam, quæ apud illos eſt qui in lumine naturali ſunt, et vitam moralem vivunt ex obedientia fidei, tametſi non ex affectione interna, ideo cum ſermo eſt de Jacobo, apparet in Mundo ſpirituali ſuperne ad dextrum ſicut vir cubans in lecto; inde eſt, quod in Verbo de illo moriente dicatur, "*Cum abſolviſſet Jacobus præcipere filiis ſuis, collegit pedes ſuos ſuper lecto ſuo, et exſpiravit,*" Geneſ. xlix. 33; collegit pedes ſuper lecto dicitur, quia etiam per pedes ſignificatur naturale, videatur n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952.

164. Et mæchantes cum illa in afflictionem magnam, quod ſignificet tentationes graves illis qui ſe addicant falſis eorum, conſtat ex ſignificatione mæchari, quod ſit falſificare vera, de qua ſupra n. 141; inde mæchari cum Iſabele eſt addicare ſe falſis eorum, qui per Iſabelem ſignificantur; et ex ſignificatione afflictionis, quod ſit infeſtatio veri a falſis, de qua etiam ſupra n. 47, hic tentatio, quia tentatio non aliud eſt quam infeſtatio veri a falſis apud hominem, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 188, 196, 197; inde per conjicere mæchantes cum illa in afflictionem magnam, ſignificatur quod illos qui ſe addicant falſis eorum in tentationes graves. Agitur hic de illis, apud quos ſpiritualis ſeu internus homo non ita clauſus eſt, ex eo quod in aliqua affectione veri ſpirituali ſint, et uſque patiuntur ſe ſeduci ab illis qui in Doctrina falſorum ſunt, videatur ſupra n. 162; hi quia recipiunt falſa in memoria naturalis ſui hominis, cum quibus ſpiritualis internus homo non concordare poteſt, nam hic non recipit niſi vera, ideo oritur pugna inter ſpiritualem et naturalem hominem, hæc pugna eſt tentatio, quæ ſignificatur per afflictionem magnam. Quod tentatio ſit pugna inter ſpiritualem et naturalem hominem, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 190, 194, 197, 199.

165. Si non reſipuerint ab operibus ſuis, quod ſignificet ſi non ſe ſeparent ab illis, conſtat ex ſignificatione reſipiſcere, quod ſit ſe ſeparare a falſis, de qua ſupra n. 143; et ex ſignificatione operum, quod hic ſint ſcortationes cum Iſabele, per quas ſignificantur receptiones falſorum, de quibus mox ſupra n. 163. Separare ſe ab illis eſt pœnitentiam agere, et pœnitentiam agere eſt deſiſtere a malis et falſis, et dein fugere et averſari illa, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 161, 165, 169, et ſeq.

166. Et filios ejus occidam morte, quod ſignificet quod ſic falſa exſtinguantur, conſtat ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera Eccleſiæ ex Verbo, et in oppoſito ſenſu falſa, de qua ſequitur; et ex ſignificatione occidere morte, quod ſit exſtinguere; falſa enim ſeparantur et quaſi exſtinguuntur per tentationes, et per quod homo deſiſtat ab illis, ac fugiat et averſetur illa. Quod filii in Verbo ſignificent vera, et in oppoſito ſenſu falſa, eſt quia in ſpirituali ſenſu Verbi agitur ſolum de talibus quæ ſunt Eccleſiæ et Cœli, et omnia Eccleſiæ et Cœli ſe referunt ad bona quæ amoris et vera quæ fidei; inde eſt, quod nomina conſanguinitatum et affinitatum, ut maritus, uxor, filius, filia, frater, ſoror, nurus, gener, et plura ſignificent ſpiritualia, quæ ſe referunt ad nativitatem ſpiritualem, quæ eſt regeneratio, et ad conjugium Cœleſte, quod eſt conjugium boni et veri; illa quæ ex hoc conjugio naſcuntur, ſunt etiam bona et vera, inde eſt quod per filias in Verbo ſignificentur bona, et per filios vera, utraque derivata ex bono quod ſignificatur per patrem, et ex vero quod ſignificatur per matrem. Quod omnia vera et bona, quæ apud hominem regeneratum ſunt, ſecundum affinitates ſpirituales conjuncta ſint, et conſequantur, videatur n. 2508, 3815, 4121. Quod etiam omnes in Cœlo conſociati ſint ſecundum affinitates ſpirituales, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 205. Quod filii ſignificent vera et affectiones veri, oſtenſum eſt in Arcanis Cœlestibus, n. 489, 491, 533, 2623, 3373, 4257, 8649, 9807. Quod filii filiorum ſignificent vera in ordine ſucceſſivo, n. 6583, 6584. Quod per patrem, matrem, fratres, liberos, ſignificentur bona et vera, aut mala et falſa quæ apud hominem, n. 10490. Quod percutere matrem ſuper filios ſit deſtruere omnia Eccleſiæ, n. 4257. Quod Dominus ſe dixerit Filium hominis, quia Ipſe erat Divinum Verum, et quia omne verum Cœli et Eccleſiæ ab Ipſo procedit, ſupra n. 63.

167. Et cognoſcent omnes quod Ego ſim ſcrutans renes et corda, quod ſignificet agnitionem omnium qui ab Eccleſia ſunt, quod Dominus ſolus ſciat et exploret exteriora et interiora, ac quæ fidei et amoris ſunt, conſtat ex ſignificatione ſcrutari, cum de Domino, quod ſit quod Solus ſciat et exploret; ex ſignificatione renum, quod ſint vera fidei et purificatio eorum a falſis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione cordium, quod ſint bona amoris: quod Cor ſignificet bonum amoris, eſt quia duo ſunt quæ regnant in homine, ex quibus omnis vita corporis ejus, nempe Cor et Pulmo; et quia omnia quæ in hominis corpore ſunt, correſpondent illis quæ in ejus mente, et ibi duo quoque ſunt quæ regnant, nempe Voluntas et Intellectus; hæc bina Regna Mentis correſpondent binis regnis corporis, nempe voluntas cordi et ejus pulſui, ac intellectus pulmoni et ejus reſpirationi, abſque illa cor-

reſpondentia corpus non vivit, ne quidem particula ejus; quia Cor correſpondet voluntati, etiam correſpondet bono amoris, et quia pulmo correſpondet intellectui, etiam correſpondet veris fidei; ex hac correſpondentia eſt quod Cor ſignificet amorem, et quod anima ſignificet fidem; inde eſt quod toties in Verbo dicatur ex corde et anima, per quod intelligitur ex amore et fide: ſed quia de hac Correſpondentia multis actum eſt in ARCANIS CŒLESTIBUS, videantur illa ibi plenius oſtenſa; nempe, Quod Cor in Verbo ſignificet amorem, et quia amorem quod etiam ſignificet voluntatem, n. 2930, 3313, 7542, 8910, 9050, 9113, 10336. Quod Cor correſpondeat illis quæ amoris ſunt apud hominem, et Pulmo illis quæ ſunt fidei apud illum, n. 3883 ad 3896. Quod in Cœlo ſit pulſus qualis cordis, et reſpiratio qualis pulmonis, n. 3884, 3885, 3887. Quod pulſus cordis ibi ſit ſecundum ſtatum amoris, et reſpiratio pulmonis ſecundum ſtatum fidei, n. 3886 ad 3889. Quod influxus cordis in pulmonem ſe habeat ſicut influxus boni in verum, tum ſicut influxus voluntatis in intellectum, ut et ſecundum influxum amoris in fidem, et quod ſimiles communicationes et conjunctiones ſint, n. 3884, 3887 ad 3889, 9300, 9494. Influxus Cœli in Cor et in Pulmonem ab experientia, n. 3884. Quod ex illa correſpondentia in Verbo ex corde et ex anima ſignificet ex amore et fide, n. 2930, 9050. Quod conjunctio ſpiritus hominis cum corpore ejus ſit per reſpirationem pulmonis et per pulſum cordis, et quod ideo illis ceſſantibus homo moriatur quoad corpus, ſed vivat quoad ſpiritum, in Opere de CŒLO ET INFERNO: et quod quando pulſus cordis ceſſat, ſpiritus ſeparetur, ex cauſa quia cor correſpondet amori, qui eſt calor vitalis, n. 447, ibi: plura de illa Correſpondentia videantur ibi n. 95. Quod Renes ſignificent vera fidei et purificationem eorum a falſis, eſt quia purificatio ſanguinis in Renibus peragitur, et per ſanguinem in Verbo ſignificatur verum, videatur n. 4735, 9127; ſimile etiam per Organum quod purificat, ſignificatur: omnis etiam purificatio a falſis ſit per vera: inde patet quid ſignificat in Verbo, quod Jehovah ſeu Dominus ſcrutetur Corda et Renes, quod nempe exploret vera fidei et bona amoris, et ſeparet illa a falſis et malis. Hoc ſignificatur per Renes in ſequentibus locis; apud Jeremiam, "*Jehovah Zebaoth judex juſtitiæ probans Renes et Cor,*" xi. 12. Apud Eundem, "*Probaſti eos, etiam radicati ſunt, pergunt, etiam faciunt fructum; propinquus Tu in ore eorum, et longinquus a Renibus eorum; Jehovah videbis me, et probabis Cor meum,*" xii. 2, 3; propinquus in ore et longinquus a renibus, eſt verum modo in memoria et inde in aliqua cogitatione cum homo loquitur, non autem in voluntate et inde in actu; verum in voluntate et inde in actu eſt quod ſeparat et diſſipat falſa; verum in voluntate et inde in actu eſt velle et facere quod homo ſcit et cogitat verum eſſe; hoc verum eſt quod in ſpecie intelligitur per renes. Apud Eundem, "*Ego Jehovah ſcrutans Cor et probans Renes, et ad dandum cuivis juxta vias ejus, et juxta fructum operum ejus,*" xvii. 10; ſcrutari cor eſt purificare bonum ſeparando malum; probare renes eſt purificare verum ſeparando falſum; ideo dicitur ad dandum cuivis juxta vias ejus, et juxta fructum operum ejus, viæ ſunt vera quæ fidei, et fructus operum ſunt bona quæ amoris; quod viæ ſint vera quæ fidei, videatur ſupra n. 97, et quod fructus operum ſint bona quæ amoris, n. 98, 109, 116, ibi. Apud Eundem, "*Jehovah Zeboath probans juſtum, videns Renes et Cor,*" xx. 12: et apud Davidem, "*Confirma juſtum, nam qui probas Corda et Renes Deus juſtus,*" Pſalm. vii. 10; juſti pro illis qui amant facere verum et bonum, horum vera et bona purificantur a Domino, quod intelligitur per quod vides et probas renes et corda. Apud Davidem, "*Proba me Jehovah, et tenta me, explora Renes meos et Cor meum,*" Pſalm. xxvi. 2; quia vera a falſis et bona a malis ſeparantur per tentationes, ideo dicitur tenta me. Apud Eundem, "*Exacerbatur Cor meum, et Renibus meis exacuo me, ſed ego ſtolidus nec cognoſco,*" Pſalm. lxxiii. 21, 22; infeſtatio boni a malo, et veri a falſo, deſcribitur per illa verba. Apud Eundem, "*Ecce veritatem deſideras in Renibus, et in occulto ſapientiam notam facis mihi,*" Pſalm. li. 8; hic Renes alia voce in Lingua originali exprimuntur, quæ involvit tam ſeparationem falſorum a veris quam malorum a bonis; inde patet quod per renes purificatio et ſeparatio ſignificetur. Apud Eundem, "*Benedicam Jehovæ qui conſuluit mihi, etiam noctibus caſtigant me Renes mei,*" Pſalm. xvi. 7; noctes ſignificant ſtatum hominis quando falſa exſurgunt; pugna tunc verorum cum illis ſignificatur per caſtigant me renes. Apud Eundem, "*Etiam tenebræ non faciunt tenebras præ te, ſed nox ſicut dies lucida eſt, ſicut tenebræ ita lux, Tu enim poſſides Renes meos, non latuit Te os meum, cum factus ſum in occulto,*" Pſalm. cxxxix. 12, 13, 15; tenebræ ſunt falſa, et lux ſunt vera, poſſidere renes eſt ſcire falſa et vera apud hominem; inde dicitur non latuit Te os meum cum factus ſum in occulto, per quod ſignificatur quod non latuerit aliquod falſum quod factum eſt; quod tenebræ ſint falſa, et lux ſint vera, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140; et quod os ſit verum in ultimo ordinis, et in oppoſito ſenſu falſum, in Arcanis Cœlestibus, n. 3818, 5560, 5564, 6592, 8005. Quoniam Renes ſignificabant vera purificata a falſis, ideo in Sacrificiis adolebantur ſolum adipes et renes, videatur Exod. xxix. 13. Levit. iii. 4, 10, 15. Cap. iv. 9, et alibi; quod ſolum Adipes et Renes adolerentur ſuper Altari, erat cauſa, quia adipes ſignificabant bona amoris, et renes vera fidei; quod adipes ſeu pinguedines ſignificent bona amoris, videatur n. 353, 5943, 6409, 10033. Quod Renes ſignificent vera fidei luſtrantia, purificantia et a ſe rejicentia falſa, eſt ex Correſpondentia, nam omnia et ſingula corporis correſpondent, ut conſtare poteſt in Opere de Cœlo et Inferno, ubi in ſuo Articulo oſtenditur, quod *Correſpondentia ſit omnium Cœli cum omnibus hominis*, n. 87 ad 102; et ibi de Renibus, n. 96, 97: quis uſquam ſciret, niſi ſciat quod talis correſpondentia ſit, cur toties in Verbo dicatur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit ſcrutans et probans Renes et Cor: præterea de Correſpondentia Renum, Ureterum et Veſiculæ, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 5380 ad 5386. Quod ſcrutari Renes et Corda etiam ſignificet explorare Exteriora et Interiora hominis, eſt quia verum eſt extra et bonum eſt intra; ac bonum ſpirituale, quod in ſua eſſentia eſt Verum, et in ſpecie per Renes ſignificatur, eſt bonum exterius, bonum autem Cœleſte, quod in ſpecie per Cor ſignificatur, eſt bonum interius: hoc melius conſtare poteſt ex illis quæ de Regno Spirituali et de Regno Cœleſti in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 26, oſtenſa ſunt.

168. Et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua, quod ſignificet beatum æternum ſecundum internum ejus in externo, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ ſunt amoris et inde fidei, de qua ſupra n. 98, 116; et quod ſint ea in factis ſeu operibus, ſupra n. 156; et ex ſignificatione dare unicuique ſecundum opera, quod ſit beatum æternum; nam omne beatum et jucundum eſt amoris et ſecundum amorem, de qua etiam ſupra n. 146; hic per dare unicuique ſecundum opera ſua ſignificatur beatum æternum ſecundum Internum in Externo, quia hic agitur de illis qui in Interno ſunt et ſimul in Externo, et de conjunctione utriuſque, videatur ſupra n. 150. Dicitur beatum æternum ſecundum Internum in Externo, quia omne beatum Cœli apud hominem, ſpiritum et angelum influit per Internum in Externum eorum, Internum enim eorum formatum eſt ad receptionem omnium Cœli, et Externum ad receptionem omnium mundi, quapropter beatum cœleſte datur unice apud illos, apud quos Internum apertum eſt, et formatum ad imaginem Cœli, non autem apud illos apud quos Internum clauſum eſt, horum beatum eſt jucundum honoris, gloriæ et lucri, quod jucundum homini eſt quamdiu vivit in mundo, ſed id poſt mortem, cum homo fit ſpiritus, vertitur in correſpondens, quod eſt tetrum et dirum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 491 ad 498; et quod beatum Cœli, quod Gaudium Cœleſte vocatur, ſit ſolum illis qui in Interno ſunt et inde in Externo, in eodem Opere, n. 395 ad 414: et quid Internum et Externum in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 36 ad 53.

169. Vobis autem dico, et reliquis in Thyatiris, quod ſignificet omnibus et ſingulis apud quos Internum conjunctum eſt Externo, conſtat ex illis, quæ ſupra n. 150 dicta et oſtenſa ſunt, quod nempe in ſcriptis ad Angelum Eccleſiæ in Thyatiris deſcribantur illi qui in Interno ſunt et inde in Externo, ita apud quos Internum conjunctum eſt Externo.

170. Quicunque non habet doctrinam hanc, quod ſignificet apud quos jucundum Externum, quod eſt jucundum amoris ſui et mundi, non dominatur, conſtat ex ſignificatione doctrinæ illius, quam Jeſabel dicens ſe prophetiſſam docuit et per quam ſeduxit, quod ſit jucundum amoris ſui et mundi, de qua ſupra n. 159, 160, 161: per doctrinam hic ſignificatur vita, ita per non habere illam ſignificatur non vivere ſecundum illam; intelligitur enim habere doctrinam in ſe, et habere doctrinam in ſe eſt in vita: inde patet, quod per doctrinam Jeſabelis intelligatur vita amoris ſui et mundi.

171. Et qui non cognoverunt profunda Satanæ, ut dicunt, quod ſignificet illaqueationem ab illis, conſtare poteſt ex eo, quod amores ſui et mundi ſint qui regnant in Infernis, et quod illi amores prorſus oppoſiti ſint amoribus in Dominum et erga proximum, qui regnant in Cœlo; Satanas, per quem intelligitur Infernum, videatur ſupra n. 120, continuo inſpirat amores ſui et mundi, et hos quoque recipit homo ex jucundo, quia ei inſunt ex hæreditario, et inde ſunt ejus proprium, ita inſinuat ſe Infernum apud hominem, et ei illaqueat; hæc ſunt quæ ſignificantur per profunda Satanæ; pauci etiam ſunt qui hoc norunt, quoniam amores illi, quia ſunt proprium homini ex hæreditario, trahunt ad ſe men-

tem ejus per allectamenta ex jucundo, et ſic abſtrahunt a jucundis amorum cœli, uſque adeo ut neſciat quid jucunda cœli: illa jucunda, nempe amorum ſui et mundi, ſunt quæ claudunt Internum hominem, et aperiunt Externum, et quantum hic aperitur, tantum clauditur ille, uſque ut homo tandem in totali caligine ſit quoad illa quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, tametſi in lumine quoad illa quæ ſui et mundi ſunt. Sed hæc videantur plenius deſcripta in Opere de CŒLO ET INFERNO, nempe in Articulo n. 13 ad 19, ubi oſtenſum eſt, quod *Divinum Domini in Cœlo ſit Amor in Ipſum et Charitas erga proximum;* et in Articulo n. 551 ad 565, in quo oſtenſum eſt, *quod omnes qui in infernis ſunt, in malis et inde falſis ex amoribus ſui et mundi ſint*; et *quod illi amores ſint Ignis infernalis*, n. 566 ad 575; et præterea in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 65 ad 83; ubi de illis binis amoribus actum eſt.

172. Non impono ſuper vos aliud onus, quod ſignificet quod hoc ſolum cavendum ſit, conſtat ex ſignificatione imponere onus ſuper illos apud quos Internum conjungi poteſt Externo, quod ſit ut id ſollicito caveant, quoniam jucunda binorum illorum amorum ſolum faciunt, ut Internum hominis quod ſpectat cœlum, claudatur, quo clauſo non datur ulla conjunctio ejus cum Externo quod ſpectat mundum, nec aliquis influxus e Cœlo. Onus dicitur, quia proprium hominis, quod eſt amare ſe præ Deo, et mundum præ Cœlo, renitatur.

173. Attamen quod habetis retinete donec venio, quod ſignificet permanentiam in ſtatu boni amoris et fidei uſque ad viſitationem, conſtat ex ſignificatione retinete quod habetis, quod ſit permanere in ſtatu amoris et fidei, ita in ſtatu conjunctionis Interni cum Externo, in quo eſſe poſſunt quantum reſiſtunt jucundis amorum ſui et mundi; tantum enim conjungitur Internum Externo, quantum homo removet a ſe illa jucunda, ita plus apud unum et minus apud alterum; et ex ſignificatione donec venio, quod ſit viſitatio, de qua ſupra n. 144.

174. Et vincens et cuſtodiens uſque ad finem opera mea, quod ſignificet poſt pugnam contra illos amores, et remotionem illorum quantum poteſt, perſeverationem in amore et fide, conſtat ex ſignificatione vincere, quod ſit pugnare contra jucunda amorum ſui et mundi, ac illa removere; quod hic ſenſus ſpiritualis illorum verborum ſit, ſequitur ex ſerie; et ex ſignificatione cuſtodire uſque ad finem, quod ſit perſeveratio uſque ad mortem, nam qui perſeverat uſque ad mortem in amore et fide, is ſalvatur, manet enim poſtea in æternum, qualis quoad omnem ſuam vitam tunc eſt, videatur ſupra n. 125; et ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ ſunt amoris et fidei in cauſa et in effectu, ſeu in internis et in externis; quod hæc per opera hic ſignificentur, eſt quia de illis in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur, videatur ſupra n. 150. Dicitur cuſtodiens *opera mea*, quia omne amoris et fidei, et omnis apertio Interni et ejus conjunctio cum Externo eſt a Solo Domino; inde opera, per quæ illa ſignificantur, non ſunt hominis ſed Domini apud illum, inde eſt quod dicantur Opera mea.

175. Et dabo illi poteſtatem ſuper gentes, quod ſignificet quod ſuper mala apud ſe, quæ tunc a Domino diſcutientur, conſtat ex ſignificatione gentium, quod ſint mala, de qua ſequitur; et ex ſignificatione dare poteſ-

tatem ſuper illas, quod ſit quod illa, nempe mala, tunc a Domino diſcutientur, poteſtatem habere cum dicitur ſuper gentes, eſt diſcutere cum dicitur de malis, ita voces applicantur ſuis ſubjectis; quod diſcutientur a Domino, eſt quia Dominus diſcutit mala per vera, revelat illa prius per vera, et cum homo agnoſcit illa, tunc Dominus diſcutit illa, quod ſolus Dominus id faciat, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 200. Pluries in Verbo nominantur Gentes et Populi, et qui non ſcit aliquid de ſenſu ſpirituali ſeu interno Verbi, credit quod populi et gentes intelligantur, ſed per populos intelliguntur illi qui in veris ſunt, aut in oppoſito ſenſu qui in falſis, ac per gentes intelliguntur illi qui in bonis, aut in oppoſito ſenſu qui in malis; et cum per populos et gentes illi intelliguntur, etiam abſtracte a perſonis per populos intelliguntur vera aut falſa, ac per gentes bona aut mala, nam verus ſenſus ſpiritualis eſt abſtractus a perſonis, ſpatiis, temporibus, et ſimilibus quæ ſunt propria naturæ; ſenſus naturalis Verbi, qui eſt ſenſus literæ ejus, eſt una cum illis, et ſenſus qui eſt una cum illis inſervit pro baſi ſenſui qui eſt abſque illis; omnia enim quæ in natura ſunt, ultima Ordinis Divini ſunt, ac Divinum non ſubſiſtit in medio ſed defluit uſque ad ſua ultima, et ſic ſubſiſtit; inde eſt quod Verbum tale ſit in litera, et niſi tale foret, non inſerviret ſapientiæ Angelorum, qui ſpirituales ſunt, pro baſi; inde videri poteſt quantum errant, qui contemnunt Verbum propter ſtylum. Quod gentes ſignificent illos qui in bono ſunt, et abſtracte bona, eſt quia homines Antiquis temporibus vixerunt diſtincti in Gentes, familias, et domos, et tunc amaverunt ſe mutuo, et Pater gentis totam gentem quæ ex ſe erat, ita erat inter illos bonum amoris regnans; inde eſt, quod per Gentes ſignificentur bona; at cum in contrarium iverunt, quod factum eſt ſequentibus ævis, cum imperia cœperunt, tunc per Gentes ſignificata ſunt mala: ſed plura de his videantur in Opuſculo de Telluribus in Universo, n. 49, 90, 173, 174. Quod Gentes in Verbo ſignificent bona aut mala, ac populi vera aut falſa, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Ambulabunt Gentes ad lucem tuam, et Reges ad ſplendorem ortus tui. Tunc videbis et afflues, et dilatabit ſe cor tuum, quod convertatur ad Te multitudo maris, exercitus gentium veniunt ad Te; aperientur portæ tuæ jugiter, interdiu et noctu non claudentur ad adducendum ad Te exercitum Gentium, et Reges earum deducentur; nam gens aut Regnum, quæ non ſervient Tibi, peribunt. Et Gentes vaſtando vaſtabuntur: ſuges lac Gentium, imo ubera Regum ſuges; exiguus erit in mille, et paucus in Gentem numeroſam,*" lx. 5, 11, 12, 16, 22; agitur ibi de Domino, et per Gentes intelliguntur omnes qui in bono amoris ſunt in Ipſum, et per Reges omnes qui in veris fidei in Ipſum; inde patet quinam intelliguntur per Gentes quæ ambulabunt ad lucem tuam, et per exercitum gentium quæ adducentur, et quinam per Reges qui ambulabunt ad ſplendorem ortus tui, et per Reges Gentium qui deducentur; et quid intelligitur per quod ſuges lac gentium, et ubera regum, lac eſt jucundum boni amoris, ſimiliter ubera quia ex illis lac; multiplicatio veri et fructificatio boni deſcribitur per quod exiguus erit in mille, et paucus in gentem numeroſam: per Gentes autem quæ vaſtabuntur, intelliguntur omnes qui in malis ſunt, et quoque ipſa mala. Apud Eundem, "*Ecce tollam erga Gentes manum meam,* *et erga populos tollam ſignum meum, ut adferant filios tuos in ſinu, et filias tuas ſuper humero apportent; et erunt Reges nutritii tui, et principes fœminæ lactatrices tuæ; facie terram incurvabunt Tibi,*" xlix. 22, 23; agitur etiam ibi de Domino, et de illis qui Ipſum colent et adorabunt; tollere erga gentes manum et erga reges ſignum, eſt adſciſcere ſibi omnes qui in bonis amoris et inde veris ſunt; de his dicitur, quod adferent filios tuos in ſinu, et filias tuas apportabunt humero, filii ſunt affectiones veri et filiæ ſunt affectiones boni, videatur ſupra n. 165; et de illis dicitur quod eorum reges erunt nutritii tui, et principes fœminæ lactatrices tuæ, reges ſunt ipſa vera, principes fœminæ ſunt eorum bona, per hæc et illa quia homo regeneratur et quoque alitur, dicitur quod erunt lactatrices et nutritii, quod homo per vera et per vitam ſecundum illa regeneretur, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 23, 24, 27, 186; hic eſt ſenſus internus horum verborum, quis abſque eo ſenſu intellecturus eſſet illa. Apud Eundem, "*Dixit Jehovah, ecce Ego expandens ſuper Hieroſolymam, ſicut fluvium, pacem, et ſicut torrentem gloriam gentium ut ſugatis. Veniet ad congregandum omnes Gentes et linguas, ut veniant videantque gloriam meam. Annuntiabunt gloriam meam in gentibus, tunc adducent fratres veſtri ex omnibus Gentibus munus Jehovæ ſuper equis et ſuper curru; ad Montem ſanctitatis meæ,*" lxvi. 12, 18, 19, 20; Hieroſolyma ibi eſt Eccleſia Domini in Cœlis et in Terris, Eccleſia in Cœlis dicitur quia ibi etiam eſt Eccleſia, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 221 ad 227; per gentes et linguas intelliguntur omnes qui in bonis amoris et inde veris; adducere ex omnibus gentibus munus Jehovæ ſuper equis et ſuper curru, munus Jehovæ eſt cultus ex bono amoris, equi et currus ſunt intellectualia et doctrinalia, nam ex his et ſuper his fundatur cultus; quod equi et currus illa ſignificent, videatur in Opuſculo de Equo Albo, n. 1 ad 5. Apud Eundem, "*Fiet in die illo Radicem Iſchaji, qui ſtans in ſignum populorum, Gentes quærent,*" xi. 10; Radix Iſchaji eſt Dominus; ſtare in ſignum populorum, eſt ut videatur ab illis qui in veris ſunt, gentes qui quærent ſunt qui in bono amoris; creditur quod per Gentes ibi intelligantur Gentes quæ acceſſuræ ſunt et Dominum agnituræ, ex quibus Eccleſia, quæ Eccleſia Gentium vocatur, at non illi per Gentes intelliguntur, ſed omnes qui in amore et fide in Dominum ſunt, ſive intra Eccleſiam ſive extra illam ſint, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 308, 318 ad 320. Apud Eundem, "*Honorabunt Te populus validus, urbs Gentium potentium timebunt Te,*" xxv. 3: apud Eundem, "*Aperite portas ut ingrediatur Gens juſta, addidiſti Genti Jehovah, addidiſti Genti, glorificatus es,*" xxvi. 3, 15: apud Eundem, "*Appropinquate Gentes ad audiendum, et populi auſcultate,*" xxxiv. i: apud Eundem, "*Jehovah vocavi te in juſtitia, in fœdus populo, in lucem gentium,*" xlii. 6: apud Jeremiam, "*Benedicent ſibi in Eo gentes, et in Eo gloriabuntur,*" ii. 2: apud Eundem, "*Quis non timebit Te Rex gentium, et in omni Regno earum non ſicut Tu,*" x. 7: apud Danielem, "*Videns fui in viſionibus noctis, et ecce cum nubibus Cœli ſicut Filius hominis, Huic datum eſt dominium et gloria et regnum, et omnes populi, gentes, et linguæ Ipſum colent,*" vii. 13, 14: apud Davidem, "*Confitebuntur Tibi populi, Deus, confitebuntur Tibi populi omnes,*

omnes, lætabuntur et jubilabunt Gentes, eo quod judicaturus es populos rectitudine, et Gentes in terra ducturus es," Pſalm. lxviii. 4, 5, 6: apud Eundem, "*Ut videam bonum Electorum tuorum, et læter in gaudio Gentium tuarum,*" Pſalm. cv. 5: in Apocalypſi, "*Afferretur gloria et honor gentium in Novam Hieroſolymam,*" xxi. 25: apud Eſajam, "*Vos ſacerdotes Jehovæ vocabimini, miniſtri Dei veſtri, dicetur vobis, opes Gentium comedetis, et in gloria earum gloriabimini,*" lxi. 6: in Threnis, "*Spiritus narium noſtrarum, Unctus Jehovæ, captus eſt in foveis eorum, de quo dixeramus, in umbra ejus vivemus inter gentes,*" iv. 20; in his locis per Gentes intelliguntur omnes qui in amore in Dominum ſunt, ſive intra Eccleſiam ubi Verbum eſt, ſive extra illam ſint. Quod per Gentes in oppoſito ſenſu intelligantur illi qui in malis ſunt, et abſtracte ipſa mala, conſtare poteſt a ſequentibus; apud Jeremiam, "*Adducam ſuper eos Gentem e longinquo, Gens valida iſta, Gens a ſæculo iſta, Gens cujus non cognoſces linguam; comedet meſſem tuam et panem tuum, comedet filios tuos et filias tuas, comedet vitem tuam et ficum tuam; deſolabit urbes gladio,*" v. 15, 17; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ, per gentem intelligitur malum, quod illam conſummaturum, inde dicitur, quod comedet meſſem et panem, filios et filias, vitem et ficum, et depauperabit urbes gladio; per quæ ſignificantur omnia bona amoris et vera fidei; per meſſem ſtatus receptionis veri a bono, videatur n. 9295; per panem, bonum amoris, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 218: per filios et filias, affectiones veri et boni, ſupra n. 165: per vitem, Eccleſia interna, ita interna Eccleſiæ, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1069, 5113, 6376, 9277: per ficum, Eccleſia externa, ita externa Eccleſiæ, n. 5113: per urbes, doctrinæ, n. 402, 2450, 2710, 2943, 3216, 4492, 4493: per gladium, falſum deſtruens, ſupra n. 73, 131; ex his conſtare poteſt, quod per Gentem ſignificetur malum quod deſtruit ea omnia. Apud Eundem, "*Ecce Ego dans coram populo hoc offendicula, ut offendant in iis patres et filii una: ecce Populus veniens e terra ſeptentrionis, et gens magna ex lateribus terræ, non miſerantur, vox earum ſicut mare reſonat, et ſuper equis equitant,*" vi. 21, 22, 23; Gens etiam ibi pro malo, et populi pro falſis; offendicula in quibus offendent patres et filii, ſunt perverſiones boni et veri, patres ſunt bona et filii ſunt vera quæ inde; populus dicitur e terra ſeptentrionis, et gens e lateribus terræ, quia ſeptentrio ſignificat falſum ex malo, et latera terræ ſignificant quæ extra Eccleſiam, ita ſignificant mala remota a bonis Eccleſiæ; reſonare ſicut mare, et equitare ſuper equis, eſt perſuadere ex fallaciis ſenſuum, et per ratiocinia inde. Apud Ezechielem, "*Terra eſt plena judicio ſanguinum, et urbs plena eſt violentia, ideo adducam peſſimas gentium, ut occupent domos eorum; Rex lugebit, et princeps induetur ſtupore,*" vii. 23, 24, 27; Terra eſt Eccleſia; plena judicio ſanguinum, eſt quod ſit in falſis deſtruentibus bona; urbs, eſt doctrina; plena violentia, eſt quod vim inferat bono charitatis; peſſimæ gentium, ſunt dira falſa ex malo; occupare domos eorum, eſt mentes eorum; rex qui lugebit, eſt verum Eccleſiæ; princeps qui induetur ſtupore, eſt verum inſerviens: quod Terra ſit Eccleſia, videatur n. 662, 1066, 1067, 1262, 1413, 1607, 2928, 3355, 4447, 4535, 5577, 8011, 9325, 9643: quod ſanguines ſint falſa deſtruentia bonum, n. 374, 1005, 4735, 5476, 9127: quod urbs ſit doctrina, n. 2268, 2450, 2451, 2712, 2943, 3216, 4492, 4493: quod violentia ſit vis inferens bono charitatis, n. 6352: quod domus ſint illa apud hominem quæ ejus mentis ſunt, n. 710, 2233, 2234, 2719, 3128, 3538, 4973, 5023, 6690, 7353, 7848, 7910, 7929, 9150: rex qui lugebit, quod ſit verum Eccleſiæ, videatur ſupra n. 31. Apud Davidem, "*Jehovah irritum reddit conſilium Gentium, ſubvertit cogitationes populorum,*" Pſalm. xxxiii. 10; Gentes pro illis qui ſunt in malis, et populi pro illis qui ſunt in falſis, quia illi et hi ſignificantur, ideo dicitur quod Jehovah irritum reddet conſilium Gentium, et ſubvertet cogitationes populorum, quæ ſunt binæ expreſſiones ſicut unius rei, ſed uſque diſtinctæ ſunt in ſenſu interno, in quo per gentes aliud ſignificatur quam per populos. Apud Lucam, "*Tunc cadent acie gladii, et captivabuntur inter omnes gentes, et tandem Hieroſolyma erit conculcata a Gentibus, uſque dum implebuntur tempora gentium, tunc erunt ſigna in Sole, Luna et Aſtris, et ſuper terra anguſtia Gentium, reſonante mari et ſalo,*" xxi. 24, 25; agitur ibi de Conſummatione ſæculi, quæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quando nulla amplius fides quia nulla charitas, ſeu non verum quia non bonum, hoc deſcribitur ibi per correſpondentias; cadere acie gladii eſt deſtrui a falſis; captivari inter omnes gentes eſt occupari a malis omnis generis. Hieroſolyma quæ erit conculcata eſt Eccleſia; ſol eſt amor in Dominum, luna eſt fides in Ipſum, aſtra ſeu ſtellæ ſunt cognitiones boni et veri; ſigna in illis eſt quod peritura; mare et ſalum quæ reſonabunt ſunt fallaciæ et inde ratiocinia. Apud Matthæum, "*Inſurget Gens contra Gentem, et Regnum contra Regnum, et erunt fames, peſtes et terræ motus in ſingulis locis, et tradent vos in afflictionem; et eritis exoſi omnibus Gentibus propter Nomen meum,*" xxiv. 7, 9. Luc. xxi. 10, 11; hæc etiam dicta ſunt a Domino de ultimo tempore Eccleſiæ, et per quod inſurget Gens contra gentem et regnum contra regnum, ſignificatur quod diſſidia erunt malorum et falſorum inter ſe; per fames et peſtes ſignificatur defectus et conſumtio verorum; per terræ motus perverſio Eccleſiæ; per eſſe exoſi omnibus gentibus, ſignificatur eſſe exoſi omnibus qui in malo ſunt; per Nomen Domini, propter quod exoſi erunt, ſignificantur omnia amoris et fidei, per quæ Dominus colitur, videatur ſupra n. 102, 135. Apud Ezechielem, "*Ecce Aſchur Cedrus in Libano, alta facta eſt, et multiplicati ſunt rami ejus, in ramis ejus nidificarunt omnes aves cœlorum, et ſub ramis ejus pepererunt omnes beſtiæ agri, et in umbra ejus habitarunt omnes Gentes magnæ. Sed elatum eſt Cor ejus in altitudine ſua, quare dabo eum in manum fortis Gentium, exſcindent eum alieni, violenti gentium et dejicient eum; unde deſcenderunt ex umbra ejus omnes populi terræ et deſeruerunt eum,*" xxxi. 3, 5, 6, 11, 12; hæc nemo intellecturus eſt niſi noverit ſenſum ſpiritualem ſeu internum Verbi, credet quod ſint meræ comparationes, in quibus non aliqua ſignificatio ſpiritualis; cum tamen ſingula ibi ſignificant talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, quare illa paucis explicabuntur; Aſchur eſt Rationale hominis Eccleſiæ quod illuſtratur; hoc vocatur Cedrus in Libano, quia Cedrus ſignificat idem cum Aſchure, in ſpecie verum ex bono ibi; et Libanus eſt mens ubi illud, quia in Libano cedri; rami ejus qui multiplicati, ſunt vera inde; aves cœlorum qui nidificarunt in ramis ejus, ſunt affectiones veri; beſtiæ agri quæ pepererunt ſub ramis, ſunt affectiones boni; gentes magnæ quæ in umbra ejus habitarunt, ſunt bona amoris; cor elatum in altitudine ſua, eſt amor ſui; dari in manum fortis gentium, ac dejici a violentis gentium, eſt quod mala ex illo amore deſtruent bona et vera; populi terræ qui deſcenderunt ex umbra ejus et deſeruerunt eum, ſunt omnia vera Eccleſiæ: quod per gentes ſignificentur bona, et in oppoſito ſenſu mala, conſtat inde, per Gentes quæ habitarunt in umbra ejus, bona, et per Gentes quæ exſcindent et dejicient eum, mala. Præterea videantur quæ de Gentibus et earum ſignificatione dicta et oſtenſa ſunt in ARCANIS CŒLESTIBUS, nempe quod per gentes in Verbo intelligantur qui in bono, et quod inde per illas ſignificentur bona, n. 1059, 1159, 1258, 1260, 1416, 1849, 6005: Cœtus gentium, quod ſint vera et bona, n. 4574, 7830: Gens ſancta, quod ſit Regnum ſpirituale, n. 9255, 9256: Cum dicitur Gens et Populus, quod per Gentem intelligantur qui in bono cœleſti, et per Populum qui in bono ſpirituali, n. 1288. Quod per Gentes, imprimis per Gentes terræ Canaanis, intelligantur mala et falſa omnis generis, n. 1059, 1205, 1868, 6306, 8054, 8317, 9320, 9327.

176. Et reget eas virga ferrea, quod ſignificet quod caſtigaturus ſit mala per vera quæ ſunt in naturali homine, conſtat ex ſignificatione regere, quod ſit caſtigare, nam ſequitur quod confringeret eas ſicut vaſa figulina, et mala, quæ ſignificantur, per vera caſtigantur; et ex ſignificatione virgæ ferreæ, quod ſint vera quæ ſunt in naturali homine; per virgam ſeu baculum ſignificatur potentia qua caſtigatur, et per ferrum vera in naturali homine quæ caſtigant; quod virga ſeu baculus ſit potentia, videatur n. 4013, 4015, 4876, 4936, 6947, 7011, 7026, 7568, 7572; quod inde ſit quod Regibus ſit ſceptrum, quod eſt curtus baculus, n. 4581, 4876. Quod ferrum ſignificet vera in naturali homine, eſt quia Metalla, æque ac reliqua telluris, ex Correſpondentia ſignificent ſpiritualia et cœleſtia, quæ omnia ſe referunt ad vera et bona: Aurum ſignificat bonum Interni hominis, Argentum ejus Verum, Cuprum ſeu Æs bonum Externi ſeu naturalis hominis, Ferrum ejus Verum; inde eſt, quod ab Antiquis Sæcula vocata ſint a Metallis, nempe Aurea, Argentea, Cuprea et Ferrea, Aurea ex hominibus Antiquiſſimis qui vixerunt in bono amoris; Argentea ex Antiquis poſt illos qui vixerunt in Veris ex illo bono; Cuprea ex poſteris horum qui in bono externo ſeu naturali; Ferrea ex horum poſteris, qui erant in ſolo vero naturali abſque bono; verum naturale eſt verum memoria et non vita; verum vitæ eſt bonum; ſed plura de hac Correſpondentia videantur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 104 et 115. Succeſſivi ſtatus Eccleſiæ uſque ad adventum Domini, intellecti ſunt per Aurum, Argentum, Æs et Ferrum, ex quibus erat Statua Nebuchadnezari in ſomnio viſa, de qua ita apud Danielem, "*Caput ejus erat Aurum bonum, pectus et brachia Argentum, venter et femora Æs, crura Ferrum, pedes ex parte Ferrum ex parte Argilla: et exciſus eſt lapis ex petra, et percuſſit ſtatuam ſuper pedes ejus, qui ferrum et argilla, et contrivit eos. Quod vidiſti pedes ex parte argilla figuli, et ex parte ferrum, ſignificat quod Regnum diviſum erit, ex parte Regnum erit validum, et ex parte erit fractum: quod vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, commiſcebunt ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quem-*

quemadmodum ferrum non commiſcetur cum argilla," ii. 32, 33, 34, 41, 42, 43; per Caput quod erat aurum bonum, intelligitur Primus ſtatus Eccleſiæ, quando in bono amoris in Dominum fuerunt; per Pectus et Brachia, quæ erant argentum, intelligitur Secundus ſtatus Eccleſiæ, quando in Veris ex illo bono fuerunt; per Ventrem et Femora, quæ ex ære, ſequens Tertius ſtatus Eccleſiæ, quando non amplius in bono ſpirituali ſed in bono naturali erant, nam æs ſignificat id bonum; per crura, quæ erant ex ferro, intelligitur Quartus ſtatus Eccleſiæ, quando non bonum naturale amplius, ſed modo verum; per pedes autem, qui ex ferro et ex argilla, intelligitur Ultimus ſtatus Eccleſiæ, quando Verum et falſum, Verum in Verbo et falſum in Doctrina; cum vera Verbi falſificantur, et ex falſificatis fit Doctrina, tunc ſtatus Eccleſiæ eſt ex parte ferrum ex parte argilla, et ſic Regnum ex parte validum et ex parte fractum; Regnum ibi eſt Eccleſia, quare etiam Regnum Dei vocatur; quod ſic mixta ſint vera falſis, ſed quod uſque non cohæreant, intelligitur per ea verba, quod vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, commiſcebunt ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiſcetur cum argilla, ſemen hominis eſt Divinum Verum quod in Verbo, quod ſemen illud ſignificet, videatur n. 3038, 3373, 10248, 10249; quod homo Dominum a Quo Verbum, et quoque Eccleſiam, n. 768, 4287, 7424, 7523, 8547, 9276; quod Argilla figuli ſignificet falſa quæ in naturali homine, videatur in mox ſequente articulo, n. 177: per Lapidem exciſum e Petra, qui percuſſit ſtatuam ad pedes ejus, intelligitur Dominus per Divinum Verum, et deſtructio falſorum non cohærentium cum veris ex Verbo; quod lapis ſit verum, et quod Lapis Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Verum, videatur n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376; ſimiliter Petra, n. 8581, 10580, et in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 57: quia ferrum ſignificat vera in naturali homine, ideo viſum eſt quod Pedes ſtatuæ eſſent ex ferro, nam Pedes ſignificant naturale, videatur n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952. Similia per Aurum, Argentum, Æs et Ferrum ſignificantur per hæc apud Eſajam, "*Pro ære adducam Aurum, pro ferro Argentum, pro lignis Æs, et pro lapidibus Ferrum,*" lx. 17; pro ære adducere aurum, eſt pro naturali bono cœleſte bonum: pro ferro argentum, eſt pro naturali vero cœleſte verum, pro lignis æs et pro lapidibus ferrum, eſt naturale bonum et verum tali copia qua ſunt ligna et lapides; agitur ibi de ſtatu cœleſti Eccleſiæ. Porro, quod ferrum ſignificet verum in naturali homine, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 425, 426. Hæc allata ſunt, ut ſciatur quid ſignificatur per Virgam ferream, quod nempe potentia, qua Dominus caſtigat mala et diſpergit falſa quæ in naturali homine, virga enim ſeu baculus ſignificat potentiam, ut ſupra dictum eſt, et ferrum ſignificat vera in naturali homine: quod Dominus caſtiget mala et diſpergat falſa per vera in naturali homine, eſt quia omnia mala et inde falſa ibi reſident, nulla autem in ſpirituali ſeu interno homine, hic non recipit mala et falſa, ſed ad mala et falſa clauditur: et quia omnia mala et falſa in naturali homine reſident, ideo illa caſtigari et diſpergi debent per talia, quæ etiam ibi, quæ ſunt vera in naturali homine; vera in naturali homine ſunt ſcientifica et cognitiones, ex quibus homo naturaliter cogitare, ratiocinari, et concludere poteſt de veris et bonis Eccleſiæ, et de falſis et malis quæ illis oppoſita ſunt, et inde in quadam illuſtratione naturali eſſe cum legit Verbum; Verbum enim in litera abſque illuſtratione non intelligitur, et illuſtratio eſt vel ſpiritualis vel naturalis; illuſtratio ſpiritualis modo datur apud illos, qui ſpirituales ſunt, qui ſunt qui in bono amoris et charitatis ſunt, et inde in veris; at illuſtratio ſolum naturalis apud illos qui naturales ſunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 153, 425, et ſupra n. 140: apud illos etiam qui ſpirituales ſunt, dum vivunt in mundo, eſt illuſtratio in naturali, ſed exiſtit illa ab illuſtratione in ſpirituali; nam apud illos influit Dominus per ſpiritualem ſeu internum hominem in naturalem ſeu externum, et ſic illuminat hunc, ex qua illuminatione homo videt quid verum et bonum et quid falſum et malum, et cum homo videt illa, tunc Dominus diſcutit mala et falſa quæ in naturali homine per vera et bona quæ etiam ibi ſunt, et unum faciunt cum bonis et veris in ſpirituali ſeu interno homine; cætera videantur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, de Scientiis et cognitionibus quid efficiunt, n. 51; et de Influxu, n. 277, 278. Ex his nunc videri poteſt, quid ſignificatur per virgam ferream, qua Dominus recturus eſt gentes, hoc eſt, caſtigaturus mala quæ in naturali homine. Hæc dicta ſunt ad Angelum hujus Eccleſiæ, quia in ſcriptis ad illum agitur de Interno et Externo homine, et de eorum conjunctione, nam cum Internum et Externum ſeu ſpirituale et naturale conjuncta ſunt, tunc Dominus caſtigat mala et falſa quæ in naturali homine, et hoc per cognitiones veri et boni: apud illos autem, apud quos Internus et Externus homo non conjuncti ſunt, mala et falſa caſtigari et diſcuti nequeunt, quoniam nihil recipiunt per ſpiritualem hominem e Cœlo, ſed omnia quæ recipiunt ſunt e mundo, quibus rationale eorum favet, et ſubminiſtrat confirmationes. Similia, quæ per virgam ferream hic, etiam ſignificantur in ſequentibus locis; apud Davidem, "*Conteres Gentes ſceptro ferreo, ſicut vas figuli diſperges eas,*" Pſalm. ii. 9. Apud Eſajam, "*Percutiet terram virga oris ſui, et ſpiritu labiorum ſuorum occidet impium,*" xi. 4. In Apocalypſi, "*Mulier peperit filium maſculum, recturum omnes Gentes virga ferrea,*" xii. 5. "*Ex ore ſedentis ſuper Equo albo, prodibat romphæa acuta, ut ea percuteret Gentes; Ipſe enim reget eas virga ferrea,*" xix. 15. Et apud Micham, "*Surge Filia Zionis, quia cornu tuum faciam ferrum, et ungulas tuas faciam æs, ut comminuas populos multos,*" iv. 3; Filia Zionis eſt Eccleſia cœleſtis; cornu eſt potentia in naturali homine; ungulæ ſunt ultima ibi, quæ vocantur ſcientifica ſenſualia, inde patet, quid ſit facere cornu ferrum et ungulas æs; quod Filia Zionis ſit Eccleſia cœleſtis, videatur n. 2362, 9055: Quod cornu ſit potentia veri ex bono in naturali homine, n. 2832, 9081, 9719, 9720, 9721, 10182, 10186; et quod Ungulæ ſint ſcientifica ſenſualis hominis, quæ ſunt vera in ultimo ordinis, n. 7729.

177. Tanquam vaſa fictilia confringentur, quod ſignificet diſperſionem falſorum totalem, conſtat ex ſignificatione vaſorum fictilium, quod ſint talia in naturali homine quæ ex propria intelligentia; et omnia quæ ex propria intelligentia ſunt in rebus Cœli et Eccleſiæ ibi ſunt falſa, de quo ſequitur; et ex ſignificatione confringi, quod ſit diſpergi; de falſis enim dicitur diſ-

pergi, cum de vaſis fictilibus confringi. Quod per vaſa fictilia ſignificentur illa in naturali homine quæ ex propria intelligentia de rebus Cœli et Eccleſiæ, et quod illa ſint falſa, in ſequentibus oſtendetur; hic primum quod illa quæ ex propria intelligentia intrant de rebus Cœli et Eccleſiæ ſint falſa, aliquid dicetur: qui ex propria intelligentia cogitant, illi ex mundo cogitant, nam homo ex ſuo proprio non amat niſi illa quæ mundi ſunt et quæ ſui ſunt, et quæ amat etiam videt et percipit; quæ amat vocat bona, et quæ inde videt et percipit vocat vera; ſed bona quæ ex amore ita vocat, ſunt mala, et vera quæ ex amore illo videt ſunt falſa, quoniam ſcaturient ex amoribus ſui et mundi, qui amores ſunt oppoſiti amoribus cœli, qui ſunt amor in Dominum et amor erga proximum, et quæ ex oppoſitis ſcaturiunt, ſunt oppoſita: quapropter qui legunt Verbum ſolum propter nomen eruditionis, aut ad captandum famam ut evehantur ad honores, aut ut lucrentur opes, nuſquam vident et percipiunt vera, ſed pro iis falſa, et vera quæ ibi exſtant coram oculis, vel tranſeunt ſicut non videant, vel falſificant, cauſa eſt, quia legere Verbum ſolum propter nomen eruditionis, et propter famam ut evehantur ad honores et lucrentur opes, eſt propter ſe et mundum ut fines, ita ex amoribus ſui et mundi; hi amores quia ſunt proprii hominis, ideo homo illa quæ ex illis videt et percipit ſunt ex propria intelligentia: at qui legunt Verbum ex affectione veri ſpirituali, quæ affectio eſt amor ſciendi verum, quia eſt verum, illi vident vera ibi, et gaudent corde cum vident illa; cauſa eſt, quia in illuſtratione ſunt a Domino; deſcendit illuſtratio a Domino per Cœlum e luce ibi, quæ Lux eſt Divinum Verum, ideo datur illis videre vera ex ſua luce, et hoc in Verbo, quia Verbum eſt Divinum Verum, et in illo recondita ſunt omnia vera Cœli; ſed illi ſolum in hac illuſtratione ſunt, qui in binis amoribus Cœli ſunt, qui ſunt amor in Dominum et amor erga proximum; hi enim amores aperiunt mentem interiorem ſeu ſuperiorem, quæ formata eſt ad recipiendum lucem cœli, per illam apud eos influit lux cœli et illuſtrat, ſed non percipiunt vera in illa mente, dum vivunt in mundo, verum vident illa in mente inferiore, quæ mens eſt Externi ſeu naturalis hominis; hi ſunt qui non ex propria intelligentia cogitant cum legunt Verbum; præcipua cauſa, quod hi non ex propria intelligentia cogitent cum legunt Verbum, eſt quia horum mens interior ſeu ſpiritualis ſpectat ad Dominum, et tunc Dominus elevat illam, et ſimul mentem inferiorem ſeu naturalem ad Se, et ſic ſubducit a proprio hominis, quod non fieri poteſt apud illos, qui ſe et mundum principaliter ſpectant. Ex his conſtare poteſt, quod homo ex propria intelligentia non percipiat niſi mala et videat niſi falſa; at quod bona et vera, quæ ſunt Cœli et Eccleſiæ, percipiat et videat ex Domino. Quando Internus ſeu ſpiritualis homo, in quo eſt mens interior ſeu ſuperior, de qua modo dictum eſt, apertus eſt, tunc Dominus domat mala, et diſpergit falſa quæ ſunt in Externo ſeu naturali homine: hæc nunc ſunt, quæ intelliguntur in ſenſu ſpirituali, per quod Filius hominis daturus ſit illis poteſtatem ſuper Gentes, et reget illas virga ferrea, tanquam vaſa fictilia confringentur. Quod vaſa fictilia ſignificent illa quæ ex propria intelligentia, ita falſa quæ ſunt in naturali homine, conſtat ex variis locis in Verbo, ex quibus ad confirmationem volo ſequentia adducere; apud Davidem, "*Conteres Gentes ſceptro ferreo, ſicut vas figuli diſperges eas,*" Pſalm. ii. 9; conterere gentes ſceptro ferreo, etiam hic eſt caſtigare et domare mala quæ in naturali homine, per ſceptrum ſimile ſignificatur hic quod per baculum aut virgam; ſicut vas figuli additur, quia per id ſignificatur falſum quod ex propria intelligentia; in ſenſu literæ eſt comparatio, nam dicitur ſicut vas figuli, et tanquam vaſa fictilia, ſed in ſenſu interno non percipiuntur comparationes ut comparationes, quoniam comparationes æque ex ſignificativis ſunt, videatur n. 3579, 8989. Quod vas figuli ſeu vas fictile ſignificet falſum, eſt quia figulus eſt qui format, et vas eſt quod formatur; quando homo id format eſt falſum, quando autem Dominus id apud hominem format eſt verum; inde eſt quod vas figuli in Verbo ſignificet aut falſum aut verum, ac figulus formatorem: Ipſe Dominus in Verbo ex formatione hominis per vera, vocatur Figulus, ut apud Eſajam, "*Jehovah Pater noſter, nos lutum ſumus, Tu Figulus noſter, et opus manuum tuarum omnes nos,*" lxiv. 7. Apud Eundem, "*Væ litiganti cum Formatore ſuo, teſta cum teſtis terræ, num dicit lutum Figulo ſuo, quid facis,*" xlv. 16. Apud Eundem, "*Num ſicut lutum Figulus reputabitur, num dixerit opus de factore ſuo, non fecit me, et figmentum dixerit de Figulo ſuo, non intelligit,*" xxix. 16. Quoniam Judæi et Iſraelitæ omnia vera Verbi falſificarunt, per applicationem ad ſe ad ſui eminentiam ſuper omnes gentes et populos in univerſo terrarum orbe, ideo eorum falſa dicuntur vaſa figuli corrupta; ut apud Eſajam, "*Dixerunt videntibus ne videatis, et viſionem habentibus ne videatis nobis recta, loquimini nobis blanditias, videte illuſiones, recedite a via, ideo iniquitas franget eos ſicut fractura utris figulorum, contundendo non parcat, unde non invenietur in fragmento ejus teſta ad accipiendum ignem de foco, aut ad hauriendum aquas e fovea,*" xxx. 10, 11, 14; quod ſe prorſus deprivaverint veris, et immerſerint falſis, deſcribitur per quod dicerent videntibus ne videatis, et viſionem habentibus ne videatis nobis recta, loquimini blanditias, videte illuſiones, recedite a via; quod ita falſis ſe immerſerint, ut nihil veri intereſſet, deſcribitur per fracturam utris figulorum, ut non inveniretur in fragmento teſta ad accipiendum ignem de foco, aut ad hauriendum aquas e fovea, per quæ ſignificatur quod non ſupereſſet tantum veri, ut appercipere poſſent aliquod bonum et verum ex Verbo, ignis enim ſignificat bonum et aquæ verum, focus Verbum quoad bonum, fovea et fons Verbum quoad verum. Apud Jeremiam, "*Factum eſt Verbum ad Jeremiam; ſurge et deſcende domum figuli: deſcendi itaque domum figuli, cum ecce ille fecit opus ſuper tabula, ſed corruptum eſt vas quod ille faciens: et reverſus eſt et fecit illud vas aliud, quemadmodum rectum fuit in oculis figuli facere,*" xviii. 1 ad 4; per hæc etiam intelligitur, quod apud Gentem Judaicam non eſſet niſi quam falſum; vas corruptum in domo figuli eſt id falſum; domus figuli eſt ubi illi; quod illis auferretur verum Eccleſiæ, et daretur aliis, intelligitur per quod reverſus figulus fecerit illud vas aliud quemadmodum rectum fuit in oculis ejus. Apud Eundem, "*Dixit Jehovah, eundo eme lagenam figuli teſta de ſenioribus populi, et de ſenioribus ſacerdotum, et exi ad vallem filii Hinnomis; tunc* *franges lagenam coram oculis euntium tecum, et dices frangam populum hunc, et urbem hanc, ſicut frangit vas figuli, quod non poteſt reparari amplius; et in Topheth ſepelient, ex eo quod non locus amplius ad ſepeliendum,"* xix. 1, 2, 10, 11; lagena ſeu vas figuli teſtæ de ſenioribus populi et ſacerdotum, eſt quoque hic falſum in quo erant omnes ex illa gente; quod id falſum eſſet tantum ut non per vera poſſet diſpergi, deſcribitur per quod fregerit vas illud coram oculis euntium ſecum, ut non poſſet reparari; quod ſepelirent in Topheth, quia alibi non locus amplius, ſignificat ubi omnia vera et bona conſumta ſunt. Apud Nahum, "*Aquas obſidii hauri tibi, confirma munimenta tua, intra in cœnum et calca lutum, repara fornacem lateritiam, ibi comedet te ignis, exſcindet te gladius,"* iii. 14, 15; haurire aquas obſidii, et confirmare munimenta, eſt munire falſa variis contra vera; intrare in cœnum et calcare lutum, eſt confirmare falſa per figmenta et fallacias; doctrina inde vocatur fornax lateritia, ex eo quod infernalis amor per falſificata ſtabiliatur; inde dicitur, quod ignis comedet et gladius exſcindet, ignis eſt infernalis amor, et gladius eſt falſum pugnans et deſtruens verum. Quod vas figuli ſeu vas fictile ſignificet falſum, eſt quia id correſpondet figmento, et figmentum eſt quod ex propria hominis intelligentia; ex illa correſpondentia eſt, quod Prophetis talia, de quibus nunc ſupra, mandata ſunt.

178. Sicut et Ego accepi a Patre meo, quod ſignificet comparative ſicut Dominus a Divino ſuo cum glorificavit Humanum ſuum, nempe quod diſſipaverit omnia mala et falſa ex Humano quod Ipſi a matre fuit; per Patrem hic intelligitur Divinum in Ipſo, ſeu quod Ipſi a conceptione fuit, nam hoc Divinum unum erat cum Patre, ut Ipſe dicit. Comparative dicitur, quia Dominus ſicut glorificavit Humanum ſuum, ita regenerat hominem, hoc eſt, ſicut Ipſe univit Divinum ſuum Humano ac Humanum Divino, ita conjungit internum externo, et externum interno apud hominem: ſed quia hoc arcanum non ad captum paucis exponi poteſt, ideo conſulantur et videantur illa quæ de eo in Doctrina Novæ Hierosolymæ et in Arcanis Cœlestibus oſtenſa ſunt, ubi plene expoſitum eſt; in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 280 ad 297; et in Arcanis Cœlestibus, in locis in Doctrina illa inde citatis, n. 185, 298 ad 307.

179. Et dabo illi ſtellam matutinam, quod ſignificet intelligentiam et ſapientiam ex Divino Humano Domini, conſtat ex ſignificatione ſtellarum, quod ſint cognitiones boni et veri, de qua ſupra n. 72; et quia ſignificant cognitiones boni et veri, etiam ſignificant intelligentiam et ſapientiam, nam per cognitiones boni et veri eſt omnis intelligentia et ſapientia; et ex ſignificatione Mane, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, inde ſtella matutina eſt intelligentia et ſapientia ab Ipſo. Mane in Verbo ſæpius legitur, ac varia ſecundum ſeriem in ſenſu interno ſignificat; in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum, et quoque adventum Ipſius, in ſenſu interno ſignificat Regnum Ipſius et Eccleſiam, et ejus ſtatum pacis; etiam ſignificat ſtatum primum Eccleſiæ Novæ, et quoque ſtatum amoris, tum ſtatum illuſtrationis, proinde ſtatum intelligentiæ et ſapientiæ, et quoque ſtatum conjunctionis boni et veri, qui eſt quando Internus homo conjungitur Externo: quod Mane tam varia ſignificet, eſt quia in ſupremo ſenſu ſignificat Divinum Humanum

Domini, inde etiam omnia illa quæ ex Illo procedunt, nam Dominus eſt in illis quæ ab Ipſo procedunt, adeo ut ſit Ipſe ibi. Quod Divinum Humanum Domini in ſupremo ſenſu intelligatur per Mane, eſt quia Dominus eſt Sol cœli angelici, et Sol illius cœli non progreditur a Mane ad veſperam ſeu ab Ortu ad occaſum, ſicut Sol mundi ad apparentiam, ſed manet conſtans in ſuo loco antrorſum ſupra cœlos, inde eſt quod ſit ſemper in Mane, et nuſquam in Veſpera; et quia omnis intelligentia et ſapientia, quæ eſt Angelis, a Domino ut Sole, apud illos exiſtit, ideo etiam ſtatus illorum amoris, ac ſtatus illorum ſapientiæ et intelligentiæ, et in genere ſtatus illuſtrationis illorum per Mane ſignificatur, procedunt enim illa a Domino ut Sole, et quod procedit ab Ipſo eſt Ipſe, ex Divino enim non aliud quam Divinum procedit, et omne Divinum eſt Ipſe. Quod Dominus ſit Sol Cœli angelici, et quod ab Ipſo ut Sole exiſtat omnis amor, ſapientia et intelligentia, et in genere omnis illuſtratio quoad Divina Vera, ex quibus eſt ſapientia, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125, 126 ad 143, 155, 156. Ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod in Verbo toties dicatur Mane, cum agitur de Jehovah ſeu Domino, de Ipſius adventu, Regno et Eccleſia, ac de bonis eorum, ut in ſequentibus his locis, quæ illuſtrationis cauſa volo adducere; in Libro II. Samuelis, "*Dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt Petra Iſraelis, Ille ſicut lux Mane, oritur Sol, Mane ſine nubibus,*" xxiii. 3, 4; Deus Iſraelis et Petra, eſt Dominus quoad Divinum Humanum, et inde procedens Divinum Verum, Deus Iſraelis ex eo, quod Iſrael ſit Eccleſia ſpiritualis Ipſius, et Petra quia Divinum Ipſius ibi eſt Divinum Verum, videatur n. 3720, 6426, 8581, 10580; quia Dominus in Cœlo Angelico eſt Sol, et inde omnis Lux Angelis, et Sol ibi eſt jugiter in ſuo Mane, ideo dicitur, Ille ſicut Lux Mane, oritur Sol, Mane ſine nubibus. Apud Davidem, "*Ex utero Auroræ flos juventutis tuæ; Tu Sacerdos in æternum juxta modum Malchizedechi,*" Pſalm. cx. 3; hæc de Domino venturo in Mundum; ex utero Auroræ Tibi ros juventutis, eſt conceptio ex Ipſo Divino, et inde glorificatio Humani Ipſius; Sacerdos in æternum juxta modum Malchizedechi, eſt quod Divinum Bonum et Divinum Verum ab Ipſo procedat, Dominus enim ut Sacerdos eſt Divinum Bonum, ac ut Rex ſanctitatis qui eſt Malchizedech, eſt Divinum Verum, videatur n. 1725. Apud Ezechielem, "*Cherubi ſteterunt ad oſtium portæ Domus orientale, gloria Dei Iſraelis ſuper illis ſurſum,*" x. 19; Cherubi ſignificant Dominum quoad Providentiam et quoad Cuſtodiam ne adeatur niſi quam per bonum amoris; oſtium portæ domus orientale ſignificat aditum, Domus Dei eſt Cœlum et Eccleſia; Oriens eſt ubi Dominus apparet ut Sol, ita ubi jugiter eſt in mane, inde dicitur gloria Dei Iſraelis ſuper illis ſurſum. Apud Eundem, "*Angelus duxit me ad portam, quæ ſpectans verſus orientem; cum ecce gloria Dei Iſraelis venit a via Orientis, et terra illuſtrata a gloria Ipſius; gloria Jehovæ intravit in domum via portæ, cujus facies verſus Orientem,*" xliii. 1, 2, 4; hic deſcribitur in ſenſu interno influxus Domini in illos qui in Ipſius Regno et Eccleſia ſunt; Deus Iſraelis eſt Dominus quoad Divinum Humanum et inde procedens Divinum Verum, Domus Dei eſt Ipſius Regnum et Eccleſia; Gloria eſt Divinum Verum quale in cœlo; venire via orientis in Domum, eſt a Sole, ubi eſt jugiter in ſuo Mane: quod Gloria ſit Divinum Verum quale eſt in cœlo, videatur n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429: quod Domus Dei ſit Cœlum et Eccleſia quoad Bonum, Templum quoad Verum, n. 3720: et quod Oriens in ſupremo ſenſu ſit Dominus, quia eſt Sol cœli, qui ſemper eſt in Ortu et Mane, et quod inde Oriens ſit bonum amoris ab Ipſo, n. 3708, 5097, 9668. Apud Eundem, "*Angelus poſtea reduxit me ad oſtium Domus, ubi ecce aquæ exeuntes de ſub limine domus verſus orientem, deſcendent in planitiem, et venient verſus mare, in mare emiſſæ ut ſanentur aquæ; unde ſit quod omnis anima vivens quæ reptat, quocunque venerint fluvii, vivet, unde ſit piſcis multus valde, quia venient eo aquæ hæ, et ſanantur, ut vivat omne quo venerit fluvius,*" xlvii. 1, 2, 7, 8; deſcribitur etiam hic per meras correſpondentias influxus Domini ex Divino Humano ſuo apud illos qui e Regno et Eccleſia Ipſius ſunt; per aquas exeuntes ſub limine domus verſus orientem, deſcribitur Divinum Verum procedens ab Ipſo, et influens apud illos qui in Oriente ſunt, hoc eſt, qui in bono amoris in Ipſum ſunt; quod aquæ deſcenderint in planitiem, et in mare, et quod inde aquæ maris ſanatæ ſint, ſignificat influxum in naturalem hominem, ac in cognitiones quæ ibi; piſcis multus qui inde, ſignificat ſcientifica vera ibi; quod vixerit omne quo venerit fluvius, ſignificat quod vita illis ex Divino Vero; quod hæc ſignificentur per illa ibi, nemo videre poteſt niſi ex ſenſu interno Verbi, cum tamen ſingulæ voces ibi involvunt arcana regenerationis hominis a Domino; ſed quæ ſingulæ voces ibi involvunt, detegetur ad Caput xxii. Apocalypſeos, ubi pæne ſimilia Verſ. 1 et 2 dicuntur. Apud Davidem, "*Exſpectavi Jehovam, exſpectat anima mea, anima mea Dominum, a cuſtodientibus Mane, cuſtodientes Mane, quia plurima cum Ipſo redemtio, et Ille redimet Iſraelem,*" Pſalm. cxxx. 5, 6, 7, 8; agitur ibi de adventu Domini in mundum, et de receptione Ipſius ab illis qui in bono amoris ſunt; adventus Domini ſignificatur per exſpectavi Jehovam, exſpectat anima mea Dominum, quia plurima cum Ipſo redemtio, et Ille redimet Iſraelem; et receptio Ipſius ab illis qui in bono amoris ſunt, ſignificatur per, a cuſtodientibus mane, cuſtodientes mane, Mane ibi in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum, ac in ſenſu interno Regnum Ipſius et Eccleſiam, et cuſtodientes mane ſignificet illos qui exſpectant Domini adventum, qui ſunt qui in bono amoris ſunt, quoniam illi ſunt quibus Dominus eſt Mane. Quod Mane ſignificet adventum Domini in mundum, et tunc novam Eccleſiam, conſtat a ſequentibus locis; apud Danielem, "*Uſque ad Veſperam et Mane bis mille trecenta, tunc juſtificabitur Sanctum: Viſio Veſperæ et Mane, quæ dicta eſt, Veritas eſt,*" viii. 14, 26; Veſpera ſignificat ultimum tempus Eccleſiæ prioris, ac Mane primum Novæ, ita Domini adventum. Apud Eſajam, "*Ad me clamans a Seir, cuſtos, cuſtos, quid de nocte, cuſtos quid de nocte; dixit cuſtos, venit Mane, etiamque nox,*" xxi. 11, 12; etiam ibi de adventu Domini; Nox eſt ultimum tempus Eccleſiæ prioris, et Mane eſt primum novæ; quid ſignificat clamare e Seir, videatur n. 4240, 4384. Apud Ezechielem, "*Venit finis, venit finis, venit Mane ſuper te habitator terræ; ecce dies venit, exivit Mane,*" vii. 6, 7, 10; pariter ibi de adventu Domini, ac de fine Eccleſiæ prioris et de principio novæ. Apud Zephaniam, "*Jehovah in Mane, in Mane judicium ſuum dabit in lucem, nec deerit,*" iii. 5; ſimiliter. Quia Mane ſignificat Dominum, Adventum Ipſius, tum Regnum Ipſius et Eccleſiam, ut et bonum amoris quod ab Ipſo, inde conſtare poteſt, quid per Mane in ſequentibus his locis intelligitur; apud Davidem, "*Fac me audire* *ſub Mane miſericordiam tuam,*" Pſalm. cxliii. 8: apud Eundem, "*Cantabo ſub Mane miſericordiam tuam,*" Pſalm. lix. 17: apud Eundem, "*Satura nos ſub Mane miſericordia tua, ut jubilemus et gaudeamus omnibus diebus noſtris,*" Pſalm. xc. 14: apud Eundem, "*Jehovah Mane audies vocem meam, Mane diſponam me Tibi,*" Pſalm. v. 4: apud Eundem, "*Deus in medio ejus, adjuvabit eum Deus, cum ſpectat Mane,*" Pſalm. xlvi. 6: apud Eundem, "*Deus Deus meus, Mane quæro Te,*" Pſalm. lxiii. 2: apud Eſajam, "*In die plantam tuam creſcere facies, et Mane ſemen tuum effloreſcere,*" xvii. 11: apud Eundem, "*Jehovah eſt brachium eorum ſingulis matutis,*" xxxiii. 2: apud Eundem, "*Jehovah dedit mihi linguam doctorum, excitavit ſingulis matutis,*" l. 4: apud Jeremiam, "*Loquutus ſum ad vos ſingulis matutis,*" vii. 13. Cap. xi. 7. Cap. xxv. 3. 4. Ex ſignificatione Mane, conſtare poteſt quid intellectum eſt per quod "*Mane depluerit Manna,*" Exod. xvi. 12, 13, 21. "*Quod Jehovah Mane deſcenderit ſuper Monte Sinai,*" Exod. xix. 16. "*Quod Sacerdos accenderet ſuper Altari ligna quovis Mane, et diſponeret ſuper eo holocauſtum,*" Levit. vi. 5. Et quid involvit, quod dicitur de Sacrificio Paſchatis, "*Sacrificabis Paſcha cum occiderit Sol, deinde comedes, et reſpicies Mane, et ibis in tentoria tua,*" Deut. xvi. 6, 7; quod ſacrificarent Paſcha cum occiderit Sol, erat quia Occaſus ſolis ſignificabat ultimum tempus Eccleſiæ; quod reſpicerent mane, ſignificabat inſtaurationem Eccleſiæ novæ, ita adventum Domini. Hæc allata ſunt, ut ſciatur quid per Stellam Matutinam, quam daret Filius hominis, ſignificatur, quod nempe Sapientia et Intelligentia a Divino Humano Domini, et quia qui ſapientiam et intelligentiam a Domino accipiunt, etiam Ipſum accipiunt, eſt enim Dominus in ſapientia et intelligentia quæ ab Ipſo, adeo ut ſit ſapientia et intelligentia apud eos, ideo etiam Ipſe Dominus vocatur Stella Matutina in Apocalypſi, "*Ego ſum ſtirps et progenies Davidis, Stella illa ſplendida et matutina,*" xxii. 16: ſimiliter vocatur Stella, Num. xxiv. 17.

180. Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet, quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra n. 108, dicta et oſtenſa ſunt, ubi ſimilia.

APOCALYPSIS.

CAPUT TERTIUM.

1. ET Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit habens ſeptem Spiritus Dei et ſeptem Stellas: novi tua opera, quod nomen habeas quod vivas, et mortuus es.

2. Eſto vigilans, et confirma reliqua quæ moritura, non enim inveni tua opera plena coram Deo.

3. Memento igitur quomodo acceperis et audieris, et obſerva et reſipiſce: ſi ergo non vigilaveris, veniam ſuper te tanquam fur, et neſcies qua hora veniam ſuper te.

4. Habes pauca nomina etiam in Sardibus, quæ non inquinaverunt veſtimenta ſua, et ambulabunt Mecum in albis, quia digni ſunt.

5. Vincens, is veſtietur in veſtimentis albis, et non delebo nomen ejus e libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus.

6. Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis.

7. Et Angelo in Philadelphia Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit Sanctus, Verus, habens clavem Davidis, aperiens et nemo claudit, et claudens et nemo aperit.

8. Novi tua opera; ecce dedi coram te oſtium apertum, et nemo poteſt claudere illud, quia nonnullam habes potentiam, et obſervaſti meum verbum, et non negaſti nomen meum.

9. Ecce dabo ex Synagoga Satanæ, dicentium ſeipſos Judæos eſſe, et non ſunt ſed mentiuntur, ecce faciam ut illi veniant et adorent ad pedes tuos, et ſciant quod Ego dilexi te.

10. Quia ſervaſti verbum tolerantiæ meæ, et Ego te ſervabo ab hora tentationis futuræ venire ſuper orbem univerſum, explorare habitantes ſuper terra.

11. Ecce venio cito, retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12. Vincens, faciam illum columnam in Templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et ſcribam ſuper illum Nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei Novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, et nomem meum novum.

13. Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis.

14. Et Angelo Eccleſiæ Laodicenſium ſcribe: hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, principium Opificii Dei.

15. Novi tua opera, quod nec frigidus ſis nec calidus; utinam frigidus eſſes aut calidus.

16. Itaque quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, futurum te evomam ex ore meo.

17. Quod dicas quod dives ſim et locupletatus, et nullius opus habeam, et non ſcis quod tu ſis ærumnoſus et miſerabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.

18. Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne, ut ditatus ſis, et veſtimenta alba ut induaris, ne appareat pudor nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas.

19. Ego quoſcunque amo, arguo et caſtigo, zelo age ergo et reſipiſce.

20. Ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſi quis audierit vocem meam, et aperuerit oſtium, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ille Mecum.

21. Vincens, dabo ei ſedere Mecum in throno meo, ſicut et Ego vici, et ſedeo cum Patre in Throno Ejus.

22. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis.

EXPLICATIO.

181. Verſ. 1 ad 6. *Et Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe: hæc dicit habens ſeptem Spiritus Dei et ſeptem Stellas; novi tua opera, quod nomen habeas quod vivas et mortuus es. Eſto vigilans, et confirma reliqua quæ moritura, non enim inveni tua opera plena coram Deo. Memento igitur quomodo acceperis et audieris, et obſerva, et reſipiſce: ſi ergo non vigilaveris, veniam ſuper te tanquam fur, et neſcies qua hora veniam ſuper te. Habes pauca nomina etiam in Sardibus, quæ non inquinaverunt veſtimenta ſua, et ambulabunt Mecum in albis, quia digni ſunt. Vincens, is veſtietur in veſtimentis albis, et non delebo nomen ejus e libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis Ejus: Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis.* Et Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe, ſignificat illos qui moralem vitam agunt, ſed non ſpiritualem, quia parvi pendunt cognitiones ſpiritualium, et inde intelligentiam et ſapientiam: hæc dicit habens ſeptem ſpiritus Dei, ſignificat Dominum ex Quo omnia vera Cœli et Eccleſiæ: et ſeptem Stellas, ſignificat a Quo omnes cognitiones veri et boni: novi tua opera, ſignificat illa quæ eorum vitæ ſunt: quod nomen habeas quod vivas et mortuus es, ſignificat quale cogitationis quod putent ſe vivos eſſe, quia moralem agunt vitam, cum tamen mortui

ſunt: eſto vigilans, ſignificat ut vitam ſibi comparent: et confirma reliqua quæ moritura, ſignificat ut illa quæ ſunt moralis vitæ vivificentur: non enim inveni tua opera plena coram Deo, ſignificat quod alioquin non Divinum ſit in vita morali: memento igitur quomodo acceperis et audieris, et obſerva, ſignificat recordationem quid Dominus in Verbo docet, et attentionem: et reſipiſce, ſignificat ſic vitam ſpiritualem: ſi ergo non vigilaveris, ſignificat ſi non vitam ſpiritualem compares: veniam ſuper te tanquam fur, ſignificat tempus inopinatum, quando eripientur omnes cognitiones comparatæ ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt: et neſcies qua hora veniam ſuper te, ſignificat ignorantiam illius temporis et ſtatus tunc: habes pauca nomina etiam in Sardibus, quæ non inquinaverunt veſtimenta ſua, ſignificat illos qui agunt vitam moralem ex origine ſpirituali per quod cognitiones veri et boni applicent uſibus ſuæ vitæ: et ambulabunt Mecum in albis, quia digni ſunt, ſignificat vitam eorum ſpiritualem quæ illis per cognitiones veri et boni ex Verbo: vincens, ſignificat qui permanet uſque ad mortem: is veſtietur in veſtimentis albis, ſignificat intelligentiam et ſapientiam ſecundum vera et eorum receptionem: et non delebo nomen ejus e libro vitæ, ſignificat quod in Cœlo erunt quia ei accommodati: et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus, ſignificat quod in Divino Bono et inde in Divino Vero erunt: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt.

182. Et Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe, quod ſignificet illos qui moralem vitam agunt ſed non ſpiritualem quia parvi pendunt cognitiones ſpiritualium, et inde intelligentiam et ſapientiam, conſtat ex illis quæ ad hujus Eccleſiæ Angelum ſcripta ſunt, ex quibus in ſenſu interno ſeu ſpirituali luſtratis conſtat, quod agatur de illis qui moralem vitam agunt, ſed non ſpiritualem, quia parvi faciunt cognitiones ſpiritualium, et inde intelligentiam et ſapientiam: ſed antequam ea quæ ſequuntur, quoad ſenſum ſpiritualem evolvuntur, explicandum et aperiendum eſt, quid ſit vita moralis, et quid vita ſpiritualis, tum quid moralis vita ex ſpirituali, et quid moralis vita abſque ſpirituali. Moralis vita eſt bene, ſincere et juſte agere cum ſociis, tam in functionibus quam in negotiis quibuſcunque; verbo eſt vita apparens coram hominibus, quia cum illis: ſed hæc vita eſt ex duplici origine, vel ex amore ſui et mundi, vel ex amore in Deum et erga proximum; moralis vita ex amore ſui et mundi non in ſe eſt moralis vita, tametſi ut moralis apparet; nam homo cui illa, bene, ſincere et juſte agit ſolum propter ſe et mundum, cui bonum, ſincerum et juſtum inſerviunt pro mediis ad finem, qui ſunt vel ut evehatur ſupra alios, ac imperet aliis, vel ut lucretur opes; hæc cogitat etiam in ſuo ſpiritu, ſeu quando ſecum in occulto, ſed propalare illa quæ cogitat non audet, quia deſtruunt opinionem aliorum de ſe, et ſic annihilat media, per quæ tendere vult ad fines ſuos: ex his conſtare poteſt, quod in morali ejus vita nihil aliud lateat, quam ut obtineat præ aliis omnia, ita quod velit ut omnes alii ſibi ſerviant, aut ut poſſideat eorum bona; ex quibus videri poteſt, quod moralis ejus vita non ſit moralis vita in ſe, nam ſi obtineret quod intendit, ſeu pro fine habet, ſubjiceret alios ſibi ut ſervos, ac

deprivaret illos ſuis bonis; et quia omnia media ſapiunt ex fine, et in eſſentia ſua ſunt talia quales ſunt fines, quare etiam vocantur fines intermedii, ideo talis vita in ſe ſpectata eſt modo aſtutia et fraus; quod etiam manifeſte apparet apud illos, apud quos externa illa vincula ſoluta ſunt; ut fit apud illos tales cum ex legibus juris agunt contra ſocios, quod nihil plus aveant quam jus pervertere, et aucupare favorem judicis, aut gratiam Regis, et hoc in occulto, ut alios bonis ſuis deprivent; quod cum obtinent, etiam gaudent ſpiritu et corde ſuo: adhuc manifeſtius apparet apud Reges, qui honorem ponunt in bellis et victoriis, quod ſummum cordis eorum gaudium ſit ſubjugare provincias et regna, et ubi reſiſtitur, ſpoliare ſubditos omnibus eorum bonis, et quoque vita; quod jucundum etiam eſt pluribus tunc qui militiam obeunt: adhuc manifeſtius id apparet apud omnes tales cum fiunt ſpiritus, quod fit ſtatim poſt mortem corporis eorum, tunc quia ex ſuo ſpiritu cogitant et agunt, ruunt in omne nefas ſecundum amorem ſuum, utcunque in mundo moralem vitam ad apparentiam egerunt. Aſt vita ſpiritualis eſt prorſus alia, quia eſt ex alia origine, eſt enim ex amore in Deum et ex amore erga proximum, et inde eſt quoque vita eorum moralis alia, eſtque vere vita moralis; hi enim cum in ſpiritu ſuo cogitant, quod fit cum in occulto ſecum, non cogitant ex ſe et mundo, ſed ex Domino et Cœlo; interiora enim quæ eorum mentis ſunt, hoc eſt, quæ eorum cogitationis et voluntatis, actualiter elevantur a Domino in Cœlum, et ibi conjunguntur Ipſi, ita Dominus influit in eorum cogitationes, intentiones et fines, et illos regit, et abducit a proprio illorum, quod unice eſt ex amore ſui et mundi; hi ad apparentiam, ſimilem moralem vitam agunt cum illis, de quibus ſupra dictum eſt, ſed uſque vita eorum moralis eſt ſpiritualis, nam eſt ex ſpirituali origine, moralis eorum vita eſt modo effectus vitæ ſpiritualis, quæ eſt cauſa efficiens, ita origo; agunt enim bene, ſincere et juſte cum ſociis ex timore Dei et ex amore proximi, in his Dominus tenet mentem et animum eorum; quapropter illi cum fiunt ſpiritus, quod fit dum moriuntur corpora, intelligenter et ſapienter cogitant et agunt, et in Cœlum elevantur; de his dici poteſt, quod apud illos omne bonum amoris et omne verum fidei influat e Cœlo, hoc eſt, per Cœlum a Domino; at non de illis, de quibus ſupra dictum eſt, nam horum bonum cœli non eſt bonum cœli, nec verum eſt verum cœli, ſed eſt jucundum concupiſcentiæ carnis quod vocant bonum, et falſum inde quod vocant verum, quæ ad illos ex ſe et ex mundo influunt. Ex his quoque ſciri poteſt, quid moralis vita ex ſpirituali, et quid moralis vita abſque ſpirituali, quod nempe moralis vita ex ſpirituali ſit vere moralis vita, quæ dicenda eſt ſpiritualis, quoniam cauſa et origo ejus eſt inde; at quod vita moralis abſque ſpirituali non ſit vita moralis, et quæ dicenda eſt infernalis, nam quantum in ea regnat amor ſui et mundi, tantum illa eſt fraudulenta et hypocritica. Ex nunc dictis etiam concludi poteſt, quale eſt ſanctum externum, per quod intelligitur cultus in templis, precationes ac geſtus tunc, apud illos qui in amore ſui et mundi ſunt, et uſque apparentem vitam moralem agunt, quod nempe nihil ex illis elevetur ad Cœlum, et audiatur ibi, ſed quod effluant ex aliqua cogitatione externi ſeu naturalis hominis, et ſic ex ore illorum in mundum, interiores enim eorum cogitationes, quæ ſunt ipſius ſpiritus eorum, ſunt plenæ aſtutia et fraude contra proximum, et uſque elevatio in Cœlum, fit per interiora; et præterea cultus eorum in templis, ac precationes et geſtus tunc, ſunt vel ex aſſuetudine ab infantia et inde familiari, vel ex principio quod externa talia faciant omne ad ſalutem, vel ex eo quod diebus feſtis nihil negotii ſit illis domi ac foris, vel ne a ſociis credantur impii: at cultus apud illos, qui moralem vitam ex origine ſpirituali vivunt, prorſus alius eſt, eſt enim vere cultus Dei, nam precationes eorum elevantur ad Cœlum et audiuntur, ducit enim Dominus precationes eorum per Cœlum ad Se: Sed plura de his videantur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 468, 484, 529, 530 ad 534; et ſupra in Explicatione ſupra Apocalypſin, n. 107. Hæc præmiſſa ſunt, quia in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur de illis qui moralem vitam agunt, ſed non ſpiritualem, ex cauſa quia parvi pendunt cognitiones ſpiritualium.

183. Hæc dicit habens ſeptem ſpiritus Dei, quod ſignificet Dominum ex Quo omnia vera Cœli et Eccleſiæ; quod ſit Dominus qui intelligitur, eſt quia eſt Filius hominis qui hæc dixit, ut quoque ad reliquarum Eccleſiarum Angelos, et Filius hominis eſt Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra, n. 63, 151: per ſeptem ſpiritus Dei intelliguntur omnia vera Cœli et Eccleſiæ, ex cauſa quia Spiritus Dei in Verbo ſignificat Divinum Verum procedens a Domino. Multis in locis in Verbo dicitur ſpiritus, et, cum de homine, per ſpiritum ſignificatur Verum Divinum receptum vita, ita ejus vita ſpiritualis; at, cum de Domino, per Spiritum intelligitur Divinum quod procedit ab Ipſo, quod communi voce vocatur Divinum Verum. Sed quia hodie pauci ſunt, qui ſciunt quid per ſpiritum in Verbo intelligitur, velim primum ex locis inde adductis oſtendere, quod ſpiritus, cum de homine, ſignificet Divinum Verum receptum vita, ita ejus vitam ſpiritualem. Sed quia duo ſunt quæ faciunt hominis vitam ſpiritualem, nempe bonum amoris et verum fidei, ideo pluribus in locis dicitur Cor et Spiritus, et quoque Cor et Anima, et per Cor ſignificatur bonum amoris, ac per Spiritum Verum fidei, ſimiliter per Animam, nam per hanc in Verbo intelligitur ſpiritus ejus. Quod per ſpiritum, cum de homine, Verum receptum vita ſignificetur, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Ezechielem, "*Facite vobis Cor novum et Spiritum novum, quare moriemini domus Iſraelis,*" xviii. 31: apud Eundem, "*Dabo vobis Cor novum, et Spiritum novum dabo in medio veſtri,*" xxxvi. 26: apud Davidem, "*Cor mundum crea mihi Deus, et Spiritum firmum innova in medio mei: Sacrificia Dei ſpiritus infractus; Cor infractum et contritum Deus non ſpernit,*" Pſalm. li. 12, 13, 14, 19; in his locis Cor ſignificat bonum amoris, et Spiritus verum fidei, ex quibus vita ſpiritualis homini; nam duo ſunt quæ faciunt omnem vitam hominis, nempe bonum et verum, hæc duo unita in homine faciunt vitam ejus ſpiritualem. Quoniam Cor ſignificat bonum, et Spiritus verum, utrumque receptum vita, ideo Cor in oppoſito ſenſu ſignificat malum et ſpiritus falſum, nam pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent; in hoc ſenſu dicuntur Cor et Spiritus apud Davidem, "*Generatio non rectum facit cor ejus, nec conſtans cum Deo eſt ſpiritus ejus,*" Pſalm. lxxviii. 8: apud Ezechielem, "*Liqueſcet omne Cor, et contrahetur omnis ſpiritus,*" xxi. 13: apud Moſen, "*Aggravavit Jehovah ſpiritum Regis Cheſbonis,*"

bonis, et obſirmavit cor ejus," Deut. ii. 30: apud Eſajam, "*Concipite quiſquilias, parite ſtipulam, ſpiritum veſtrum ignis comedet,*" xxxiii. 11: apud Ezechielem, "*Væ Prophetis ſtultis qui abeunt poſt ſpiritum ſuum,*" xiii. 3: apud Eundem, "*Quod aſcendit ſuper ſpiritum veſtrum, non fiet unquam,* xx. 32: ex his patet, quod tota vita hominis intelligatur per Cor et Spiritum, et quia tota vita ejus ſe refert ad hæc bina, nempe ad bonum et verum, et in ſpirituali ſenſu ad amorem et fidem, ideo per Cor et Spiritum illæ binæ Vitæ hominis intelliguntur: inde quoque eſt quod Cor et Spiritus ſignificent Voluntatem et Intellectum hominis, quoniam hæ binæ facultates apud hominem faciunt omnem vitam ejus, alibi quam in illis non eſt vita homini; cauſa eſt, quia Voluntas eſt receptaculum boni et ejus amoris, aut mali et ejus amoris, ac Intellectus eſt receptaculum veri aut ejus fidei, aut falſi et ejus fidei, ac, ut dictum eſt, omnia apud hominem ſe referunt ad bonum et verum aut ad malum et falſum, et in ſpirituali ſenſu ad amorem et fidem, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 28 ad 35. Quod per Spiritum, cum de homine, ſignificetur Verum aut falſum, et ex uno aut altero vita ejus, eſt quia per ſpiritum proprie intelligitur ſpiritus qui eſt in homine et cogitat, et is vel cogitat vel ex veris vel ex falſis; ſed, ut mox ſupra dictum, ſunt duo quæ faciunt vitam hominis, Intellectus et Voluntas, vita Intellectus eſt cogitare ex veris aut falſis, et vita Voluntatis eſt afficere ſeu incendere amore illa quæ Intellectus cogitat: hæ binæ Vitæ hominis correſpondent binis vitis corporis ejus, quæ ſunt vita reſpirationis Pulmonis, et vita pulſus Cordis; per hanc Correſpondentiam unitus eſt ſpiritus Corpori apud hominem, videatur ſupra, n. 167, et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 446, 447; quia talis Correſpondentia eſt, ideo Spiritus dicitur a Vento tam in Lingua originali, quam in pluribus aliis Linguis, quare etiam exſpirare exprimitur per emittere ſpiritum, et hoc quoque in Verbo; ut apud Davidem, "*Collegi Spiritum eorum, exſpiravit,*" Pſalm. civ. 29: apud Ezechielem, "*Dixit Dominus Jehovih oſſibus aridis, ecce Ego adducens ſpiritum in vos, ut vivatis; et dixit Dominus Jehovih a quatuor ventis veni ſpiritus, et inſpira in occiſos hos, et venit in eos ſpiritus, et revixerunt,*" xxxvii. 5, 9, 10. In Apocalypſi, "*Duo Teſtes occiſi a beſtia aſcendente ex abyſſo, ſed poſt tres dies et dimidium Spiritus vitæ a Deo intravit in illos, ut conſiſterent ſuper pedes ſuos,*" xi. 7, 11: apud Lucam, "*Jeſus apprehendens manum puellæ mortuæ, dicens, puella ſurge, reverſus itaque eſt Spiritus ejus, et ſurrexit extemplo,*" viii. 54, 55. Ex his intellectis conſtare poteſt, quid per Spiritum, cum de homine, ſignificatur plurimis in locis in Verbo, ex quibus hæc ſolum velim afferre; apud Johannem, "*Niſi quis fuerit generatus ex aqua et ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei: ventus quo vult ſpirat, et ſonum ejus audis, ſed neſcis unde venit et quo vadit, ſic eſt omnis qui generatus eſt ex ſpiritu,*" iii. 5, 8. Apud Eundem, "*Dominus inſpiravit in diſcipulos, et dixit, accipite Spiritum ſanctum,*" xx. 21, 22: In Libro Geneſeos, "*Jehovah inſpiravit in nares hominis animam vitarum,*" ii. 7; præter alibi. Quod Spiritus in ſpirituali ſenſu ſignificet verum, ac vitam hominis ex illo, quæ eſt Intelligentia, patet manifeſte ab his locis; apud Johannem, "*Venit hora et nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu et veritate,*" iv. 23. Apud Danielem, "*In illo erat Spiritus excellens, ſcientiæ et intelligentiæ. Audivi de te, quod Spiritus Dei in te, et lux, et intelligentia et ſapientia excellens inveniatur in te,*" v. 12, 14. Apud Moſen, "*Tu loqueris ad omnes ſapientes corde, quos implevi ſpiritu ſapientiæ,*" Exod. xxviii. 3. Apud Lucam, "*Johannes crevit et corroboratus eſt ſpiritu,*" i. 88: et de Domino, "*Jeſus puer crevit, et corroboratus eſt ſpiritu, et impletus ſapientia,*" ii. 40. Quum notum eſt, quid ſignificat ſpiritus apud hominem, ſciri poteſt quid ſignificat ſpiritus cum dicitur de Jehovah ſeu Domino, Cui tribuuntur omnia quæ homini, ſicut facies, oculi, aures, brachia, manus, ut et cor et anima, ita quoque ſpiritus, qui in Verbo vocatur Spiritus Dei, Spiritus Jehovæ, Spiritus narium Ipſius, Spiritus oris Ipſius, Spiritus veritatis, Spiritus ſanctitatis, et Spiritus ſanctus, quod per illum intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, conſtat ex pluribus locis in Verbo: cauſa quod Divinum Verum procedens a Domino ſit Spiritus Dei, eſt quia omnis vita hominibus inde eſt, ac vita cœleſtis illis qui Divinum illud Verum fide et vita recipiunt; quod id ſit Spiritus Dei Dominus Ipſe docet; apud Johannem, "*Verba quæ Ego loquor vobis, ſpiritus ſunt et vita ſunt,*" vi. 63. Apud Eſajam, "*Exivit virga de trunco Jiſchaji, quieſcet ſuper Eo ſpiritus Jehovæ, ſpiritus ſapientiæ et intelligentiæ, ſpiritus conſilii et virtutis,*" xi. 1, 2. Apud Eundem, "*Dedi ſpiritum meum ſuper Illum, judicium gentibus proferet,*" xlii. 1. Apud Eundem, "*Venturus ſicut flumen, ſpiritus Jehovæ ſignum inferet in Ipſum,*" lix. 19. Apud Eundem, "*Spiritus Domini Jehovih ſuper Me, ideo unxit Me Jehovah ad evangelizandum pauperibus,*" lxi. 1. "*Quem miſit Pater, verba Dei loquitur, non ex menſura dedit Deus ſpiritum,*" Joh. iii. 34; hæc de Domino. Quod Spiritus ſanctus ſit Divinum Verum procedens a Domino, conſtare poteſt apud Johannem, "*Ego veritatem vobis dico, prodeſt vobis ut Ego abeam; ſi non abivero Paracletus non veniet ad vos, ſi vero abivero, mittam illum ad vos: quum venerit ille ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem: non loquetur a ſemet Ipſo, ſed ex Meo accipiet et annuntiabit vobis,*" xv. 7, 13, 14; quod Paracletus hic ſit Divinum Verum procedens a Domino, manifeſte patet, nam dicitur quod Ipſe Dominus *Veritatem* illis dixerit, et cum abiverit, miſſurus ſit Paracletum *ſpiritum veritatis*, qui ducturus illos in *omnem veritatem*, et quod Ille non loquetur a ſemet ipſo, ſed quod a Domino; dicitur *ex Meo accipiet*, quia Divinum Verum procedit ex Domino, et procedens dicitur Meum, Ipſe enim Dominus eſt Divinus Amor, et procedens ab Ipſo eſt Divinum Verum, ita eſt Suum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 139, 140, et antecedentia ibi, et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 307: quod exire et procedere intelligatur per Mitti et Mittere, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2397, 4710, 6831, 10561, ſimiliter hic per Mittam illum ad vos: quod Paracletus ſit Spiritus ſanctus patet apud Johannem, "*Paracletus Spiritus Sanctus, ille vos docebit omnia,*" xiv. 26. Apud Eundem, "*Jeſus magna voce clamavit, dicens, ſi quis ſitiverit, venito ad Me, et bibito, quiſquis credit in Me, ſicut dicit Scriptura, flumina e ventre illius fluent aquæ viventis; hoc dicit de ſpiritu quem accepturi credentes in Ipſum: nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat,*" vii. 37, 38, 39; quod Spiritus Sanctus ſit Divinum Verum procedens a Domino, quod tam immediate ab Ipſo, quam mediate per Angelos et Spiritus

ritus influit apud hominem, etiam ex his manifeſte patet; dicit enim Dominus primum, quod qui credit in Ipſum flumina ex ventre illius fluent aquæ viventis, et dein hoc dixit de ſpiritu quem accepturi, aqua enim in ſpirituali ſenſu ſignificat verum, et flumina aquæ viventis Divinum Verum a Domino in copia, ſimile itaque intelligitur per ſpiritum quem accepturi; quod Aqua ſignificet Verum, et Aqua vivens Divinum Verum, videatur ſupra, n. 71: et quia Divinum Verum procedit ab Humano Domini glorificato, et non immediate ab Ipſo Divino Ipſius, quia hoc in Se ab æterno fuit glorificatum, ideo dicitur, *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat*; quod glorificare ſit Divinum facere, et quod Dominus Humanum ſuum plene glorificaverit, hoc eſt, Divinum fecerit per ultimam ſuam Tentationem et Victoriam in Cruce, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 295, 300 ad 306. Mirantur in Cœlo quam maxime, quod homo Eccleſiæ non ſciat, quod Spiritus Sanctus, qui eſt Divinum Verum, procedat ab Humano Domini, et non immediate a Divino Ipſius, cum tamen Doctrina recepta in Univerſo Chriſtiano Orbe docet, "*Sicut Pater etiam Filius eſt Increatus, Infinitus, Æternus, Omnipotens, Deus, Dominus; nemo Eorum Primus et Ultimus, nec Maximus aut Minimus. Chriſtus eſt Deus et Homo, Deus ex natura Patris et Homo ex natura Matris, ſed tametſi eſt Deus et Homo, uſque tamen non ſunt duo, ſed eſt unus Chriſtus; eſt unus, at non ita quod Divinum ſit mutatum in Humanum, ſed Divinum recepit ad Se Humanum; eſt prorſus unus, ſed non ita quod binæ Naturæ ſint commixtæ, ſed eſt unica Perſona, quia ſicut Corpus et Anima ſunt unus homo, ita Deus et Homo eſt unus Chriſtus*;" hæc ex Symbolo Athanaſii: quoniam nunc Divinum et Humanum Domini non ſunt duo, ſed unica Perſona, et ſunt unita ſicut Anima et Corpus, ſciri poteſt quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, exeat et procedat ex Divino Ipſius per Humanum, ita ex Divino Humano, nihil enim quicquam procedere poteſt a Corpore niſi quam ex Anima per Corpus, quoniam omne vitæ corporis eſt ex ejus anima; et quia ſicut Pater ita Filius eſt Increatus, Infinitus, Æternus, Omnipotens, Deus, Dominus, et nemo Eorum Primus et Ultimus, nec Maximus aut Minimus, ſequitur quod Divinum Procedens, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ab Ipſo Divino Domini per Humanum Ipſius, et non a Divino alio, quod Pater vocatur, nam docet Dominus quod Pater et Ipſe unum ſint, ac Pater in Ipſo et Ipſe in Patre, de quo videatur infra, n. 200. Sed quod plerique in Chriſtiano Orbe aliter corde ſuo cogitent, et inde aliter credant, dixerunt Angeli, quod hoc inde ſit, quia de Humano Domini ſeparato a Divino Ipſius cogitant, quod tamen eſt contra Doctrinam, quæ docet, quod Divinum et Humanum Domini non ſint duo ſed unica Perſona, ac unita ſicut anima et corpus. Ut hoc ſit in Doctrina totius Orbis Chriſtiani, proviſum eſt a Domino, quia hoc Eſſentiale Eccleſiæ eſt, et Eſſentiale ſalutis omnium. Quod autem diſtinxerint Divinum et Humanum Domini in binas Naturas, et dixerint quod Dominus ſit Deus ex Natura Patris, et Homo ex Natura matris, erat ex cauſa quia non noverunt, quod cum Dominus plene glorificavit Humanum ſuum, exuerit Humanum ex matre, et induerit Humanum ex Patre, ſecundum illa quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 295, oſtenſa ſunt; quod hoc etiam factum ſit in Concilio propter Papam ab illis qui ibi tunc, ut pro Vicario Ipſius agnoſci poſſet, videatur in ARCANIS

CŒLESTIBUS, n. 4738. Quod Spiritus Dei ſit Divinum Verum, et inde Vita ſpiritualis homini, qui illud recipit, patet adhuc ab his locis; apud Micham, "*Ego impletus ſum veritate cum ſpiritu Jehovæ et judicio*," iii. 8. Apud Eſajam, "*Effundam aquas ſuper ſitientem, et rivulos ſuper aridam, et ſpiritum meum ſuper ſemen tuum*," xliv. 3. Apud Eundem, "*In die illo erit Jehovah Zebaoth in ſpiritum judicii ſedenti ſuper judicio, et in fortitudinem illis*," xxxviii. 5, 6. Apud Eundem, "*Ut cognoſcatis quod daturus ſim ſpiritum meum in vobis, ut vivatis*," xxxvii. 14. Apud Joelem, "*Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, et ſuper ſervos, et ſuper ancillas*," iii. 2. In Apocalypſi, "*Teſtimonium Jeſu eſt ſpiritus prophetiæ*," xix. 10. Quia Spiritus Dei ſignificat Divinum Verum, ideo vocatur Ille *Spiritus oris Jehovæ*, Pſalm. xxxiii. 6: *Spiritus labiorum*, Eſaj. xi. 4: *Halitus Dei et Spiritus narium*, Thren. iv. 10. Pſalm. xviii. 16. Hiob iv. 9. Apud Matthæum, "*Johannes dixit, ego vos baptizo aqua in pœnitentiam, qui vero poſt me venturus, ille vos babtizabit ſpiritu ſancto et igne*," iii. 11; baptizare in ſenſu ſpirituali ſignificat regenerare; ſpiritus ſanctus Divinum Verum; et ignis Divinum Bonum; quod Baptizare ſignificet regenerare, videatur n. 71; et quod ignis bonum amoris, n. 68. Ex his nunc conſtare poteſt, quid intelligitur per Domini verba ad diſcipulos, "*Euntes baptizate in Nomen Patris, Filii et Spiritus Sancti*," Matth. xxviii. 29; Pater ibi eſt Ipſum Divinum, Filius eſt Divinum Humanum, et Spiritus Sanctus eſt Divinum procedens quod eſt Divinum Verum, ita eſt unum Divinum, et uſque Trinum: quod ita ſit, Dominus docet apud Johannem, "*Ex his cognoviſtis Patrem et vidiſtis Ipſum, qui Me videt videt Patrem; Ego in Patre et Pater in Me eſt*," xiv. 7, 9, 10. Quoniam Divinum procedens, quod eſt Divinum Verum, influit apud homines tam immediate quam etiam mediate per Angelos et Spiritus, ideo creditum eſt quod Spiritus Sanctus ſit Tertia Perſona diſtincta a duabus quæ Pater et Filius vocantur; ſed aſſeverare poſſum, quod nemo in Cœlo ſciat aliud Sanctum Divinum, quam Divinum Verum procedens a Domino; et quia Divinum Verum communicatur hominibus etiam mediate per Angelos, ideo dicitur apud Davidem, "*Jehovah Deus fecit Angelos ſuos ſpiritus*," Pſalm. civ. 4. Hæc nunc allata ſunt ut ſciatur, quod per ſeptem ſpiritus ſignificentur omnia Vera Cœli et Eccleſiæ a Domino. Quod ſeptem ſpiritus ſint omnia vera Cœli et Eccleſiæ, patet evidentius ab his in Apocalypſi, "*Septem Lampades ignis ardentes coram Throno ſunt ſeptem ſpiritus Dei*," iv. 5: et porro, "*In medio ſeniorum Agnus ſtans, habens cornua ſeptem, et oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei emiſſi in omnem terram*," v. 6; quod ſpiritus ibi non ſint ſpiritus, patet ex eo, quod Lampades et Oculi Agni dicantur Spiritus; Lampades ſignificant Divina Vera, et Oculi intellectum veri, et cum de Domino Divinam Ipſius Sapientiam et Intelligentiam, videatur ſupra n. 152.

184. Et ſeptem ſtellas, quod ſignificet a Quo omnes cognitiones veri et boni, conſtat ex ſignificatione ſeptem, quod ſint plenum et omnia, de qua ſupra n. 20, 24; et a ſignificatione ſtellarum, quod ſint cognitiones veri et boni, de qua etiam ſupra n. 72. Quod dicatur ad Angelum

hujus Eccleſiæ, *Hæc dicit habens ſeptem ſpiritus Dei et ſeptem ſtellas,* eſt quia de illis intra Eccleſiam agitur, qui vitam moralem agunt ſed non ſpiritualem, quia parvi pendunt cognitiones ſpiritualium, et inde intelligentiam et ſapientiam; per ſeptem enim ſpiritus ſignificantur omnia vera Cœli et Eccleſiæ, et per ſeptem ſtellas cognitiones veri et boni, per quæ duo omnis intelligentia et ſapientia; ad Angelum cujuſvis Eccleſiæ præmittitur de Domino aliquid, quod rem, de qua agitur, indicat, videatur ſupra n. 113.

185. Novi tua opera, quod ſignificet illa quæ eorum vitæ ſunt, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ vitæ hominis ſunt, tam bona quam mala; cauſa quod opera ſignificent illa quæ vitæ ſunt, eſt quia ſunt effectus vitæ, nam a vita cujuſvis procedunt; ſi vita bona eſt ſunt opera bona, ſi autem vita mala eſt ſunt opera mala; vita, quæ in operibus, eſt intentio quæ eſt voluntatis et inde cogitationis, et hæc vita eſt vita ſpiritus hominis, nam ſpiritus in homine intendit et cogitat, abſque hac vita in operibus forent opera ſolum motus quales ſunt automatum; inde eſt quod ſapientes non ſpectent ad opera, ſed ad illam vitam in operibus, nempe ad intentionem; hoc imprimis faciunt Angeli qui apud hominem, illi non vident opera ejus, ſed modo intentiones mentis ejus, et inde concludunt ad quale ſtatus hominis; ex quibus conſtare poteſt quod per opera in ſenſu ſpirituali intelligatur vita, et quia vita hominis eſt varia, et pendet principaliter ab ejus amore, ideo amor ejus per opera principaliter ſignificatur, ut ſupra n. 98, 116. Hæc nunc cauſa eſt, quod ad Angelum cujuſvis Eccleſiæ in principio dicatur, *Novi tua opera,* per quod ideo intelligitur, quod Dominus noverit omnem vitam hominis, et qualis eſt quoad amorem.

186. Quod nomen habeas quod vivas et mortuus es, quod ſignificet quale cogitationis, quod putent ſe vivos eſſe, quia moralem agunt vitam, cum tamen mortui ſunt, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale ſtatus, de qua ſupra, n. 148; ex ſignificatione vivere, quod ſit vitam ſpiritualem habere, de qua ſequitur; et ex ſignificatione mortuus eſſe, quod ſit non illam vitam habere, ſed modo moralem abſque illa; quod hoc ſit mortuus eſſe, eſt quia vita in Verbo ſignificat vitam Cœli apud hominem, quæ etiam ibi vocatur vita æterna, et mors vitam inferni, quæ vita in Verbo vocatur Mors quia eſt privatio vitæ Cœli; hic itaque per nomen habere quod vivas et mortuus es, ſignificatur putare ſe vitam ſpiritualem habere et ſic ſalvari, quia vitam moralem agunt, cum tamen ſpiritualiter mortui ſunt: ſed quomodo hoc intelligendum eſt, conſtare poteſt ex illis quæ de utraque vita, ſpirituali et morali, ſupra n. 182, dicta ſunt, quod nempe vita moralis abſque vita ſpirituali ſit vita amoris ſui et amoris mundi, at vita moralis ex vita ſpirituali ſit vita amoris in Dominum et amoris erga proximum, et quod hæc vita ſit vita Cœli, illa autem vita ſit quæ vocatur mors ſpiritualis; ex intellectis illis ſupra n. 182, ſciri poteſt, quid hic intelligitur per vivere et tamen mortuus eſſe. Quod vivere ſeu vivus eſſe ſignificet vitam ſpiritualem apud hominem, et quod mortuus eſſe ſignificet deprivationem ejus vitæ et damnationem, conſtare poteſt a pluribus locis in Verbo, quorum hæc velim afferre; apud Ezechielem, " *Cum dixero impio, moriendo morietur, nec admonueris illum, neque loquutus fueris ad dehortandum*

impium a via ejus mala, ad vivificandum illum, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: quod ſi admonueris impium ac non reverſus fuerit a malitia ſua, et a via ſua mala, ille in iniquitate ſua morietur, tu tamen animam tuam eripuiſti. Quod ſi admonueris juſtum, ut ne peccet amplius, et ille non peccaverit, vivendo vivet, quia admonitioni paruit," iii. 18 ad 21; moriendo mori hic eſt perire morte æterna, quæ eſt damnatio, dicitur enim de impiis; et vivendo vivere eſt frui vita æterna, quæ eſt ſalvatio, nam dicitur de illis qui pœnitentiam agunt et de juſtis. Apud Eundem, "*Prophanaſti Me apud populum meum, ad occidendum animas quæ non mori debent, et ad vivificandum animas, quæ non vivere debent, dum mentimini populo, audientibus mendacium,*" xiii. 19; agitur hic de falſificatione veri, quæ intelligitur per prophanaſti Me apud populum meum, et per mentimini populo audientibus mendacium, mendacium ibi ſignificat falſum et falſificatum; occidere animas quæ non mori debent, eſt deprivare illas vita ex veris; et vivificare animas quæ non vivere debent, eſt perſuadere illis quod vita æterna ſit ex falſis; quod hoc per vivificari hic intelligatur, patet ab antecedente Verſu ibi. Apud Davidem, "*Ecce Oculus Jehovæ ſuper timentibus Ipſum, ad eripiendum a morte animam eorum, et ad vivificandum eos in fame,*" Pſalm. xxx. 18, 19. Apud Eundem, "*Liberaſti animam meam a morte, et pedes meos ab impulſione, ad ambulandum coram Deo in luce viventium,*" Pſalm. lvi. 14. Apud Jeremiam, "*Ecce Ego propono vobis viam vitæ et viam mortis,*" xxi. 8. Apud Johannem, "*Jeſus dixit, amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, habet vitam æternam, et in condemnationem non veniet, ſed tranſibit a morte in vitam,*" v. 24; quod in his locis mors ſit damnatio, et vita ſalvatio, patet. Quia Mors eſt damnatio, etiam eſt infernum, quare infernum in Verbo paſſim dicitur Mors, ut in his locis; apud Eſajam, "*Non Infernum confitebitur Tibi, nec Mors laudabit Te, non ſperabunt deſcendentes foveam ſuper veritate tua, vivus, vivus ille confitebitur Tibi,*" xxxviii. 18, 19. Apud Eundem, "*Excidimus fœdus cum Morte, et cum Inferno fecimus viſionem,*" xxviii. 15. Apud Hoſcheam, "*E manu Inferni redimam eos, e Morte liberabo eos; ero peſtis tua, Mors, ero exitium tuum, Inferne,*" xiii. 14. Apud Davidem, "*Non in Morte memoria Tui, in Inferno quis confitebitur Tibi,*" Pſalm. vi. 6. Apud Eundem, "*Circumdederunt me funes Mortis, et funes Inferni,*" Pſalm. xviii. 5. 6. Apud Eundem, "*Sicut pecus in Inferno ponentur, Mors paſcet illos,*" Pſalm. xlix. 15. Apud Eundem, "*Jehovah aſcendere feciſti ex Inferno animam meam, vivificaſti me,*" Pſalm. xxx. 4. In Apocalypſi, "*Equus pallens et ſedens ſuper illo, cui nomen Mors, et Infernum ſequetur illum,*" vi. 8: et alibi, "*Mors et Infernus conjecti ſunt in ſtagnum ignis,*" xx. 14. Quia Mors ſignificat damnationem et Infernum, patet quid Mors ſignificat in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Abſorbebit Mortem in æternum, et abſterget Dominus Jehovih lachrymam deſuper omnibus faciebus,*" xxv. 8. Apud Eundem, "*Ut daret impios in ſepulchro ſuo, et divites in mortibus ſuis,*" liii. 9. Apud Davidem, "*Jehovah extollis me a portis mortis,*" Pſalm. ix. 14. Apud Eundem, "*Non timebis tibi a telo, quod volat interdiu, et a Morte quæ vaſtat in meridie,*" Pſalm. xci. 5, 6. Apud Johannem, "*Si quis verbum meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum,*" viii. 5. In Apocalypſi, "*Qui vicerit, non exitium habebit in Morte altera,*" ii. 11: alibi, "*Multi homines* *mortui ſunt ex aquis, quia amaræ factæ ſunt,*" viii. 11: et alibi, "*Secundus Angelus effudit phialam in mare, et factum eſt ſanguis ſicut mortui, unde omnis anima vivens mortua eſt in mari,*" xvi. 3. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificat mortuus, nempe quod qui non vitam Cœli in ſe habent, conſequenter qui in malis et inde falſis ſunt; hi intelliguntur in his locis; apud Davidem, "*Adhæſerunt Baal Peori, et comederunt ſacrificia Mortuorum,*" Pſalm. cvi. 28: apud Eundem, "*Sedere me fecit in tenebris ſicut Mortuos mundi,*" Pſalm. cxliii. 3: apud Matthæum, "*Unus ex diſcipulis dixit, Domine, permitte mihi primum abire et ſepelire patrem meum, Jeſus dixit, ſequere me, ſine mortuos ſepelire mortuos,*" viii. 21. 22. Quia per mortuos illi ſignificabantur, ideo prohibitum fuit, *ut filii Aharonis tangerent ullum mortuum,* Levit. xxi. 2, 3, 11: nec *ſacerdotes Levitæ,* Ezech. xliv. 25: nec *Naziræus,* Num. vi. 6, 7: Et *qui ex filiis Iſraelis tetigerit mortuum, per aquam ſeparationis mundaretur,* Num. xix. 11 ad fin. Quoniam Mors ſignificat damnationem et infernum, inde viciſſim Vita ſignificat ſalvationem et Cœlum, ut in ſequentibus his locis; apud Matthæum, "*Anguſta et ſtricta eſt via, quæ ducit ad vitam,*" vii. 15: apud Eundem, "*Bonum eſt, luſcum intrare in vitam, quam duos habentem oculos mitti in gehennam ignis,*" xviii. 9: apud Eundem, "*Si vis ingredi vitam, ſerva mandata,*" xviii. 17: apud Johannem, "*Exibunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ,*" v. 9. Inde eſt, quod ſalvatio dicatur Vita æterna, ut Matth. xix. 6, 29. Cap. xxv. 4. Marc. x. 30, 31. Luc. x. 25. Cap. xviii. 18, 30. Joh. iii. 14, 15, 16, 36. Cap. xvii. 2, 3, et alibi: et quod Cœlum dicatur Terra viventium, ut apud Davidem, "*Jehovah Tu fiducia mea, pars mea in terra viventium,*" Pſalm. cxlii. 6: apud Eundem, "*Ut videas bonum Jehovæ in terra viventium,*" Pſalm. xxvii. 13: apud Eundem, "*Benedicite populi Deo noſtro, qui ponit animam noſtram inter Viventes,*" Pſalm. lxvi. 8, 9. Quod Dominus Solus vitam habeat in Se Ipſo, et omnis homo vitam habeat ab Ipſo, Ipſe Dominus docet in ſequentibus his locis; apud Johannem, "*Sicut Pater ſuſcitat mortuos, et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat. Quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio vitam habere in Se Ipſo,*" v. 21, 26: apud Eundem, *Jeſus dixit, Ego ſum Reſurrectio et Vita, qui credit in Me, etſi moriatur vivet,*" xi. 25, 26: apud Eundem, "*Ego ſum via, veritas, et vita,*" xiv. 6: apud Eundem, "*Ego ſum panis vitæ, deſcendens e Cælo, et vitam dans mundo,*" vi. 33, 35, 47, 48. Inde eſt, quod Dominus dicatur *Vivus* et *Vivens,* Apoc. iv. 9, 10. Cap. v. 14. Cap. vii. 2. Cap. x. 6: ut quoque Jehovah plurimis in locis apud Prophetas. Et quia Dominus eſt Vita, ideo omnes vitam habent ab Ipſo, quod etiam Dominus docet; apud Johannem, "*Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam,*" iii. 36: apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego veni ut oves vitam habeant, Ego vitam æternam do illis,*" x. 10, 28: apud Eundem, "*Qui credit in Me, etſi moriatur, vivet,*" xi. 25, 26: apud Eundem, "*Non vultis venire ad Me, ut vitam habeatis,*" v. 40. Quod vita ſignificet Dominum, et inde ſalvationem et Cœlum, eſt quia omne vitæ ex unico fonte eſt, et unicus ille vitæ fons eſt Dominus, ac Angeli et homines ſunt modo formæ recipientes vitam ab Ipſo; ipſa vita quæ a Domino procedit, et quæ implet cœlum et mundum, eſt vita Amoris Ipſius, et apparet in Cœlo ſicut Lux; quæ quia Vita eſt, illuminat Angelorum mentes, et dat illos intelligere et ſapere; inde eſt, quod Dominus ſe non modo dicat Vitam, ſed etiam Lucem; ut apud Johannem, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. In Ipſo Vita erat, et Vita erat Lux hominum: erat Lux Vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum,*" i. 1, 4 ad 12. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego ſum Lux mundi, qui Me ſequitur, non ambulabit in tenebris, ſed habebit Lucem vitæ,*" viii. 12: et apud Davidem, "*Jehovah Tecum ſcaturigo vitæ, in Luce Tua videmus lucem,*" Pſalm. xxxvi. 10. Lux, quæ eſt Vita a Domino in Cœlo, ibi vocatur Divinum Verum, quoniam hoc lucet in mentibus eorum qui ibi, et inde lucet coram oculis eorum; inde eſt, quod Lux in Verbo ſignificet Divinum Verum, et inde intelligentiam et ſapientiam, et quod Ipſe Dominus dicatur Lux; ſed hoc plenius conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140, et 275, oſtenſa ſunt, quæ videantur. Quod Dominus ſit a Quo omne Vitæ, eſt quia eſt Sol cœli angelici, et Lux illius Solis eſt Divinum Verum, et Calor illius Solis eſt Divinum Bonum, utrumque eſt vita; inde origo omnis vitæ in Cœlo et in Mundo; Spirituale, quod influit in naturam, et dat vitam ibi, non aliunde eſt, ſed dat vitam ſecundum receptionem; de hoc etiam videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125. Ex his nunc patet, unde eſt quod Dominus Se dicat Vitam, et unde eſt quod dicantur vitam habere et vivere, qui Lucem, quæ eſt Divinum Verum, recipiunt a Domino, et quod dicantur non vivere ſed mortui eſſe, qui non recipiunt. Quod unicus fons vitæ ſit, et quod ille ſit Dominus, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 9; et in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 278.

187. Eſto vigilans, quod ſignificet ut vitam ſibi comparent, conſtat ex ſignificatione vigil eſſe, quod ſit in vita ſpirituali eſſe, hic autem, quia agitur de illis qui in vita morali ſunt et nondum in ſpirituali, eſto vigilans eſt ut comparent ſibi vitam ſpiritualem; quod vigil et vigilare hanc vitam ſignificet, eſt quia vita ſpiritualis ad vitam moralem abſque illa eſt ſicut vigilia ad ſomnum, aut ſicut lux meridiana ad veſperam, imo ad tenebras: ſed quod ita ſit, non ſciunt et percipiunt illi qui in ſola vita naturali ſunt, nec qui in vita morali abſque ſpirituali, nam hæc vita eſt quoque vita naturalis: cauſa quod illi id non ſciant et percipiant, eſt quia in ſolo lumine naturali ſunt, et hoc lumen reſpective ad lucem ſpiritualem eſt ſicut tenebræ veſperæ ad lucem meridiei, ac tenebræ veſperæ illis apparent ſicut lux, eſt enim viſus eorum interior qui cogitationis, ad illas formatus, plane ſicut viſus noctuarum, veſpertilionum et cæterarum avium quæ volant noctu, ad umbras; inde eſt, quod ipſi credant quod in luce ſint, quia ratiocinari poſſunt, cum tamen in tenebris ſunt; quod ita ſit, clare conſtat a talibus poſt mortem cum fiunt ſpiritus, tunc quando apud ſuos ſunt, credunt quod in luce ſint, quia non ſolum vident omnia quæ circum ſe ſunt, ſed etiam quia cogitare et loqui poſſunt de re quacunque; ſed tamen cum lux cœli apud illos influit, tunc lux eorum vertitur in tenebras, et illi quoad intellectum ita occæcantur, ut non aliquid cogitare poſſint; etiam Angeli qui in Cœlis ſunt, cum deſpiciunt

ad illos qui in tali lumine ſunt, non vident ibi niſi meras tenebras. Quod vita ſpiritualis reſpective ad vitam moralem abſque illa ſit ſicut vigilia ad ſomnum, adhuc conſtare poteſt ex eo, quod illi qui in vita ſpirituali ſunt, in ſapientia et intelligentia Angelica ſint, quæ talis eſt ut ſit incomprehenſibilis et ineffabilis illis qui in ſolo lumine naturali ſunt, et hoc non ſolum hominibus dum in mundo vivunt, ſed etiam iiſdem poſt mortem cum fiunt ſpiritus, ac intelligentia et ſapientia faciunt vigiliam. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per eſto vigilans hic ſignificetur ut comparent ſibi vitam ſpiritualem. Simile per vigilare ſignificatur in ſequentibus his locis; apud Matthæum, "*Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt,*" xxiv. 42. Apud Marcum, "*Vigilate, neſcitis enim quando Dominus domus veniet, veſpere, an media nocte, an in gallinaceo, ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes: quæ dico vobis, omnibus dico, vigilate,*" xiii. 35, 36, 37; qui non ſcit ſenſum internum Verbi, credet quod ultimum judicium per illa intelligatur, et quod quiſque paratus ad id eſſe debeat; ſed per illa intelligitur ſtatus hominis quoad amorem et fidem quando moritur, nam tunc etiam eſt judicium ejus; veſpera, nox, et gallinaceum ſignificant illos ſtatus, veſpera ſtatum deſinentis fidei et charitatis, qui eſt quando homo ſui judicii fit et exſtinguit illa quæ in pueritia hauſit; nox eſt ſtatus nullius fidei et charitatis, gallinaceum ſeu diluculum eſt ſtatus inchoantis fidei et charitatis, qui eſt quando homo amat vera et reformationem per illa; in quo ſtatu homo moritur, in illo manet et ſecundum illum judicatur; inde patet, quid intelligitur per "Vigilate, ne Dominus cum repente venerit inveniat vos dormientes, quæ dico vobis omnibus dico, vigilate," quod nempe per vigilare intelligatur vitam recipere a Domino, quæ vita eſt vita ſpiritualis, et per dormire intelligatur vitam naturalem abſque ſpirituali agere. Quod Veſpera ſignificet ſtatum deſinentis fidei et charitatis, videatur n. 3056, 3197, 3883, 8431, 10134, 10135: quod Nox ſtatum nullius fidei et charitatis, n. 221, 709, 2353, 6000, 7870, 7947: et quod Diluculum ante mane, ſeu Gallinaceum, ſtatum inchoantis fidei et charitatis, n. 10134. Apud Lucam, "*Beati ſervi, quos cum venerit Dominus, invenerit eos vigilantes; amen dico vobis, præcinget ſe et faciet ut diſcumbant, et accedens miniſtrabit illis: eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet,*" xii. 37, 40; hic quoque per vigilantes intelliguntur qui ſpiritualiter vigiles ſunt, qui ſunt qui ſpiritualem vitam a Domino recipiunt, nam hi in lucem intelligentiæ et ſapientiæ de Divinis veris veniunt, at qui non recipiunt manent in umbra et caligine de illis, quare hi ſunt in ſomno, illi autem in vigilia; per præcingere ſe, facere ut diſcumbant, et accedens miniſtrare, ſignificatur communicare illis bona Cœli, quæ omnia ſunt a Domino. Apud Matthæum, "*Simile eſt Regnum decem Virginibus, quinque erant prudentes et quinque ſtultæ: morante Sponſo dormierunt omnes et dormitaverunt, ſed veniente Sponſo ſurrexerunt omnes et adornaverunt lampades ſuas; et cum venerunt Stultæ quæ non oleum habebant in lampadibus, et dixerunt, Domine, Domine aperi nobis, reſpondit Dominus, dico vobis non novi vos: vigilate itaque, quia neque illum diem, neque illam horam ſcitis, qua Filius hominis venit,*" xxv. 1 ad 13; per decem Virgines intelliguntur omnes qui ab Eccleſia; per quinque intelliguntur quidam ex illis, hoc numeri illi ſignificant; per lampades ſignificantur illa quæ fidei ſunt, per oleum illa quæ amoris; inde per quinque Virgines prudentes intelliguntur qui in amore ſunt et inde fide, per quinque ſtultas autem, qui in nulla amore, ſed in ſola fide, hi quia in nulla vita ſpirituali ſunt, nam vita ſpiritualis eſt illis qui in amore et charitate ſunt, quoniam hi ſunt qui in fide, ideo, quia excluſi ſunt e Cœlo, illis dicitur, dico vobis non novi vos; inde manifeſte patet, quid ſignificatur per "Vigilate itaque, quia neque illum diem neque illam horam ſcitis qua Filius hominis venit," quod nempe ut recipiant vitam ſpiritualem, quæ illis eſt qui in amore et inde fide ſunt: ſed hæc plenius explicata videantur in Arcanis Cœlestibus, n. 4635 ad 4638. Apud Lucam, "*Vigilate igitur, omni tempore orantes, ut digni habeamini effugere omnia illa quæ futura ſunt, et ut conſiſtatis coram Filio hominis,*" xxi. 36; vigilare etiam hic pro recipere vitam ſpiritualem; omni tempore orare eſt ſe præparare. In Apocalypſi, "*Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat et ſervat veſtimenta ſua, ne nudus ambulet,*" xvi. 15; quod hic vigilare ſignificet vitam ſpiritualem a Domino recipere, patet ex eo quod dicatur "Beatus qui vigilat et ſervat veſtimenta ſua ne nudus ambulet;" veſtimenta ſignificant cognitiones veri et boni, per quas homini vita ſpiritualis, et nudus ambulare ſignificat vitam abſque illis, ut mediis, ita vitam non ſpiritualem ſed mere naturalem; quod veſtimenta ſignificent cognitiones veri et boni, videatur infra n. 195; et quod nudus ſignificet deprivatum illis, in Arcanis Cœlestibus, n. 1073, 5433, 5914, 9960. In Threnis, "*Surge, vociferare in nocte, ad principium vigiliarum, tolle ad Dominum manus tuas ſuper animas infantum tuorum, qui defecerunt per famem in capite omnium platearum,*" ii. 19; nox hic ſignificat ſtatum nullius fidei ut ſupra, principium vigiliarum ſignificat ſtatum cum inchoat fides, ita ſtatum illuſtrationis, qui eſt quando homo ſpiritualis fit; per infantes intelliguntur illi qui vera amant et illa deſiderant; deficere per famem in capite omnium platearum, eſt privari vita ſpirituali ob defectum cognitionum veri et boni; quod fames ſit defectus illarum, et deſiderium ad illas, videatur n. 1460, 3364, 5277, 5279, 5281, 5300, 5360, 5376, 5893; et quod plateæ ſint vera doctrinæ, n. 2336. Quia vigilare ſignificat recipere vitam ſpiritualem, inde dormire ſignificat vitam naturalem abſque ſpirituali, quoniam hæc vita ad illam eſt ſicut ſomnus ad vigiliam, ut ſupra dictum eſt; hoc per Dormire ſignificatur apud Matthæum, "*Simile eſt Regnum cælorum homini ſerenti bonum ſemen in agro ſuo, cum autem dormirent homines, venit inimicus et ſevit zizania inter triticum,*" xiii. 24, 25: apud Jeremiam, "*Cum incaluerint, ponam convivia eorum, et inebriabo eos, ut dormiant ſomnum ſæculi, nec evigilent,*" li. 39, 57: apud Davidem, "*Reſpice, exaudi me Jehovah Deus mi, illumina oculos meos, ne forte dormiam mortem,*" Pſalm. xiii. 4: apud Eundem, "*Præda facti ſunt fortes corde, dormitarunt ſomnum ſuum, præ increpatione tua obdormivit et currus et equus,*" Pſalm. lxxvi. 7; currus et equus ſignificant Eccleſiæ doctrinam et ejus intellectum, quæ obdormire dicuntur cum abſque veris ſunt, et inde homo Eccleſiæ abſque vita ſpirituali per illa; quod Currus et Equi in Verbo ſignificent Doctrinam et intellectuale, videatur in Opuſculo de Equo Albo, n. 1 ad 5.

188. Et confirma reliqua quæ moritura, quod ſignificet ut illa quæ ſunt moralis vitæ vivificentur, conſtat ex ſignificatione confirmare, quod ſit vivificare per vera moralem vitam, nam vera ex Verbo vivificant illam, quæ cum vivificatur etiam confirmatur, unum enim tunc agit cum ſpirituali; vita

namque ſpiritualis et moralis unum agunt apud illos qui ſpirituales ſunt, ſicut voluntas et actio, voluntas eſt ſpiritualis hominis et ejus vitæ, et actio eſt moralis, videatur ſupra n. 182. Confirma reliqua quæ moritura dicitur, per quod ſignificatur, ne moralis vita pereat a malis et falſis, nam vita moralis abſque ſpirituali eſt non aliud quam vita naturalis, omnia enim bona quæ homo ex morali vita abſque ſpirituali agit, non ſunt ex alia origine, quam ex amore ſui et mundi, ita ex proprio, et ex proprio nihil aliud ſcaturit quam malum et falſum; nam quod velit audire moralis homo, eſt quia mentitur bonum, ſincerum et juſtum in externa forma, ut obtineat fines, qui ſunt propter ſe et mundum: inde eſt, quod omnia quæ apud illum ſunt, in ſe mortua ſint, ita moritura, niſi vivificentur per vera et bona, quæ efficiant ut aperiatur internus ſpiritualis homo, per hunc enim abducit Dominus mala et falſa quæ ſunt in naturali.

189. Non enim inveni tua opera plena coram Deo, quod ſignificet quod alioquin non Divinum ſit in vita morali, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ vitæ, de qua ſupra n. 185, hic vitæ moralis, quia de illa agitur; ex ſignificatione plena coram Deo, quod ſit quod non Divinum in illa; illa quæ ſunt vitæ moralis, quæ hic per opera ſignificantur, dicuntur plena coram Deo, quando ex origine ſpirituali ſunt, at non plena quando non ſunt ex illa origine, nam vita moralis, quæ eſt externa vita hominis, vel erit ex origine ſpirituali, vel ex origine non ſpirituali, non licet ut ſit ex utraque, hoc eſt, aliquid ejus ex una origine, et aliquid ex altera, ſeu aliquid ex Cœlo, et aliquid ex inferno, quia hoc foret ſervire duobus Dominis, Deo et mammoni, et tunc homo eſt tepidus, non frigidus nec calidus; quare opera erunt vel plena coram Deo, vel ſunt nulla coram Deo, inde eſt quod per non inveni tua opera plena coram Deo, ſignificetur quod non Divinum ſit in vita morali: ſive dicas vitam moralem ex origine ſpirituali, ſive ex Divino, idem eſt, quoniam omnis vita ſpiritualis eſt ex Divino; ſpirituale enim dicitur Divinum procedens, et eſt Divinum Verum in Cœlo, et quia omnes angeli cœli ſunt receptiones ejus, ideo illi ſpirituales ſunt; ſimiliter homines, qui recipiunt Divinum Verum fide et vita. Quid Spirituale, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 48, 49.

190. Memento igitur quomodo acceperis et audieris, et obſerva, quod ſignificet recordationem quid Dominus in Verbo docet, et attentionem, conſtare poteſt ex eo, quod in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agatur de illis qui in morali vita et non in ſpirituali ſunt, de his autem nunc ut ſibi comparent ſpiritualem vitam ut vivificetur moralis, quod ſignificatur per mox præcedentia verba, "Eſto vigilans et confirma reliqua moritura;" ex quibus conſtare poteſt, quod per "Memento igitur quomodo acceperis et audieris et obſerva," ſignificetur recordatio quid Dominus in Verbo docet et attentio. Per obſervare ſignificatur attentio, qualis eſt illis qui in affectione veri ſpiritualis ſunt, hi enim cum legunt Verbum, non vident illud ex doctrina Eccleſiæ ubi nati, ſed vident illud quaſi ſeparati ab illa, nam volunt illuſtrari, et intus in ſe videre vera, et non ab aliis; qui in eo ſtatu ſunt, illi illuſtrantur a Domino, et datur illis doctrinam ſibi facere ex veris quæ ipſi vident, quæ etiam doctrina illis implantatur, et manet in ſpiritu eorum in æternum: at qui ex doctrina, quæ ex aliis, legunt Verbum, illi non poſſunt videre vera ex

luce ſui ſpiritus, ita non intus in ſe ſed extra ſe, cogitant enim quod verum ſit quia alii id viderunt, et ideo ſolum ad confirmantia attendunt, cætera vel prætereunt ſicut non videant, vel trahunt in partem illorum quæ dictat Doctrina; quod hi illuſtrari nequeant, quiſque videre poteſt, modo enim reponunt confirmantia in memoria quæ eſt naturalis ſui hominis, ex qua dein loquuntur; inde eſt, quod hi maneant naturales ſicut prius, et non fiant ſpirituales; nam ſpiritualis fieri eſt imbuere ipſum ſuum ſpiritum veris ex Verbo; et ſpiritus non imbuitur aliter, quam ut diſideret ſcire verum ubicunque eſt in Verbo, ac delectetur eo cum videt id et cum percipit id, hæc affectio eſt affectio veri ſpiritualis, de qua toties prius dictum eſt. Hoc nunc eſt, quod in ſenſu ſpirituali intelligitur per " Memento quomodo acceperis, et audieris, et obſerva." Quod ſapientis ſit videre et percipere verum ex luce cœli, non autem confirmare quod ab aliis dictum eſt, videatur n. 1017, 4741, 7012, 7680, 7950. Quod videre et percipere verum ex luce cœli ſolum detur apud illos qui amant verum quia eſt verum, proinde qui in affectione veri ſpirituali ſunt, n. 8521. Quod lux confirmationis ſit lux naturalis, et non ſpiritualis, dabilis etiam apud malos, n. 8780.

191. Et reſipiſce, quod ſignificet ſic vitam ſpiritualem, conſtat ex illis quæ nunc ſupra dicta ſunt, ita abſque ulteriore explicatione.

192. Si ergo non vigilaveris, quod ſignificet ſi non vitam ſpiritualem compares, conſtat ex ſignificatione vigilare, quod ſit vitam ſpiritualem ſibi comparare, de qua ſupra n. 187.

193. Veniam ſuper te tanquam fur, quod ſignificet mortis tempus inopinatum quando eripientur omnes cognitiones comparatæ ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt, conſtat ex ſignificatione venire tanquam fur, cum de illis qui non vigilant, hoc eſt, qui non comparant ſibi vitam ſpiritualem, quod ſit quod auferrentur ab illis omnes cognitiones comparatæ ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt: quod etiam per eadem verba ſignificetur mortis tempus inopinatum, eſt quia mors venit inopinato, et uſque homo poſt mortem manet in ſtatu illius vitæ in æternum, quam ſibi in mundo comparavit, quapropter vigilabit. Quia paucis notum eſt, quod omnes cognitiones comparatæ ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt, eripiantur, ideo oportet dici quomodo hoc fit; omnia quæ in ſpiritu hominis ſunt, manent apud illum in æternum, quæ autem non in ſpiritu hominis ſunt, illa poſt mortem, cum homo fit ſpiritus, diſſipantur: illa manent in ſpiritu hominis quæ homo ex ſe, proinde illa, quæ cum ſolus ſibi fuit, ex ſuo amore cogitavit, tunc enim ſpiritus ejus cogitat ex ſe, et non ex illis quæ in memoria corporis ſui non unum faciunt cum amore ſuo: ſunt bini ſtatus hominis, unus cum cogitat ex ſuo ſpiritu, et alter cum cogitat ex memoria corporis ſui; qui bini ſtatus ſi non unum faciunt, poteſt homo aliter cogitare ſecum, ac aliter cogitare et loqui cum aliis; pro exemplo ſit, Prædicator qui ſe et mundum ſupra omnia amat, et Divinum nihili facit uſque ut corde neget id, et conſequenter machinatur omnis generis mala in conſortio cum aſtutis et malitioſis mundi, is tamen quando cum aliis loquitur, imprimis quando prædicat, poteſt ſicut ex zelo pro Divino ac pro Divinis Veris loqui, imo iis horis ſimiliter cogitare; ſed hic ſtatus eſt ſtatus cogitationis ejus ex memoria

corporis, qui quod ſeparatus ſit a ſtatu cogitationis ex ſpiritu, patet, nam ſibi ſoli relictus contra illa cogitat; hic ſtatus eſt qui manet hominem poſt mortem, ille autem non manet, quia eſt corporis ejus et non ſpiritus ejus; quapropter cum is ſit ſpiritus, quod ſit cum moritur, omnes cognitiones, quas ſibi comparavit ex Verbo, quæ non concordant cum vita amoris ſpiritus ejus, rejicit a ſe: aliter vero ſit cum illis, qui cum ſolis ſibi relicti ſunt, cogitant juſte de Divino, de Verbo deque veris Eccleſiæ inde, et illa amant uſque ad vitam, hoc eſt, ut velint vivere ſecundum illa; horum cogitationes in ſpiritu unum faciunt cum illorum cogitationibus ex memoria corporis, ita unum cum cognitionibus veri et boni, quæ illis ex Verbo; et quantum unum faciunt, tantum cognitiones illæ vitam ſpiritualem nanciſcuntur, nam elevantur a Domino ab Externo ſeu naturali homine in Internum ſeu ſpiritualem, et faciunt hujus vitam, ita hujus intellectum et voluntatem; vera ibi ſunt quæ vivunt, quia ſunt Divina, et inde homo ibi ex illis. Quod res ita ſe habeat, ex multa experientia mihi ſcire datum eſt, quam omnem ſi adducerem, implerentur membranæ ut dicitur, aliquid videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 491 ad 498, 499 ad 511; et ſupra n. 114. Ex his nunc conſtare poteſt, quid in ſenſu ſpirituali intelligitur per "Veniam ſuper te ſicut fur," quod nempe poſt mortem eripientur omnes cognitiones comparatæ ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt: idem etiam intelligitur per hæc in Apocalypſi, "*Ecce venio tanquam fur, beatus qui vigilat et ſervat veſtimenta, ne nudus ambulet,*" xvi. 15; tanquam fur dicitur, quia mala et inde falſa in naturali homine auferunt et ejiciunt cognitiones veri et boni quæ ex Verbo ibi, nam quæ non amantur, ejiciuntur: eſt apud hominem vel amor mali et inde falſi, vel eſt amor boni et inde veri; bini illi amores ſibi oppoſiti ſunt, quare qui in uno eſt non poteſt eſſe in altero, nam nemo poteſt ſervire duobus Dominis, quin unum amet et alterum odio habeat, Matth. vi. 24. Quoniam mala et inde falſa ab interiori penetrant, et quaſi perfodiunt parietem, qui eſt inter ſtatum cogitationis hominis ex ſpiritu et ſtatum cogitationis ejus ex corpore, ac ejiciunt cognitiones veri et boni quæ exterius habitant apud hominem, ideo illa ſunt quæ intelliguntur per fures, etiam in ſequentibus; apud Matthæum, "*Reponite theſauros non in terra, ſed in cœlo, ubi fures non perfodiunt, nec furantur,*" vi. 19, 20; theſauri ſunt cognitiones veri et boni; reponere illos in Cœlo eſt in ſpirituali homine, nam is in cœlo eſt: quod theſauri ſint cognitiones veri et boni, videatur n. 1694, 4508, 10227: et quod Internus ſpiritualis homo ſit in Cœlo, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 36 ad 50. Apud Eundem, "*Vigilate ergo, neſcitis enim qua hora Dominus veſter venturus eſt: illud cognoſcite, ſi ſciret Paterfamilias, qua hora Fur venturus eſt, vigilaret utique, et non ſineret perfodere domum ſuam,*" xxiv. 42, 43; per hoc intelligitur, ſi ſciret homo horam mortis ſuæ, quod quidem præpararet ſe, at non ex amore veri et boni, ſed ex timore inferni, et quicquid homo ex timore agit, hoc non manet apud illum, ſed quod ex amore, quapropter jugiter ſe præparabit; videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 143, 168. Apud Obadiam, "*Si Fures venerint tibi, ſi everſores noctu, quomodo exciſus eris, nonne furabuntur quod illis ſatis,*" Verſ. 5; hic etiam falſa et mala vocantur fures, et dicuntur furari, falſa fures, et mala everſores noctu; noctu dicitur, quia nox ſignificat ſtatum nullius amoris et fidei. Apud Joelem, "*In urbe diſcurrent, in muro current, in domos aſcendent, per feneſtras egredientur ſicut fur,*" ii. 9; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ per falſa ex malo; urbs et murus ſignificant illa quæ ſunt doctrinæ; domus et feneſtræ illa quæ ſunt mentis quæ recipit, domus illud mentis quod vocatur voluntas ubi bonum, et feneſtræ illud mentis quæ vocatur intellectus ubi verum; quod Urbs in Verbo ſit doctrina, videatur n. 402, 2450, 2712, 2943, 3216, 4492, 4493: quod murus ſit verum doctrinæ tutans, n. 6419: quod domus ſit illud mentis quod vocatur voluntas ubi bonum, n. 2233, 2234, 2719, 3128, 5023, 6690, 7353, 7910, 7929, 9150; et quod feneſtræ ſint illud mentis quod vocatur intellectus ubi verum, n. 655, 658, 3391; inde patet, quid ſignificatur per quod in muro current, ac in domos aſcendent, et per feneſtras ingredientur ſicut fur. Apud Hoſcheam, "*Sanavi Iſraelem, tunc revelata eſt iniquitas Ephraimi, et mala Samariæ, quia fecerunt mendacium, et fur venit, et diffundit ſe turma foras,*" vii. 1; iniquitas Ephraimi ſignificat falſa intellectus, et mala Samariæ mala voluntatis, facere mendacium eſt cogitare et velle falſum ex malo; fur eſt falſum auferens et diſſipans verum, et turma quæ ſe effundit, eſt malum ejiciens bonum. Quod Ephraim ſit intellectuale talium quæ Eccleſiæ, videatur n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296: quod mendacium ſit falſum ex malo, n. 8908, 9248: quod turma ſit bonum ejiciens malum, et in oppoſito ſenſu malum ejiciens bonum, n. 3934, 3935, 6404, 6405, Hæc allata ſunt, ut ſciatur quid per Furem in Verbo ſignificatur, quod nempe falſum vaſtans, quod eſt falſum auferens et deſtruens verum. Oſtenſum eſt ſupra, quod poſt mortem auferantur omnes cognitiones veri et boni ex Verbo, quæ non ſpiritualem vitam adeptæ ſunt, proinde illis, qui non per cognitiones ex Verbo ſpirituales facti ſunt: hoc idem etiam ſignificatum eſt per plura in Hiſtoricis Verbi, quod uſque nemo videre poteſt, niſi qui ſcit ſenſum ſpiritualem Verbi: hoc ſignificatum eſt per quod Filii Iſraelis mutuo acciperent ab Ægyptiis aurum, argentum, et veſtes, et ſic illa quaſi furto auferrent, de quibus ita apud Moſen, "*Mandatum eſt, ut mutuo acciperent ab Ægyptiis vaſa auri et vaſa argenti et veſtes: et Jehovah dedit gratiam in oculis Ægyptiorum, ut darent illis mutuo, atque ita eriperent Ægyptiis,*" Exod. xii. 35, 36; per Ægyptios repræſentati ſunt qui mere naturales ſunt, et tamen multas cognitiones poſſident; per filios Iſraelis illi qui ſpirituales; per vaſa auri, argenti et quoque veſtes ſignificantur cognitiones veri et boni, quas ſpirituales applicant bono, ſed naturales applicant malo, et ſic deſtruunt. Simile ſignificatum eſt per quod Gentes devotioni darentur, et ſimul omnia quæ apud illos vel comburerentur vel diriperentur, de quibus paſſim in Libro Joſuæ, inque Libris Samuelis et Regum; Gentes enim terræ Canaanis repræſentabant illos qui in malis et falſis ſunt, et Filii Iſraelis illos qui in veris et bonis. Quod auferrentur cognitiones veri et boni quæ ex Verbo, illis qui non ſpiritualem vitam ſibi compararunt, etiam intelligitur in Parabolis Domini de talentis et minis datis ſervis ut negotiarentur et lucrarentur, et de ſervo qui non negotiatus eſt et nihil lucratus, de quo in Parabolis ita, "*Ei qui abſcondidit talentum ſuum in terra, dixit Dominus,*"

minus, prave ſerve et piger, oportebat te exponere argentum meum menſariis, ut veniens receperim quod meum eſt cum fænore: tollite ergo ab eo, et date habenti decem talenta; nam habenti omni dabitur ut abundet; ab eo autem qui non habet quod habet auferretur; et ſervum inutilem ejicite in tenebras exteriores," Matth. xxv. 14 ad 31. Et alibi, "*Ille venit qui unam minam acceperat, dicens, Domine, ecce mina tua, quam habui ſepoſitam in ſudario; dixit Dominus, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut Ego veniens illam cum fænore recepiſſem: et dixit, tollite ab eo minam, et date ei qui decem minas habet; dico vobis, omni habenti dabitur, ei vero qui non habet, etiam quod habet auferretur,"* Luc. xix. 13 ad 25; talenta, minæ et pecuniæ ibi ſignificant cognitiones veri et boni ex Verbo; negotiari, lucrari, dare illam menſariis ſeu ad menſam, ſignificat vitam ſpiritualem et intelligentiam ſibi per illas comparare; reponere illa in terra et in ſudario, ſignificat ſolum in memoria naturalis hominis; de his itaque dicitur, quod eis auferrentur quæ habent, ſecundum illa quæ in principio hujus Articuli dicta ſunt. Hoc fit omnibus in altera vita, qui compararunt ſibi cognitiones ex Verbo, et non vitæ, ſed ſolum memoriæ, illas mandarunt; qui modo habet cognitiones ex Verbo in memoria, ſi vel forent ad millia, et non mandavit illas vitæ, manet uſque naturalis ut prius. Mandare cognitiones, quæ ex Verbo, vitæ, eſt cogitare ex illis, cum ſibi relictus ex ſpiritu ſuo cogitat, ac velle illas et facere illas, hoc enim eſt amare vera quia vera ſunt; et hi ſunt qui per cognitiones ex Verbo ſpirituales fiunt.

194. Et neſcies qua hora veniam ſuper te, quod ſignificet ignorantiam illius temporis et ſtatus tunc, conſtat ex ſignificatione horæ, quod ſit tempus quo moriturus homo, et quoque ſtatus ejus tunc; et ex ſignificatione neſcire illam, quod ſit ignorantia: dicitur qua hora veniam ſuper te, nempe tanquam fur, et per id in ſenſu literæ intelligitur, quod Dominus ſic venturus, ſed in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod malum et falſum furaturum ſit cognitiones quæ apud eos ex Verbo ſunt, nam in ſenſu literæ Verbi tribuitur Jehovæ ſeu Domino quod malum faciat, ſed in ſenſu ſpirituali intelligitur quod nulli malum faciat, ſed ipſe homo ſibi, videatur n. 2447, 5798, 6073, 6992, 6997, 7533, 7632, 7643, 7677, 7679, 7710, 7926, 8227, 8228, 8284, 8483, 8632, 9009, 9128, 9306, 10431. Quod hora etiam ſignificet ſtatum, eſt quia omnia tempora in Verbo, ſicut dies, ſeptimana, menſis, annus, ſæculum, ſignificant ſtatus vitæ, ita quoque hora; cauſa videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 162 ad 169, ubi de Tempore in Cœlis agitur: ſed quia Hora ſignificat et tempus et ſtatum, ideo in Verbo ubi Hora dicitur, parum ſciri poteſt, quod aliud præter tempus per illam ſignificetur; ut apud Matthæum, "*Paterfamilias conduxit Operarios in Vineam; qui laborarunt ab hora tertia, ſexta, nona, undecima, et parem mercedem acceperunt,*" xx. 1 ad 17; per horas has in mundo intelliguntur tempora, ſed in Cœlo ſtatus vitæ, quia in Cœlo non ſunt horæ, ex cauſa quia tempora non menſurabilia ſunt, et diſtinguuntur in dies, et hi in horas ut in mundo, quare pro illis percipiunt ſtatus vitæ hominum, qui moriuntur ſenes, juvenes, adoleſcentes, aut pueri, qui æque ſpiritualem vitam ſibi compararunt; laborare in vinea eſt illam ſibi comparare per applicatas cognitiones veri et boni ex

Verbo ad uſus vitæ; per horam tertiam, ſextam et nonam ſimilis ſtatus vitæ ſignificatur, nam omnes numeri in Verbo ſignificant, et illi numeri ſimile: quod Vinea in Verbo ſignificet Eccleſiam ſpiritualem, et apud hominem vitam ſpiritualem, videatur n. 9139, 3220: quod Tria ſignificent ſtatum plenum, ſeu completum uſque ad finem, n. 2788, 4495, 7715, 8347, 9825. Simile ſex et novem. Undecim autem ſignificant ſtatum nondum plenum, ſed uſque ſtatum receptibilem, qualis eſt apud pueros probos et infantes. Duodecima hora, ad quam omnes laborarunt, ſignificant vera et bona in ſuo pleno, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913. Quod omnes numeri in Verbo ſignificent, n. 4495, 4674, 5265, 6175, 9488, 9659, 10217, 10253: et quod ſimile numeri multiplicati cum ſimplicibus a quibus per multiplicationem exſurgunt, inde ſimile tria, ſex, et novem, n. 5291, 5335, 5708, 7973. Quoniam Duodecim ſignificant vera et bona in ſuo pleno, ita ſtatum lucis ſeu intelligentiæ hominis ex illis, ideo Dominus dicit, "*Nonne duodecim horæ diei, ſi quis ambulat in die, non offendit,*" Joh. xi. 9: alibi etiam per horas ſignificantur ſtatus vitæ; ut in Apocalypſi, "*Soluti ſunt quatuor illi Angeli, parati ad horam, ad diem et menſem et annum, ut occidant tertiam partem hominum,*" ix. 15; hic per tempora memorata intelliguntur ſtatus mali apud hominem, quod videbitur in Explicatione illorum verborum in ſequentibus. Ex his nunc patet, quod per neſcies qua hora veniam ſuper te, non modo intelligatur quod ignores tempus mortis, ſed etiam tunc ſtatum vitæ manſurum in æternum, nam qualis eſt ſtatus vitæ anteactæ hominis uſque ad finem, talis manet homo in æternum. Simile dicit Dominus paſſim apud Evangeliſtas; apud Matthæum, "*Non ſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt; vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet,*" xxiv. 42, 45. "*Veniet Dominus ſervi in die quo non exſpectat, et in hora quam non novit,*" xxiv. 50: et apud Eundem, "*Vigilate ergo, quia non noviſtis diem, neque horam, qua Filius hominis venturus eſt,*" xxv. 13. Sciendum eſt, quod homo maneat in æternum qualis eſt quoad totam ſuam vitam uſque ad finem, et prorſus non qualis eſt in hora mortis, reſipiſcentia tunc apud malos nihil facit, ſed apud bonos confirmat.

195. Habes pauca nomina etiam in Sardibus, quæ non inquinaverunt veſtimenta ſua, quod ſignificet illos qui agunt vitam moralem ex origine ſpirituali per quod cognitiones veri et boni ex Verbo applicent uſibus ſuæ vitæ, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale ſtatus vitæ hominis, de qua ſupra n. 148, hic itaque Nomina ſignificant homines qui tales ſunt; ex ſignificatione Eccleſiæ in Sardibus, quod ſint qui vitam moralem agunt ſed non ſpiritualem, quia parvi pendunt cognitiones veri et boni ex Verbo, de qua etiam ſupra n. 148; hic autem intelliguntur illi qui moralem vitam agunt ex origine ſpirituali, nam dicitur, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua; et ex ſignificatione veſtimentorum, quod ſint vera ſcientifica et cognitiones quæ in naturali homine, de qua ſequitur, inde per non inquinare veſtimenta ſua ſignificatur non vivere moralis homo propter ſe et mundum, quod eſt ſolum propter corpus et ejus vitam, ſed propter Dominum et Cœlum, quod eſt propter animam et ejus vitam; inde patet, quod per habes pauca

nomina etiam in Sardibus quæ non inquinaverunt veſtimenta ſua, ſignificentur illi, qui tales, ut agant vitam moralem ex origine ſpirituali per quod cognitiones veri et boni ex Verbo applicent ſuæ vitæ. Sed quia pauci ſciunt, quid ſit vivere moralem vitam ex origine ſpirituali, et quid ſit applicare cognitiones veri et boni ex Verbo uſibus ſuæ vitæ, quare dicetur; homo vivit moralem vitam ex origine ſpirituali, quando ex religione illam vivit, ita quando cogitat, dum obvenit malum, inſincerum aut injuſtum, quod ita non faciendum ſit, quia eſt contra leges Divinas, is quia abſtinet ab illis faciendis propter leges Divinas, ſibi comparat vitam ſpiritualem, et moralis ejus vita tunc inde eſt, nam per talem cogitationem et fidem homo communicat cum Angelis cœli, ac per communicationem cum Cœlo aperitur ejus internus ſpiritualis homo, cujus mens eſt mens ſuperior qualis eſt Angelis cœli, ac imbuitur inde cœleſti intelligentia et ſapientia; inde conſtare poteſt, quod moralem vitam ex origine ſpirituali agere, ſit ex religione, ac intra Eccleſiam ex Verbo, nam qui ex illis vitam moralem agunt, illi elevantur ſupra naturalem ſuum hominem, et ſic ſupra ſuum proprium, et ducuntur per Cœlum a Domino; inde eſt, quod illis fides ſit, timor Dei, et conſcientia, et quoque affectio veri ſpiritualis, quæ affectio eſt affectio cognitionum veri et boni ex Verbo, nam hæ ſunt illis leges Divinæ ſecundum quas vivunt: talem vitam moralem vivunt multi ex gentibus, cogitant enim quod malum non faciendum ſit, quia eſt contra religionem eorum; inde eſt quod tam multi ex illis ſalventur. Viciſſim autem agere moralem vitam non ex religione, ſed modo ex timore legis in mundo, et ex timore jacturæ famæ, honoris et lucri, eſt moralem vitam agere non ex origine ſpirituali, ſed ex origine naturali, inde nulla communicatio illis eſt cum Cœlo; et quia cogitant inſincere et injuſte de proximo, tametſi aliter loquuntur et agunt, ideo illis clauditur Internus ſpiritualis homo, et aperitur modo Internus naturalis homo, quo aperto in luce mundi ſunt, at non in luce Cœli; quare etiam tales in ſe parvi faciunt, et quidam negant Divina et cœleſtia, ac naturam et mundum credunt eſſe omne. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſit agere moralem vitam ex origine ſpirituali, et quid eſt illam agere ex origine naturali: ſed hæc in clariore luce expoſita videantur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 528 ad 535. De illis qui moralem vitam ſolum ex origine naturali agunt, dicitur quod inquinent veſtimenta ſua, nam per veſtimenta intelligitur id quod extra ipſum hominem eſt, et inveſtit illum, ita ejus naturalis homo cum illis quæ ibi ſunt, quæ ſunt ſcientifica et cognitiones, hæ cum ex Verbo ſunt, inquinantur per id quod illas diſcat et teneat ſolum propter famam ut eruditus et ſcius audiat, aut ut per id aucupet honores et lucretur opes, et præter illos fines non curat illas; ita cognitiones ex Verbo polluuntur et conſpurcantur amoribus ſui et mundi, nam una habitant cum malis et falſis, quæ ex amoribus illis, ut ex ſuis fontibus, ſcaturiunt. Dictum eſt ſupra, quod homo fiat ſpiritualis per cognitiones veri et boni ex Verbo, applicatas uſibus vitæ; at cur homo ſpiritualis ſit per illas quæ ex Verbo, et non per alias, nunc dicetur; omnia, quæ in Verbo ſunt, Divina ſunt, et Divina ſunt per id quod in ſe ſpiritualem ſenſum habeant, et per eum ſenſum communicent cum Cœlo et cum Angelis ibi, quapropter cum homo cognitiones habet ex Verbo et illas applicat vitæ, tunc per illas communicat cum Cœlo, et per communicationem illam fit ſpiritualis, nam homo ſpiritualis fit per id, quod in ſimilibus veris ſit cum angelis Cœli, aut in correſpondentibus; in correſpondentibus dicitur, quia omnia et ſingula quæ in ſenſu literæ Verbi ſunt correſpondentiæ ſunt, correſpondent enim veris quæ apud angelos: cognitiones autem quæ ſunt ex aliis Libris, qui Doctrinalia Eccleſiæ tradunt et variis confirmant, non communicationem faciunt cum Cœlo, niſi per cognitiones ibi ex Verbo, hæ communicant ſi vere intelliguntur, et non applicantur ſoli fidei ſed vitæ: quod ita ſit, nemo non ſcire poteſt ex eo, quod Verbum in ſe Divinum ſit, et quod in ſe Divinum eſt, hoc fieri poteſt Divinum apud hominem, ſi id applicat vitæ: per Divinum fieri apud hominem intelligitur, quod Dominus manſionem habere poſſit apud illum, Joh. xiv. 24, ita habitare apud illum in Suo; quod Dominus in Suo apud hominem et angelum habitet, et non in proprio illorum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 12; et Dominus in Suo habitat, cum in illis apud hominem quæ ex Verbo ſunt, nam Dominus eſt Verbum, Joh. i. 1, 2, 14; *et Verba, quæ Ipſe loquutus eſt*, hoc eſt, quæ in Verbo ſunt, *ſpiritus et vita ſunt*, Joh. vi. 63. 68. Cap. xii. 50. Quod Veſtimenta ſignificent illa quæ ſunt in naturali homine, quæ ſunt ſcientifica vera aut falſa, ſeu cognitiones, eſt ex mundo ſpirituali, ibi enim omnes quotcunque ſunt, veſtiti apparent ſecundum vitam ſuam moralem, quare illi qui moralem vitam ex origine ſpirituali vixerunt, veſtiti apparent in albis ſplendentibus, ſicut byſſinis; illi autem qui moralem vitam ex ſola origine naturali egerunt, veſtiti apparent ſecundum quale ejus, qui polluerunt illam malis et falſis, illi apparent in veſtibus obſcuris, vilibus, laceris et ad aſpectum tetris, de veſtibus eorum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 177 ad 182. Inde nunc eſt, quod veſtimenta in Verbo ſignificent vera ex bono, ac in oppoſito ſenſu falſa ex malo, et illa et hæc in naturali homine, in quo vera et falſa vocantur ſcientifica et cognitiones. Quod Veſtimenta in Verbo ſignificent vera aut falſa, manifeſte conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Excitare, excitare, indue robur tuum Sion, indue Veſtes decoris tui Hieroſolyma, quoniam non amplius veniet ad te præputiatus et immundus,*" lii. 1; Sion in Verbo ſignificat Regnum Cœleſte Domini, ita quoque Eccleſiam Cœleſtem, et Hieroſolyma Regnum ſpirituale et Eccleſiam ſpiritualem, quid Regnum Cœleſte et Regnum ſpirituale, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28; Veſtes decoris, quas induet Hieroſolyma, ſunt Divina Vera, præputiatus et immundus, qui ad illas non venient, ſunt qui in malis et falſis ſunt. Apud Ezechielem, "*Hieroſolyma, veſtivi te acupicto; calceavi te taxo, accinxi te byſſo, et ornavi te ornatu, et dedi armillas ſuper manus tuas, et torquem ſuper guttur tuum, et monile ſuper naſum tuum, et inaures ſuper aures tuas, imo coronam ornatus ſuper caput tuum; ſic amicta es auro et argento, et veſtes tuæ byſſus, ſericum, et acupictum, unde pulchra facta es valde, et proſperata es uſque ad regnum. Sed ſumſiſti de veſtibus tuis, et feciſti tibi excelſa variegata, ut ſcortareris ſuper illis; ſumſiſti etiam veſtes acupicti tui, et texiſti imagines maris, cum quibus ſcortabaris,*" xvi. 10 ad 14, 16, 17, 18; hic deſcribitur Eccleſia, qualis cum primum a Domino inſtaurata eſt; Veſtes quæ nominantur, ſunt vera ex bono; acupictum eſt verum ſcientificum, byſſus et ſericum ſunt vera ex origine cœleſti; armillæ, torques, monile, inaures, corona ſunt inſignia per quæ ſignificantur ſpiritualia varii generis; aurum et argentum quibus amicta, ſunt bonum amoris et verum ejus; dein deſcribitur eadem Eccleſia cum perverſa, per quod ſumſerit de veſtibus et fecerit ſibi excelſa variegata, per quæ ſignificantur vera falſificata; et per quod ſumſerit veſtes acupicti et texerit imagines maris, ſignificatur quod applicuerint veritates ſenſus literæ Verbi ad confirmandum falſa uſque ad apparentiam; ſcortari cum illis et ſub illis, ſignificat ex falſis doctrinam et cultum facere, quod hoc ſit ſcortari, videatur ſupra n. 141, 161. Quod Hieroſolyma ſit Eccleſia ubi vera doctrina, videatur n. 402, 3654, 9166. Quod acupictum ſit ſcientificum, n. 9688. Quod byſſus ſit verum ex origine cœleſti, n. 5319, 9469. Quod armillæ ſint vera et bona Eccleſiæ, n. 3103, 3105. Quod torques ſit repræſentativum conjunctionis interiorum et exteriorum, n. 5320. Quod monilia et inaures ſint repræſentativa perceptionis et obedientiæ, n. 4551. Quod corona ſit ſapientia, ſupra n. 126. Quod aurum ſit bonum amoris, n. 1551, 1552, 5658, 6914, 6917, 9510, 9874, 9881: quod argentum ſit verum ex illo bono, n. 1551, 1552, 2954, 5658. Quod excelſa variegata ſint vera falſificata, n. 796, 4005. Quod mas aut maſculus ſit verum, n. 749, 2046, 4005, 7838, inde imagines maris ſunt apparentiæ veri. Apud Eundem, "*Byſſus in acupictura ex Ægypto fuit expanſio tua; hyacinthinum et purpura ex inſulis Eliſha fuit tegumentum tuum: Syria negotiatrix tua fuit per purpuram et acupictum et byſſum, cum chryſopraſo; Dedan negotiatrix tua cum veſtibus libertatis pro curru; Aſchur et Kilmad cum glomeribus hyacinthi et acupicti, et cum theſauris veſtium pretioſarum,*" xxvii. 7, 16, 20, 23; agitur ibi de Tyro et ejus mercaturis, et per Tyrum ſignificantur cognitiones veri et boni, ac per mercari et negotiari ſignificatur cognitiones illas ſibi comparare et communicare; per purpuram et hyacinthum ſignificatur amor cœleſtis boni et veri; per Egyptum ſcientificum naturalis hominis, ſimile per acupicturam inde; per Syriam Eccleſia quoad cognitiones veri et boni; per Aſchurem rationale illius Eccleſiæ; per Dedan illi qui in cognitionibus cœleſtium; inde conſtare poteſt, quod per mercaturas Tyri, de quibus in toto illo capite agitur, non aliquæ mercaturæ intelligantur, ſed per omnia et ſingula intelligantur ſpiritualia, quæ comparanda, imbuenda, et communicanda. Quod Tyrus ſignificet cognitiones veri et boni, videatur n. 1201. Quod Ægyptus ſcientificum naturalis hominis, n. 1164, 1165, 1186, 1462, 5700, 5702, 6015, 6651, 6679, 6682, 6683, 6692, 7296, 9340, 9391. Quod Syria Eccleſiam quoad cognitiones veri et boni, n. 1232, 1234, 3664, 3680, 4112. Quod Dedan illos qui in cognitionibus cœleſtium ſunt, n. 3240, 3241: Quod Aſchur rationale inde, n. 119, 1186. Quod Purpura amorem cœleſtem boni, n. 9467. Quod Hyacinthinum amorem cœleſtem veri, n. 9466, 9687, 9833; ſimiliter Chryſopraſus, n. 9868: quid Byſſus et Acupictum, videatur mox ſupra. Apud Davidem, "*Tota glorioſa Filia Regis intus, et ex implexis auri veſtis ejus; in acupictis adducetur Regi,*" Pſalm. xlv. 14, 15; per Filiam Regis ſignificatur affectio veri ſpiritualis, et inde Eccleſia ex illis qui in ea affectione ſunt; Rex ſignificat Dominum quoad Divinum Verum; veſtis ex implexis auri intelligentiam et ſapientiam ex illo vero; acupicta in quibus adducetur Regi, ſunt cognitiones veri. Quod Filia ſignificet affectionem veri et inde Eccleſiam, videatur n. 2362, 2623, 3373, 3963, 4257, 6729, 6775, 6778, 8649, 9055, 9807: quod Rex Dominum quoad Divinum Verum, ſupra n. 31. In Libro II Samuelis, "*Filiæ Iſraelis ſuper Saule flete, qui amicivit vos dibapho cum delicatis, et impoſuit ornatum auri ſuper veſtem veſtram,*" i. 24; hæc in lamentatione Davidis ſuper Saulem, quam inſcripſit ad docendum filios Jehudæ arcum, ibid. Verſ. 18; per arcum ſignificatur verum pugnans contra falſum, videatur n. 2686, 2709; per Saulem ibi ut Regem ſignificatur id Verum; per filios Jehudæ ſignificantur illi qui in Veris ex bono ſunt; per amicire filias Iſraelis dibapho, et per imponere ornatum auri ſuper veſtem, eſt impertiri intelligentiam et ſapientiam illis qui in affectione veri ſpirituali ſunt. Apud Matthæum, "*Ingreſſus Rex ut videret diſcumbentes, vidit ibi hominem non indutum veſte nuptiarum; et dixit ei, amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptiarum, ille obmutuit, tunc dixit Rex, ligate pedes et manus, et ejicite in tenebras extimas,*" xxii. 11, 12, 13; Veſtis nuptiarum ſignificat intelligentiam ſpiritualis hominis, quæ eſt ex cognitionibus veri et boni, at non indutus veſte nuptiarum ſignificat hypocritam qui per moralem vitam mentitur ſpiritualem, cum tamen eſt mere naturalis; ligare pedes et manus ſignificat privationem cognitionum ex Verbo, per quas eſt mentitus hominem ſpiritualem; ejici in tenebras extimas ſignificat inter illos qui in falſis ex malo ſunt; tenebræ extimæ ſunt falſa ex malo. Apud Zephaniam, "*Viſitabo ſuper principes, et ſuper filios Regis, et ſuper omnes indutos veſtimentis alienigenæ,*" i. 8; principes et filii Regis ſignificant illos qui in veris ſunt, ac in oppoſito ſenſu, ut hic, illos qui in falſis; hi dicuntur induti veſtimento alienigenæ, quia veſtimentum ſignificat falſum, et alienigena illos qui extra Eccleſiam ſunt, et non agnoſcunt Eccleſiæ vera. Apud Matthæum, "*Cavete vobis a Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intus ſunt lupi rapaces,*" vii. 15; Pſeudoprophetæ in veſtimentis ovium qui intus lupi rapaces, ſunt qui docent falſa ſicut forent vera, et moralem vitam ad apparentiam agunt, ſed apud ſe dum ex ſuo ſpiritu, nihil niſi quam de ſe et mundo cogitant, ac deprivare ſtudent omnes veris. Apud Johannem, "*Jeſus dixit ad Petrum, cum fuiſti junior cingebas temet et ambulabas quo volebas; quando vero ſenex fueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, ducetque quo non vis,*" xxi. 18; quid hæc in ſenſu ſpirituali ſignificant, videatur ſupra n. 9; quod nempe per Petrum intelligatur fides Eccleſiæ; per illum cum junior, quando cingeret ſemet et ambularet quo vellet, fides Eccleſiæ in principio quando in bono charitatis ſunt, tunc quod ex ſpirituali homine de veris Eccleſiæ cogitant, et ex eo cogitare eſt ex ſuo ſpiritu, ita ex affectione veri ſpirituali, quod eſt ex libero; per illum autem cum ſenex fuerit, quod extenderet manus et alius illum cingeret, intelligitur fides Eccleſiæ in fine ejus, quando fides abſque charitate erit, quod tunc nihil de veris Eccleſiæ cogitarent ex ſe, ſed ex aliis, ita ſolum ex doctrina, et non ex Verbo, quod reſpective ſervum eſt; nam credere quod alius dicit, eſt ſervum, at credere quod ipſe cogitat ex Verbo eſt liberum, ſecundum Domini verba apud Johannem, “ *Si manſeritis in Verbo meo, vere diſcipuli mei eſtis, et cognoſcetis veritatem, et veritas liberos faciet vos,*” viii. 31, 32. Apud Lucam, “ *Nemo panniculum novi veſtimenti indit in veſtimentum vetus, alioquin illud novum findet vetus, et veteri non convenit panniculus ex novo. Et nemo injicit vinum novum in utres veteres, alioquin diſrumpet vinum novum utres, et illud effundetur, et utres peribunt,*” v. 36, 37, 38. Matth. ix. 16, 17. Marc. ii. 21, 22; quia Veſtimentum ſignificat verum, ideo Dominus comparat vera Eccleſiæ prioris, quæ erat Eccleſia repræſentativa ſpiritualium, panniculo veſtimenti veteris, et vera Eccleſiæ Novæ, quæ erant ipſa vera ſpiritualia, panniculo veſtimenti novi: ſimiliter comparavit illa utribus vini, quia per vinum ſimiliter ſignificatur verum, ac utres ſunt cognitiones quæ continent illas; quod Vinum in Verbo ſignificet verum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 219. Ex his nunc conſtare poteſt quid per veſtes in Verbo alibi ſignificatur, nam ſæpius ibi nominantur, ut in ſequentibus; in Apocalypſi, “ *Super thronis viginti quatuor Seniores ſedentes, induti veſtimentis albis,*” iv. 4. Alibi, “ *Exercitus ſedentis ſuper equo albo ſequebantur Ipſum, induti byſſino albo et mundo,*” Apoc. xix. 14. Alibi, “ *Qui ante Thronum in conſpectu Agni ſtabant, erant amicti ſtolis albis,*” Apoc. vii. 9. Alibi, “ *Septem Angeli e Templo induti erant lino mundo et ſplendido,*” Apoc. vii. 9. Alibi, “ *Datæ ſunt ſingulis, qui ſub altari, ſtolæ albæ,*” Apoc. vi. 11. Alibi, “ *Eme aurum et veſtimenta alba,*” Apoc. iii. 18. Apud Ezechielem, “ *Panem ſuum famelico det, et nudum obtegat veſte,*” xviii. 17; panem dare famelico in ſpirituali ſenſu ſignificat ex bono charitatis inſtruere illos qui deſiderant vera; nudum obtegere veſte, ſignificat illos ſimiliter qui non in veris ſunt. Apud Eundem, “ *Hoſtes exuent tibi veſtes, et ſument vaſa ornatus tui,*” xxiii. 26. Apud Sachariam, “ *Jehoſchua indutus fuit veſtibus pollutis, et ſic ſtabat coram Angelo, qui dixit ad ſtantes coram illo, removete veſtes pollutas a ſuper illo, et dixit tranſire feci a ſuper te iniquitatem tuam, induendo te veſtibus mutatis,*” iii. 3, 4, 5. In Threnis, “ *Errarunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine, ea quæ non poſſunt, tangunt veſtimentis ſuis,*” iv. 24. Ex ſignificatione veſtium ſciri poteſt quid intelligitur per plura ſtatuta apud filios Iſraelis, ut “ *Quod veſtes mixtæ non induerentur,*” Levit. xix. 19. Deut. xxii. 11. “ *Quod vaſa viri non eſſent ſuper fœminam, nec vir indueretur veſtibus fœminæ,*” Deut. xxii. 5. “ *Quod lavarentur veſtes ut purificarentur et ſic ſanctificarentur,*” Exod. xix. 14. Levit. xi. 24, 40. Cap. xiv. 8, 9. Num. xix. 11. ad fin. et alibi, “ *Quod in luctu propter prævaricationem contra Divina vera, exuerent veſtes, et induerent ſaccum,*” Eſaj. xv. 3. Cap. xxii. 12. Cap. xxxvii. 1, 2. Jerem. iv. 8. Cap. vi. 26. Cap. xlviii. 37. Cap. xlix. 3. Thren. ii. 10. Ezech. xxvii. 31. Amos viii. 10. Jon. iii. 5, 6, 8: et “ *quod diſcinderent veſtes,*” Eſaj. xxxvi. 1: et alibi. Tum, quid ſignificat “ *quod diſcipuli impoſuerint veſtimenta ſua ſuper aſinam et pullum, cum Dominus ibat Hieroſolymam: et quod populus tunc ſtraverit veſtimenta ſua in via,*” Matth. xxi. 7, 8, 9. Marc. xi. 7, 8. Luc. xix. 35, 36; videatur ſupra n. 31. Quod veſtes ſignificent vera, eſt ex illa origine, quia Lux Cœli eſt Divinum Verum procedens a Domino ut Sole ibi, et omnia quæ in cœlis exiſtunt, ex Luce ibi exiſtunt, ſimiliter etiam Veſtes, quibus amicti apparent Angeli; inde eſt, "*quod Angelis ad ſepulchrum Domini ſedentibus fuerit indumentum album ſicut nix,*" Matth. xxviii. 3; et "*quod veſtes eorum fuerint ſplendentes,*" Luc. xxiv. 4. Quod Veſtes, quibus induti apparent Angeli, correſpondeant intelligentiæ eorum, et quod intelligentia illis ſit ſecundum receptionem Divini Veri a Domino, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 177 ad 182: et quod Divinum Verum procedens a Domino ſit Lux in Cœlo, n. 126 ad 135 ibi. Inde conſtare poteſt, quid ſignificatur per Veſtes, ubi de Domino, quod nempe Divinum Verum procedens ex Ipſo; et quia ſignificatur Divinum Verum, etiam ſignificatur Verbum, nam Verbum eſt Divinum Verum a Domino in terris et in Cœlis: Hoc repræſentatum eſt per Veſtes Domini cum transformatus eſt coram Petro, Jacobo et Johanne, de quibus ita apud Evangeliſtas, "*Cum Jeſus tranſformatus eſt, ſplenduit facies Ipſius ſicut Sol, et Veſtimenta facta ſicut Lux,*" Matth. xvii. 2; et "*alba fulgurantia,*" Luc. ix. 29: "*ac ſplendentia alba ſicut nix, cujuſmodi fullo ſuper terra non poteſt dealbare,*" Marc. x. 3. Simile legitur de Antiquo dierum apud Danielem, "*Antiquus dierum ſedit, et Veſtis Ipſius erat ſicut nix alba,*" vii. 9; Antiquus dierum eſt Dominus ab æterno. Quia Lux eſt Divinum Verum, et hoc ſignificatur per veſtes cum de Domino, ideo dicitur apud Davidem, "*Jehovah ſe operit Luce ſicut Veſte,*" Pſalm. civ. 2. Ex his conſtare poteſt quid ſignificatur per Veſtes Domini alibi in Verbo, ut apud Davidem, "*Unxit myrrha, aloe et keſia omnes veſtes tuas,*" Pſalm. xlv. 9; ibi de Domino: apud Moſen, "*Lavabit in vino veſtimentum ſuum, et in ſanguine uvarum velamen ſuum,*" Geneſ. xlix. 11; etiam hæc de Domino; vinum et ſanguis uvarum ſignificant Divinum Verum. Quia Veſtes Domini Divinum Verum ſignificabant, ideo etiam *illi qui tetigerunt fimbriam Veſtimenti Ipſius, ſanati ſunt,*" Matth. ix. 20, 21. Marc. v. 27, 28, 30. Cap. vi. 56. Luc. viii. 44. Apud Eſajam, "*Quis hic qui venit ex Edom, conſperſus veſtes ex Bozra; hic honorabilis in Veſtitu ſuo: quare rubicundus quoad veſtem tuam; et veſtes tuæ ſicut calcantis in torculari: ſparſa eſt victoria eorum ſuper veſtes meas, et omne Veſtimentum meum pollui,*" xliii. 1, 2, 3; hæc quoque de Domino; per Veſtes hic ſignificatur Verbum, quod, ut dictum eſt, eſt Divinum Verum a Domino in terris et in cœlis; violentia illata Divino Vero ſeu Verbo ab illis qui tunc ab Eccleſia erant, deſcribitur per quod rubicundus quoad veſtem, ſicut calcantis in torculari, et quod victoria ſparſa ſit ſuper veſtes, et quod omne veſtimentum ſuum polluerit. In Apocalypſi, "*Sedens ſuper Equo albo circumindutus veſtimento tincto ſanguine, et vocatur Nomen Ipſius Verbum Dei,*" xix. 13; hic manifeſte dicitur, quod ſedens ſuper Equo Albo vocaretur Verbum Dei, quod ſit Dominus patet, nam mox de Ipſo dicitur, "*Habet ſuper Veſtimento ſuo et ſuper femore Nomen ſcriptum, Rex regum et Dominus dominorum,*" Verſ. 16; eſt itaque Verbum in litera quod ſignificatur per veſtimentum tinctum ſanguine, quoniam illi violentia illata eſt, non autem Verbo in ſenſu ſpirituali, huic violentia inferri nequiit, quia nihil de eo ſciverunt. Quod Verbo in ſenſu literæ violentia illata ſit, non autem Verbo in ſenſu ſpirituali, etiam ſignificatur per Veſtes Domini quæ diviſæ a militibus, non autem Tunica, de quibus ita apud Johannem, "*Milites acceperunt Veſtimenta*"

menta Ipſius, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et Tunicam, erat autem Tunica inconſuta, a ſummo contexta tota; dixerunt ergo inter ſe, ne dividamus eam, ſed ſortiamur de ea cujus futura eſt: Milites igitur hæc fecerunt," xix. 23, 24: et apud Davidem, "*Diviſerunt veſtes meas, et ſuper veſtimentum meum jecerunt ſortem,*" Pſalm. xxii. 19; per Veſtes Domini, quas diviſerunt, ſignificatur Verbum in litera, per Tunicam Ipſius Verbum in ſenſu ſpirituali; per Milites ſignificantur illi qui ab Eccleſia qui pro Divino Vero militarent, ideo dicitur, Milites igitur hæc fecerunt; quod Tunica ſignificet Divinum Verum ſeu Verbum in ſenſu ſpirituali, videatur n. 9826, 9942: quod Milites ſignificent illos qui ab Eccleſia et militarent pro Divino Vero, videatur ſupra n. 64, fin. ubi hæc plenius explicantur: Sciendum eſt, quod ſingula quæ de Paſſione Domini memorantur apud Evangeliſtas, involvant et ſignificent quomodo Eccleſia tunc, quæ apud Judæos, tractaverat Divinum Verum, ita Verbum, nam hoc erat apud illos Divinum Verum, et Dominus erat Verbum quia Divinum Verum, Joh. i. 1, 2, 14; ſed quid ſingula involvunt et ſignificant, non ſciri poteſt niſi ex ſenſu interno; nunc ſolum memoratur quid ſignificabant Veſtes Domini, quia de ſignificatione Veſtium hic agitur, quod nempe ſignificent vera, et ubi de Domino, Divinum Verum. Similia quæ Veſtes Domini, etiam Veſtes Aharonis et filiorum ejus ſignificarunt, quoniam Aharon cum filiis ejus repræſentarunt Dominum quoad Divinum Bonum, ac Veſtes illorum quoad Divinum Verum; ſed hæc videantur in Arcanis Cœlestibus explicata et oſtenſa; ut quod Aharon repræſentaverit Dominum quoad Divinum Bonum, n. 9806, 9966, 10017: quid ſingulæ Veſtes eorum, nempe Pectorale, Ephodum, Pallium, Tunica teſſeleta, Cidaris, Baltheus, n. 9814, 9823, 9824, 9825, 9826, 9827, 9828, ſeq.

196. Et ambulabunt Mecum in albis quia digni ſunt, quod ſignificet vitam eorum ſpiritualem quæ illis per cognitiones veri et boni ex Verbo, conſtat ex ſignificatione ambulare, quod ſit vivere, de qua ſupra, n. 97; ex ſignificatione in albis, quod ſit in veris, nam album et candidum in Verbo dicitur de veris, de qua ſequitur; ideo per ambulare Mecum in albis ſignificatur vita ſpiritualis, nam vita ſpiritualis eſt vita veri, hoc eſt, vita ſecundum vera, ſeu ſecundum præcepta Domini in Verbo; et ex ſignificatione quia digni ſunt, quod ſit quia illis vita ſpiritualis eſt a Domino, quantum quis a Domino accipit, tantum dignus eſt, at quantum ex ſe, hoc eſt, ex ſuo aut proprio, tantum non dignus eſt: nihil aliud apud hominem facit vitam ſpiritualem, quam cognitiones veri et boni ex Verbo applicatæ vitæ, et tunc applicantur vitæ cum homo illas pro legibus ſuæ vitæ habet, ſic enim Dominum ſpectat in ſingulis, ac Dominus præſens eſt apud illos et dat intelligentiam et ſapientiam, et earum affectionem et jucundum, nam Dominus eſt in ſuis veris apud hominem, procedit enim omne verum a Domino, et quod a Domino procedit, hoc Ipſius eſt adeo ut ſit Ipſe, quare Dominus dixit, "*Ego ſum Veritas et Vita,*" Joh. xiv. 6. "*Qui facit Veritatem, venit ad Lucem, quia in Deo facta ſunt,*" Joh. iii. 21. "*Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et in Ipſo Vita erat, et Vita erat Lux hominum; Ipſe erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Et Verbum Caro*

factum eſt," Joh. i. 1, 2, 4, 9, 14; Dominus dicitur Verbum, quia Verbum ſignificat Divinum Verum; et quoque dicitur Lux, quia Divinum Verum eſt Lux in cœlis; et quoque dicitur Vita, quia omne quod vivit ex Luce illa vivit, inde etiam eſt angelis intelligentia et ſapientia, in qua vita eorum conſiſtit; qui aliunde deducit vitam, quam ex Divino quod procedit a Domino, quod in Cœlo vocatur Divinum Verum, ac ibi apparet ut Lux, multum fallitur; exinde conſtare poteſt, quomodo intelligendum eſt, quod Deus erat Verbum, et in Illo vita erat, et vita erat Lux hominum. Quod album in Verbo dicatur de Veris, eſt quia Divinum Verum eſt Lux cœli, ut nunc dictum eſt, et ex Luce cœli eſt Album et candidum, inde eſt quod Dominus cum transformatus eſt coram Petro, Jacobo et Johanne, "*apparuerit facies Ipſius ſicut Sol, ac Veſtimentum Ipſius ut Lux,*" Matth. xvii. 2: ac "*ut album fulgurans,*" Luc. ix. 29: "*et ſplendens ut nix, cujuſmodi fullo ſuper terra non poteſt dealbare,*" Marc. ix. 3. "*Quod Angelis ad ſepulchrum Domini eſſet indumentum album ſicut nix,*" Matth. xxviii. 3: "*et ſplendens,*" Luc. xxiv. 4. "*Quod apparuerint Johanni ſeptem angeli e Templo induti lino mundo et ſplendido,*" Apoc. xv. 6. "*Quod ſtantes ante Thronum Agni amicti ſtolis albis,*" Apoc. vi. 11. Cap. vii. 9, 13, 14. Cap. xix. 18. "*Quod Exercitus Sedentis ſuper equo albo ſequerentur Ipſum ſuper equis albis, induti byſſino albo et mundo,*" Apoc. xiv. 14. Inde eſt, "*quod Aharoni fuerint veſtes lini, ac illas induerit cum iret intra velum ad propitiatorium,*" Levit. xvi. 1 ad 5, 32; linum ex albedine etiam ſignificat verum, n. 7601, 9959. Quoniam album ſignificat verum, ac vera ſunt quæ detegunt falſa et mala apud hominem, et ſic purificant eum, ideo dicitur apud Davidem, "*Ecce veritatem deſideras in renibus, et in occulto ſapientiam notam facis mihi, purificabis me hyſſopo ut mundus fiam, et lavabis me, et præ nive dealbabor,*" Pſalm. li. 8, 9. Quia Naziræi repræſentabant Dominum quoad Divinum Verum in ultimis, quod in terris eſt Verbum in ſenſu literæ, et hoc apud Judæos falſificatum et perverſum fuit, ideo de illis dicitur in Threnis, "*Albi erant Naziræi præ nive, candidi erant præ lacte; rubuerunt oſſa præ margaritis, ſapphirus polities eorum: ſed obſcurata eſt forma eorum, ut non cognoſcantur in plateis,*" iv. 7, 8; quod Naziræi repræſentaverint Dominum quoad Divinum Verum, videatur n. 6437: quod vertex Naziræi ſit Divinum Verum in ultimis ſeu Verbum in litera, n. 6437, 9407. Quod Crinis, qui erat Naziræatus, et dictus fuit vertex Naziræi, ſit Divinum Verum in ultimis, n. 3301, 5247, 10044. Quod Divinum Verum in ultimis ſit cui robur et potentia, n. 9836: quod inde robur Simſoni in crinibus, n. 3301. Inde patet, quid ſignificatur per quod Naziræi albi fuerint præ nive, et candidi præ lacte, et quod ſapphirus polities oſſium eorum; ſed obſcurata forma eorum, ut non cognoſcantur in plateis; albedo enim et candor ſignificant Divinum Verum in ſua luce, ut ſupra dictum eſt; et oſſa, quia ſunt ultima apud hominem, ſunt enim ſuſtentacula totius corporis ejus, correſpondent ultimis in cœlo, nam omnia hominis correſpondent, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 87 ad 102, ideo oſſa ſignificant ultima in ſpirituali mundo, quæ etiam ſunt ultima Divini Veri ſeu Verbi, n. 5560 ad 5564, 8005: quod ſapphirus ſignificet tranſlucidum ex veris, n. 9407; non cognoſci in plateis, ſignificat quod non amplius appareat Divinum Verum, plateæ enim ſignificant ubi vera doctrinæ, n. 2336.

197. Vincens quod ſignificet qui permanet uſque ad mortem, conſtat ex ſignificatione vincere, quod ſit permanere in ſpirituali affectione veri uſque ad finem vitæ, de qua ſupra, n. 128.

198. Is veſtietur in veſtimentis albis, quod ſignificet intelligentiam et ſapientiam ſecundum vera et eorum receptionem, conſtat ex illis quæ nunc ſupra, n. 195 et 196, dicta ſunt, ubi oſtenſum eſt, quod veſtimenta alba ſint vera Divina; quod veſtiri illis ſignificet intelligentiam et ſapientiam ſecundum vera et eorum receptionem, eſt quia omnis intelligentia et ſapientia eſt ex Divinis veris, ſecundum perceptionem eorum et receptionem in vita, videre vera et qualia ſunt eſt perceptionis, et vivere ſecundum illa eſt receptionis; ſecundum illam et hanc eſt intelligentia et ſapientia. Intelligentia et ſapientia, quæ non eſt ex Divinis Veris, ſed ſolum ex mundanis, non eſt intelligentia et ſapientia, ſed eſt modo ſcientia et inde facultas ratiocinandi; nam intelligentia eſt videre intus in ſe num verum ſit vel non verum; at qui ſolum ex mundanis ſapiunt, illi non intus in ſe vident vera, ſed ex aliis, et videre ex aliis eſt modo ſcire, nec intrant in mentis intuitionem altius, quam ut confirmentur; in tali ſtatu ſunt plerique hodie intra Eccleſiam, qui ſolam fidem ſeparatam a vita ſalvificam faciunt; inde eſt, quod non vera intrent in ſpiritum eorum, ſed modo in memoriam naturalis hominis; et tamen lux cœli, quæ eſt Divinum Verum, non per aliam viam intrat apud hominem, quam per viam ſpiritus ejus, quæ etiam eſt via animæ ejus, et ſpiritus hominis talis eſt qualis ejus vita, non autem qualis ejus memoria abſque vita; et tunc lux cœli intrat in ſpiritum hominis, quando homo eſt in bono amoris et charitatis a Domino, et quando in illo bono eſt tunc etiam in fide eſt; quod nulla fides homini ſit ubi non amor aut charitas, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 40. Præterea, quid Intelligentia vera, quid ſpuria, et quid falſa, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 346 ad 356.

199. Et non delebo nomen ejus e libro vitæ, quod ſignificet, quod in cœlo erunt quia ei accommodati, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale ſtatus vitæ hominis, de qua ſupra, n. 148; et ex ſignificatione libri vitæ, quod ſit cœlum, de qua ſequitur; inde non delere nomen ejus e libro vitæ ſignificat quod in cœlo erunt, quia ſtatus eorum quoad amorem et fidem talis eſt, ita quia cœlo accommodati ſunt. Quod per librum vitæ ſignificetur cœlum, eſt quia homo qui in amore et fide in Dominum eſt, in minima effigie eſt cœlum, et hoc ejus correſpondet cœlo in maxima effigie, quapropter qui cœlum in ſe habet, etiam in cœlum venit, eſt enim ei accommodatus; quod talis correſpondentia ſit, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 51 ad 58, 73 ad 77, 87 ad 102; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 230 ad 236: inde eſt, quod Liber vitæ ſit id apud hominem quod correſpondet cœlo apud illum; hoc quia manet apud illum in æternum, ſi factus eſt ſpiritualis per cognitiones veri et boni applicatas vitæ in mundo, ideo dicitur non delebo nomen ejus e libro illo; in mundo quidem deleri poteſt, ſi homo non permanet ſpiritualis uſque ad finem vitæ,

ſed ſi permanet non deleri poteſt, quia conjunctus eſt Domino per amorem et fidem, et conjunctio, qualis in mundo fuit cum Domino, manet hominem poſt mortem: ex his conſtare poteſt, quod per Librum vitæ intelligatur, quod ex Domino inſcriptum eſt hominis ſpiritui, hoc eſt, quod ejus cordi et animæ, ſeu, quod idem eſt, ejus amori et fidei; et quod a Domino inſcribitur homini, eſt cœlum. Ex his nunc patet, quid per Librum vitæ intelligitur in ſequentibus his locis; apud Danielem, "*Antiquus dierum conſedit, et Libri aperti ſunt,*" vii. 10: apud Eundem, "*Eripietur populus omnis, qui invenietur ſcriptus in Libro,*" xii. 1: apud Davidem, "*Deleantur e Libro vitarum, et cum juſtis non ſcribantur,*" Pſalm. lxix. 29: apud Moſen, "*Moſes dixit, dele me quæſo e libro quem ſcripſiſti; et dixit Jehovah, illum qui peccavit Mihi, delebo e Libro,*" Exod. xxxii. 32, 33. In Apocalypſi, "*Adorabunt beſtiam omnes quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni,*" xiii. 8. Cap. xvii. 8: alibi, "*Vidi quod Libri aperti ſint; et Liber alius apertus eſt qui eſt vitæ, et judicati ſunt mortui juxta ea quæ ſcripta ſunt in Libro ſecundum opera illorum; et ſi quis non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, ejectus eſt in ſtagnum ignis,*" Apoc. xx. 12, 13, 14. Alibi, "*Non ingredientur in Novam Hieroſolymam, niſi qui ſcripti in Libro vitæ Agni,*" Apoc. xxi. 26. Apud Davidem, "*Non latuit Te os meum, cum factus ſum in occulto; ſuper Libro tuo omnes ſcripti ſunt dies, quibus formati, et non unus ex illis deeſt,*" Pſalm. cxxxix. 15, 16; per quod omnes dies inſcripti ſint, intelligitur quod omnes ſtatus vitæ; quod omnia et ſingula quæ homo cogitavit, voluit, loquutus eſt, egit, imo quæ vidit et audivit, ſint apud hominem in ſpiritu ejus quaſi inſcripta, adeo ut prorſus nihil deſit, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 462, 463; et in Arcanis Cœlestibus, n. 2469 ad 2494, 7398: et quod id ſit Liber vitæ hominis, n. 2474, 9386, 9841, 10505: et præterea n. 5212, 8067, 9334, 9723, 9841.

200. Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus, quod ſignificet quod in Divino Bono et inde in Divino Vero erunt, conſtat ex ſignificatione confiteri nomen, quod ſit ut ſint ſecundum quale ſtatus vitæ eorum; per confiteri enim, cum a Domino, intelligitur dare ut ſint, nam Dominus quod dicit ſeu confitetur de homine aut angelo, qui in bono amoris et fidei eſt, dat et providet, quoniam omne bonum amoris et fidei eſt ab Ipſo; inde eſt, quod dicere in Verbo, ubi de Domino, ſignificet inſtruere, illuſtrare et providere, videatur n. 5361, 6946, 6951, 7019, 8095, 10234, 10294; quod per nomen intelligatur quale ſtatus vitæ, videatur ſupra, n. 148: ex ſignificatione Patris, cum a Domino id dicitur, quod ſit Divinum Bonum quod in Ipſo et ab Ipſo, de qua ſequitur; et ex ſignificatione Angelorum, quod ſit Divinum Verum, quod etiam a Domino, de qua ſupra, n. 130; inde patet, quod per confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus, ſignificetur quod in Divino Bono et in Divino Vero erunt. Quod per Patrem, cum a Domino id dicitur, intelligatur Divinum Bonum quod in Domino et a Domino, eſt quia Dominus Patrem ſuum vocavit Divinum quod in Ipſo a conceptione fuit, quod fuit Eſſe vitæ Ipſius, cui Divino univit Humanum ſuum cum fuit in Mundo: quod Dominus Divinum, quod fuit in Ipſo ex conceptione, vocaverit Patrem, conſtat manifeſte ex eo, quod docuerit Se unum eſſe cum

Patre; ut apud Johannem, "*Ego et Pater unum ſumus,*" x. 30. Apud Eundem, "*Credite quod Pater in Me, et Ego in Patre,*" x. 38. Apud Eundem, "*Qui videt Me, videt Ipſum qui miſit Me,*" xii. 45. Apud Eundem, "*Si cognoviſtis Me, et Patrem meum cognoviſtis, et abhinc cognoviſtis Ipſum, et vidiſtis Ipſum: dixit Philippus, Domine monſtra nobis Patrem; dicit Jeſus, tantum tempus vobiſcum ſum, et non noſti Me Philippe, qui vidit Me vidit Patrem, quomodo tu ergo dicis, monſtra nobis Patrem, nonne credis quod Ego in Patre et Pater in Me; Pater qui in Me manet, facit opera; credite Mihi quod Ego in Patre et Pater in Me,*" xiv. 6 ad 17. Apud Eundem, "*Si Me noſſetis, etiam Patrem meum noſſetis,*" viii. 19. Apud Eundem, "*Non ſum ſolus, quia Pater Mecum eſt,*" xvi. 32. Quoniam Dominus eſt unum cum Patre, ideo etiam dicit, "*Quod omnia Patris Sua ſint, et Sua Patris,*" Joh. xvii. 10. "*Quod omnia quæcunque Pater habet, ſua ſint,*" Joh. xv. 16. "*Quod Pater omnia dederit in manum Filii,*" Joh. iii. 35. Cap. xiii. 3. "*Quia omnia tradita ſunt Ipſi a Patre, quod nemo cognoſcat Filium niſi Pater, nec Patrem niſi Filius,*" Matth. xi. 27. Luc. x. 22. Et "*quod nemo viderit Patrem, niſi Filius qui in ſinu Patris eſt,*" Joh. i. 18. Cap. v. 46. "*Quod Verbum fuerit apud Deum, et Deus fuerit Verbum: et Verbum Caro factum eſt,*" Joh. i. 1, 2, 14; ex hoc etiam patet, quod unum ſint, nam dicitur, Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum; tum quod Humanum Domini etiam ſit Deus, nam dicitur, et Verbum Caro factum eſt. Quoniam omnia Patris etiam Domini ſunt, et quoniam unum ſunt, ideo Dominus, cum aſcendit in cœlum, dixit Diſcipulis, "*Data eſt Mihi omnis poteſtas in Cœlo et in Terra,*" Matth. xxviii. 18; per quod docuit, quod Ipſum Solum adirent, quia Ipſe Solus omnia poteſt; ut quoque dixit prius ad illos, "*Sine Me non poteſtis facere quicquam,*" Joh. xv. 5: inde conſtat, quomodo intelligitur hoc, "*Ego ſum Via, Veritas et Vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me,*" Joh. xiv. 6, nempe quod Pater adeatur cum Dominus. Quod Dominus toties nominaverit Patrem, ſicut alium, erat inter plures cauſas etiam hæc, quia per Patrem in ſenſu interno ſeu ſpirituali intelligitur Divinum Bonum, et per Filium Divinum Verum, utrumque in Domino et a Domino; Verbum enim conſcriptum eſt per Correſpondentias, ita tam pro hominibus quam pro Angelis, ideo Pater dicitur, ut Divinum Bonum Domini ab Angelis qui in ſenſu ſpirituali Verbi ſunt, percipiatur, ac ideo Filius Dei et Filius hominis dicitur, ut Divinum Verum: ut conſtare poteſt ex his, quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt, nempe, Quod Pater in Verbo ſignificet bonum, n. 3703, 5902, 6050, 7833, 7834. Quod Pater ſignificet Eccleſiam quoad bonum, ita bonum Eccleſiæ, et Mater Eccleſiam quoad verum, ita verum Eccleſiæ, n. 2691, 2717, 3703, 5580, 8897. Quod Dominus appellaverit Divinum Bonum quod in Se a conceptione, et quod erat Eſſe vitæ a quo Humanum ſuum, Patrem, n. 2803, 3704, 7499, 8328, 8897. Quod Dominus pro Patre agnoſcatur in Cœlo, quia unum ſunt, n. 15, 1729, 3690. Quod etiam Dominus dicatur Pater in Verbo, n. 2005. Quod etiam Dominus ſit Pater illis qui regenerantur, quoniam novam vitam ab Ipſo, ac vitam Ipſius accipiunt, n. 2293, 3690, 6492. Quod Filius Dei et Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Humanum et quoad procedens Divinum Verum, videatur ſupra, n. 63, 151, 166. Nunc quia omnes qui in cœlum venturi ſunt, in utroque tam bono quam vero debent eſſe, nemo enim in uno poteſt eſſe niſi ſimul in altero, nam bonum eſt eſſe veri, et verum eſt exiſtere boni, et quia Pater ſignificat Divinum Bonum, ac Angeli ſignificant Divinum Verum, utrumque a Domino, ideo dicitur, “Confitebor nomen ejus coram Patre et coram Angelis Ejus;” ſimiliter apud Evangeliſtas, “*Omnis qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor Ego coram Patre meo qui eſt in Cœlis*,” Matth. x. 32. “*Omnis qui confeſſus fuerit Me coram hominibus, etiam Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*,” Luc. xii. 8. Quia Pater ſignificat Divinum Bonum, et Angeli Divinum Verum, ideo etiam Dominus dicit, “*Quando Filius hominis venerit in gloria ſua, Patris et ſanctorum Angelorum*,” Luc. ix. 26. Matth. xvi. 27; hic Dominus vocat gloriam ſuam, gloriam Patris et Angelorum, nam dicit in gloria ſua, Patris et ſanctorum angelorum: alibi vero, in gloria Patris cum Angelis, et alibi in gloria ſua cum Angelis; ut apud Marcum, “*Cum venerit in gloriam Patris ſui cum Angelis ſanctis*,” viii. 38: et apud Matthæum, “*Quando venerit in gloria ſua, et omnes Sancti Angeli cum Ipſo*,” xxv. 31. Appendicis loco hic addendum eſt; quod ſi aſſumatur pro Doctrina et agnoſcatur, quod Dominus ſit unus cum Patre, et quod Humanum Ipſius ſit Divinum ex Divino in Ipſo, videbitur lux in ſingulis Verbi, nam quod pro doctrina aſſumitur et ex doctrina agnoſcitur, hoc in luce eſt cum legitur Verbum, Dominus etiam, a Quo omnis lux, et Cui omnis poteſtas, illuſtrabit illos: at viciſſim, ſi pro doctrina aſſumitur et agnoſcitur, quod Divinum Patris ſit aliud a Divino Domini, videbitur nihil in luce in Verbo, quoniam homo, qui in ea doctrina eſt, ſe vertit ab uno Divino ad alterum, et a Divino Domini, quod videre poteſt, quod ſit cogitatione et fide, ad Divinum quod non videre poteſt, nam Dominus dicit, “*Non vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis*,” Joh. v. 37. et quoque Cap. i. 18; et credere in Divinum, et amare Divinum, de Quo ſub aliqua ſpecie non cogitari poteſt, eſt impoſſibile.

201. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet, quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra n. 108 dicta ſunt, ubi ſimilia.

202. Verſ. 7 ad 13. *Et Angelo in Philadelphia Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit Sanctus Verus habens clavem Davidis, aperiens et nemo claudit, et claudit et nemo aperit. Novi tua opera; ecce dedi coram te oſtium apertum, et nemo poteſt claudere illud, quia nonnullam habes potentiam, et obſervaſti meum verbum, et non negaſti Nomen meum. Ecce dabo ex ſynagoga Satanæ, dicentium ſeipſos Judæos eſſe, et non ſunt, ſed mentiuntur; ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos, et ſciant quod Ego dilexi te. Quia obſervaſti verbum tolerantiæ meæ, et Ego te ſervabo ex hora tentationis futuræ venire ſuper orbem univerſum, explorare habitantes ſuper terra. Ecce venio cito, retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Vincens, faciam illum columnam in Templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et ſcribam ſuper illum Nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis.* Et Angelo in Philadelphia Eccleſiæ ſcribe, ſignificat illos ab Eccleſia qui in fide charitatis

ritatis ſunt: hæc dicit Sanctus Verus, ſignificat a Quo illa fides: habens clavem Davidis, ſignificat Cui potentia eſt per Divinum Verum: aperiens et nemo claudit, et claudit et nemo aperit, ſignificat intromittendi in cœlum omnes qui in fide charitatis ſunt, et removendi e cœlo omnes qui non ſunt: novi tua opera, ſignificat vitam charitatis: ecce dedi coram te oſtium apertum, et nemo poteſt claudere illud, ſignificat quod intromittentur in cœlum, et quod nemini qui talis negabitur: quia nonnullam habes potentiam, et obſervaſti meum verbum, et non negaſti Nomen meum, ſignificat quod illis tantum potentiæ a Domino ſit contra mala et falſa, quantum vera ex Verbo faciunt vitæ, et agnoſcunt Divinum Domini in Humano Ipſius: ecce dabo ex ſynagoga Satanæ, ſignificat illos qui in doctrina de ſola fide et in nulla charitate: dicentium ſe Judæos eſſe ſed mentiuntur, ſignificat qui credunt ſe in veris eſſe cum tamen ſunt in falſis: ecce faciam illos ut veniant et adorent ad pedes tuos, ſignificat ſtatum eorum poſt mortem, quod extra cœlum erunt non admittendi: et ſciant quod Ego dilexi te, ſignificat cognitionem inde quod Dominus in charitate præſens ſit et non in fide abſque illa: quia ſervaſti verbum tolerantiæ meæ, ſignificat quod vixerint ſecundum præcepta Domini: et Ego te ſervabo in hora tentationis futuræ venire ſuper orbem univerſum explorare habitantes ſuper terra, ſignificat tempus ultimi Judicii, quando viſitandi qui in Cœlo priori, quod illi tunc ſalvandi: retine quod habes, ſignificat permanentiam in ſtatu fidei ex charitate uſque ad finem: ut nemo accipiat coronam tuam, ſignificat ne pereat intelligentia: vincens faciam illum columnam in Templo Dei mei, ſignificat quod qui permanent erunt in Divino Vero in cœlo: et foras non egredietur amplius, ſignificat quod in æternum in illo: et ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, ſignificat quale eorum ſecundum Divinum Verum implantatum vitæ: et nomen civitatis Dei mei novæ Hieroſolymæ quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, ſignificat doctrinam novæ Eccleſiæ quæ eſt in Cœlis: et Nomen meum novum, ſignificat quod etiam agnituri Divinum Humanum Domini: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt.

203. Et Angelo in Philadelphia Eccleſiæ ſcribe, quod ſignificet illos ab Eccleſia qui in fide charitatis ſunt, conſtat ex illis in ſenſu interno intellectis quæ ad Angelum hujus Eccleſiæ ſcripta ſunt, nam ut ſupra n. 20 dictum eſt, per ſeptem Eccleſias non intelliguntur ſeptem Eccleſiæ, ſed omnes quicunque ab Eccleſia ſunt, ſeu quæcunque apud hominem faciunt Eccleſiam, per ſeptem enim in Verbo intelliguntur omnes ac omnia, nam in Verbo per unumquemvis numerum ſignificatur aliquid rei aut ſtatus; quod admodum evidenter conſtare poteſt in hoc Libro Prophetico, in quo quampluries memorantur numeri; et quoque apud Ezechielem, Cap. xl. ad xlviii. ubi Novum Templum et Nova Terra deſcribuntur, quod fit per menſuras in numeris: per novum Templum et per novam Terram intelligitur ibi nova Eccleſia, et per unamquamvis menſuram ſeu unumquemvis numerum ſignificatur aliquid Eccleſiæ: quod omnes numeri in Verbo ſignificent res et ſtatus, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 263.

204. Hæc dicit Sanctus Verus, quod ſignificet a Quo illa fides, conſtat ex ſignificatione Sancti Veri, cum de Domino, quod ſit a Quo Charitas et Fides, Sanctus dicitur quod ab Ipſo Charitas, et Verus quod ab Ipſo Fides; quod Dominus dicatur Sanctus quod ab Ipſo Charitas, et quod inde Sanctum in Verbo dicatur de Charitate et inde Fide, videbitur mox; quod autem Dominus dicatur Verus quia ab Ipſo Fides, et quod inde Verum in Verbo dicatur de fide, eſt quia omne Verum eſt fidei, hoc enim Verum dicitur quod creditur, cætera non ſunt fidei quia non creduntur: ſed quia hic agitur de fide Charitatis, aliquid primum dicetur de fide et ejus quali: eſt Fides ſpiritualis, et eſt Fides mere naturalis; Fides ſpiritualis eſt omnis ex charitate, et eſt in ſua eſſentia charitas; charitas ſeu amor erga proximum, eſt amare verum, ſincerum et juſtum, et ex velle facere illa; proximus enim in ſpirituali ſenſu non eſt unuſquiſque homo, ſed eſt id quod eſt apud hominem: ſi hoc ſit verum, ſincerum et juſtum, et homo ex illis amatur, tunc amatur proximus; quod hoc per charitatem in ſpirituali ſenſu intelligatur, quiſque poteſt ſcire ſi modo reflectat; unuſquiſque amat alterum non propter perſonam, ſed propter id quod eſt apud illum, inde eſt omnis amicitia, omnis favor, et omnis honor; eo ſequitur, quod amare homines ex vero, ſincero et juſto, quæ apud illos, ſit amor ſpiritualis, nam verum, ſincerum et juſtum ſpiritualia ſunt, ſunt enim e Cœlo a Domino; nemo enim aliquod bonum, quod bonum in ſe eſt, cogitat, vult, et facit, ſed omne a Domino, ac verum, ſincerum et juſtum ſunt bona quæ in ſe bona ſunt, cum a Domino: hæc nunc ſunt proximus in ſpirituali ſenſu; inde patet, quid intelligitur in eo ſenſu per amare proximum ſeu per Charitatem: Fides ſpiritualis inde eſt, nam omne quod amatur, hoc dicitur Verum cum cogitatur; quod ita ſit, etiam quiſque ſcire poteſt ſi reflectit, quiſque enim confirmat id quod amat per plura in cogitatione, et omnia, per quæ confirmat, vocat vera; non aliunde eſt alicui verum; inde ſequitur, quod qualis amor apud hominem eſt, talia ei vera ſint, proinde quod ſi amor ſpiritualis eſt apud eum, etiam vera ſint ſpiritualia, hæc enim unum agunt cum ejus amore: omnia vera in uno complexu, quia creduntur, vocantur Fides; inde patet quod fides ſpiritualis in ſua eſſentia ſit Charitas; hæc de Fide ſpirituali. Fides autem mere naturalis, non eſt Fides Eccleſiæ, tametſi fides vocatur, ſed eſt modo ſcientia; cauſa quod non ſit fides Eccleſiæ, eſt quia non procedit ex amore erga proximum ſeu charitate, quæ eſt ipſum ſpirituale, ex quo fides, ſed ex amore quodam naturali, qui ſe refert vel ad amorem ſui vel ad amorem mundi, et quicquid ex his amoribus procedit, eſt naturale; amor format ſpiritum hominis, nam homo quoad ſpiritum eſt prorſus ſicut ejus amor, inde cogitat, inde vult, et inde facit, quapropter non aliud verum facit ſuæ fidei, quam quod eſt amoris ejus, et verum quod eſt amoris ſui aut mundi, eſt mere naturale, quia venit ex homine et ex mundo, et non ex Domino et e Cœlo, amat enim verum non ex amore veri, ſed ex amore honoris, lucri et famæ, cui ſervit; et quia verum tale eſt, etiam fides talis eſt; inde eſt quod hæc fides non ſit fides veri Eccleſiæ, ſeu fides in ſpirituali ſenſu, ſed in naturali, quæ eſt ſcientia: quapropter etiam, quia nihil ejus eſt in ſpiritu hominis, ſed modo in ejus memoria una cum aliis

rebus mundi, ideo etiam poſt mortem diſſipatur; id enim ſolum apud hominem poſt mortem manet quod eſt ejus amoris, nam, ut dictum eſt, amor format Spiritum hominis, et homo quoad Spiritum eſt prorſus qualis ejus amor; reliqua de Charitate et inde fide videantur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, ubi agitur de charitate et fide, n. 84 ad 106, et 108 ad 122; et in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39, ubi oſtenditur quod nulla fides ſit ubi non charitas. Quod Sanctum in Verbo dicatur de Divino Vero, et inde de charitate et ejus fide, conſtat a locis ibi ubi nominatur; ſunt duo quæ procedunt a Domino, ac recipiuntur ab Angelis, Divinum Bonum et Divinum Verum; hæc duo unita procedunt a Domino, ſed ab Angelis recipiuntur varie; quidam Divinum Bonum plus quam Divinum Verum, et quidam recipiunt Divinum Verum plus quam Divinum Bonum; illi qui plus recipiunt Divinum Bonum quam Divinum Verum, conſtituunt Regnum cœleſte Domini et dicuntur Angeli cœleſtes, ac in Verbo vocantur Juſti; at illi qui recipiunt plus Divinum Verum quam Divinum Bonum, conſtituunt Regnum ſpirituale Domini, ac dicuntur Angeli Spirituales, et in Verbo vocantur Sancti; de binis illis Regnis et de Angelis eorum videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28; inde eſt, quod per Juſtum et Juſtitiam in Verbo intelligatur Divinum Bonum et quod inde procedit, ac quod per Sanctum et Sanctitatem intelligatur Divinum Verum et quod inde procedit: ex his conſtare poteſt, quid in Verbo intelligitur per juſtificari et quid per ſanctificari; ut in Apocalypſi, "*Qui Juſtus eſt juſtificetur adhuc, qui Sanctus eſt ſanctificetur adhuc,*" xxii. 11: et apud Lucam, "*Ad ſerviendum Ipſi in Sanctitate et Juſtitia,*" i. 74. Quia Divinum Verum procedens a Domino intelligitur per Sanctum, ideo Dominus in Verbo vocatur Sanctus, Sanctus Dei, Sanctus Iſraelis, Sanctus Jacobi; et quoque inde eſt quod Angeli dicantur Sancti, et quoque Prophetæ et Apoſtoli; et inde eſt quod Hieroſolyma dicatur ſancta: quod Dominus dicatur Sanctus, Sanctus Dei, Sanctus Iſraelis, et Sanctus Jacobi, videatur Eſaj. xxix. 23. Cap. xxxi. 1. Cap. xl. 5. Cap. xli. 14, 16. Cap. xliii. 3. Cap. xlix. 7. Dan. iv. 10. Cap. ix. 24. Marc. i. 24. Luc. iv. 34; et quoque Rex Sanctorum in Apocalypſi, "*Juſtæ et veræ ſunt viæ tuæ, Rex Sanctorum,*" xv. 3: quod Dominus dicatur Sanctus, Sanctus Dei, Sanctus Iſraelis, et Sanctus Jacobi, eſt quia Solus eſt Sanctus, et nemo alius, quod etiam dicitur in Apocalypſi, "*Quis non timebit Te Domine, et glorificabit Nomen Tuum, quia Solus Sanctus es,*" xv. 4. Quod Angeli, Prophetæ et Apoſtoli dicantur Sancti, eſt quia per illos in ſenſu ſpirituali intelligitur Divinum Verum; et quod Hieroſolyma dicatur civitas ſancta, eſt quia per illam in ſenſu ſpirituali intelligitur Eccleſia quoad doctrinam Veri: quod Angeli in Verbo dicantur Sancti, videatur Matth. xxv. 31. Marc. viii. 38. Luc. ix. 26. Quod Prophetæ, Marc. vi. 20. Luc. i. 70. Apoc. xviii. 20. Quod Apoſtoli, Apoc. xviii. 20. Et quod Hieroſolyma dicatur ſancta civitas, Eſaj. xlviii. 2. Cap. lxvi. 20, 22. Dan. ix. 24. Matth. xxvii. 53. Apoc. xxi. 2, 10. Quod per Angelos in Verbo intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, videatur ſupra n. 130, 200: quod ſimiliter per Prophetas, in Arcanis Cœleſtibus, n. 2534, 7269: tum per Apoſtolos, ſupra n. 100: quod per Hieroſolymam in Verbo intelligatur Eccleſia quoad Doctrinam Veri, in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 6. Ex his conſtare poteſt, unde eſt quod Divinum Verum procedens a Domino dicatur Spiritus veritatis et Spiritus Sanctus, videatur ſupra, n. 183; tum quod Cœlum dicatur Habitaculum ſanctitatis, Eſaj. lxiii. 11. Deut. xxvi. 15: et quod Eccleſia dicatur Sanctuarium, Jerem. xvii. 12. Thren. ii. 7. Pſalm. lxviii. 36. Quod Sanctum dicatur de Divino Vero, patet a ſequentibus his locis; apud Johannem, "*Jeſus orans dixit, Pater ſanctifica illos in Veritate tua, Verbum tuum Veritas eſt, et pro illis Ego ſanctifico Me Ipſum, ut etiam illi ſint ſanctificati in Veritate,*" xvii. 17, 18; hic ſanctificari manifeſte dicitur de Veritate; et ſanctificati de illis qui Divinum Verum a Domino recipiunt. Apud Moſen, "*Jehovah de Sinai venit, ex myriadibus ſanctitatis, a dextra Ipſius ignis Legis illis, etiam qui amat populos, in tua manu omnes ſancti ejus, et illi proſternuntur ad pedem tuum; accipiet de verbis tuis,*" Deut. xxxiii. 3: Sinai ſignificat Cœlum ubi Dominus ex Quo Divinum Verum, ſeu ex Quo Lex in ſenſu ſtricto et lato; myriades ſanctitatis ſignificant Divina Vera; Lex ſignificat in ſenſu ſtricto decem præcepta Decalogi, et in lato totum Verbum, quod eſt Divinum Verum; populi dicuntur in Verbo qui in veris ſunt, et qui ex illis in veris ſunt, dicuntur Sancti; proſterni ad pedem tuum, et accipere de verbis tuis, eſt ſancte recipere Divinum Verum in ultimis, quod eſt Verbum in ſenſu literæ, et inde inſtrui; ex his ſciri poteſt quid ſingula in Prophetico illo in ſenſu ſpirituali ſignificant. Quod Sinai in Verbo ſignificet Cœlum ubi Dominus ex Quo Divinum Verum, ſeu ex Quo Lex in ſenſu ſtricto et lato, videatur n. 8399, 8753, 8793, 8805, 9420. Quod Lex ſignificet in ſenſu ſtricto decem præcepta Decalogi, et in lato totum Verbum, n. 2606, 3382, 6752, 7462. Quod populi dicantur illi qui in veris ſunt, et gentes qui in bonis, n. 1256, 1260, 2928, 3295, 3581, 6451, 6464, 7207, 10288. Quod pes, locus pedum, et ſcabellum pedum, cum de Domino, ſignificent Divinum Verum in ultimis, ita Verbum in litera, n. 9406; inde patet, quod myriades ſanctitatis ſint Divina Vera, et quod ſancti ibi dicantur qui in Divinis Veris ſunt. Apud Moſen, "*Loquere ad univerſam concionem filiorum Iſraelis, et dic ad eos ſancti eritis, quia Sanctus Ego Jehovah Iſraelis,*" Levit. xix. 2; agitur in eo Capite de ſtatutis, judiciis et præceptis, quæ obſervaturi erant, et quia per illa ſignificantur Divina Vera, ideo dicitur quod ſancti erunt; etiam per Iſraelem ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, quæ eſt quæ in Divinis Veris, inde dicitur Sanctus Ego Jehovah Iſraelis. Apud Eundem, "*Sanctificabitis vos, et eritis Sancti, et obſervabitis ſtatuta mea, ut faciatis ea,*" Levit. xx. 7, 8; etiam ibi agitur de ſtatutis, judiciis et præceptis, quæ obſervaturi ſunt. Apud Eundem, "*Si fecerint ſtatuta et judicia, erit populus ſanctus Jehovæ,*" Deut. xxvi. 15, 16, 19. Apud Davidem, "*Saturabimur bono Domus tuæ, Sancto Templi tui,*" Pſalm. lxv. 5; dicitur ſaturari bono domus Jehovæ et ſancto Templi Ipſius, quia Domus Dei in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum quoad Divinum Bonum, ac Templum quoad Divinum Verum, videatur n. 3720. Apud Sachariam, "*In die illo erit ſuper tintinnabulis equorum ſanctitas Jehovæ,*" xiv. 20; agitur ibi de inſtauratione novæ Eccleſiæ, et per tintinnabula ſignificantur ſcientifica vera ex intellectuali; quod tintinnabula ſignificent illa vera, videatur n. 9921, 9926; et quod Equus ſignificet intellectuale, in Opuſculo de Equo Albo, n. 1, 2, 3, 4. Ex his conſtare poteſt, quid repræſentabat et ſignificabat, "*quod in cidari, quæ ſuper capite Aharonis, poneretur bractea, cui in-*

ſculptum Sanctitas Jehovæ," Exod. xxviii. 36, 37, 38. Cap. xxxix. 30, 31; cidaris enim ſignificabat ſapientiam quæ eſt Divini Veri, videatur n. 9827, 9949. Tum quoque quid repræſentabat et ſignificabat quod ungerentur oleo Aharon, filii, veſtes eorum, altare, tabernaculum cum ſingulis ibi, et ſic *ſanctificarentur*, Exod. xxix. 1 ad 36. Cap. xxx. 22, 24. Levit. viii. 1 ad fin. oleum enim ſignificabat Divinum Bonum Divini Amoris, et ſanctificatio Divinum procedens, nam Divinum Bonum eſt quod ſanctificat, ac Divinum Verum eſt quod inde eſt ſanctum. Quod Sanctum dicatur de Charitate, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra de Angelis Cœli dicta ſunt, quod nempe ſint qui plus recipiunt Divinum Bonum quam Divinum Verum, et quod ſint qui plus recipiunt Divinum Verum quam Divinum Bonum; qui plus recipiunt Divinum Bonum quam Divinum Verum, illi conſtituunt Regnum cœleſte Domini, qui ſunt qui in amore in Dominum, et quia in amore in Dominum ſunt vocantur Juſti; at qui plus recipiunt Divinum Verum quam Divinum Bonum, illi conſtituunt Regnum ſpirituale Domini, qui ſunt qui in charitate erga proximum, hi quia in charitate erga proximum ſunt, dicuntur Sancti: quod duo amores ſint qui faciunt cœlum, nempe amor in Dominum et amor erga proximum ſeu charitas, et quod inde Cœli diſtincti ſint in duo Regna, nempe in Regnum cœleſte et in Regnum ſpirituale, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 13 ad 19, et n. 20 ad 28.

205. Habens clavem Davidis, quod ſignificet Cui potentia eſt per Divinum Verum, conſtat ex ſignificatione clavis, quod ſit potentia aperiendi et claudendi, hic cœlum et infernum, nam ſequitur, aperiens et nemo claudit, ac claudens et nemo aperit, inde per clavem hic intelligitur potentia ſalvandi, ut ſupra n. 86, quoniam aperire cœlum et claudere infernum eſt ſalvare; et ex repræſentatione Davidis, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum: quod in Verbo per Davidem intelligatur Dominus, eſt quia per Reges in Verbo repræſentatus eſt Dominus quoad Divinum Verum, et per Sacerdotes ibi Dominus quoad Divinum Bonum, et per Regem Davidem imprimis, quia is multam curam de rebus Eccleſiæ habuit, et quoque Pſalmos ſcripſit: quod per Reges in Verbo ſignificetur Divinum Verum, et per Sacerdotes Divinum Bonum, videatur ſupra n. 31; et præterea per omnia nomina perſonarum et locorum in Verbo ſignificantur res ſpirituales, quæ ſunt res Eccleſiæ et Cœli, n. 19, 50, 102. Quod dicatur habens clavem Davidis, eſt quia per Davidem, ut nunc dictum eſt, repræſentatus eſt Dominus quoad Divinum Verum, et omnis potentia in cœlis et in terris eſt Domino ex Divino Bono per Divinum Verum; in genere enim bono abſque vero non eſt aliqua potentia, nec vero abſque bono, nam bonum agit per verum; inde eſt, quod Divinum Bonum et Divinum Verum unita procedant a Domino, et quantum illa conjunctim recipiuntur ab Angelis, tantum hi potentiæ ſint: inde nunc eſt quod dicatur clavis Davidis: quod omnis potentia ſit veris ex bono, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 228 ad 233, ubi agitur de potentia Angelorum Cœli, et quoque n. 539 ibi. Quod per Davidem in Verbo intelligatur Dominus, conſtat manifeſte ex quibuſdam locis ubi nominatur apud Prophetas, ut apud Ezechielem, "*Erunt Mihi in populum, et Ego ero illis in Deum, et ſervus meus David Rex ſuper eos, ut Paſtor unus ſit omnibus illis: habitabunt ſuper terra illi et filii illorum et filii filiorum illorum uſque in æternum; et David ſervus meus princeps illis in*

æternum," xxxvii. 23, 24, 25: apud Hoſcheam, "*Revertentur filii Iſraelis, et quærent Jehovam Deum ſuum, et Davidem Regem ſuum, et cum timore venient ad Jehovam et ad bonum Ipſius in extremitate dierum,*" iii. 5; quærent Jehovam Deum ſuum et Davidem Regem ſuum, dicitur, quia per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, quod eſt Divinum Eſſe, et per Davidem Regem Dominus quoad Divinum Verum, quod eſt Divinum Exiſtere; quod per Jehovam in Verbo intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 732, 2586, 2807, 2822, 3921, 4283, 4402, 7010, 9167, 9315. Apud Sachariam, "*Servabit Jehovah tentoria Jehudæ primo, ut non extollat ſe gloria domus Davidis et gloria habitatoris Hieroſolymæ ſuper Jehudam: in die illo proteget Jehovah habitatorem Hieroſolymæ, et domus Davidis ſicut Deus et ſicut Angelus Jehovæ coram illis, et effundam ſuper domum Davidis et ſuper habitatorem Hieroſolymæ ſpiritum gratiæ: in die illo erit fons apertus domui Davidis et habitatoribus Hieroſolymæ,*" xii. 7, 8, 9. Cap. xiii. 1; agitur hic de adventu Domini, et tunc de Salvatione illorum qui e Regno ſpirituali Ipſius ſunt; per tentoria Jehudæ intelligitur Regnum cœleſte, et per domum Davidis et habitatorem Hieroſolymæ Regnum ſpirituale; Regnum ſpirituale conſtituitur ab illis in Cœlo et in Terra qui in Divino Vero ſunt, et Regnum cœleſte ab illis qui in Divino Bono, videatur mox ſupra n. 204; ex his conſtare poteſt, quid per illa verba intelligitur, quod nempe duo illa Regna unum agent, nec extollet ſe unum ſupra alterum; de binis illis Regnis videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28. Quod per Jehudam ſignificetur Dominus quoad Amorem Cœleſtem, et Regnum Cœleſte Domini, videatur ſupra n. 119; et quod per Hieroſolymam Regnum ſpirituale Domini, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 402, 3654, 9166; idem itaque per domum Davidis; quapropter ibi dicitur, domus Davidis ſicut Deus et ſicut Angelus Jehovæ, per Deum etiam intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, n. 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4287, 4402, 7010, 9167; ſimiliter per Angelum Jehovæ, videatur ſupra n. 130, 200. Simile per Davidem et ejus domum ſignificatur etiam in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Inclinate aurem veſtram, et ite ad Me, audite et vivat anima veſtra, et feriam vobis fœdus æternum, miſericordias Davidis firmas, en teſtem populis dedi Ipſum, Principem et Legiſlatorem gentibus,*" lv. 3, 4; hæc de Domino, Qui ibi eſt David. Apud Davidem, "*In cœlis confirmabis veritatem tuam, pepigi fœdus Electo meo, juravi Davidi ſervo meo, uſque in æternum firmabo ſemen tuum, et ædificabo in generationem et generationem Thronum tuum; et confitebuntur cœli mirabile tuum Jehovæ, et veritatem tuam in congregatione ſanctorum,*" Pſalm. lxxxix. 3, 4, 5, 6; hæc etiam de Domino dicta ſunt et non de Davide, nam dicitur juravi Davidi ſervo meo, uſque in æternum firmabo ſemen tuum, et ædificabo in generationem et generationem thronum tuum, non enim quadrant cum Davide, cujus non ſemen nec thronus in æternum firmata ſunt, et tamen juravit Jehovah, ac juramentum a Jehovah eſt confirmatio a Divino irrevocabilis, videatur n. 2842; per ſemen Davidis in ſenſu ſpirituali intelliguntur illi qui in veris ex bono ſunt a Domino, ac in ſenſu abſtracto ipſa vera quæ ex bono, videatur n. 3373, 3380, 10249, 10445; et per Thronum intelligitur Regnum Domini ſpirituale, n. 5313, 5315, 6397, 8621; quod David dicatur Servus meus, ut quoque apud Ezechielem ſupra xxxvii. 23, 24, 25, eſt quia ſervus in Verbo dicitur omnis qui et omne quod inſervit et miniſtrat, n. 3441, 7143, 8241, ac Divinum Verum procedens inſervit et miniſtrat Divino Bono a quo procedit; quod ſit Dominus quoad Divinum Verum, ſeu quod ſit Divinum Verum procedens a Domino, quod per Davidem intelligitur, patet, nam dicitur in Cœlis confirmabis *Veritatem tuam*, et confitebuntur Cœli *Veritatem tuam* in congregatione ſanctorum, quod etiam ſancti dicantur illi qui in Divinis Veris ſunt, videatur mox ſupra, n. 204. Apud Eundem, “*Non prophanabo fœdus meum, et pronuntiatum labiorum meorum non mutabo; ſemel juravi per ſanctitatem meam, ſi Davidi mentiar, ſemen Ipſius in æternum erit, et Thronus Ipſius ſicut Sol coram Me, ſicut Luna firmus in æternum, Teſtis in nubibus fidelis*,” Pſalm. lxxxix. 35, 36, 37, 38; quod hæc de Domino dicta ſint, patet in toto illo Pſalmo, ibi enim agitur de adventu Ipſius, et dein de reprobatione Ipſius a Gente Judaica; quod de Domino ibi agatur, et Ipſe per Davidem ibi intelligatur, conſtat ex his verbis in eodem Pſalmo, “*Inveni Davidem ſervum meum; oleo ſanctitatis meæ unxi Ipſum; ponam in mari manum Ipſius, et in fluviis dextram Ipſius; Ille vocabit Me Pater meus Tu, Deus meus et Petra ſalutis meæ: Ego Primogenitum dabo Eum, altum regibus terræ; ponam thronum Ipſius ſicut dies cœlorum*,” Verſ. 21, 26, 27, 28, 30. Per Davidem, per Unctum et per Regem etiam alibi in Pſalmis intelligitur Dominus, quod clare videre poſſunt illi qui ſpiritualiter intelligunt Verbum, ſed obſcure illi qui modo naturaliter; prout in his apud Eundem, “*Sacerdotes tui induentur juſtitia, et ſancti tui jubilabunt, propter Davidem ſervum tuum, ne avertas facies Uncti tui; ibi germinare faciam cornu Davidi, diſponam lucernam Uncto meo, ſuper Ipſo florebit corona Ipſius*,” Pſalm. cxxxii. 9, 10, 17, 18; etiam ibi intelligitur Dominus per Davidem, et per Unctum, nam agitur de Ipſo in eo Pſalmo, ut manifeſte patet ab antecedentibus ibi, ubi dicitur, “*Juravit Jehovæ, ſi dedero ſomnum oculis meis, uſque dum invenero locum Jehovæ, habitacula forti Jacobi; ecce audivimus de Eo in Ephrata* (Bethlechem), *intrabimus in Habitacula Ipſius, incurvabimus nos ſcabello pedum Ipſius*,” Verſ. 2, 4, 5, 6, 7. Ut David repræſentaret Dominum quoad Divinum Verum, ideo voluit Dominus naſci ex domo Davidis, et quoque dici Davidis Filius, Stirps et Progenies, tum radix Jiſchaji, ſed cum Dominus exuit Humanum ex matre, et induit Humanum ex Patre, quod eſt Divinum Humanum, tunc non amplius filius illius fuit; hoc intelligitur per Domini verba ad Phariſæos, “*Jeſus dixit Phariſæis, quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt, dixerunt Ipſi, Davidis, dixit eis quomodo David per ſpiritum vocat Ipſum Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; ſi ergo David vocat Ipſum Dominum, quomodo filius ejus eſt*,” Matth. xxii. 42 ad 45. Luc. xx. 41 ad 44; quod Dominus glorificaverit Humanum ſuum, hoc eſt, exuerit Humanum ex matre, ac induerit Humanum ex Patre, quod eſt Divinum Humanum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 295, 298 ad 310; inde eſt, quod non filius Davidis eſſet, ſicut nec filius Mariæ, quam ideo non vocavit illam matrem ſuam ſed mulierem, Matth. xii. 46, 47, 48, 49. Marc. iii. 31 ad fin. Luc. viii. 19, 20, 21. Joh. ii. 4. Cap. xix. 25, 26. Quod ſimile intelligatur per clavem Petri, quod per clavem Davidis, nempe quod Domino ſit omnis poteſtas, et quod Ipſi poteſtas ſit per Divinum ſuum Verum, videbitur in nunc ſequenti Articulo.

206. Aperiens et nemo claudit, et claudit et nemo aperit, quod ſignificet intromittendi in cœlum omnes qui in fide charitatis ſunt, et removendi e cœlo omnes qui non ſunt, conſtat ex ſignificatione aperire et nemo claudit, cum de Domino, quod ſit intromittere in cœlum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione claudere et nemo aperit, quod ſit removere e cœlo; quod illud ſit intromittere in cœlum, et hoc ſit removere e cœlo, eſt quia ſolus Dominus aperit cœlum illis qui intromittuntur, homo, ſpiritus et angelus ex ſe non id poſſunt facere: quomodo cum hoc ſe habet, paucis dicetur; quando homo poſt mortem in eo ſtatu eſt ut poſſit intromitti in cœlum, tunc patet illi via quæ ducit ad ſocietatem cœleſtem, in qua erit, prius quam in eo ſtatu eſt, non patet ei via illuc, hæc via aperitur ei a Solo Domino; talis eſt cuivis introductio et intromiſſio in cœlum: ſimiliter fit cum homine malo poſt mortem, is quando in eo ſtatu eſt, ut in infernum iturus ſit, patet ei via quæ ducit ad infernalem ſocietatem in qua erit, prius quam in eo ſtatu eſt, non patet ei via illuc; cauſa eſt, quia viæ in ſpirituali mundo apparent cuivis ſecundum intentionem cogitationis ejus, ita ſecundum affectionem quæ amoris ejus, quapropter cum ſpiritus redactus eſt ad amorem ſuum regnantem, quiſque enim redigitur ad illum, tunc patent viæ ad ſocietatem ubi ejus amor regnat, inde conſtat quod ipſe amor aperiat; et quia omnis amor boni et veri eſt a Domino, ſequitur quod ſolus Dominus aperiat vias illis qui intromittuntur in cœlum; viciſſim autem quia omnis amor mali et falſi eſt a ſolo homine ſeu ſpiritu, ſequitur quod ipſe ſpiritus aperiat ſibi viam ad infernum; ſed hoc melius conſtare poteſt ex Articulo in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 545 ad 550, ubi oſtenſum eſt, quod Dominus neminem in infernum dejiciat, ſed quod ipſe ſpiritus ſemet: quod viæ in mundo ſpirituali ſint cuivis ſecundum intentionem cogitationis ejus, ita ſecundum affectionem quæ amoris ejus, videatur in eodem Opere, n. 479, 590. Quod Inferna attinet, illa omnia ſunt clauſa, et nuſquam aperiri poſſunt niſi ex permiſſione Domini; clauſa ſunt ex malis et falſis quæ inde continue conantur erumpere, et damnum inferre illis qui in bonis et veris ſunt a Domino, de qua re etiam videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 584 ad 592. Ex his nunc conſtat, quomodo fit, et inde quomodo intelligendum eſt, quod habens clavem Davidis aperiat et nemo claudit, ac claudat et nemo aperit. Quod aperiatur Cœlum illis qui in fide charitatis ſunt, et claudatur illis qui non ſunt, eſt quia de illis hic agitur, videatur ſupra n. 203, et quia illi qui in fide charitatis ſunt, in Divino Vero a Domino ſunt, ac Divino Vero a Domino eſt omnis potentia, ut in Articulis qui mox præcedunt oſtenſum eſt. Simile quod hic per clavem Davidis, etiam per clavem Petri ſignificatur, de qua ita apud Matthæum, "*Ego tibi dico, tu es Petrus, et ſuper hac Petra ædificabo meam Eccleſiam, et portæ Inferni non prævalebunt ſuper illam; et tibi dabo claves Regni cœlorum, et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis, et quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis,*" xvi. 19; per Petrum ibi ſimiliter ac

per Davidem ſignificatur in ſupremo ſenſu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, ac in ſenſu interno omne verum a bono quod a Domino; ſimile etiam ſignificatur per Petram in Verbo, quæ nominatur cum Petro et a qua Petrus ibi vocatur: duodecim Dicipuli Domini repræſentabant omnia vera et bona Eccleſiæ in complexu, Petrus Verum ſeu fidem, Jacobus Charitatem, et Johannes opera charitatis; ibi autem Petrus repræſentabat fidem a Charitate, ſeu verum ex bono quod a Domino, quia tunc agnovit corde Dominum, dicens, “*Tu es Chriſtus Filius Dei viventis; reſpondens Jeſus dixit, beatus Simon Jona, quia caro et ſanguis hæc tibi non retexit, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis; Ego tibi dico, tu es Petrus*, etc. Verſ. 16, 17, 18, ſeq. ſed hanc rem videas illuſtratam in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 57. Simile etiam intelligitur per Domini verba ad reliquos diſcipulos apud Matthæum, “*Jeſus dixit diſcipulis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in Cœlo, et quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in Cœlo,*” xviii. 18; hæc dicta ſunt ad diſcipulos, quia illi repræſentabant omnia vera et bona quæ a Domino in complexu; quod duodecim Diſcipuli illa repræſentaverint, ſicut etiam duodecim Tribus Iſraelis, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397. Similiter intelligitur per eos, ubi dicitur quod “*ſeſſuri ſint ſuper duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Iſraelis,*” Matth. xix. 28. Luc. xxii. 30; videatur n. 2129, 6397. Simile etiam intelligitur per Eliakimum ſucceſſurum Schebnæ qui ſuper domo Regis, apud Eſajam, “*Dabo dominium in manus ejus, ut ſit in patrem habitatori Hieroſolymæ, et domui Jehudæ, et dabo clavem domus Davidis ſuper humerum ejus, ut aperiat et non claudens, et claudat nec aperiens,*” xxii. 21, 22; per domum Regis, ſuper qua eſſet, ſignificatur Eccleſia quæ in vero ex bono a Domino eſt. Per aperire et claudere, et per ligare et ſolvere, in genere intelligitur ſalvare, ut ſupra n. 86.

207. Novi tua opera, quod ſignificet vitam charitatis, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ ſunt amoris hominis, ita quæ ſunt vitæ ejus, de qua ſupra n. 98, 116, 185; hic itaque quæ ſunt charitatis, quia de illa in ſcriptis ad hanc Eccleſiam agitur.

208. Ecce dedi coram te oſtium apertum, et nemo poteſt claudere illud, quod ſignificet quod intromittentur in Cœlum, et quod nemini, qui talis, negabitur, conſtat ex ſignificatione dare oſtium apertum, quod ſit intromittere in Cœlum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione nemo poteſt claudere, quod ſit quod non negabitur, nam cum oſtium clauditur negatur introitus, et cum non clauditur non negatur; quod ſit illis qui in charitate ſunt, eſt quia de illis in ſcriptis ad hanc Eccleſiam agitur, videatur ſupra n. 203; inde patet, quod per dedi coram te oſtium apertum, et nemo poteſt claudere illud, ſignificetur quod omnes tales intromittentur in Cœlum, et quod nemini eorum negabitur. Quod dare oſtium apertum ſignificet intromittere in Cœlum, quidem conſtat ex communi ſermone, ſed tamen uſque eſt ex correſpondentia, nam domus et omnia domus correſpondent interioribus hominis quæ ſunt mentis ejus, et ex correſpondentia illa etiam ſignificant talia in Verbo; quod ita ſit, conſtare poteſt a Repræſentativis et Apparentiis in Cœlo, ibi ſunt palatia, domus, conclavia, cubicula, veſtibula, atria, et

intus in illis varia ad uſus; hæc ſunt Angelis ex correſpondentia; inde eſt quod Angelis ſapientioribus ſint palatia magnificentiora quam Angelis minus ſapientibus; ſed de his videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 183 ad 190, ubi actum eſt de Habitationibus Angelorum Cœli: et quia palatia, domus et omnia domus correſpondent, patet quod etiam januæ, oſtia et portæ, et quod hæ correſpondeant introitui et intromiſſioni; etiam cum janua patet aperta, indicium eſt quod copia ingrediendi ſit, et quando clauſa quod non copia. Præterea cum novitii ſpiritus introducuntur in ſocietatem cœleſtem, aperitur illis a Domino via quæ ad illam ducit, et cum illuc veniunt, apparet porta cum oſtio ad latus ubi cuſtodes, qui illum intromittunt, et alii dein qui recipiunt et introducunt: ex his nunc conſtare poteſt, quid in Verbo ſignificant januæ, oſtia et portæ, quod nempe intromiſſionem in Cœlum; et quia Eccleſia eſt Cœlum Domini in terris, etiam ſignificant intromiſſionem in Eccleſiam; et quia Cœlum aut Eccleſia eſt in homine, ideo etiam januæ, oſtia, portæ ſignificant aditum et introitum apud hominem, de quo mox aliquid dicetur; et quia omnia quæ ſignificant Cœlum et Eccleſiam, etiam ſignificant illa quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, hic illa quæ introducunt, quæ ſunt vera ex bono quæ a Domino, et quia illa ſunt a Domino et inde ſunt Ipſius, imo Ipſe in illis, ideo per januam, oſtium et portam ad Cœlum et ad Eccleſiam, in ſupremo ſenſu intelligitur Dominus; inde patet, quid ſignificat quod Dominus dicit apud Johannem, "*Jeſus dixit, amen dico vobis, qui non ingreditur per januam in caulam ovium, ſed aſcendit aliunde, is eſt fur et latro; qui vero ingreditur per januam, is eſt paſtor ovium, huic oſtiarius aperit. Ego ſum oſtium ovium, per Me ſi quis introiverit, ſalvabitur, et ingredietur et egredietur, et paſcuum inveniet,*" x. 1, 2, 3, 7, 9; quod ingredi per oſtium hic ſit ingredi per Dominum, patet, nam dicitur, Ego ſum oſtium ovium; ingredi per Dominum, eſt Ipſum adire, Ipſum agnoſcere, in Ipſum credere, et Ipſum amare, ſicut Ipſe pluribus in locis docet, ſic homo intromittitur in Cœlum, et non aliter, quare dicit, per Me ſi quis introiverit, ſalvabitur, et qui aſcendit aliunde, is eſt fur et latro. Qui itaque Dominum adit, Ipſum agnoſcit, et in Ipſum credit, is dicitur aperire oſtium Domino, ut ingrediatur, in Apocalypſi, "*Ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, et aperuerit oſtium, ingrediar ad illum, cœnabo cum illo, et ille Mecum,*" iii. 20; quomodo hæc ſe habent, dicetur in ſequentibus, ubi de illis in hoc capite agitur; hic modo aliquid dicetur de oſtiis ſeu portis ad hominem, quia dicitur ſto ad oſtium et pulſo; ad rationale hominis binæ viæ ducunt, una e Cœlo et altera e mundo, per viam e Cœlo introducitur bonum, per viam e mundo introducitur verum, quantum via e cœlo aperta eſt apud hominem, tantum homo afficitur vero et fit rationalis, hoc eſt, tantum videt verum a luce veri; ſi autem via e Cœlo clauſa eſt, homo non rationalis fit, nam non videt verum, et tamen verum ex luce veri facit rationale; ratiocinari quidem poteſt de vero, et ex ratiocinatione aut ex memoria loqui de illo, ſed videre num verum ſit non poteſt: cogitare bene de Domino, et de proximo, aperit viam e Cœlo, at cogitare non bene de Domino ac male de proximo claudit illam: quia binæ viæ in hominem ducunt, etiam binæ januæ ſeu portæ ſunt per quas fit intromiſſio, per portam ſeu januam quæ patet e Cœlo, intrat affectio veri ſpiritualis,

ſpiritualis a Domino, quia per illam intrat bonum, ut ſupra dictum eſt, et omnis affectio veri ſpiritualis eſt a bono; per portam autem ſeu januam quæ patet e mundo, intrat omnis cognitio e Verbo et ex prædicatione inde, quia per illam intrat verum, ut etiam ſupra dictum eſt, nam cognitiones e Verbo et ex prædicatione inde ſunt vera; affectio veri ſpiritualis adjuncta cognitionibus illis facit rationale hominis, ac illuſtrat illud ſecundum quale veri conjuncti bono, et ſecundum quale conjunctionis; hæc pauca de binis januis ſeu portis ad hominem dicta ſunto. Quoniam januæ, oſtia et portæ ſignificant intromiſſionem in cœlum et in Eccleſiam, ideo etiam ſignificant vera ex bono quæ a Domino, quia per illa fit intromiſſio, ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Aperite portas ut ingrediatur Gens juſta cuſtodiens fidelitates,*" xxvi. 2; ſecundum ſenſum literæ eſt quod admiſſuri in urbes illos qui juſti et fideles ſunt; at ſecundum ſenſum internum, ut in Eccleſiam, portæ enim ſignificant admiſſionem, gens juſta ſignificat illos qui in bono, cuſtodiens fidelitates ſignificat qui inde in veris. Apud Eundem, "*Aperient portas tuas jugiter, interdiu et noctu non claudentur, ad adducendum ad te exercitum gentium, et reges earum deducentur; ac Gens aut Regnum, quæ non ſervirent Tibi, peribunt: vocabis ſalutem muros tuos, et portas tuas laudem,*" lx. 11, 12, 18; agitur ibi de Domino, et de Eccleſia ab Ipſo inſtauranda; et per illa deſcribitur admiſſio perpetua illorum qui in bono et inde veris ſunt; per quod portæ aperientur jugiter et non claudentur interdiu et noctu ſignificatur admiſſio perpetua, per exercitum gentium ſignificantur illi qui in bono ſunt, et per reges illi qui in veris; et quod omnes ſervituri Domino intelligitur per quod gens et regnum, quæ non ſervirent Tibi, perituri ſint; quod gens ſeu gentes ſignificent illos qui in bono ſunt, videatur ſupra n. 275; et quod reges illos qui in veris, n. 31. Apud Eundem, "*Sic dixit Jehovah Uncto ſuo Koreſcho, cujus apprehendi dextram, ad ſubjiciendum coram Eo gentes, ut lumbos regum ſolvam; ad aperiendum coram illo januas, ut portæ non claudantur: et dabo theſauros latebrarum, et occultas opes latibulorum,*" xlv. 1, 3; ſimiliter hic agitur de Domino et de Eccleſia ab Ipſo inſtauranda; per aperire januas ut portæ non claudantur, ſignificatur perpetua admiſſio; per gentes et reges ſignificantur illi qui in bonis et in veris ſunt, et abſtracte bona et vera, ut ſupra; per theſauros tenebrarum et occultas opes latibulorum ſignificatur intelligentia et ſapientia interior e Cœlo, nam quæ intrant per portam quæ patet e cœlo, de qua ſupra, illa occulto veniunt, et afficiunt omnia quæ apud hominem ſunt, unde affectio veri ſpiritualis, per quam incognita prius revelantur. Apud Jeremiam, "*Si non introducitis onus per portas urbis hujus in die ſabbathi, et ut ſanctificetis diem ſabbathi, tunc intrabunt per portas urbis hujus Reges et Principes, ſedentes ſuper throno Davidis, equitantes ſuper curru et ſuper equis, et habitabitur urbs in æternum,*" xvii. 24, 25; quid in ſenſu literæ per illa intelligitur quiſque videt; attamen ſciri poteſt, quod ſanctius inſit, quia eſt Verbum, et omne quod in Verbo eſt, continet talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, et hæc ſola ſunt ſancta; ſanctum quod intelligitur ex ſenſu interno noſcitur; per diem Sabbathi in eo ſenſu intelligitur conjunctio Divini Humani Domini cum Cœlo et Eccleſia; per Urbem quæ ibi eſt Hieroſolyma, intelligitur Eccleſia; per non introducere onus per portas urbis illius, intelligitur non admittere id quod ex proprio hominis eſt, ſed quod a Domino; per reges et principes, qui tunc intrabunt per portas urbis, intelliguntur Divina Vera quæ tunc illis; per ſedentes ſuper throno Davidis, intelliguntur illa ex Domino; per equitantes ſuper curru et ſuper equis, intelligitur quod inde in doctrina veri et in intelligentia, per habitari in æternum, intelligitur vita et ſalus æterna. Quod per Sabbathum ſignificetur conjunctio Divini Humani Domini cum Cœlo et Eccleſia, videatur n. 8494, 8495, 8510, 10356, 10360, 10367, 10370, 10374, 10668, 10730. Quod per Hieroſolymam Eccleſia, n. 402, 3654, 9166. Quod per onus aut opus die ſabbathi ſignificetur non duci a Domino ſed a proprio, n. 7892, 8495, 10360, 10362, 10365. Quod per reges et principes ſignificentur illi qui in Divinis Veris, et abſtracte Divina Vera, ſupra n. 29, 31. Quod per Currum doctrina veri, et per equos intellectuale, in Opuſculo de EQUO ALBO, n. 1 ad 5. In Apocalypſi, "*Nova Hieroſolyma habens murum magnum et altum, portas duodecim, ſuper portis Angelos duodecim, nomina ſcripta quæ ſunt duodecim Tribuum Iſraelis; duodecim Portæ duodecim margaritæ; Portæ non claudentur,*" xxi. 12 ad 21, 25; quod portæ ſignificent Divina Vera intromittentia in novam Eccleſiam, ita illos qui in veris a bono ſunt ex Domino, conſtare poteſt ab explicatione horum in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA, n. 1, ſeq. quod etiam patet ex eo, quod dicatur quod duodecim portæ erant, quod duodecim Angeli ſuper portis, et nomina duodecim tribuum ibi ſcripta, et quod duodecim portæ eſſent duodecim margaritæ; per duodecim enim ſignificantur omnia, et prædicantur de veris ex bono, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913: ſimiliter per Angelos, videatur ſupra n. 130, 200: ſimiliter per duodecim Tribus Iſraelis, n. 3858, 3926, 4060, 6335: et ſimiliter per Margaritas. Apud Jeremiam, "*A ſeptentrione aperietur malum, ut veniant dentque thronum ſuum ad oſtium portarum Hieroſolymæ, et ad omnes muros ejus circumquaque, quia deſeruerunt Me,*" i. 14, 15, 17; agitur ibi de deſtructione Eccleſiæ; ſeptentrio ſignificat falſum, hic falſum ex quo malum; venire et dare thronos ad oſtium portarum Hieroſolymæ, eſt deſtruere vera introducentia in Eccleſiam per falſa; et ad omnes muros ejus, eſt quoque omnia vera tutantia. Apud Eundem, "*Ejula porta, clama urbs, liquefacta eſt Philiſthæa tu tota, quia a ſeptentrione fumus venit,*" xv. 4. Apud Eſajam, "*Selectio vallium tuarum impletæ ſunt curru, et equites ponendo poſuerunt uſque ad portam, denudavit tegumentum Jehudæ,*" xxii. 7, 8; in his locis etiam agitur de deſtructione Eccleſiæ, et per portas ibi ſignificantur vera intromittentia, quæ deſtructa, illa vera vocantur tegumenta Jehudæ, quia per Jehudam ſignificatur amor cœleſtis, videatur ſupra n. 119, ac vera illa tegunt et protegunt illum. Apud Eundem, "*Reliquum in Urbe vaſtitas, et uſque ad devaſtationem contunditur porta,*" xxiv. 12. Apud Jeremiam, "*Luxit Jehudah, et Portæ ejus langueſcentes factæ ſunt,*" xiv. 2. In Libro Judicum, "*Ceſſarunt vici in Iſrael, elegit deos novos, tum oppugnare portas,*" v. 7, 8. Apud Ezechielem, "*Dixit Tyrus ſuper Hieroſolymam, euge fracta eſt, januæ populorum, traducta eſt ad me,*" xxvi. 2; in his etiam agitur de deſtructione Eccleſiæ; per Tyrum ſignificantur cognitiones veri et boni, quæ ſunt vera introducentia, et per Hieroſolymam Eccleſia quoad doctrinam veri; inde patet cur Hieroſolyma hic dicatur januæ populorum, et quid ſignificat quod

Tyrus dicat, euge fracta eſt Hieroſolyma, januæ populorum, traducta eſt ad me, implebor. Quoniam, ut ſupra dictum eſt, per januas et portas ſignificatur intromiſſio, et in ſpecie ſignificantur vera intromittentia, quæ ſunt vera ex bono a Domino, inde patet quid per januas et portas in ſequentibus his locis ſignificatur; apud Davidem, "*Attollite Portæ capita veſtra, et attollite oſtia mundi, ut ingrediatur Rex gloriæ*," Pſalm. xxiv. 7, 9: apud Eundem, "*Enumerate laudes Jehovæ in portis filiæ Zionis*," Pſalm. ix. 15; apud Eundem, "*Amat Jehovah portas Zionis præ omnibus habitaculis Jacobi*," Pſalm. lxxxvii. 2; per Zionem et per filiam Zionis intelligitur Eccleſia cœleſtis. Apud Eſajam, "*Redemptor tuus, Sanctus Iſraelis, Deus totius terræ vocatur, ponam pyropum feneſtras tuas, et portas tuas in lapides carbunculi*," liv. 5, 12. Apud Matthæum, "*Ingreſſæ ſunt quinque Virgines prudentes ad nuptias, et oſtium clauſum eſt, et venerunt quinque virgines ſtultæ et pulſarunt, ſed non aperiebatur illis*," xxv. 10, 11, 12. Apud Lucam, "*Jeſus dixit, certate intrare per anguſtam portam, quia multi quærent intrare, et non poterunt, ex quo ſurrexerit Paterfamilias et occluſerit januam, tunc incipietis foris ſtare, et pulſare januam, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis, ſed reſpondens dicet, non novi vos unde ſitis*," xiii. 24, 25; in binis his locis agitur de ſtatu hominis poſt mortem, quod tunc qui in fide ſunt et non in amore, non poſſint in cœlum intromitti, tametſi volunt quia ita crediderunt; hoc ſignificatur per quod occluſa ſit janua, et quod pulſaverint, at rejecti. Quia Portæ ſignificabant vera intromittentia, ideo in ſtatutis fuit, "*quod ſeniores ſederent ad portas et judicarent*," Deut. xxi. 19. Cap. xxii. 15, 21. Amos v. 12, 15. Sachar. viii. 16. Et ideo mandatum eſt, ut "*ſcriberentur præcepta ſuper poſtes et portas*," Deut. vi. 8, 9. Ac ideo quoque inter ſtatuta erat, "*Quod Auris ſervi, qui non volebat exire liber ſeptimo anno, perforaretur ad januam*," Exod. xxi. 8. Deut. xv. 17; per ſervos ex filiis Iſraelis ſignificabantur qui in veris erant et non in bono, et per liberos qui in bono et inde in veris; quod auris perforaretur ad januam ſignificabat perpetuam obedientiam et ſervitutem, quoniam per vera non intromitti in bonum vellet, nam qui in veris ſunt et non in bono, illi perpetuo in ſtatu ſervo ſunt, non enim in affectione veri ſpirituali ſunt, et tamen affectio quæ amoris facit hominem liberum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 141 ad 149. Præterea vera introducentia quoad quale eorum deſcribuntur per tegumentum Oſtii Tentorii, et per tegumentum Oſtii Tabernaculi, Exod. xxvi. 16, 36, 37. Cap. xxxviii. 18, 19; et per menſuras in numeris oſtiorum et portarum Domus Dei et Templi apud Ezechielem, Cap. xl. 6, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 15, 18, 19, 20, 24, 27, 28, 32, 35, 37. Cap. xli. 1, 2, 3, 11, 17, 18, 19, 20, 23, 24, 25. Cap. xlii. 2, 12, 15. Cap. xliii. 1, 2, 3, 4. Cap. xliv. 1, 2, 3, 17. Cap. xlvi. 1, 2, 3, 8, 12, 19. Cap. xlvii. 1, 2. Cap. xlviii. 31, 32, 33, 34; qui ſcit quid ſinguli numeri ibi ſignificant, ſcire poteſt plura arcana de illis Veris. Memorantur etiam Portæ domus Jehovæ verſus ſeptentrionem et verſus orientem apud eundem Prophetam, Cap. viii. 3, 4. Cap. x. 19.

209. Quia nonnullam habes potentiam, et obſervaſti meum verbum, et non negaſti Nomen meum, quod ſignificet quod illis tantum potentiæ a Domino ſit contra mala et falſa, quantum vera ex Verbo faciunt vitæ,

et agnoſcunt Divinum Domini in Humano Ipſius, conſtat ex ſignificatione habere potentiam, quod ſit potentia a Domino contra mala et falſa, et quia agitur de illis qui in fide ex charitate ſunt, dicitur quod nonnullam habeant potentiam, de qua ſequitur; ex ſignificatione obſervare meum verbum, quod ſit vera ex Verbo facere vitæ, obſervare enim vera ſeu præcepta non modo ſignificat ſcire et appercipere illa, ſed etiam velle et facere, ſeu ſervare illa, et qui volunt et faciunt, illi vera quæ ſciunt et appercipiunt ex Verbo faciunt ſuæ vitæ; videatur etiam n. 15; et ex ſignificatione non negare Nomen meum, quod ſit agnoſcere Divinum Domini in Humano Ipſius, de qua ſupra, n. 135. Sciendum eſt, quod duo principalia Eccleſiæ ſint, nempe agnoſcere Divinum Domini in Humano Ipſius, ac vera ex Verbo facere ſuæ vitæ, nemo etiam in uno poteſt eſſe, niſi ſimul in altero, nam omnia vera quæ fiunt vitæ, ſunt a Domino, et hoc apud illos qui agnoſcunt Divinum in Humano Ipſius; Dominus enim influit apud omnes tam in cœlis quam in terris ex Divino Humano ſuo, et non ex Divino ſeparato, nec ex Humano ſeparato, quapropter qui in cogitatione ſua ſeparant Divinum Domini ab Humano Ipſius, et ſpectant Patris Divinum non in illo ſed juxta illud aut ſupra illud, ita ſeparatum, illi non recipiunt aliquem influxum a Domino, ita nec e Cœlo, nam omnes qui in Cœlis ſunt, agnoſcunt Divinum Humanum Domini, de qua re etiam videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 2 ad 6, 7 ad 12; 59 ad 67, 68 ad 72, 78 ad 86, ſeq. 212; ex his patet quod omnia vera quæ fiunt vitæ ſint a Domino apud illos qui agnoſcunt Divinum in Humano Ipſius, hoc eſt, Divinum Humanum: Vera fiunt vitæ, quando homo amat illa, ita quando vult illa et facit illa, nam qui amat is vult et facit; verbo fiunt vitæ quando homo ex affectione vivit ſecundum illa; quod illa vera a Domino ſint, eſt quia Dominus influit in amorem apud hominem, et per illum in vera, et ſic facit hæc vitæ. Nunc aliquid dicetur de potentia quæ illis eſt a Domino contra mala et falſa; omnis potentia quæ eſt angelis et quoque quæ eſt hominibus eſt a Domino, et quantum illi recipiunt Dominum, tantum potentiæ illis eſt; qui credit quod ex proprio hominis potentia ſit contra illa, multum fallitur; ſunt enim mali ſpiritus, qui conjuncti ſunt infernis, qui inferunt apud homines mala et inde falſa, et illi ſpiritus plures ſunt, et quiſque conjunctus pluribus infernis, in quorum unoquovis etiam multi ſunt, illos ab homine avertere non poteſt quam ſolus Dominus, ſolus enim Dominus poteſtatem habet ſuper inferna, et prorſus nullam homo ex ſe ſeu ex ſuo proprio; quantum itaque homo conjunctus eſt Domino per amorem, tantum potentiæ ei eſt: ſunt bini amores qui regnant in cœlis, et qui faciunt cœlos, nempe amor in Dominum et amor erga proximum, amor in Dominum vocatur amor cœleſtis, et amor erga proximum vocatur amor ſpiritualis; illis qui in amore cœleſti ſunt eſt multa potentia, at illis qui in amore ſpirituali ſunt eſt nonnulla potentia; et quia in ſcriptis ad angelum hujus Eccleſiæ agitur de illis qui in amore erga proximum ſunt ſeu in charitate et inde fide ſunt, qui amor eſt amor ſpiritualis, ideo dicitur, *nonnullam habes potentiam:* at ſciendum eſt, quod omnis potentia quæ a Domino eſt Angelis et hominibus, ſit ex bono amoris, et quia bonum amoris non ex ſe agit ſed per vera, ideo omnis potentia eſt bono amoris per vera, et apud ſpirituales ex bono charitatis per vera fidei, bonum enim induit ſibi quale per vera, nam bonum abſque veris non habet quale, et ubi non quale ibi non vis aut potentia, inde patet quod omnis potentia ſit bono per vera, ſeu charitati per fidem, ac nulla charitati abſque fide, nec ulla fidei abſque charitate: hoc quoque intelligitur per claves Petro datas, per Petrum enim ibi in ſenſu ſpirituali intelligitur verum ex bono quod ex Domino, ita Fides ex Charitate, et per claves ei datas potentia ſuper mala et falſa; hæc dicta ſunt ad Petrum, cum ille agnovit Divinum Domini in Humano Ipſius, per quod etiam intelligitur, quod illis ſit potentia qui agnoſcunt Divinum Domini in Humano Ipſius, et ab Ipſo in bono charitatis et inde veris fidei ſunt; quod illa tunc ad Petrum dicta ſint, patet ab his apud Matthæum, "*Jeſus dixit Diſcipulis, vos quem Me dicitis eſſe, reſpondens Simon Petrus, dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei viventis; tunc reſpondens Jeſus dixit eis; beatus es Simon Bar Jona, quia caro et ſanguis hoc non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cælis: ſed et Ego tibi dico, tu es Petrus, et ſuper hanc Petram ædificabo meam Eccleſiam, et portæ infernorum non prævalebunt ei; et tibi dabo claves Regni Cælorum,*" xvi. 15, 16, 17, 18, 19; ſed de Petro et ejus clavibus videantur quæ dicta ſunt ſupra n. 9, et oſtenſa in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 57; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 122: et quod omnis potentia ſit vero ex bono quod a Domino, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 228 ad 233, 539; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3091, 3387, 3563, 4592, 4933, 6344, 6413, 7518, 7673, 8281, 8304, 9133, 9327, 9410, 10019, 10182.

210. Et dabo ex ſynagoga Satanæ, quod ſignificet illos qui in Doctrina de ſola fide et in nulla charitate, conſtat ex ſignificatione ex ſynagoga Satanæ, quod ſint illi qui in doctrina omnium falſorum, de qua ſupra, n. 120, hic itaque per ex ſynagoga Satanæ intelliguntur illi qui in doctrina de ſola fide, et in nulla charitate ſunt, quoniam in ſcriptis ad hujus Eccleſiæ Angelum agitur de illis qui in fide ex charitate ſunt: quod illi ex ſynagoga Satanæ dicantur eſſe, eſt quia in nulla fide ſunt, tametſi putant ſe eſſe; et quia charitatem rejiciunt ſicut nullum medium ad ſalutem, et tamen Dominus influit per charitatem in fidem, et non in fidem ſeparatam, nam fides ſeparata eſt modo ſcientia cui non ineſt vita a Divino; inde eſt, quod qui in doctrina de ſola fide ſunt et non in charitate, in nulla illuſtratione ſint, quare etiam ſunt in doctrina plurium falſorum, quæ in ſpecie ſignificatur per Synagogam Satanæ. Quod nulla fides ſit ubi non charitas, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39; et quid fides et quid charitas, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 84 ad 107, et n. 108 ad 122. Quod in doctrina plurium falſorum ſint, videbitur in Articulo nunc ſequente.

211. Dicentium ſe Judæos eſſe ſed mentiuntur, quod ſignificet qui credunt ſe in veris eſſe, cum tamen ſunt in falſis, conſtat ex ſignificatione Jehudæ, quod in ſupremo ſenſu ſit Dominus quoad amorem cœleſtem, in ſenſu interno Regnum cœleſte Domini et Verbum, et in externo doctrina ex Verbo quæ Eccleſiæ cœleſtis, de qua ſupra, n. 119; inde eſt, quod per dicere ſe Judæos eſſe, ſignificetur credere ſe in genuina doctrina eſſe, ita in ipſis

veris; et ex ſignificatione mentiri, quod ſit eſſe in falſis, per mendacium enim in Verbo ſignificatur falſum doctrinæ, de qua n. 8908, 9248. Illi qui in ſola fide ſunt et in nulla charitate, non ſciunt quod in falſis ſint, quia credunt quod ſint in veris, cum tamen ex falſo principio, quod eſt quod ſola fides ſalvet, fluant falſa in continua ſerie, trahit enim principium omnia in ſuas partes, quia cum illo erunt connexa, inde illis tanta ignorantia in rebus Cœli et Eccleſiæ eſt: quod illis ignorantia ſit, conſtare poteſt ex eo quod non ſciant quid amor cœleſtis, qui eſt amor in Dominum, quid amor ſpiritualis qui eſt charitas erga proximum, quid proximus, quid bonum, quid conjunctio boni et veri, quid vita ſpiritualis, et quid affectio ſpiritualis, quid conſcientia, quid liberum arbitrium, quid regeneratio, quid tentatio ſpiritualis, quid et cur baptiſmus, et quid et cur ſancta Cœna, quid ſenſus ſpiritualis Verbi, quid Cœlum et infernum, quod illud et hoc ſint ex humano genere, et quid plura alia; ex ignorantia illorum fluunt falſa cum cogitatur de illis, quoniam ex nulla illuſtratione, ut ſupra dictum eſt, cogitare poſſunt, nec aliquem viſum internum habere de aliqua re ſpirituali. Præterea videantur quæ de hac re in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt, quod nempe fides ſeparata a charitate ſit nulla fides, 654, 724, 1162, 1176, 2049, 2116, 2340, 2349, 3849, 3868, 6348, 7039, 7842, 9782. Quod talis fides in altera vita pereat, n. 2228, 5820; quum pro principio ponitur ſola fides, quod vera contaminentur falſo principio, n. 2433; quod nec ſe perſuaderi patiantur quia contra principium, n. 2385. Quod doctrinalia de ſola fide deſtruant charitatem, n. 6353, 8094. Quod illi qui fidem ſeparant a charitate, intus in falſis ſui mali ſint, tametſi hoc non ſciunt, n. 7790, 7950. Quod ideo non illis conjungi poſſit bonum, n. 8981, 8983. Quod fides ſeparata ab amore et charitate, ſit ſicut lux hyemis, in qua omnia Telluris torpent, et nihil meſſis, fructus et floris producitur; at quod fides ex amore ſeu charitate ſit ſicut lux veris et æſtatis, in qua omnia florent et producuntur, n. 2231, 3146, 3412, 3413. Quod lux hyemalis, quæ eſt fidei ſeparatæ a charitate, vertatur in denſas tenebras, cum influit lux e cœlo; et quod illi tunc qui in ea fide ſunt, in cæcitatem et ſtupiditatem veniant, n. 3412, 3413. Quod qui fidem a charitate ſeparant doctrina et vita, in tenebris ſint, ita in ignorantia veri, et in falſis, n. 9186; quod ſe conjiciant in falſa et inde mala, n. 3325, 8094. Errores et falſa in quæ ſe conjiciunt, n. 4721, 4730, 4776, 4783, 4925, 7779, 8313, 8765, 9224. Quod Verbum illis ſit occluſum, n. 3773, 4783, 8780. Quod non videant et attendant ad omnia illa quæ Dominus toties loquutus eſt de amore et charitate, deque fructibus ſeu bonis actu, de quibus, n. 1017, 3416; quod nec ſciant quid bonum, ita nec quid cœleſtis amor, et quid charitas, n. 2507, 3603, 4126, 9995. Quod ſimplices corde, et uſque ſapientes, ſciant quid bonum vitæ, ita quid charitas, et non quid fides ſeparata, n. 4741, 4754.

212. Ecce faciam illos ut veniant et adorent ad pedes tuos, quod ſignificet ſtatum eorum poſt mortem, quod extra cœlum erunt non admittendi, patet a ſerie antecedentium et conſequentium; agitur in hoc Verſu de illis qui dicunt ſe eſſe in veris cum tamen ſunt in falſis quia in nulla charitate, de his in Verbo dicitur, quod venturi ſint ad oſtium, et pulſaturi, ſed quod non

admittentur; ad oſtium venire et pulſare eſt adorare ad pedes: quod dicatur ad pedes tuos, eſt quia Cœlum in toto complexu refert unum hominem, ſupremum ſeu tertium Cœlum refert Caput, medium ſeu ſecundum refert Corpus, ac ultimum ſeu primum refert Pedes, quare ad pedes ſtare et adorare, eſt extra cœlum et velle admitti ſed non poſſe: quod Cœli in uno complexu referant unum Hominem, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 67, ſeq. Quod tres Cœli ſint, n. 29 ad 40 ibi; et quod Cœlum ſupremum formet Caput, medium Corpus, ultimum Pedes, n. 65 ibi; ex his patet, cur dicitur ad pedes ſtare, cum extra Cœlum. Quod non admitti poſſint, eſt quia Univerſum Cœlum formatum eſt ſecundum affectiones boni et veri, ac diſtinctum eſt in ſocietates ſecundum omnes differentias affectionum illorum, qui itaque non in charitate ſunt, non in aliqua affectione, in qua Cœlum, ſunt, nam charitas ſeu amor erga proximum eſt affectio, quapropter non in cœlo locum habent, ſed extra illud, et qui ex illis in malis et in falſis fuerunt, illi ſecundum amores ſuos ſeu affectiones conjunguntur illis qui in infernis ſunt, et illuc dejiciuntur. Quod talis ſors maneat illos qui in ſola fide et in nulla charitate, prædictum eſt a Domino pluribus in locis; ut apud Matthæum, "*Omnis Arbor non faciens fructum bonum exſcinditur et in ignem conjicitur, nam ex fructibus eorum cognoſcetis eos: non omnis dicens Mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed faciens voluntatem Patris mei qui in cœlis: multi dicent Mihi in illo die, Domine Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, et per Nomen tuum dæmonia ejecimus, et in Nomine tuo multas virtutes fecimus; et tunc confitebor illis, quod nunquam novi vos, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis. Omnis qui audit mea verba, et facit ea, aſſimilabo viro prudenti, qui ædificavit domum ſuper petra, at omnis audiens verba mea et non faciens illa, aſſimilabitur viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuper arena,*" vii. 19 ad 27; hic deſcribuntur illi qui in fide ex charitate ſunt, et qui in fide et in nulla charitate; illi qui in fide ex charitate per arborem facientem fructus bonos, et per domum quæ ædificatur ſuper petra; etiam fructus ſignificant in Verbo opera charitatis, et petra fidem ex charitate: at illi qui in fide ſeparata a charitate ſunt, intelliguntur per arborem non facientem fructus bonos, et per ædificantes domum ſuper arena, etiam fructus mali in Verbo ſignificant opera mala, et arena fidem ſeparatam a charitate, de his dicitur quod dicturi, Domine Domine, aperi nobis, ſed quod reſponſum laturi, nunquam novi vos, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis. Similiter apud Lucam, "*Certate intrare per anguſtam portam, quia multi quærent intrare, ſed non poterunt: ex quo ſurrexerit Paterſamilias, et occluſerit oſtium, et cœperitis foris ſtare, et pulſare oſtium, dicentes, Domine Domine, aperi nobis, ſed reſpondens dicet, non novi vos unde ſitis; tunc incipietis dicere, edimus coram Te et bibimus, et in plateis noſtris docuiſti, ſed dicet, dico vobis, non novi vos unde ſitis, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis,*" xiii. 24, 25, 26, 27; etiam hic agitur de illis qui in fide ſunt et non in charitate, de quibus dicitur quod foris ſtabunt pulſaturi oſtium, ſed quod non admittentur; edere et bibere coram Domino ac in plateis doceri, ſignificat Verbum et prædicationes ex Verbo audire et ſcire quæ fidei erunt, ſed quia in nulla charitate ſunt, eis dicitur non novi vos unde ſitis, diſcedite, nam a Domino omnes noſcuntur ex amore et non ex fide ſeparata. Simile intelligitur "*per quinque virgines ſtultas, quæ non habebant oleum in lampadibus, de quibus etiam dicitur, quod venerint dicentes Domine Domine, aperi nobis, at Ipſe reſpondit, amen dico vobis, non novi vos,*" Matth. xxv. 1 ad 12; per Virgines in Verbo ſignificantur illi qui ab Eccleſia; per lampades illa quæ fidei ſunt, et per oleum ſignificatur bonum amoris, inde per quinque virgines ſtultas quæ non oleum habebant in lampadibus, ſignificantur qui in fide ſunt et non in amore. Simile etiam ſignificatur per "*Hircos qui ad ſiniſtram, quibus dictum eſt, quod eſuriverit et ſitiverit et non dederint illi edcre et bibere, quod peregrinus fuerit et non collegerint, quod nudus fuerit et non amiciverint, quod ægrotus et in carcere et non viſitaverint,*" Matth. xxv. 41, 42, 43; per oves ibi qui ad dextram ſignificantur qui in charitate, per hircos qui in fide et nulla charitate, quod hi per hircos ſignificentur, videatur n. 4769; et illi per oves, n. 4169, 4809.

213. Et ſciant quod Ego dilexi te, quod ſignificet cognitionem inde, quod Dominus in charitate præſens ſit et non in fide abſque illa, conſtat ex ſignificatione ſcire, quod ſit cognitio; et ex ſignificatione diligere, cum de Domino, quod ſit quod præſens ſit; quod præſens ſit in charitate et non in fide abſque illa, eſt quia agitur de illis qui in fide charitatis ſunt, videatur ſupra, n. 203; ac Dominus præſens eſt in affectione ſeu amore hominis, ita in ejus ſpiritus vita, nam amor ſeu affectio facit vitam ſpiritus ejus, conſequenter Dominus præſens eſt in charitate, nam charitas eſt ipſa affectio ſeu amor ſpiritualis hominis; et quia Dominus præſens eſt in charitate apud hominem, patet quod non præſens ſit in fide abſque charitate; fides abſque charitate nec eſt ſpiritualis, quare nec eſt intus in homine et facit vitam ejus, ſed extra illum in memoria, et inde in aliqua cogitatione naturali. Quod diligi, cum a Domino, ſit quod præſens ſit, eſt quia dilectio ſeu amor facit conjunctionem et inde præſentiam, ac Dominus ad illum, qui diligit, intrat, ac docet et ducit, et quoque ei dat ut diligat Ipſum, hoc eſt, ut mandata et præcepta Ipſius faciat, nam hoc eſt diligere Dominum: quod Dominus præſens ſit apud illum quem diligit, et quod diligat Ipſum qui mandata et præcepta Ipſius facit, docet Ipſe apud Johannem, "*Qui tenet præcepta mea et facit illa, is eſt qui diligit Me, et qui diligit Me diligetur a Patre meo, et Ego diligam eum, et ad eum veniemus, et apud eum manſionem faciemus,*" xiv. 21, 23.

214. Et ſervaſti verbum tolerantiæ meæ, quod ſignificet quod vixerint ſecundum præcepta Domini, conſtat ex ſignificatione ſervare verbum Domini, quod ſit vivere ſecundum præcepta Ipſius, verbum enim eſt præceptum, et ſervare id eſt vivere: ſecundum verbum tolerantiæ dicitur ex permanentia in eo, præter quod deſatigetur: in Apocalypſi aliquoties dicitur tolerantia, et cum dicitur ſignificat id quod applicatur vitæ, ut quoque ſupra, n. 98.

215. Et Ego te ſervabo in hora tentationis futuræ venire ſuper orbem univerſum, explorare habitantes ſuper terra, quod ſignificet tempus ultimi Judicii quando viſitandi qui in Cœlo priori, quod illi tunc ſalvandi, conſtat ex ſignificatione horæ tentationis venturæ ſuper univerſum orbem, quod ſit tempus ultimi Judicii, et ex ſignificatione explorare habitantes ſuper terra, quod ſit viſitatio ſuper illos qui in priori Cœlo, quod tunc illi qui in fide ex charitate

ſunt, de quibus hic agitur, ſalvabuntur, intelligitur per Ego te ſervabo: quod hæc de Ultimo Judicio dicta ſint, patet, nam dicitur horæ tentationis venturæ ſuper orbem univerſum, quum explorabuntur habitantes ſuper terra: ſed quia actum eſt de Ultimo Judicio, ac de Priori Cœlo et ejus abolitione, et de Novo Cœlo et ejus formatione, in Opuſculis de ULTIMO JUDICIO et de NOVA HIEROSOLYMA, et de iiſdem ulterius agendum eſt in ſequentibus, præteritur hic amplius illa verba explicare.

216. Ecce venio cito, quod ſignificet quod hoc certum ſit, conſtat ex ſignificatione cito, quod ſit certum et plenum, de qua ſupra, n. 7: quod cito ſignificet certum et plenum, eſt quia tempus et omnia quæ ſunt temporis in Verbo ſignificant ſtatus, et inde cito et feſtino ſtatum affectionis et inde cogitationis præſentem, inde certum et plenum: quod tempus et omnia temporis correſpondeant ſtatibus, et inde ſignificent illos, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 162 ad 169; et quod cito ſignificet excitatum ab affectione, ita præſens et certum, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 7695, 7866.

217. Retine quod habes, quod ſignificet permanentiam in ſtatu fidei ex charitate uſque ad finem, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 173, dicta ſunt, ubi ſimilia.

218. Ut nemo accipiat coronam tuam, quod ſignificet ne pereat intelligentia, conſtat ex ſignificatione coronæ, quod ſit ſapientia, de qua ſupra, n. 126, hic intelligentia, quoniam illi qui in amore ſpirituali ſunt, ſeu in charitate et inde fide, in intelligentia ſunt, illi autem qui in amore cœleſti ſeu in amore in Dominum ſunt et inde in perceptione veri, in ſapientia ſunt: quod per ut nemo recipiat coronam tuam ſignificetur ne pereat intelligentia, eſt quia mala et inde falſa auferunt intelligentiam homini; intelligentia enim eſt veri, hæc aufertur homini a malis ſpiritibus, cum homo in malis eſt, quoniam illis tunc aſſociatur; et quod ſic aufertur, hoc perit.

219. Vincens faciam illum columnam in Templo Dei mei, quod ſignificet quod qui permanent, erunt in Divino Vero in Cœlo, conſtat ex ſignificatione vincere, quod ſit permanere in genuina affectione veri, de qua ſupra, n. 128, hic in fide ex charitate, quia de illa in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur, videatur ſupra, n. 203; ex ſignificatione columnæ, quod ſit Divinum Verum ſuſtentans; et ex ſignificatione Templi Dei, quod in ſupremo ſenſu ſit Divinum Humanum Domini, et in ſenſu reſpectivo Regnum ſpirituale Domini, ita cœlum quod id Regnum conſtituit, de qua ſequitur. Quod Columna in Templo ſit Divinum Verum ſuſtentans, eſt quia Templum ſignificat Cœlum, et Cœlum eſt Cœlum ex Divino Vero quod procedit a Domino; per Cœlum enim intelliguntur omnes Angeli, nam Angeli faciunt Cœlum et ab Angelis dicitur Cœlum, et illi tantum ſunt Angeli, quantum recipiunt Divinum Verum quod procedit a Domino, quapropter etiam Angeli in Verbo ſignificant Divina Vera, videatur ſupra, n. 130, 200: quia nunc Cœlum eſt Divinum Verum, et Templum ſignificat Cœlum, ſequitur quod omnia Templi ſignificent talia quæ ſunt Divini Veri, et quod Columnæ ibi Divina Vera ſuſtentantia. Divina Vera ſuſtentantia ſunt in genere Vera inferiora, quia illa ſuſtentant ſuperiora; ſunt enim Divina Vera inferiora et ſuperiora, ſicut ſunt Cœli inferiores et ſuperiores, ſunt gradus illorum, de

quibus videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 38, 208, 209, 211; Cœli qui in inferiori gradu ſunt, illi ſuſtentant cœlos qui in ſuperiori; hic itaque per quod Dominus facturus ſit illum columnam in Templo, ſignificatur quod in cœlo inferiori erunt; ſunt etiam illi qui in fide charitatis in cœlo inferiori, quod Cœlum vocatur Cœlum ſpirituale; at qui in amore in Dominum ſunt, in Cœlo ſuperiori ſunt, quod Cœlum vocatur Cœlum cœleſte, et hoc ſuſtentatur a Cœlo inferiori ſeu ſpirituali: ſed de his clarior idea haberi poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno in tribus Articulis oſtenſæ ſunt, nempe in Articulo ubi oſtenſum quod Divinum Domini in Cœlo ſit amor in Ipſum et charitas erga proximum, n. 13 ad 19; in altero ubi oſtenſum quod Cœlum diſtinctum ſit in duo Regna, cœleſte et ſpirituale, n. 20 ad 28; et in tertio, ubi oſtenſum quod tres cœli ſint, n. 29 ad 40. In Verbo paſſim memorantur Columnæ, et per illas ſignificantur Vera inferiora, ex cauſa quia ſuſtentant ſuperiora; quod illa ſignificentur per Columnas in Verbo, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Jeremiam, "*Ecce dedi te hodie in urbem munitam, et in columnam ferri, et in muros æris contra univerſam terram, contra Reges Jehudæ, contra principes, et contra ſacerdotes ejus, et contra populum terræ, ut pugnent contra te et non prævaleant,*" i. 18, 19; hæc dicta ſunt ad Prophetam, quia per omnes prophetas ſignificantur Doctrinæ Divini Veri, et quia agitur ibi de Eccleſia in qua Divina Vera falſificata ſunt, ideo dicitur, dedi te hodie in urbem munitam, in columnam ferri, et in muros æris contra univerſam terram, per urbem munitam ſignificatur doctrina veri, per columnam ferri verum ſuſtentans illum, per muros æris bonum tutans, et per terram Eccleſia; dicitur etiam contra reges Jehudæ, contra principes, contra ſacerdotes ejus, et contra populum terræ, ac per reges Jehudæ ac per principes ſignificantur vera falſificata, per ſacerdotes bona adulterata, et per populum terræ falſa in genere, de his dicitur quod pugnatura ſint contra ipſa vera ſed non prævalitura. Apud Eundem, "*Conſtitue tibi ſigna, pone tibi columnas, appone cor tuum ad ſemitam, viam eas, revertere virgo Iſrael, revertere ad urbes tuas,*" xxxi. 21; agitur ibi de Eccleſiæ reſtitutione, virgo Iſrael ſignificat Eccleſiam; conſtituere ſigna et ponere columnas, ſignificat inſtructionem in talibus quæ fundamentalia Eccleſiæ ſunt, quæ quia ſuſtentant vocantur columnæ; appone cor ad ſemitam, viam eas, ſignificat affectionem veri ducentis ad vitam. Apud Davidem, "*Ego rectitudinibus judicabo liqueſcentes terræ, et omnes habitatores ejus, firmabo columnas ejus,*" Pſalm. lxxv. 3, 4; liqueſcentes terræ ſignificant illos ab Eccleſia qui non in veris ſunt, ſed uſque deſiderant illa; firmare columnas ejus ſignificat ſuffulcire veris ſuper quibus Eccleſia fundatur. Apud Hiobum, "*Qui tremefacit terram e loco ſuo, ita ut columnæ ejus contremiſcant,*" ix. 6; per terram ibi ſignificatur Eccleſia, et per columnas ſignificantur vera ſuſtentantia illam. Quod per Columnas Atrii Tentorii, de quibus in Exod. Cap. xxvii. 10, 11, 12, 14, 15, 16, 17, etiam ſignificentur vera ultima ſuſtentantia ſuperiora, videatur in Arcanis Cœlestibus, in explicatione illius Capitis et illorum Verſuum. Similia Vera ſignificantur per *Columnas Domus ſylvæ Libani a Salomone ædificatæ*, de quibus 1 Reg. vi. 2, 6. Similia etiam per binas Columnas, quas Salomo erexit in Porticu

Templi, de quibus in Libro Primo Regum, "*Formavit duas columnas æris, octodecim cubiti altitudo columnæ cujuſvis; et filum duodecim cubitorum circumdabat columnam alteram; duas coronas fecit ad ponendum ſuper capita columnarum, fuſile æris: ſeptem coronæ uni et ſeptem coronæ alteri; erexit Columnas in Porticu Templi, et erexit Columnam dextram, et vocavit nomen ejus Jachin, et erexit columnam ſiniſtram, et vocavit nomen ejus Boas,*" vii. 15 ad 22; quia Templum ſignificabat cœlum, quod mox oſtendetur, ideo omnia Templi ſignificabant talia quæ cœli ſunt, ita quæ Divini Veri ibi, nam, ut ſupra dictum eſt, Cœlum eſt Cœlum ex Divino Vero quod procedit a Domino; porticus ibi itaque ſignificabat illa quæ ultimi cœli ſunt, quod quia ſuſtentat cœlos duos ſuperiores, ideo ibi poſitæ ſunt binæ illæ Columnæ.

220. Quid autem Templum in Verbo ſignificat, etiam dicetur; Templum ſignificat in ſupremo ſenſu Divinum Humanum Domini, et in reſpectivo Cœlum, et quia Cœlum etiam ſignificat Eccleſiam, nam Eccleſia eſt Cœlum Domini in terris; et quia Templum ſignificat Cœlum et Eccleſiam, etiam ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, cauſa eſt quia hoc facit Cœlum et Eccleſiam, nam qui recipiunt illud anima et corde, hoc eſt, fide et amore, illi Cœlum et Eccleſiam conſtituunt. Quia Templum illa ſignificat, ideo dicitur Templum Dei mei, per Deum meum, cum a Domino dicitur, intelligitur Cœlum ac Divinum Verum ibi, quod etiam eſt Dominus in Cœlo; Dominus ſupra Cœlos eſt, ac apparet illis qui in Cœlo ſunt ut Sol, ex Domino ut Sole ibi procedit Lux et Calor, Lux ibi in ſua eſſentia eſt Divinum Verum, ac Calor ibi in ſua eſſentia eſt Divinum Bonum; hæc duo faciunt Cœlum in communi et in parte; Divinum Verum eſt quod intelligitur per Deum meum; inde eſt quod in Verbo Veteris Teſtamenti dicatur Jehovah et Deus, Jehovah ubi agitur de Divino Bono, ac Deus ubi de Divino Vero; inde quoque eſt quod Angeli dicantur dii, et quod Deus in Lingua Hebræa dicatur Elohim in plurali; inde patet, cur dicitur Templum Dei mei: quod Jehovah dicatur ubi agitur de Divino Bono, Deus autem ubi de Divino Vero, videatur n. 709, 732, 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4283, 4402, 7010, 9167. Quod Jehovah dicatur ab Eſſe ita ab Eſſentia, Deus autem ab Exiſtere ita ab Exiſtentia, n. 300, 3910, 6905. Quod etiam Divinum Eſſe ſit Divinum Bonum, et quod Divinum Exiſtere ſit Divinum Verum, n. 3061, 6280, 6880, 6905, 10579. Et in genere quod Bonum ſit Eſſe et Verum Exiſtere inde, n. 5002. Quod Angeli dicantur dii a receptione Divini Veri a Domino, n. 4295, 4402, 7268, 7873, 8301, 8192. Quod Divinum Domini in cœlis ſit Divinum Verum unitum Divino Bono, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13, 133, 139, 140. Quod Lux in cœlis in ſua eſſentia ſit Divinum Verum, et Calor ibi Divinum Bonum, utrumque a Domino, in eodem Opere, n. 126 ad 140, 275. Quod Templum in Verbo ſignificet Divinum Humanum Domini, et in ſenſu reſpectivo Cœlum et Eccleſiam, proinde etiam Divinum Verum, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Johannem, "*Jeſus dixit Judæis, quodnam ſignum nobis monſtras, quod hoc facias, reſpondit Jeſus, et dixit iis, ſolvite Templum hoc, in tribus diebus tamen exſuſcitabo illud: et dixerunt Judæi, quadraginta ſex annis ædificatum eſt Templum, Tunc ergo tribus diebus exſuſcitabis illud: ſed Ille loquebatur de Templo*

corporis ſui," ii. 18 ad 23; quod Templum ſignificet Divinum Humanum Domini, hic aperte dicitur; intelligitur enim per ſolutionem Templi, et ejus exſuſcitationem poſt tres dies, Ipſius Mors, Sepultura et Reſurrectio. Apud Malachiam, "*Ecce Ego mitto Angelum meum, qui parabit viam ante Me, et ſubito veniet ad Templum ſuum Dominus, et Angelus fœderis, quem quæritis,*" iii. 1; hic etiam per Templum intelligitur Divinum Humanum Domini; agitur enim ibi de adventu Domini, quare per venire ad Templum ſuum ſignificatur ad Humanum ſuum. In Apocalypſi, "*Templum non vidi in Nova Hieroſolyma, nam Dominus Deus omnipotens Templum illius eſt et Agnus,*" xxi. 22; agitur ibi de Novo Cœlo et de Nova Terra, quando in internis erunt et non in externis, inde dicitur quod non Templum erit, ſed Dominus Deus omnipotens et Agnus; Dominus Deus omnipotens eſt Ipſum Divinum Domini, et Agnus eſt Divinum Humanum Ipſius; unde quoque patet, quod Divinum Ipſius in Cœlis intelligatur per Templum. Apud Eſajam, "*Vidi Dominum ſedentem ſuper Throno alto et elato, et fimbriæ ejus implentes Templum,*" vi. 1; per Thronum altum et elatum ſuper quo Dominus ſedere viſus eſt, ſignificatur Dominus quoad Divinum Verum in Cœlis ſuperioribus; per fimbrias autem ejus ſignificatur Divinum Ipſius Verum in Eccleſia; quod fimbriæ, cum de Domino, ſignificent Divinum Ipſius Verum in ultimis, videatur n. 9917. "*Quod Velum Templi diſruptum ſit in duas partes a ſummo ad imum, poſtquam Dominus paſſus eſt,*" Matth. xxvii. 51. Marc. xv. 34. Luc. xxiii. 43, ſignificaverit unionem Divini Humani Domini cum Ipſo Divino Ipſius, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9671. Per Templum ſignificatur Divinum Humanum Domini, et ſimul Cœlum et Eccleſia, in ſequentibus locis; apud Davidem, "*Incurvabo Me verſus Templum ſanctitatis tuæ, et confitebor Nomini tuo,*" Pſalm. cxxxviii. 2: apud Jonam, "*Dixi, expulſus ſum a coram oculis tuis, ſed tamen addam reſpicere ad Templum ſanctitatis tuæ. Et venit ad Te oratio mea ad Templum ſanctitatis tuæ,*" ii. 5, 8: apud Habakuk, "*Jehovah in Templo ſanctitatis tuæ,*" ii. 20: apud Matthæum, "*Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque juraverit per Templum, nihil eſt; quicunque vero juraverit per aurum Templi, reus eſt; ſtulti et cæci, utrum autem majus eſt aurum aut Templum quod ſanctificat aurum,*" xxiii. 16, 17: apud Johannem, "*Jeſus dixit vendentibus in Templo, tollite ex hinc illa, nec facite Domum Patris mei domum mercaturæ; unde recordati ſunt diſcipuli quod ſcriptum eſt, zelus Domus tuæ conſumſit Me,*" ii. 16, 17. Præterea multis in locis alibi in Verbo nominatur Templum; ut ſciatur quod per illud intelligatur Cœlum et Eccleſia, tum Divinum Verum procedens a Domino, velim illa loca hic adducere, ne hæreat mens in eo, quod ſolum Templum intelligatur, et non aliquid ſanctius, nam Templum, quod Hieroſolymæ, ſanctum fuit ex eo quod repræſentaverit et inde ſignificaverit ſanctum: quod Templum ſignificaverit Cœlum, patet ab his locis; apud Davidem, "*Invocavi Jehovam, et ad Deum meum clamavi, audivit de Templo ſuo vocem meam,*" Pſalm. xviii. 7: apud Eundem, "*Bonus dies in atriis tuis præ millibus, elegi ad januam ſtare in Domo Dei mei, præ habitare in tentoriis impietatis,*" Pſalm. lxxxiv. 11: apud Eundem, "*Juſtus ſicut palma florebit, ſicut cedrus in Libano creſcet, plantati in Domo Jehovæ, in Atriis Dei germinabunt,*" Pſalm. xcii. 13, 14: apud Eundem, "*Unum petii a Jehovah, ut maneam in Domo Jehovæ, et ad viſitandum*

Templi, de quibus in Libro Primo Regum, "*Formavit duas columnas æris, octodecim cubiti altitudo columnæ cujuſvis, et filum duodecim cubitorum circumdabat columnam alteram; duas coronas fecit ad ponendum ſuper capita columnarum, fuſile æris; ſeptem coronæ uni et ſeptem coronæ alteri; erexit Columnas in Porticu Templi, et erexit Columnam dextram, et vocavit nomen ejus Jachin, et erexit columnam ſiniſtram, et vocavit nomen ejus Boas,*" vii. 15 ad 22; quia Templum ſignificabat cœlum, quod mox oſtendetur, ideo omnia Templi ſignificabant talia quæ cœli ſunt, ita quæ Divini Veri ibi, nam, ut ſupra dictum eſt, Cœlum eſt Cœlum ex Divino Vero quod procedit a Domino; porticus ibi itaque ſignificabat illa quæ ultimi cœli ſunt, quod quia ſuſtentat cœlos duos ſuperiores, ideo ibi poſitæ ſunt binæ illæ Columnæ.

220. Quid autem Templum in Verbo ſignificat, etiam dicetur; Templum ſignificat in ſupremo ſenſu Divinum Humanum Domini, et in reſpectivo Cœlum, et quia Cœlum etiam ſignificat Eccleſiam, nam Eccleſia eſt Cœlum Domini in terris; et quia Templum ſignificat Cœlum et Eccleſiam, etiam ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, cauſa eſt quia hoc facit Cœlum et Eccleſiam, nam qui recipiunt illud anima et corde, hoc eſt, fide et amore, illi Cœlum et Eccleſiam conſtituunt. Quia Templum illa ſignificat, ideo dicitur Templum Dei mei, per Deum meum, cum a Domino dicitur, intelligitur Cœlum ac Divinum Verum ibi, quod etiam eſt Dominus in Cœlo; Dominus ſupra Cœlos eſt, ac apparet illis qui in Cœlo ſunt ut Sol, ex Domino ut Sole ibi procedit Lux et Calor, Lux ibi in ſua eſſentia eſt Divinum Verum, ac Calor ibi in ſua eſſentia eſt Divinum Bonum; hæc duo faciunt Cœlum in communi et in parte; Divinum Verum eſt quod intelligitur per Deum meum; inde eſt quod in Verbo Veteris Teſtamenti dicatur Jehovah et Deus, Jehovah ubi agitur de Divino Bono, ac Deus ubi de Divino Vero; inde quoque eſt quod Angeli dicantur dii, et quod Deus in Lingua Hebræa dicatur Elohim in plurali; inde patet, cur dicitur Templum Dei mei: quod Jehovah dicatur ubi agitur de Divino Bono, Deus autem ubi de Divino Vero, videatur n. 709, 732, 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4283, 4402, 7010, 9167. Quod Jehovah dicatur ab Eſſe ita ab Eſſentia, Deus autem ab Exiſtere ita ab Exiſtentia, n. 300, 3910, 6905. Quod etiam Divinum Eſſe ſit Divinum Bonum, et quod Divinum Exiſtere ſit Divinum Verum, n. 3061, 6280, 6880, 6905, 10579. Et in genere quod Bonum ſit Eſſe et Verum Exiſtere inde, n. 5002. Quod Angeli dicantur dii a receptione Divini Veri a Domino, n. 4295, 4402, 7268, 7873, 8301, 8192. Quod Divinum Domini in cœlis ſit Divinum Verum unitum Divino Bono, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13, 133, 139, 140. Quod Lux in cœlis in ſua eſſentia ſit Divinum Verum, et Calor ibi Divinum Bonum, utrumque a Domino, in eodem Opere, n. 126 ad 140, 275. Quod Templum in Verbo ſignificet Divinum Humanum Domini, et in ſenſu reſpectivo Cœlum et Eccleſiam, proinde etiam Divinum Verum, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Johannem, "*Jeſus dixit Judæis, quodnam ſignum nobis monſtras, quod hoc facias, reſpondit Jeſus, et dixit iis, ſolvite Templum hoc, in tribus diebus tamen exſuſcitabo illud: et dixerunt Judæi, quadraginta ſex annis ædificatum eſt Templum, Tunc ergo tribus diebus exſuſcitabis illud: ſed Ille loquebatur de Templo*

corporis ſui," ii. 18 ad 23; quod Templum ſignificet Divinum Humanum Domini, hic aperte dicitur; intelligitur enim per ſolutionem Templi, et ejus exſuſcitationem poſt tres dies, Ipſius Mors, Sepultura et Reſurrectio. Apud Malachiam, "*Ecce Ego mitto Angelum meum, qui parabit viam ante Me, et ſubito veniet ad Templum ſuum Dominus, et Angelus fœderis, quem quæritis,*" iii. 1; hic etiam per Templum intelligitur Divinum Humanum Domini; agitur enim ibi de adventu Domini, quare per venire ad Templum ſuum ſignificatur ad Humanum ſuum. In Apocalypſi, "*Templum non vidi in Nova Hieroſolyma, nam Dominus Deus omnipotens Templum illius eſt et Agnus,*" xxi. 22; agitur ibi de Novo Cœlo et de Nova Terra, quando in internis erunt et non in externis, inde dicitur quod non Templum erit, ſed Dominus Deus omnipotens et Agnus; Dominus Deus omnipotens eſt Ipſum Divinum Domini, et Agnus eſt Divinum Humanum Ipſius; unde quoque patet, quod Divinum Ipſius in Cœlis intelligatur per Templum. Apud Eſajam, "*Vidi Dominum ſedentem ſuper Throno alto et elato, et fimbriæ ejus implentes Templum,*" vi. 1; per Thronum altum et elatum ſuper quo Dominus ſedere viſus eſt, ſignificatur Dominus quoad Divinum Verum in Cœlis ſuperioribus; per fimbrias autem ejus ſignificatur Divinum Ipſius Verum in Eccleſia; quod fimbriæ, cum de Domino, ſignificent Divinum Ipſius Verum in ultimis, videatur n. 9917. "*Quod Velum Templi diſruptum ſit in duas partes a ſummo ad imum, poſtquam Dominus paſſus eſt,*" Matth. xxvii. 51. Marc. xv. 34. Luc. xxiii. 43, ſignifieaverit unionem Divini Humani Domini cum Ipſo Divino Ipſius, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9671. Per Templum ſignificatur Divinum Humanum Domini, et ſimul Cœlum et Eccleſia, in ſequentibus locis; apud Davidem, "*Incurvabo Me verſus Templum ſanctitatis tuæ, et confitebor Nomini tuo,*" Pſalm. cxxxviii. 2: apud Jonam, "*Dixi, expulſus ſum a coram oculis tuis, ſed tamen addam reſpicere ad Templum ſanctitatis tuæ. Et venit ad Te oratio mea ad Templum ſanctitatis tuæ,*" ii. 5, 8: apud Habakuk, "*Jehovah in Templo ſanctitatis tuæ,*" ii. 20: apud Matthæum, "*Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque juraverit per Templum, nihil eſt; quicunque vero juraverit per aurum Templi, reus eſt; ſtulti et cæci, utrum autem majus eſt aurum aut Templum quod ſanctificat aurum,*" xxiii. 16, 17: apud Johannem, "*Jeſus dixit vendentibus in Templo, tollite ex hinc illa, nec facite Domum Patris mei domum mercaturæ; unde recordati ſunt diſcipuli quod ſcriptum eſt, zelus Domus tuæ conſumſit Me,*" ii. 16, 17. Præterea multis in locis alibi in Verbo nominatur Templum; ut ſciatur quod per illud intelligatur Cœlum et Eccleſia, tum Divinum Verum procedens a Domino, velim illa loca hic adducere, ne hæreat mens in eo, quod ſolum Templum intelligatur, et non aliquid ſanctius, nam Templum, quod Hieroſolymæ, ſanctum fuit ex eo quod repræſentaverit et inde ſignificaverit ſanctum: quod Templum ſignificaverit Cœlum, patet ab his locis; apud Davidem, "*Invocavi Jehovam, et ad Deum meum clamavi, audivit de Templo ſuo vocem meam,*" Pſalm. xviii. 7: apud Eundem, "*Bonus dies in atriis tuis præ millibus, elegi ad januam ſtare in Domo Dei mei, præ habitare in tentoriis impietatis,*" Pſalm. lxxxiv. 11: apud Eundem, "*Juſtus ſicut palma florebit, ſicut cedrus in Libano creſcet, plantati in Domo Jehovæ, in Atriis Dei germinabunt,*" Pſalm. xcii. 13, 14: apud Eundem, "*Unum petii a Jehovah, ut maneam in Domo Jehovæ, et ad viſitandum* *mane Templum Ipſius,*" Pſalm. xxvii. 4: apud Eundem, "*Quietus ero in Domo Jehovæ in longitudinem dierum,*" Pſalm. xxiii. 6: apud Johannem, "*Jeſus dixit, in Domo Patris mei manſiones multæ ſunt,*" xiv. 13; quod in illis locis per Domum Jehovæ et Domum Patris intelligatur Cœlum, patet: quod etiam Eccleſia, in his, apud Eſajam, "*Domus ſanctitatis noſtra, et decus noſtrum, ubi laudaverunt Te patres noſtri, facta eſt in incendium,*" lxiv. 10: apud Jeremiam, "*Deſerui Domum meam, dereliqui hæreditatem meam,*" xii. 7: apud Haggæum, "*Commovebo omnes gentes, ut veniant electio omnium gentium, et impleam Domum hanc gloria; Mihi argentum et Mihi aurum; major erit gloria Domus hujus poſterioris quam prioris,*" ii. 7, 8, 9: apud Eſajam, "*Dicet Hieroſolymæ ædificare, et Templo fundare,*" xliv. 28; agitur ibi de adventu Domini, et de nova Eccleſia tunc: apud Sachariam, "*Fundata eſt Domus Jehovæ, Templum ut ædificetur,*" viii. 9; ſimiliter: apud Danielem, "*Beltſchazar adduci juſſit vaſa auri et argenti, quæ eduxerat Nebuchadnezar pater ejus, quæ e Templo Hieroſolymæ, ut biberent ex illis; ac biberunt vinum et laudaverunt deos auri et argenti, æris, ferri, ligni et lapidis; et tunc ſcriptum eſt in pariete,*" v. 2, 3, 4, ſeq. per vaſa auri et argenti quæ ex Templo Hieroſolymæ, ſignificantur bona et vera Eccleſiæ; per quod biberint ex illis vinum, et laudaverint deos auri, argenti, æris, ferri, ligni et lapidis, ſignificatur prophanatio illorum, ideo ſcriptum eſt in pariete, et Rex mutatus ab homine in feram. Apud Matthæum, "*Acceſſerunt diſcipuli ad oſtendendum Jeſu ſtructuram Templi; Jeſus dixit illis, videtis omnia hæc, non relinquetur hic lapis ſuper lapide, qui non diſſolvetur,*" xxiv. 1, 2; Marc. xiii. 1 ad 5; Luc. xxi. 5, 6, 7; quod non e Templo relinquetur lapis ſuper lapide qui non diſſolvetur, ſignificat deſtructionem et vaſtationem Eccleſiæ totalem; lapis etiam ſignificat verum Eccleſiæ: et quia id ſignificabatur, ideo in illis Capitibus apud Evangeliſtas agitur de ſucceſſiva vaſtatione Eccleſiæ. In Apocalypſi, "*Adſtitit Angelus dicens, ſurge et metire Templum Dei et Altare, et eos qui adorant in eo,*" xi. 1; etiam ibi per Templum ſignificatur Eccleſia, et per metiri ſignificatur explorare quale ejus. Simile ſignificatur per *Novum Templum, et ejus menſuras,* apud Ezechielem a Cap. xl. ad xlvii. Quod per Templum ſignificetur Divinum Verum quod a Domino, conſtat ex his locis; apud Ezechielem, "*Suſtulit Se gloria Jehovæ deſuper Cherubo ſuper limen Domus, et impleta eſt Domus nube, Atrium vero plenum erat ſplendore gloriæ Jehovæ,*" x. 4; per Domum ibi intelligitur Cœlum et Eccleſia; ac per nubem et per gloriam Divinum Verum; quod nubes ſit Divinum Verum, videatur ſupra, n. 36; et quod ſimiliter gloria, n. 34. Apud Micham, "*Ibunt gentes multæ et dicent, ite et aſcendamus ad montem Jehovæ, et ad Domum Dei noſtri, ut doceat nos de viis ſuis, et eamus in ſemitis Ipſius, nam a Zione exibit doctrina, et Verbum ex Hieroſolyma,*" iv. 2; mons Jehovæ et Domus Dei ſignificat Eccleſiam, ſimiliter Zion et Hieroſolyma; doceri de viis ſuis et ire in ſemitis Ipſius, eſt inſtrui in Divinis Veris, quare etiam dicitur, ex Zione exibit doctrina, et ex Hieroſolyma verbum. Apud Eſajam, "*Vox tumultus Jehovæ ab urbe, vox Jehovæ e Templo,*" lxvi. 6; per Urbem intelligitur doctrina veri, per Templum Eccleſia, et per vocem Jehovæ e Templo Divinum Verum. In Apocalypſi, "*Prodiit vox magna e Templo cœli a Throno, dicens,*" xvi. 17; vox ibi ſimiliter pro Divino Vero:

alibi, "*Apertum eſt Templum Dei in Cœlo, et viſa eſt Arca fœderis Ipſius in Templo, et facta ſunt fulgura, voces, tonitrua,*" xi. 19; fulgura, voces, tonitrua in Verbo ſignificant Divina Vera ex Cœlo, videatur n. 7573, 8914: alibi, "*Apertum eſt Templum Tabernaculi teſtimonii in Cœlo, et prodierunt e Templo ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas: et impletum eſt Templum fumo ex gloria Dei et virtute Ipſius,*" xv. 5, 6, 8; ſeptem Angeli dicuntur prodiiſſe e Templo quod in Cœlo, quia per Angelos ſignificantur Divina Vera, videatur ſupra, n. 130, 200; quid per fumum ex gloria Dei ſignificatur, in explicatione illorum in ſequentibus videbitur. Præterea ſciendum eſt quod per Templum a Salomone exſtructum, et quoque per Domum ſylvæ Libani, et per ſingula illorum, de quibus 1 Reg. vi. et vii. ſignificata ſint ſpiritualia et cœleſtia quæ Eccleſiæ et Cœli ſunt.

221. Et foras non egredietur amplius, quod ſignificet quod in æternum in illo, conſtat ex ſignificatione foras non egredi amplius, cum dicitur de Cœlo ac de Divino Vero ibi, quæ ſignificantur per Templum Dei, quod ſit quod in æternum in illis permanſuri ſint.

222. Et ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, quod ſignificet quale eorum ſecundum Divinum Verum implantatum vitæ, conſtat ex ſignificatione ſcribere ſuper aliquem, cum a Domino, quod ſit implantare vitæ, de qua ſequitur; ex ſignificatione nominis, quod ſit quale ſtatus, de qua ſupra, n. 148; et ex ſignificatione Dei, quod ſit Divinum Verum procedens a Domino in Cœlo, ita Dominus ibi, de qua etiam ſupra, n. 220 pr. nam Dominus eſt ſupra Cœlos, apparet enim illis qui in Cœlo ſunt ut Sol, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125; Divinum inde procedens quod vocatur Divinum Verum, et quod facit Cœlum in communi et in parte, eſt quod in Verbo intelligitur per Deum; inde eſt quod Angeli dicantur dii, et quod Deus in Lingua Hebræa dicatur Elohim in plurali; ex his patet cur Dominus hic dicit Nomen Dei mei, ac ſupra faciam illum columnam in Templo Dei mei, n. 219, ac infra ſcribam ſuper illum nomen civitatis Dei mei, novæ Hieroſolymæ quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, n. 223. Quod ſcribere ſuper aliquem ſit implantare vitæ, eſt quia ſcribere eſt ex memoria, cogitatione et mente emittere in chartam id quod permanſurum eſt, quare in ſpirituali ſenſu ſignificat id quod permanſurum eſt in vita hominis, illi inſcriptum et implantatum; ſic vertitur ſenſus naturalis vocis illius in ſenſum ſpiritualem, nam naturale eſt ſcribere ſuper charta et in libro, ſed ſpirituale eſt inſcribere vitæ, quod fit cum implantatur fidei et amori, nam amor et fides faciunt vitam ſpiritualem hominis: quia ſcribere ſignificat implantare vitæ, ideo etiam dicitur de Jehovah ſeu Domino, quod ſcribat et ſcripſerit in Libro, per quod intelligitur id quod a Domino inſcriptum eſt ſpiritui hominis, hoc eſt, ejus cordi et animæ, ſeu quod idem, ejus amori et fidei; ut apud Davidem, "*Non latuit Te os meum, cum factus ſum in occulto, ſuper Libro tuo omnes ſcripti ſunt dies, quibus formati, et non unus ex illis deeſt,*" Pſalm. cxxxix. 15, 16: apud Eundem, "*Deleantur e Libro vitarum, et cum juſtis non ſcribantur,*" Pſalm. lxix. 29: apud Danielem, "*Eripietur populus omnis, qui invenitur ſcriptus in Libro,*" xii. 1: apud Moſen, "*Dele me quæſo e Libro quem ſcripſiſti: et dixit Jehovah, illum qui peccavit Mihi, delebo e Libro meo,*" Exod. xxxii. 32, 33:

in Apocalypſi, "*Liber ſcriptus intus et a tergo, obſignatus ſeptem ſigillis, quem nemo potuit aperire quam ſolus Agnus,*" v. 1, ſeq.: alibi, "*Adorabunt beſtiam omnes quorum non ſcripta ſunt nomina in Libro vitæ Agni,*" xiii. 8. Cap. xvii. 8: alibi, "*Vidi quod Libri aperti ſint, et Liber alius apertus qui eſt vitæ, et judicati ſunt mortui juxta ea quæ ſcripta ſunt in Libro ſecundum opera eorum, et ſi quis non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, ejectus eſt in ſtagnum ignis,*" Apoc. xx. 12, 13, 14: et alibi, "*Non ingredietur in Novam Hieroſolymam, niſi qui ſcriptus in Libro vitæ Agni,*" xxi. 26; in his locis non intelligitur quod ſcripti ſint in Libro, ſed quod omnia fidei et amoris inſcripta ſint ſpiritui hominis, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 461 ad 469, oſtenſa ſunt. Quod ſcribere in Verbo ſignificet illa quæ inſcribuntur et implantantur vitæ, patet etiam ab aliis locis, ubi ſcribere dicitur, ut apud Jeremiam, "*Dabo Legem meam in medio eorum, et ſuper cor eorum ſcribam eam,*" xxxi. 33; dare legem in medio illorum, eſt Divina Vera in illis; in medio ſignificat intus apud hominem, videatur n. 1074, 2940, 2973; et illam ſuper cor ſcribere, eſt indere amori, cor enim ſignificat amorem, n. 7542, 9050, 10336. Apud Ezechielem, "*Propheta vidit volumen Libri ſcriptum ante et poſt, et quod ſcriptum ſuper eo erant lamentationes, gemitus et planctus,*" ii. 8, 9, 10. Cap. iii. 1, 2, 3; per volumen Libri ſcriptum ante et poſt ſignificatur ſtatus Eccleſiæ tunc, ita qualis erat vita eorum qui ab Eccleſia, quare ſimile per volumen libri hic ſignificatur quod per Librum vitæ ſupra; et quia vita illorum abſque bonis amoris et veris fidei fuit, dicitur quod ſcriptum ſuper eo eſſent lamentationes, gemitus et planctus. "*Quod Lex inſcripta fuerit Tabulis lapideis, et ſcripta digito Dei,*" Exod. xxxi. 18. Deut. iv. 13. Cap. ix. 10, ſignificabat quod vitæ imprimenda, n. 9416; per Legem enim in ſtricto ſenſu intelliguntur decem præcepta Decalogi, at in lato ſenſu totum Verbum, n. 6752, 7462; et per Lapidem ſignificatur Verum, ibi Divinum Verum, n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376. Simile ſignificatur per "*quod ſuper duodecim Lapidibus deſumtis ex Jordane ſcriberentur verba legis,*" Deut. xxvii. 2, 3, 4, 8. Joſ. iv. 3, ſeq. Apud Ezechielem, "*Fili hominis, ſume tibi lignum unum, et ſcribe ſuper illud, Jehudæ et filiis Iſraelis et ſociis; et ſume lignum alterum, et ſcribe ſuper illud Joſepho, lignum Ephraimi, et omnis domus Iſraelis et ſociorum ejus: poſtea conjunge illa unum cum altero tibi in lignum unum, ut ſint unum ambo in manu mea,*" xxxvii. 16, 17; quid hæc ſignificant nemo ſcire poteſt, niſi qui ſcit quid repræſentatum eſt per Jehudam, et quid per Joſephum; per Jehudam repræſentatum eſt Regnum cœleſte Domini, et per Joſephum Regnum ſpirituale Ipſius; et per ſcribere illos ſuper bina ligna, ſignificatur ſtatus amoris et inde vitæ utriuſque; conjunctio eorum in unum Cœlum, ſignificatur per quod conjungeret unum cum altero in unum lignum, ut ſint unum ambo in manu mea; ſimile per illa ſignificatur quod per Domini verba, "*Alias etiam oves habeo, quæ non ſunt ex hoc Ovili, illas quoque oportet Me adducere, et fiet unus Grex et unus Paſtor,*" Joh. x. 16: quod ſcriptum fuerit ſuper Lignum, erat quia lignum ſignificat bonum, et bonum eſt quod conjungit; ſed hæc melius patebunt ex illis quæ in Arcanis Cœleſtibus oſtenſa ſunt; nempe quod Regnum Spirituale ante adventum Domini non fuerit ſicut poſt adventum Ipſius, n. 6372.

n. 6372, 8054: quod illi præcipue ſalvati ſint per adventum Domini in mundum, et quod tunc conjuncti illis qui e Cœleſti Regno Domini fuerunt, in unum Cœlum, n. 2661, 2716, 2833, 2834, 3969, 6854, 6914, 7035, 7091, 7828, 7932, 8018, 8159, 8321, 9684. Quod duo Regna ſint, cœleſte et ſpirituale, et quod tres Cœli ſint, et quod illi conjuncti in unum Cœlum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28, et 29 ad 40. Quod per Jehudam in ſenſu repræſentativo ſignificetur Regnum cœleſte Domini, n. 3654, 3881, 5583, 5603, 5782, 6363: quod per Joſephum Regnum ſpirituale Domini, n. 3969, 3971, 4669, 6417: quod per Ephraim intellectuale Eccleſiæ ſpiritualis, n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296. Quod per Lignum ſignificetur bonum amoris, n. 643, 3720, 8354. Apud Eſajam, "*Hic dicet Jehovæ Ego, et Ille vocabit ſe nomine Jacobi, et Ille ſcribet manu ſua Jehovæ, et nomine Iſraelis cognominabit ſe,*" xliv. 5; hæc dicuntur de Domino ac de Divino Humano Ipſius; per Jacobum et per Iſraelem, ubi de Domino, ſignificatur Humanum Ipſius; quod etiam Id ſit Jehovah intelligitur per quod dicet Jehovæ Ego, et quod ſcribet manu ſua Jehovæ; quod in ſupremo ſenſu Iſrael et Jacob ſit Dominus, videatur n. 4286, 4570, 6424. Apud Jeremiam, "*Spes Iſraelis Jehovah, omnes relinquentes Me pudeſient, et recedentes a Me in terra ſcribentur, quia deſeruerunt fontem aquarum vivarum Jehovam; ſana me Jehovah ut ſaner,*" xvii. 13, 14; in terra ſcribi eſt condemnari propter ſtatum vitæ, quoniam per terram ſignificatur damnatum, videatur n. 2327, 7418, 8306. Inde patet, quid ſignificatur per quod Dominus digito ſcripſerit in terra, apud Johannem, "*Adducebant Scribæ et Phariſæi ad Jeſum in Templo mulierem in adulterio deprehenſam, dixerunt, hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo facto, quæſiverunt num ſecundum legem Moſis lapidaretur; Jeſus incurvans ſe deorſum digito ſcribebat in terra, et ſurgens dixit, qui veſtrum immunis eſt a peccato primum in eam jaciat lapidem, et rurſus incurvans ſe ſcribebat in terra: his auditis unus poſt alium exivit, et derelictus eſt ſolus Jeſus et mulier, cui dixit, ubi ſunt tui accuſatores, nemo te condemnavit; et dixit, vade et ne deinceps pecca,*" viii. 2 ad 11; per quod Dominus ſcripſerit in terra, ſimile ſignificatur quod ſupra apud Jeremiam, "*recedentes a Me in terra ſcribentur,*" nempe quod æque damnati eſſent propter adulteria, quare dixit qui veſtrum immunis eſt a peccato primum in eam jaciat lapidem; quod Dominus bis ſcripſerit in terra in Templo, ſignificabat damnationem eorum, ob adulteria in ſpirituali ſenſu, nam Scribæ et Phariſæi erant qui adulterarunt bona et falſificaverunt vera Verbi, ita Eccleſiæ, et adulteria in ſpirituali ſenſu ſunt adulterationes boni et falſificationes veri, videatur ſupra, n. 141, 161; quare etiam gens illa a Domino vocatur gens adultera et peccatrix, Marc. viii. 38.

223. Et nomen civitatis Dei mei, novæ Hieroſolymæ quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, quod ſignificet doctrinam novæ Eccleſiæ, quæ eſt in cœlis, conſtat ex ſignificatione civitatis Dei mei, quod ſit Doctrina Divini Veri, de qua ſequitur; ex ſignificatione novæ Hieroſolymæ, quod ſit Eccleſia quoad doctrinam, de qua in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA, n. 6; et ex ſignificatione quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, quod ſit quæ ex Cœlo a Divino Vero ibi; quod per Deum in Verbo intelligatur Divinum Verum, videatur ſupra, n. 220, 222; et quia Divinum Verum quod in Cœlo eſt, et quod inde deſcendit, eſt a Solo

Domino, ideo vocat Dominus illud Deum ſuum. Quod per Civitatem Dei mei ſignificetur Doctrina Divini Veri, apparet primo intuitu remotum, quia mens ægre poteſt cogitare Doctrinam cum nominatur civitas, ſicut etiam cogitare Eccleſiam cum nominatur terra; at uſque non aliud per Civitates aut Urbes in Verbo in ſenſu ejus ſpirituali intelligitur; cauſa eſt, quia idea civitatis ſeu urbis eſt mere naturalis, at idea doctrinæ in civitate eſt ſpiritualis; Angeli, quia ſpirituales ſunt, non poſſunt habere ideam civitatis aliam quam gentis quoad doctrinam inibi, ſicut nec aliam terræ quam gentis quoad Eccleſiam ſeu quoad religioſum ibi; cauſa etiam eſt, quod Societates, in quas Cœli diſtincti ſunt, ut plurimum ſint Civitates, et omnes inter ſe differunt quoad receptionem Divini Veri in bono; inde etiam eſt quod angeli ideam Doctrinæ veri habeant cum nominatur Civitas: quod Cœli diſtincti ſint in ſocietates ſecundum differentias boni amoris et fidei, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 41 ad 50; et quod habitacula eorum diſpoſita ſint in formas civitatum, n. 184 ibi. Quod per civitates ſeu urbes in Verbo ſignificentur Doctrinæ, conſtare poteſt a pluribus locis ibi, quorum ſolum ſequentia velim in medium afferre; apud Jeremiam, "*Ecce dedi te in urbem munitam contra univerſam terram*," i. 18; hæc dicta ſunt ad Prophetam, quia per prophetam in Verbo ſignificatur docens verum, et in ſenſu abſtracto Doctrina veri; quia hæc ſignificatur per prophetam, ideo dicitur ad hunc, dedi te in urbem munitam, per quam ideo ſignificatur Doctrina veri tutans contra falſa: quod per prophetam in Verbo ſignificetur docens verum, et in ſenſu abſtracto Doctrina veri, videatur n. 2534, 7269. Apud Eundem, "*Deſcendit corona decoris veſtri, Urbes meridiei clauſæ ſunt*," xiii. 18, 19; agitur ibi de falſificatione veri, et per quod deſcendat corona decoris intelligitur quod intelligentia; et per quod clauſæ ſint Urbes meridiei, intelligitur quod omnia vera doctrinæ quæ alioquin eſſent in luce; quod corona ſit intelligentia et ſapientia, videatur ſupra, n. 126, 218; et quod meridies ſit ſtatus lucis, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 148, 149, 151. Apud Eſajam, "*Feciſti conſilia a longinquo, veritatem, fidelitatem; et poſuiſti de Urbe in acervum, urbem munitam in ruinam, palatium alienorum de urbe, ut in perpetuum non ædificetur: propterea honorabunt Te populus validus, urbs gentium fortium timebunt Te*," xxv. 1, 2, 3; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ prioris et de inſtauratione novæ; vaſtatio Eccleſiæ quoad doctrinam intelligitur per poſuiſti de Urbe in acervum, urbem munitam in ruinam, palatium alienorum de Urbe; et inſtauratio novæ Eccleſiæ quoad doctrinam intelligitur per honorabunt Te populus validus, et Urbs gentium fortium timebunt Te. Apud Eundem, "*In die illo cantabitur Canticum in terra Jehudæ, urbs valida nobis, ſalutem ponet muros et antemurale; aperite portas ut ingrediatur gens juſta cuſtodiens fidelitates*," xxvi. 1, 2; Urbs valida hic ſignificat doctrinam genuini veri, quam falſa non poſſunt deſtruere; muri et antemurale ſignificant vera tutantia, portæ ſignificant admiſſionem, ut ſupra, n. 208; gens juſta cuſtodiens fidelitates ſunt illi qui in bono et inde in veris. Apud Eundem, "*Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, exciſus es in terram, qui poſuit orbem in deſertum, urbes ejus deſtruxit: parate filiis ejus mactationem, ut non reſurgant; et poſſideant terram, ac impleantur facies terræ urbibus*," xiv. 12, 17, 21; per Luciferum ibi intelligitur Babel, ubi omne verum Doctrinæ Eccleſiæ vel falſificatum vel annihilatum eſt; quod poſuerit orbem in deſertum et urbes ejus deſtruxerit, ſignificat quod Eccleſiam et doctrinalia ejus; parate filiis ejus mactationem ut non reſurgant, ſignificat quod falſa ejus deſtruenda ſint; et poſſideant terram, et impleantur facies terræ urbibus, ſignificat ut Eccleſia ſit et doctrina ibi. In Apocalypſi, “*Fracta eſt urbs magna in tres partes, et urbes gentium corruerunt,*” xvi. 18, 19; etiam ibi de Babele; ejus falſorum doctrina eſt quæ intelligitur per urbem fractam in tres partes, et inde doctrina malorum per urbes gentium quæ corruerunt. Apud Davidem, “*Redemti Jehovæ errarunt in deſerto, in ſolitudine vitæ, urbem habitationis non invenerunt, famelici et ſitibundi, duxit eos in viam rectam, ut irent ad urbem habitationis,*” Pſalm. cvii. 2, 4, 5, 7; errare in deſerto et in ſolitudine vitæ, eſt in penuria cognitionum veri et boni; non invenire urbem habitationis, eſt non doctrinam veri ſecundum quam vivant; famelici et ſitibundi ſunt qui in deſiderio ſciendi bonum et verum; ducere eos in viam rectam, ut irent ad urbem habitationis, eſt in genuinum verum et in doctrinam vitæ. Apud Eſajam, “*Dixi, quouſque Domine, qui dixit, uſque dum devaſtabuntur Urbes ut ſint ſine habitatore, et domus ut non ſit in iis homo, et terra redigatur in ſolitudinem,*” vi. 11; agitur ibi de vaſtatione totali Eccleſiæ, urbes ſunt vera doctrinæ, domus ſunt bona ejus, terra eſt Eccleſia. Apud Eundem, “*Evacuabitur terra, confundetur terra, prophanabitur terra ſub habitatoribus ſuis; frangetur urbs inanis, claudetur omnis domus, clamor ſuper vino in plateis, reliquum in urbe vaſtitas, et uſque ad devaſtationem contundetur porta,*” xxiv. 3, 4, 10, 11, 12; agitur etiam hic de devaſtatione Eccleſiæ, terra quæ evacuabitur, confundetur et prophanabitur, eſt Eccleſia; urbs eſt verum doctrinæ; domus eſt bonum ejus; vinum ſuper quo clamor in plateis, eſt verum falſificatum doctrinæ ſuper quo conteſtatio et indignatio. Apud Zephaniam, “*Exſcindam gentes, deſolabo plateas earum, et devaſtabuntur urbes earum,*” iii. 6; gentes ſunt qui in malis; deſolare plateas eſt vera; devaſtare urbes eſt doctrinas. Apud Jeremiam, “*Aſcendit leo ex vepreto ad redigendum terram tuam in vaſtitatem, urbes tuæ deſtruentur; vidi Carmelum deſertum, et omnes urbes ejus deſolatas; propter hoc lugebit terra, præ voce equitis et ſagittariorum fugiens tota urbs: tota urbs deſerta, neque habitans in ea vir,*” iv. 7, 26, 27, 28, 29; leo ex vepreto, eſt falſum ex malo; terra eſt Eccleſia; urbes ſunt vera doctrinæ; Carmelus eſt Eccleſia ſpiritualis; vox equitis et ſagittariorum propter quam fugiet urbs, eſt ratiocinatio et pugna ex falſis. Apud Eundem, “*Veniet vaſtator ſuper omnem urbem, ut urbs non evadat, et pereat vallis et perdatur planities,*” xlviii. 8; per hæc etiam deſcribitur vaſtatio totalis Eccleſiæ, uſque dum nihil veri doctrinæ ſuperſit. Apud Eundem, “*Ecce aquæ aſcendentes ex ſeptentrione, quæ fient in flumen inundans, et inundabunt terram, urbem et habitantes in ea,*” xlvii. 2; per flumen inundans etiam ſignificatur vaſtatio. Apud Eundem, “*Si ſanctificetis diem ſabbathi, intrabunt per portas urbis hujus reges et principes, equitantes in curru et ſuper equis, et habitabitur urbs hæc in ſæculum,*” xvii. 24, 25; per ſanctificationem ſabbathi in ſenſu ſpirituali ſignificatur agnitio ſancta Divini Humani Domini et Ipſius conjunctionis cum Cœlo et Eccleſia; per reges et principes qui intrabunt per portas urbis, ſignificantur vera Eccleſiæ; quod equitabunt in curru et ſuper equis, ſignificat quod in veris doctrinæ ac in intelligentia erunt; urbs, quæ hic eſt Hieroſolyma, eſt Eccleſia quoad Doctrinam: talis eſt ſenſus horum verborum ſpiritualis, ita talis in Cœlo. Apud Sachariam, “*Sic dixit Jehovah, revertar Zionem, et habitabo in medio Hieroſolymæ, unde vocabitur Hieroſolyma urbs veritatis; et implebuntur plateæ urbis pueris et puellis ludentibus in plateis,*” viii. 3, 4, 5; hic per Zionem non intelligitur Zion, nec per Hieroſolymam Hieroſolyma, ſed per Zionem Eccleſia cœleſtis, et per Hieroſolymam Eccleſia illa quoad doctrinam veri; inde eſt quod dicatur urbs veritatis; per plateas urbis ſignificantur vera doctrinæ; per pueros et puellas ludentes in plateis, ſignificantur affectiones veri et boni; quod per Zionem ſignificetur Eccleſia cœleſtis, videatur n. 2362, 9055: quod per Hieroſolymam Eccleſia quoad doctrinam, n. 402, 3654, 9166; et in Opuſculo de Nova Hierosolyma, n. 6: quod per plateas ſignificentur vera doctrinæ, n. 2336: quod per pueros et puellas ſignificentur affectiones veri et boni in quibus innocentia, n. 3067, 3110, 3179, 5236, 6742: quod ludere ſit quod eſt feſtivitatis interioris quæ eſt affectionis veri et boni, n. 10416. Quia Zion ſignificat Eccleſiam cœleſtem, et Hieroſolyma Eccleſiam quoad doctrinam veri, ideo Zion vocatur Urbs Jehovæ, et Hieroſolyma urbs ſancta, urbs Dei, et urbs magni Regis; ut apud Eſajam, “*Vocabunt te Urbs Jehovæ, Zion ſancti Iſraelis:*” apud Ezechielem, “*Propheta vidit ſuper monte alto ſtructuram Urbis a meridie, et Angelus menſus eſt murum, portas, thalamos, porticum portæ, et nomen urbis Jehovah ibi,*” xl. 1, ſeq. Cap. xlviii. 35. Apud Eſajam, “*Ecce Jehovah audire fecit uſque ad extremitatem terræ, dicite filiæ Zionis, ecce ſalus tua venit, tu vocaberis quæſita urbs,*” lxii. 11, 12: apud Davidem, “*Quemadmodum audivimus, ita vidimus in Urbe Jehovæ Zebaoth, in urbe Dei noſtri, Deus ſtabiliat eam in æternum,*” Pſalm. xlviii. 9: quid Eccleſia cœleſtis, et Eccleſia ſpiritualis, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28. Quod binæ illæ Urbes dicantur Urbes ſanctæ, apud Eſajam, “*Urbes ſanctæ tuæ factæ ſunt in deſertum; Zion facta eſt deſertum, Hieroſolyma vaſtitas,*” lxiv. 9. Quod Hieroſolyma in ſpecie dicatur Urbs ſancta, in Apocalypſi, “*Gentes civitatem ſanctam conculcabunt,*” xi. 8: alibi, “*Ego vidi ſanctam civitatem deſcendentem a Deo e Cœlo,*” xxi. 2: apud Matthæum, “*Diabolus aſſumſit Jeſum in ſanctam urbem,*” iv. 5: et apud Eundem, “*Egreſſi e monumentis ingreſſi ſunt in ſanctam urbem,*” xxvii. 53; Hieroſolyma ſancta urbs dicta eſt, quia ſignificabat Eccleſiam quoad doctrinam veri, ac Divinum Verum procedens a Domino eſt quod vocatur Sanctum, videatur n. 6788, 8302, 9129, 9820, 10361: quod illa urbs abſque illa repræſentatione et inde ſignificatione nullatenus ſancta fuerit, ſed potius prophana, conſtare poteſt ex eo, quod Dominum rejecerint et ibi crucifixerint; quare etiam vocatur Sodoma et Ægyptus, Apoc. xi. 8; ſed quia ſignificabat Eccleſiam quoad doctrinam veri, dicta fuit non modo Civitas ſancta, ſed etiam Civitas Dei, et Civitas magni Regis; apud Davidem, *Fluvius cujus rivi lætificarunt Urbem Dei, Sanctum habitationis Altiſſimi, Deus in medio ejus,*” Pſalm. xlvi. 5, 6: apud Eundem, “*Magnus Jehovah in Urbe Dei noſtri, pulcher tractu, urbs magni Regis,*” Pſalm. xlviii. 2: apud Matthæum, “*Non jurabis per terram, quia ſcabellum eſt pedum Dei, neque per Hieroſolymam, quia Urbs eſt magni Regis,*” v. 3; quod Hieroſolyma dicta ſit urbs Dei, erat quia per Deum in Verbo Veteris Teſtamenti intelligitur Divinum

num Verum procedens a Domino, videatur ſupra, n. 220, 222: quod Hieroſolyma dicta ſit urbs magni Regis, erat quia per Regem, cum de Domino, ſimiliter ſignificatur Divinum Verum ab Ipſo procedens, videatur etiam ſupra, n. 31; inde nunc eſt quod Hieroſolyma dicatur urbs veritatis, Sachar. viii. 3. Apud Eſajam, "*Sic dixit Jehovah Redemptor tuus et Formator ab utero, irrita reddo ſigna mendacium, rejiciens ſapientes retro, et ſcientiam eorum ſtultam faciens, dicens Hieroſolymæ habitaberis, et urbibus Jehudæ ædificabimini, et vaſtitates ejus erigam,*" xliv. 24, 25, 26; agitur ibi de rejectione Eccleſiæ, cujus doctrina eſt ex propria intelligentia, et de inſtauratione novæ, cujus doctrina eſt a Domino; doctrina ex propria intelligentia intelligitur per irrita reddo ſigna mendacium, rejiciens ſapientes retro, et ſcientiam eorum ſtultam faciens; et doctrina quæ ex Domino, per dicens Hieroſolymæ habitaberis, et urbibus Jehudæ ædificabimini. Apud Jeremiam, "*Nonne vides quid illi faciunt in urbibus Jehudæ, et in plateis Hieroſolymæ, ceſſare faciam ex urbibus Jehudæ et ex plateis Hieroſolymæ vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem ſponſi et vocem ſponſæ, quia in vaſtitatem evadet terra,*" vii. 17, 34; urbes Jehudæ et plateæ Hieroſolymæ etiam hic ſignificant vera doctrinæ; vox gaudii et vox lætitiæ eſt jucundum ex affectione boni et veri; vox ſponſi et vox ſponſæ ſunt ipſæ illæ affectiones, quæ quod deſituræ intelligitur per quod in vaſtitatem evadet terra, terra eſt Eccleſia. Apud Eſajam, "*Commiſcebo Ægyptum cum Ægypto, ut pugnent vir contra fratrem ſuum, et vir contra ſocium ſuum, urbs contra urbem, Regnum contra Regnum. In die illo erunt quinque urbes in terra Ægypti, loquentes labio Canaanis, et jurantes Jehovæ Zebaoth; in die illo erit altare Jehovæ in medio Ægypti,*" xix. 2, 18, 19; per Ægyptum intelligitur naturalis homo et ejus ſcientificum; per quod pugnent vir contra fratrem et ſocius contra ſocium, intelligitur quod contra bonum et verum; urbs contra urbem et regnum contra regnum, ſignificat quod doctrina contra doctrinam et Eccleſia contra Eccleſiam; in die illo ſignificat adventum Domini et tunc ſtatum eorum qui naturales ſunt et in veris ſcientificis; quinque urbes in terra Ægypti loquentes labio Canaanis, ſignificant vera doctrinæ in copia quæ genuina Eccleſiæ, quinque ſunt plura aut in copia, urbes ſunt vera doctrinæ, labium Canaanis ſignificat genuina vera Eccleſiæ; altare Jehovæ ibi ſignificat cultum ex bono amoris. Apud Eundem, "*Devaſtatæ ſunt ſemitæ, ceſſavit tranſiens viam, faſtidivit urbes, non reputat hominem, luget langueſcit terra, Libanus emarcuit,*" xxxiii. 8, 9; ſemitæ quæ devaſtatæ, et via quæ non tranſitur, ſunt vera ducentia ad Cœlum, quæ ſunt vera Eccleſiæ; faſtidire urbes eſt vera doctrinæ; non reputare hominem eſt verum et bonum; terra quæ luget et langueſcit eſt Eccleſia quoad bonum; Libanus qui emarcuit eſt Eccleſia quoad verum. Apud Eundem, "*Canta ſterilis non pepererat, quia multi ſunt filii deſolatæ præ filiis maritatæ; amplifica locum tentorii tui, ſemen tuum gentes hæreditabit, et urbes deſolatas habitari facient,*" liv. 3; ſterilis quæ non pepererat ſignificat gentes apud quas nondum vera ex Verbo; filii deſolatæ ſunt vera quæ accepturi; filii maritatæ ſunt vera apud illos qui in Eccleſia; amplificare locum tentorii eſt quod illis cultus ex bono; ſemen eſt verum inde; gentes quas hæreditabit ſunt bona; urbes quæ habitabuntur ſunt doctrinæ inde. Apud Jeremiam, "*Adducam ſuper eos omne bonum, agros argento ement, idque ſcribendo in libello, in urbibus Jehudæ,* *et in urbibus montis, et in urbibus planitiei, et in urbibus meridiei,*" xxxii. 42, 44. Cap. xxxiii. 3; hæc dicuntur de illis in Eccleſia qui in bono et inde veris ſunt; agros argento emere eſt comparare ſibi bonum Eccleſiæ per vera; ſcribere in libello eſt implantare vitæ; urbes Jehudæ et urbes montis ſunt vera doctrinæ quæ illis qui e Regno cœleſti Domini ſunt; urbes planitiei et urbes meridiei ſunt vera doctrinæ quæ illis qui in Regno ſpirituali Domini ſunt. Apud Matthæum, "*Vos eſtis Lux mundi, non poteſt urbs quæ in monte expoſita eſt occulta eſſe, nec accendunt lucernam et ponunt illam ſubter modium,*" v. 14, 15; hæc dicta ſunt ad diſcipulos, per quos omnia vera et bona in complexu ſignificantur; quapropter dicitur vos eſtis lux mundi, per lucem enim ſignificatur Divinum Verum et inde intelligentia; quia illa ſignificata ſunt per vos eſtis lux mundi, ideo dicitur non poteſt urbs in monte poſita occulta eſſe, nec accendi lucerna et poni ſubter modium, per urbem enim in monte poſitam ſignificatur verum doctrinæ ex bono amoris, et per lucernam in genere verum ex bono et inde intelligentia. Apud Eundem, "*Omne Regnum diviſum contra ſe deſolatur, et omnis urbs et domus diviſa contra ſe non conſiſtit,*" xii. 25; per Regnum in ſpirituali ſenſu ſignificatur Eccleſia, per urbem et domum ejus doctrinæ verum et bonum, quæ non conſiſtunt ſed dilabuntur, ſi non unanimiter concordant. Apud Eundem, "*Jeſus mittit duodecim diſcipulos iis dicens, in viam gentium non abitote, et in urbem Samaritanorum non ingredimini; abitote potius ad oves deperditas domus Iſraelis,*" x. 5, 6; via gentium in quam non abirent, ſignificat falſum ex malo; urbs Samaritanorum quam non ingrederentur, ſignificat falſam doctrinam eorum qui rejiciunt Dominum; oves deperditæ domus Iſraelis ſignificant illos qui in bono charitatis ſunt et inde fide, Iſrael ſunt omnes illi ubicunque ſunt; quod urbs Samaritanorum ſignificet falſam doctrinam eorum qui rejiciunt Dominum, eſt quia Samaritani non admiſerunt Ipſum, videatur Luc. ix. 52 ad 56. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, quando perſequuntur vos in urbe una fugerent in aliam,* x. 23; per urbem hic quoque intelligitur doctrina falſi ex malo, quod ubi illa et non admitteretur doctrina veri, intelligitur per quod ſi perſequerentur in urbe una fugerent in aliam. Apud Lucam, "*Paterfamilias indignatus dixit ſervo, abi ocius in plateas et vicos urbis, ac pauperes, mancos, claudos et cæcos introduc huc,*" xiv. 21; quod abirent in plateas et vicos urbis ſignificat quod inquirerent ubi ſunt qui recipiunt vera doctrinæ; plateæ enim et vici ſunt vera doctrinæ, ut ſupra, et urbs eſt doctrina; pauperes, manci, claudi et cæci ſignificant illos qui non in veris et bonis ſunt, ſed uſque deſiderant illa; quinam in ſpecie ſignificantur per pauperes, quinam per mancos, claudos et cæcos, videatur ex Arcanis Cœlestibus in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 107. Apud Eundem, "*Homo nobilis abiens ut acciperet ſibi Regnum, dedit ſervis ſuis decem minas ad negotiandum, cum rediit vocari juſſit ſervos; acceſſit primus dicens, mina tua lucrata eſt decem minas, cui dixit, bone ſerve, quia ſuper minimo fidelis fuiſti, habebis poteſtatem ſuper decem urbes: mox venit ſecundus dicens, Domine, mina tua fecit quinque minas, cui dixit, tu quoque eſto ſuper quinque urbes,*" xix. 12 ad 19, ſeq. per hæc in ſenſu ſpirituali plura ſignificantur quam ut paucis exponi poſſit, ſolum quod per urbes ibi non intelligantur urbes, ſed doctrinalia veri et boni, et per habere poteſtatem ſuper illas intelligitur intelligentia et ſapientia, per decem multa, et per quinque aliqua; quod decem in Verbo ſignificent multum, videatur n. 1988, 3107, 4638, 9757; et quod quinque aliquid, n. 4638, 9604. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per nomen civitatis Dei mei, novæ Hieroſolymæ quæ deſcendit e Cœlo a Deo meo, ſignificetur Doctrina Novæ Eccleſiæ quæ eſt in Cœlis: quæ Doctrina etiam data eſt in peculiari Opuſculo quæ inſcribitur de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA CŒLESTI.

224. Et nomen meum novum, quod ſignificet quod etiam agnituri Divinum Humanum Domini, conſtat ex ſignificatione ſcribere ſuper illum Nomen meum novum, quod ſit quod agnituri Divinum Humanum Domini, ſcribere ſuper illum eſt implantare vitæ, videatur ſupra, n. 222, hic implantare fidei ex charitate, quia de illa fide in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur, videatur ſupra, n. 203; et implantare illi fidei eſt agnoſcere corde. Quod Nomen Domini novum ſit Divinum Humanum Ipſius, eſt quia in Libro hoc Prophetico, qui Apocalypſis vocatur, agitur de illis qui in Nova Hieroſolyma erunt, et de illis qui non erunt, ac non de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ, ut creditur, videatur ſupra, n. 5; ac illi qui in Nova Hieroſolyma erunt, omnes agnituri ſunt Divinum Humanum Domini; quare etiam in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ ultimo dicitur, "*Quod Trinum in Domino ſit, nempe Ipſum Divinum, Divinum Humanum et Divinum procedens, eſt arcanum e Cœlo, et pro illis qui in Sancta Hieroſolyma erunt,*" n. 297 ibi. Quod hoc ſit Nomen Domini novum, conſtare poteſt ex eo quod non prius in Eccleſia agnitum fuerit. Quid porro per Nomen Jehovæ, Domini, et Jeſu Chriſti in Verbo intelligitur, videatur ſupra, n. 26, 102, 135, 148: et quod intelligatur Divinum Humanum Domini, n. 26 et 102; quod Hoc per Nomen Jehovæ intelligatur, eſt cauſa quia Nomen in Verbo ſignificat quale ſtatus et rei, videatur ſupra, n. 148, et quale Divinum per quod omnia creata ſunt et fiunt in cœlis et in terris, eſt Divinum Humanum Domini, ſicut etiam dicitur apud Johannem, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et omnia per Ipſum facta ſunt, et abſque Eo factum eſt nihil quod factum eſt: et mundus per Ipſum factus eſt. Et Verbum Caro factum eſt, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipſius, gloriam ut Unigeniti a Patre, plenus gratia et veritate,*" i. 1, 2, 3, 10, 14: ex his conſtare poteſt, unde eſt quod per Nomen Jehovæ intelligatur Divinum Humanum Domini. Quod Hoc intellectum ſit in Verbo per Nomen Jehovæ, manifeſtat Ipſe Dominus apud Johannem, "*Jeſus dixit, Pater glorifica Nomen tuum, et venit vox e Cœlo dicens, et glorificavi et rurſus glorificabo,*" xii. 28; glorificare eſt Divinum facere: et apud Eundem, "*Jeſus dixit, manifeſtavi Tuum Nomen hominibus; et notum feci illis Nomen tuum, et notum faciam,*" xvii. 26.

225. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui intelligit auſcultet quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 108, dicta ſunt, ubi ſimilia.

226. Verſ. 14 ad 22. *Et Angelo Eccleſiæ Laodicenſium ſcribe; hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, principium opificii Dei. Novi tua opera, quod nec frigidus ſis nec calidus; utinam frigidus eſſes aut calidus. Itaque quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, futurum te evomam ex ore meo. Quod dicas quod dives*

ſim et locupletatus, et nullius opus habeam, et non ſcis quod tu ſis ærumnoſus, et miſerabilis et pauper, et cæcus et nudus. Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne ut diteſcas, et veſtimenta alba ut induaris, ne appareat pudor nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas. Ego quoſcunque amo, arguo et caſtigo; zelo age ergo et reſipiſce. Ecce ſto ad oſtium et pulſo; ſi quis audiverit vocem meam, et aperuerit oſtium, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille Mecum. Vincens dabo ei ſedere Mecum in throno meo, ſicut et Ego vici, et ſedeo cum Patre meo in Throno Ipſius. Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis. Et Angelo Eccleſiæ Laodicenſium ſcribe, ſignificat illos qui in ſola fide ſunt, ita qui in fide ſeparata a charitate: hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, ſignificat a Quo omne verum et omne fidei: principium opificii Dei, ſignificat fidem ab Ipſo quæ primum Eccleſiæ quoad apparentiam: novi tua opera, ſignificat vitam ſolius fidei: quod nec frigidus ſis nec calidus, ſignificat quod ſit, quia abſque charitate, inter cœlum et infernum: utinam frigidus eſſes aut calidus, ſignificat quod præſtet ut nulla fides, aut ut ſit ſola charitas: itaque quia tepidus es, ſignificat illos qui vivunt ex doctrina de ſola fide et juſtificatione: et nec frigidus nec calidus, ſignificat quia abſque charitate inter cœlum et infernum: futurum te evomam ex ore meo, ſignificat ſeparationem a cognitionibus ex Verbo: quod dicas quod dives ſim et locupletatus, et nullius opus habeam, ſignificat fidem eorum quod credant ſe in veris eſſe præ aliis: et non ſcis quod tu ſis ærumnoſus, ſignificat quod non ſciant quod falſa eorum cum veris nullam cohærentiam habeant: et miſerabilis et pauper, ſignificat quod nec ſciant quod illis non ſint cognitiones veri nec cognitiones boni: et cæcus et nudus, ſignificat quod ſint abſque intellectu veri et abſque intellectu et voluntate boni: ſuadeo tibi, ſignificat medium reformationis illorum qui in doctrina de ſola fide: emere a Me aurum exploratum igne ut ditatus ſis, ſignificat ut a Domino comparent ſibi genuinum bonum ut recipere poſſint vera fidei: et veſtimenta alba ut induaris, ſignificat et genuina vera et inde intelligentiam: ne appareat pudor nuditatis tuæ, ſignificat ne ſpurci amores: et collyrio inunge oculos ut videas, ſignificat ut aliquantum aperiatur intellectus: Ego quoſcunque amo, arguo et caſtigo, ſignificat tentationes tunc: zelo age ergo et reſipiſce, ſignificat ut ſit illis charitas: ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſignificat præſentiam Domini perpetuam: ſi quis audiverit vocem meam, ſignificat qui attendit ad præcepta Domini: et aperuerit oſtium, ſignificat receptionem corde ſeu vitam: intrabo ad illum, ſignificat conjunctionem: cœnabo cum illo et ille Mecum, ſignificat communicationem cum eis felicitatum cœli: vincens dabo ei ſedere Mecum in throno meo, ſignificat qui tunc permanet ad finem vitæ quod conjunctus erit cœlo ubi Dominus: ſicut et Ego vici, et ſedeo cum Patre meo in Throno Ipſius, ſignificat comparative ſicut Divinum Bonum eſt unitum Divino Vero in Cœlo: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui intelligit auſcultet, quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt.

227. Et Angelo Eccleſiæ Laodicenſium ſcribe, quod ſignificet illos qui in ſola fide ſunt, ita qui in fide ſeparata a charitate, conſtat ex ſenſu interno ſeu ſpirituali omnium quæ ad Angelum hujus Eccleſiæ ſcripta ſunt, nam quodnam eſſentiale Eccleſiæ intelligitur in ſcripto ad quamlibet Eccleſiam,

non aliunde quam ex illo ſenſu patet; ſunt enim Prophetica, et omnia Prophetica, ſicut omnia Verbi in genere, ſcripta ſunt per correſpondentias, ob cauſam, ut per illa conjunctio ſit Cœli cum Eccleſia, per correſpondentias ſit conjunctio; Cœlum enim ſeu Angeli ibi intelligunt omnia ſpiritualiter quæ homo naturaliter, et inter naturalia et ſpiritualia eſt perpetua correſpondentia, et per correſpondentias talis conjunctio qualis eſt animæ et corporis; inde eſt, quod Verbum tali ſtylo conſcriptum ſit, alioquin non foret anima inibi, proinde nec cœlum, et ſi non cœlum nec foret Divinum: inde nunc eſt quod dictum ſit, quod ex interno ſeu ſpirituali ſenſu omnium quæ in ſcripto ad quamlibet Eccleſiam ſunt, pateat quodnam Eccleſiæ intelligitur; ita quod in his quæ ad Angelum hujus Eccleſiæ ſcripta ſunt, agatur de illis qui in ſola fide ſunt, ſeu in fide ſeparata a charitate. Fides ſeparata a charitate dicitur, et per id intelligitur fides ſeparata a vita, nam charitas eſt vitæ; quare cum fides inde ſeparata eſt, illa non eſt in homine, ſed eſt extra illum; quod enim reſidet ſolum in memoria, et inde deſumitur in cogitationem, ac non intrat voluntatem hominis et inde in actum, hoc non eſt intra illum ſed extra illum; memoria enim et inde cogitatio eſt modo ſicut atrium, per quod intratur in domum, domus eſt voluntas: talis eſt ſola fides, ſeu fides ſeparata a charitate. Præterea qualis illa fides eſt, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 108 ad 122: tum in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39: ac in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 270, 271, 364, 482, 526: ut et ſupra in Explicatione ſuper Apocalypſin, n. 204, 211, 212, 213. Porro quid Charitas et quid Proximus, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 84 ad 107: in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13 ad 19, 528 ad 535: ac ſupra in Explicatione, n. 182, 198, 213.

228. Hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, quod ſignificet a Quo omne verum, et omne fidei, conſtat ex ſignificatione Amen, quod ſit Veritas ſeu Verum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione Teſtis fidelis et veri, cum de Domino, quod ſit omne fidei ab Ipſo; Teſtis enim, cum de Domino, ſignificat Divinum Verum quod ab Ipſo, et inde omne fidei, nam fides eſt veri et verum eſt fidei: Divinum Verum procedens a Domino dicitur Teſtis, quia eſt Divinum Ipſius in Cœlo et in Eccleſia, in Quo Ipſe eſt, et Quod Ipſe eſt ibi; Hoc enim procedit ex Divino Humano Ipſius, et implet totum Cœlum, ac format et facit illud; inde eſt, quod Cœlum in toto complexu referat unum Hominem: quia Divinum Verum inde eſt, et tale eſt, ideo dicitur Teſtis, teſtatur enim de Divino Humano Domini, ac manifeſtat Illud apud omnes qui recipiunt Divinum Verum ab Ipſo: ex hoc eſt, quod Angeli ſuperiorum Cœlorum non aliud Divinum percipiant, et percipere poſſint quam Divinum Humanum Domini, & hoc ex influxu totius Cœli in mentes eorum: inde conſtare poteſt unde eſt quod Teſtis, cum de Domino, ſignificet Ipſum quoad Divinum Verum in Cœlo et in Eccleſia; et quod Teſtari, cum de illis qui recipiunt Divinum Verum a Domino, ſignificet agnoſcere corde Divinum Domini in Humano Ipſius, videatur ſupra n. 27: Quod Cœlum in toto et in parte referat unum Hominem, et quod hoc ſit ex Divino Humano Domini, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 86, ſeq. et n. 101: et quod Divinum procedens a Domino, quod format Cœlum, et angelos ad imaginem Cœli, ſit Divinum Verum, n. 13, 133,

138,

138, 139, 140. Divinum hoc Verum vocatur a Domino Paracletus Spiritus veritatis, de quo dicitur quod teſtetur de Ipſo, et quod ſit ab Ipſo; quod teſtetur de Ipſo, apud Johannem, “*Quando venerit Paracletus Spiritus veritatis, Ille teſtabitur de Me,*” xv. 26: et quod ſit ab Ipſo, apud Eundem, “*Paracletus Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem; non enim loquetur a ſemet, ſed quæcunque audiverit loquetur: Ille Me glorificabit, quia ex Meo accipiet et annuntiabit vobis: omnia quæcunque Pater habet, Mea ſunt, propter hoc dixi, quod a Meo accepturus ſit et annuntiaturus vobis,*” xvi. 13, 14, 15; quod Divinum Verum ſit ex Domino, intelligitur per quod non loquetur ex ſemet, ſed quod ex Meo accipiet et annuntiabit vobis; quod ſit ex Divino Humano Domini, per hæc, omnia quæcunque Pater habet, Mea ſunt, propter hoc dixi, quod ex Meo accepturus ſit et annuntiaturus vobis; et quod Illud Divinum Humanum Domini manifeſtet, per hæc, Ille Me glorificabit, glorificare eſt Divinum Humanum Domini notum facere, quod id ſit glorificare, cum de Domino, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 294. Simile ſignificatur per hæc Domini verba, “*Ego veritatem vobis dico, prodeſt ut abeam; ſi abivero mittam Paracletum Spiritum veritatis ad vos,*” Joh. xvi. 7, 8; inde patet, quod ſit ex Divino Humano Ipſius. Quod Dominus Se dicat Amen, eſt quia Amen ſignificat Veritatem, ita Ipſum Dominum, quia cum in Mundo fuit, erat ipſa Divina Veritas, ſeu ipſum Divinum Verum; quæ etiam cauſa erat, quod Dominus toties dixerit Amen, et Amen Amen, ut Matth. v. 18, 26. Cap. vi. 16. Cap. x. 23, 42. Cap. xvii. 20. Cap. xviii. 3, 13, 18. Cap. xxiv. 2. Cap. xxviii. 20. Joh. i. 52. Cap. iii. 11. Cap. v. 19, 24, 25. Cap. vi. 27, 32, 47, 53. Cap. viii. 34, 51, 58. Cap. x. 1, 7, 24. Cap. xiii. 16, 20, 21. Cap. xxi. 18, 25. Quod Dominus fuerit ipſum Divinum Verum cum erat in mundo, Ipſe docet apud Johannem, “*Ego ſum Via, Veritas, et Vita,*” xiv. 6: et apud Eundem, “*Pro illis Ego ſanctifico Me Ipſum, ut etiam illi ſint ſanctificati in Veritate,*” xvii. 19; quod ſanctum in Verbo dicatur de Divino Vero, ac ſanctificari de illis qui recipiunt illud, videatur ſupra n. 204; inde ſanctificare Se Ipſum, eſt Humanum ſuum Divinum facere; ſed de his plura videantur quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt in locis inde citatis in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 303, 304, 305, 306. Præterea quod Amen ſignificet confirmationem Divinam, videatur ſupra n. 34; ut quoque in Veteri Teſtamento, Deut. xxvii. 15 ad 25. 1 Reg. i. 36. Eſaj. lxv. 16. Jerem. xi. 5. Cap. xxviii. 6. Pſalm. lxi. 14. lxxii. 19. lxxxix. 53. cvi. 48.

229. Principium opificii Dei, quod ſignificet fidem ab Ipſo, quæ primum Eccleſiæ quoad apparentiam, conſtat a ſignificatione principii, quod ſit primum; et ex ſignificatione opificii Dei, quod ſit Eccleſia, de qua ſequitur; quod fides ſit quæ intelligitur per principium opificii Dei, eſt quia de illa in ſcriptis ad hujus Eccleſiæ Angelum agitur; quod autem fides ſit principium opificii Dei, hoc eſt, primum Eccleſiæ ad apparentiam, nunc dicetur: per fidem hic intelligitur fides a Domino, nam fides non a Domino non eſt fides Eccleſiæ, ac fides a Domino eſt fides charitatis, hæc fides eſt primum Eccleſiæ quoad apparentiam, quia primum apparet homini Eccleſiæ, at ipſa charitas eſt actualiter primum Eccleſiæ, quia hæc facit Eccleſiam apud

hominem: ſunt duo quæ faciunt Eccleſiam, Charitas et Fides, charitas eſt affectionis, et fides eſt cogitationis inde, ipſa eſſentia cogitationis eſt affectio, nam abſque affectione nemo cogitare poteſt, omne vitæ quod ineſt cogitationi eſt ex affectione; inde patet, quod primum Eccleſiæ ſit affectio quæ eſt charitatis ſeu amoris; at quod fides dicatur primum Eccleſiæ, eſt quia primum apparet, quod enim homo credit, hoc cogitat et cogitatione videt, at id quo homo ſpiritualiter afficitur, non cogitat, quare nec cogitatione videt, verum percipit ſenſu quodam qui non ſe refert ad viſum ſed ad ſenſitivum aliud quod vocatur ſenſitivum jucundi, hoc jucundum quia eſt ſpirituale, ac ſupra ſenſum jucundi naturalis, homo non percipit, niſi dum ſpiritualis factus eſt, hoc eſt, cum regeneratus eſt a Domino; inde eſt, quod illa quæ fidei ſunt, ita quæ viſus, credantur eſſe prima Eccleſiæ, tametſi non prima ſunt niſi quoad apparentiam: hoc ergo vocatur principium opificii Dei, quia Verbum in litera eſt ſecundum apparentiam; eſt enim pro ſimplicibus; at ſpirituales homines, ſicut Angeli, elevantur ſupra apparentias, ac percipiunt Verbum quale eſt in ſuo ſenſu interno, conſequenter quod charitas ſit primum Eccleſiæ ac fides inde; nam, ut ſupra dictum eſt, fides quæ non eſt ex charitate, et quæ non eſt charitatis non eſt fides; de qua re etiam videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39. Ab antiquis uſque temporibus controverſum eſt, quid primum Eccleſiæ eſt, num Fides vel num Charitas, et illi qui neſciverunt quid charitas, dixerunt eſſe Fidem, at qui ſciverunt quid charitas dixerunt eſſe Charitatem, ac fidem eſſe charitatem quoad apparentiam, quoniam affectio charitatis apparens ad viſum in cogitatione eſt fides, jucundum enim affectionis cum tranſit a voluntate in cogitationem ſe format, ac in variis formis ſe ſiſtit videndum: hoc non ſciverunt ſimplices, quare arripuerunt pro primo Eccleſiæ quod coram viſu cogitationis eorum apparuit; et quia Verbum in litera eſt ſecundum apparentias, ideo hoc vocatur ibi primum, principium, et primogenitum. Ob hanc cauſam Petrus, per quem repræſentata eſt Fides Eccleſiæ, dictus eſt Primus Apoſtolorum, cum tamen Johannes erat primus, quoniam per Johannem repræſentatum eſt bonum charitatis; quod non Petrus ſed Johannes eſſet primus Apoſtolorum, patet ex eo quod Johannes accubuerit ad pectus Domini, et quod ſequutus ſit Dominum et non Petrus, Joh. xxi. 20, 21, 22: quod per duodecim Diſcipulos Domini repræſentata fuerint omnia Vera et Bona Eccleſiæ, videatur n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397: quod per Petrum repræſentata ſit Fides, n. 4738, 6000, 6073, 6344, 10087, 10580: et quod per Johannem repræſentatum ſit Bonum Charitatis, n. 3934, 10081, 10087. Ob eandem etiam cauſam per Rubenem, quia primogenitus filiorum Jacobi fuit, repræſentata eſt Fides, et creditum quod Tribus ab illo nominata eſſet prima, ſed uſque non illa Tribus erat prima, verum Tribus Levi, quoniam per Levi repræſentatum eſt Bonum Charitatis, quare etiam hæc Tribus facta eſt ſacerdotium, ac ſacerdotium eſt primum Eccleſiæ: quod per duodecim filios Jacobi, ſeu per duodecim Tribus ab illis nominatas repræſentata fuerint omnia Vera et Bona Eccleſiæ, videatur n. 3858, 3926, 4060, 6335, 7836, 7891, 7996: quod per Rubenem repræſentata ſit Fides, n. 3861, 3866, 4605, 4731, 4734, 4761, 6342 ad 6345: et quod per Levi repræſentatum ſit bonum charitatis, n. 3875, 4497, 4502, 4503. Ob eandem cauſam etiam eſt, quod in Primo Capite Geneſeos, ubi agitur in ſenſu literæ de creatione Cœli et Terræ, ſed in ſenſu interno de nova creatione ſeu regeneratione hominis Eccleſiæ tunc, dicatur, quod primum facta ſit Lux, ac poſtea Sol et Luna, videatur ibi Verſ. 3 ad 5, et 14 ad 19, cum tamen Sol eſt primum et Lux eſt inde; quod Lux primum creationis dicta fuerit, erat quia per Lucem ſignificatur verum fidei, ac per Solem et Lunam bonum amoris et charitatis: quod per creationem Cœli et Terræ in Primo Capite Geneſeos in ſenſu ſpirituali intelligatur et deſcribatur nova creatio hominis Eccleſiæ cœleſtis ſeu regeneratio ejus, videatur in Explicatione illius Capitis in Arcanis Cœlestibus, tum n. 8891, 9942, 10545: quod Lux ſignificet Verum ex bono, ita quoque verum fidei, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140: ac quod Sol ſignificet bonum amoris et Luna bonum charitatis, utrumque a Domino, in eodem Opere, n. 116 ad 125, 146. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificat principium opificii Dei, quod nempe fidem a Domino quæ primum Eccleſiæ quoad apparentiam.

230. Novi tua opera, quod ſignificet vitam ſolius fidei, conſtat ex ſignificatione operum, quod ſint illa quæ ſunt interioris vitæ hominis, quia opera ab illis procedunt, ac ſunt eorum effectus, de qua ſupra n. 157, 185; hic itaque ſignificant vitam ſolius fidei, quia in ſcriptis ad hanc Eccleſiam de ea agitur. Ad ſingulas Eccleſias præmittitur, *novi tua opera*, ac ubivis ſignificant illa Eccleſiæ, de quibus agitur, videatur ſupra n. 98: qualis itaque vita ſolius fidei eſt ſeu fidei ſeparatæ a charitate, deſcribitur in nunc ſequentibus.

231. Quod nec frigidus ſis nec calidus, quod ſignificet quod ſit, quia abſque charitate, inter Cœlum et Infernum, conſtat ex ſignificatione frigidi, quod ſit qui non in amore ſpirituali ſed in amore infernali, de qua ſequitur; et ex ſignificatione calidi, quod ſit qui in amore ſpirituali, de qua etiam ſequitur; inde patet, quod per quod nec frigidus ſis nec calidus, ſignificetur quod nec ſit in amore infernali nec in amore ſpirituali, ſed inter utrumque, et qui eſt inter utrumque is eſt inter Infernum et Cœlum. Quod tales ſint qui in ſola fide ſeu in fide ſeparata a charitate, nondum ſcitum eſt, ſed quod illi ſint, patet ex ſingulis quæ ad Angelum hujus Eccleſiæ ſcripta ſunt; et præterea ex eo, quod qui in fide ſeparata a charitate ſunt, vivant ſibi, mundo et genio, et qui ita vivunt, in amore infernali ſunt; et quod uſque per lectionem Verbi, per auditionem prædicationum inde, per uſurpationem ſanctæ Cœnæ, et per plura quæ memoria tenus retinent ex Verbo, ſpectent ad Cœlum, et cum hoc faciunt, in aliquo calore ſpirituali ſunt, ſed quia uſque non eſt calor ſeu amor ſpiritualis, quia non vivunt ſecundum Verbum, ideo non calidi ſunt nec frigidi: ſic etiam dividunt Mentem in binas partes, nempe per illa quæ ſunt Verbi ſe vertunt ad Cœlum, et per illa quæ ſunt vitæ ſe vertunt ad Infernum, ita hærent inter utrumque: qui tales ſunt, dum in alteram vitam veniunt, cupiunt ad Cœlum, dicentes ſe fidem habuiſſe, legiſſe Verbum, audiviſſe prædicationes, frequentaſſe ſacram Cœnam, ac per illa ſalvandos eſſe; ſed cum exploratur vita eorum, apparet ea prorſus

infernalis, quod nempe nihili fecerint inimicitias, nihili odium, nihili vindictas, nihili aſtus, nihili machinationes doloſas; rectum, ſincerum, juſtum, quæ fecerunt, ſolum in externa forma fecerunt, ob cauſam ut appareant tales mundo, at interius in ſe ſeu in ſuo ſpiritu cogitaverunt alia, ac multi contraria, credentes quod cogitationes et intentiones nihil faciant, modo coram mundo non eluceant; inde eſt, quod ſpiritus eorum, cum ſolutus eſt a vinculo cum corpore terreſtri, talis ſit, nam ſpiritus hominis eſt, qui cogitat et intendit. Hi ſunt qui intelliguntur per Domini verba, "*Multi dicent Mihi in illo die, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus; et per Nomen tuum dæmonia ejecimus, et in Nomine tuo multas virtutes fecimus; at tunc confitebor illis, nunquam novi vos, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis,*" Matth. vii. 19 ad 27. Tum quoque per hæc, "*Cum cœperitis foris ſtare et pulſare oſtium, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis, ſed reſpondens dicet, non novi vos unde ſitis: tunc incipietis dicere, edimus coram Te, et bibimus, et in plateis noſtris docuiſti; ſed dicet, dico vobis, non novi vos unde ſitis, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis,*" Luc. xiii. 24 ad 27. Quod frigus ſignificet amorem infernalem, eſt quia calor ſignificat amorem cœleſtem; quod calor ſignificet amorem cœleſtem, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140, 567, 568; et quod Amor in Dominum et Amor erga proximum ſeu charitas ſint amores cœleſtes, et faciant Cœlum, in eodem Opere, n. 13 ad 19; et quod amor ſui et amor mundi ſint amores infernales et faciant Infernum, ibi n. 551 ad 565. Quod in Infernis etiam ſit Calor, ſed immundus, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1773, 2757, 3340: ſed quod ille Calor vertatur in frigus, cum influit calor cœleſtis, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 572.

232. Utinam frigidus eſſes aut calidus, quod ſignificet quod præſtet ut nulla fides, aut ut ſit ſola charitas, conſtat ex ſignificatione utinam frigidus eſſes, quod ſit quod præſtet ut nulla fides ſit, de qua ſequitur; et ex ſignificatione aut calidus, quod ſit ut ſit ſola charitas; quid ſola charitas, dicetur in ſequentibus; hic primum quid nulla fides. Eſt quidem illis, qui in doctrina de ſola fide, nulla fides, ſed eſt nulla fides ſpiritualis, ſeu nulla fides Eccleſiæ, aſt eſt fides naturalis, quæ etiam fides perſuaſiva dicenda eſt; credunt enim quod Verbum ſit Divinum, credunt vitam æternam, et credunt remiſſionem peccatorum, et plura alia; ſed fides illa apud eos qui abſque charitate ſunt, eſt fides perſuaſiva, quæ in ſe ſpectata non differt a fide rerum ignotarum quæ audiuntur ab aliis in mundo, et creduntur tametſi non viſæ aut non intellectæ, ſed quia dictæ a quodam, quem putant fide dignum, ita eſt fides alius in ſe et non ſua; et fides alius in ſe et non facta ſua per viſum et intellectum non abſimilis eſt fidei cæci nati de coloribus et aſpectabilibus mundi cui etiam tactus gravis eſt, de quibus extraneam ideam habet, quam nemo novit quam ipſe; hæc fides eſt quæ vocatur fides hiſtorica, et nullatenus fides ſpiritualis qualis erit fides Eccleſiæ: fides ſpiritualis ſeu fides Eccleſiæ omnis eſt ex charitate, ſic ut in ſua eſſentia ſit charitas, etiam res ſpirituales quæ creduntur, apparent in luce illis qui in charitate ſunt; ab experientia hoc dico, quiſque enim, qui in mundo in charitate vixit, in altera vita videt ſua vera quæ credit, at qui in

ſola fide fuerunt, prorſus nihil vident. Sed uſque fides ſolum hiſtorica per cogitationem de Deo, de Cœlo, deque vita æterna, aliquam conjunctionem habet cum Cœlo, verum ſolum per cogitationem obſcuram, non autem per affectionem quæ eſt charitatis, hæc enim nulla eſt, quapropter per affectionem quæ illis, quæ eſt affectio amoris ſui et mundi, conjuncti ſunt Inferno; inde conſtare poteſt, quod ſint inter cœlum et infernum, ſpectant nempe oculis ad cœlum, et corde ad infernum; et qui ita faciunt illi prophanant; ac prophanatorum ſors in altera vita omnium peſſima eſt; prophanare eſt credere Deum, Verbum, vitam æternam, et plura quæ in ſenſu literæ Verbi dicuntur, et uſque vivere contra illa. Inde nunc eſt, quod dicatur, utinam frigidus eſſes aut calidus, nam qui frigidus eſt, hoc eſt, abſque fide, non prophanat, nec qui calidus, hoc eſt, cui ſola charitas: quid Prophanatio, et qualis illa, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 169, 172: et quid et qualis fides perſuaſiva, n. 116 ad 119; tum quod nulla fides ſpiritualis ſit, ubi non charitas, in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 33 ad 39. Paucis nunc dicetur quid ſola Charitas; Charitas in ſe ſpectata eſt affectio ſpiritualis; at ſola charitas eſt affectio naturalis et non ſpiritualis; ipſa enim Charitas, quæ eſt affectio ſpiritualis, formatur per vera ex Verbo, et quantum per illa formatur, tantum ſpiritualis eſt; at ſola charitas, quæ eſt affectio naturalis, non formatur per aliqua vera ex Verbo, ſed exiſtit apud hominem ex auditione prædicationum præter quod attendat ad vera et diſcat illa; proinde ſola charitas etiam eſt abſque fide, nam fides eſt veri et verum eſt fidei.

233. Itaque quia tepidus es, quod ſignificet illos qui vivunt ex doctrina de ſola fide et juſtificatione per illam, conſtat ex ſignificatione tepidi, quod ſint qui inter cœlum et infernum ſunt, et per id ſerviunt duobus Dominis; quod illi qui cogitant, credunt et vivunt ex doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam, tales ſint, nondum notum eſt, quapropter manifeſtabitur: ſunt duo ſtatus fidei et inde vitæ, ſeu vitæ et inde fidei hominum qui in Eccleſia, unus eſt ex doctrina, et alter eſt ex Verbo aut ex Prædicatione ex Verbo; quod duo hi ſtatus ſint, vix aliquis novit; quod tamen ſint, et quod apud aliquos unum agant, et apud plures non unum agant, datum eſt per vivam experientiam apud ſpiritus recentes e mundo videre et cognoſcere, quoniam illi ſecum ferunt omnes ſtatus vitæ ſuæ; hoc autem apud homines, dum vivunt in mundo, non videri et cognoſci poteſt, quoniam quid hominis ſpiritus apud ſe cogitat, credit et amat in ſpiritualibus, non propalari poteſt ulli quam per loquelam et externa facta, et hæc procedunt quoad illa quæ fidei ſunt vel ex doctrina recepta in Eccleſia, vel ex præceptis Domini e Verbo abſque cogitatione ex doctrina, illud apud Eruditos, hoc apud ſimplices. Qualis itaque eſt ſtatus cogitationis, fidei et vitæ ex doctrina, primum dicetur; doctrina Eccleſiarum in Chriſtiano Orbe hodie dictat, quod ſola fides ſalvet, et quod vita amoris nihil faciat; tum quod homo cum recepit fidem, juſtus ſit, et cum ita juſtificatus eſt quod dein non aliquid mali ei imputetur; proinde quod ſalvetur omnis homo, etiam malus, ſi modo fidem habeat vel fidem recipiat, etiamſi id foret in ultima vitæ hora; qui itaque ex doctrina cogitant et vivunt, illi omittunt bona, quia credunt illa nihil afficere hominem ſeu

efficere ad ſalutem; et illi quoque non curant mala cogitationis et voluntatis ſuæ, ſive ſint contemtus aliorum præ ſe, ſive ſint inimicitiæ, odia, vindictæ, aſtus, doli, ac ſimilia alia, quia credunt talia non imputari illis qui juſtificati ſunt per fidem; dicentes corde ſe non ſub jugo legis eſſe, quia Dominus pro illis implevit legem, nec in damnatione quia Dominus illam ſuſtulit; inde nunc eſt, quod illi qui ex doctrina de ſola fide et de juſtificatione cogitant, vivunt, et credunt, nihil in vita ſua ſpectent ad Deum, ſed ſolum ad ſemet et ad mundum, et qui ſolum ad ſemet et ad mundum ſpectant in curſu vitæ ſuæ, illi adjungunt ſe infernis, nam omnes qui in infernis ſunt, nihili faciunt bonum, et nihili malum: verbo vivere ex doctrina illa, eſt ſe confirmare in vita, quod perinde ſit ſi bonum cogitent, velint et faciant, quia non inde ſalus, et quoque quod perinde ſit ſi malum cogitent, velint, et quantum non timent leges, faciant, quia non inde damnatio, modo habeant confidentiam ſeu fiduciam, quæ vocatur fides ſalvans, de qua in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 115: quod illi tepidi ſint, patet ex eo, quando ex Doctrina illa cogitant, loquuntur aut prædicant, quod de Deo, de Domino, de Verbo, de Vita æterna, cogitent, loquantur et prædicent, at prorſus nihil dum extra Doctrinam ſunt; per illam cogitationem ſpectant ad Cœlum, ſed per vitam conjungunt ſe inferno, quapropter inter Cœlum et Infernum ſunt; et qui inter utrumque ſunt, tepidi ſunt. Hæc dicta ſunt de ſtatu fidei et inde vitæ hominum intra Eccleſiam ex doctrina, nunc dicetur de ſtatu fidei et inde vitæ hominum Eccleſiæ ex Verbo: illi qui nati ſunt intra Eccleſias, ubi doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam recepta eſt, quoad plurimam partem non ſciunt quid ſola fides, nec quid intelligitur per juſtificationem, quare cum audiunt illa ex prædicatione, cogitant quod intelligatur vita ſecundum præcepta Dei in Verbo, hoc enim credunt eſſe fidem et quoque juſtificationem, altius non intrant in arcana doctrinæ; hi quoque cum inſtruuntur de ſola fide et de juſtificatione, non aliter credunt, quam quod ſola fides ſit cogitare de Deo et de ſalute, et quomodo vivendum; et quod juſtificatio ſit vivere coram Deo; in hoc ſtatu cogitationis et fidei tenentur a Domino omnes intra Eccleſiam qui ſalvantur, et quoque poſt exceſſum e mundo illuſtrantur in veris, nam recipere illuſtrationem poſſunt; illi autem qui vixerunt ex Doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam, de quibus ſupra, occæcantur, ex cauſa quia ſola fides eſt nulla fides, et inde juſtificatio per ſolam fidem eſt res nihili; quod ſola fides ſit nulla fides, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39. Ex his conſtare poteſt, quinam per tepidos intelliguntur, quod nempe illi qui dicunt corde, quid refert ſi bonum cogitem, velim et faciam, quia per id nulla ſalus, ſatis eſt quod habeam fidem; et quoque quid refert ſi malum cogitem et velim, quia per id nulla damnatio, relaxantes ſic omnia fræna ſuis cogitationibus et intentionibus, ita ſuo ſpiritui, nam ſpiritus eſt qui cogitat et intendit, et fit prorſus ſecundum id. At ſciendum eſt, quod perpauci ſint qui ex doctrina ita vivunt, tametſi a prædicatoribus creditur, quod omnes qui prædicationes eorum audiunt, ex Divina enim Domini Providentia eſt quod perpauci ſint; ex cauſa quia ſors Tepidorum non abſimilis eſt ſorti prophanatorum, et ſors prophanatorum eſt, quod illis, poſt vitam in mundo, auferantur omnia quæ ſciverunt ex

Verbo, ac dein relinquantur ſui ſpiritus cogitationi et amori; et cum cogitatio quæ fuerat eis ex Verbo ablata eſt, fiunt omnium ſtupidiſſimi, apparent etiam in luce cœli ſicut aduſta ſceleta aliqua cute circuminducta: de Prophanatione et de ſorte illorum qui prophanant, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 172.

234. Et nec frigidus nec calidus, quod ſignificet quia abſque charitate inter Cœlum et Infernum, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 231, dicta et oſtenſa ſunt.

235. Futurum te evomam ex ore meo, quod ſignificet ſeparationem a cognitionibus ex Verbo, conſtat ex ſignificatione evomere, cum a Domino, quod ſit ſeparatio, non quod Dominus illos ſeparet a ſe, ſed quod illi ſe ſeparent a Domino: evomere dicitur, quia agitur de tepido, et tepidum in mundo cauſatur evomitionem; eſt etiam ex correſpondentia, nam cibus, quem ſumit homo, correſpondet cognitionibus, ac inde in Verbo ſignificat illas; quare ſeparatio ab illis ſignificat non admiſſionem, verum quia aliquid e Verbo admittunt, ſignificat ejectionem ſeu evomitionem; quod Cibus ex correſpondentia ſignificet cognitiones et inde intelligentiam, videatur n. 3114, 4459, 4792, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656, 8562; ex cauſa quia cognitiones nutriunt internum hominem ſeu ſpiritum, ſicut cibi nutriunt externum hominem ſeu corpus, n. 4459, 5293, 5576, 6277, 8418; et ex ſignificatione ex ore, cum de Domino, quod ſit ex Verbo; quod ex ore, cum de Domino, ſignificet Verbum, eſt quia Verbum eſt Divinum Verum, et hoc procedit a Domino, ac quod procedit ac influit apud hominem, dicitur ex ore, tametſi non ex ore, ſed ſicut lux ex Sole, nam Dominus ſupra cœlos, ubi Angeli, apparet ut Sol, ac inde Lux eſt Divinum Verum, a quo omnis intelligentia et ſapientia eſt angelis et hominibus, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125, et 126 ad 140: inde conſtare poteſt, quod evomere ex ore meo, ſignificet ſeparare a Divino Vero, ſeu quod idem, a cognitionibus e Verbo. Quod illi qui tepidi ſunt, hoc eſt, non frigidi nec calidi, qui ſunt qui vivunt ex Doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam, de qua re mox ſupra, ſeparati ſint a cognitionibus e Verbo, ipſi non ſciunt; credunt enim quod in cognitionibus ſint præ aliis, ſed uſque non ſunt, imo vix in aliqua; quod non ſint, eſt cauſa quia principia doctrinæ et religionis eorum ſunt falſa, et ex falſis principiis non ſequuntur niſi quam falſa; quapropter cum legunt Verbum, detinent mentem in ſuis falſis, unde vel non vident vera, et ſi vident vel illa prætereunt vel falſificant: principia falſa ſunt, quod ſalvatio ſit per ſolam fidem, et quod per illam juſtificetur homo; quod ſeparati ſint a cognitionibus e Verbo, et quod non videant ibi vera, ipſi ſcire poſſunt ſi volunt; quid enim frequentius a Domino dicitur, quam quod debeant facere verba Ipſius, mandata Ipſius, voluntatem Ipſius, et quod cuilibet retribuetur ſecundum facta; tum quod totum Verbum fundetur ſuper binis mandatis, quæ ſunt amare Deum et amare proximum, et quod amare Deum ſit facere præcepta Ipſius, Joh. xiii. 21, 23, 24; quod facere debeant, ut ſalventur, hoc in utroque Teſtamento millies dictum eſt, tum quod audire et ſcire nihil ſint niſi faciant; ſed illi qui apud ſe confirmaverunt ſolam fidem et juſtificationem per illam, an videant illa, et ſi vident annon falſificent

illa; inde eſt quod illis nulla doctrina vitæ ſit, ſed doctrina ſolius fidei, cum tamen vita facit hominem Eccleſiæ, ac illa fiunt fidei ejus quæ ſunt vitæ ejus. Quod ſeparati ſint a cognitionibus e Verbo, etiam conſtare poteſt ex eo, quod non ſciant quod vivant poſt mortem corporis ſicut homines; quod illis ſpiritus ſit qui vivit; quod Cœlum ſit ex humano Genere et quoque Infernum; quod prorſus nihil ſciant de Cœlo, et de gaudio cœleſti; nihil de Inferno et de igne infernali; ita nihil de Mundo ſpirituali; nihil de ſenſu Verbi interno ſeu ſpirituali; nihil de Glorificatione Humani Domini; nihil de Regeneratione; de Tentatione; de Baptiſmo quid involvit; de Sancta Cœna quid ibi ſignificat Caro et Sanguis, ſeu Panis et Vinum; nihil de Libero Arbitrio; nihil de Interno homine; nihil de Charitate, de Proximo, de Bono, de Amore; nec ſciunt quid remiſſio peccatorum, præter plura alia: audivi etiam Angelos dicentes, quod quando datur illis ſpectare in Eccleſiam, et videre illos qui credunt ſe ex doctrina intelligentes eſſe, quod videant meram caliginem, et illos quaſi alte ſub undis. Separantur a cognitionibus e Verbo ex binis cauſis, prima eſt, quod non illuſtrari poſſint a Domino, influit enim Dominus in bonum hominis, et ex illo illuſtrat illum in veris, hoc eſt, influit in amorem hominis et inde in fidem: altera cauſa eſt, quia prophanant vera per falſificationes, et qui ita faciunt, illi ſeparantur ab ipſis veris, dum in mundo vivunt, ut non ſciant illa, in altera autem vita rejiciunt a ſe omnia quæ in mundo ſciverunt ex Verbo; hæc et illa ſeparatio intelligitur per evomi ex ore: ſimilia intelliguntur per evomere et per vomitum alibi in Verbo; ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Jehovah commiſcuit in medio Ægypti ſpiritum perverſitatum; unde ſeduxerunt Ægyptum in omni opere ejus, quemadmodum ſeducitur ebrius in vomitu ſuo,*" xix. 14; per Ægyptum ſignificatur ſcientia rerum tam ſpiritualium quam naturalium; per commiſcere in medio ejus ſpiritum perverſitatum, ſignificatur pervertere et falſificare illa; per ebrium ſignificantur illi qui inſaniunt in ſpiritualibus; et quia vera commixta falſis ejiciuntur, ideo dicitur quemadmodum ebrius ſeducitur in vomitu ſuo. Quod Ægyptus ſignificet ſcientiam, videatur n. 1164, 1165, 1186, 1462, 5700, 5702, 6015, 6651, 6679, 6683, 6692, 7296; et quoque ſcientifica Eccleſiæ, n. 7296, 9340, 9391: quod ebrii ſignificent illos qui in ſpiritualibus inſaniunt, n. 1072. Apud Jeremiam, "*Bibite et inebriamini, et evomite et cadite, nec reſurgite propter gladium,*" xxv. 27; bibere et inebriari eſt haurire falſa et commiſcere illa veris, et inde inſanire; evomere et cadere eſt prorſus ejicere falſificata; gladius propter quem non reſurgent, ſignificat falſum deſtruens et vaſtans verum, videatur n. 2799, 4499, 7102; inde patet, quid ſit evomere et cadere. Apud Eundem, "*Inebriate Moabum, quia contra Jehovam ſe extulit, ut complodat in vomitu ſuo,*" xlviii. 26; Moabus ſignificat illos qui adulterant bona Eccleſiæ, quare prædicatur de illis vomitus. Apud Habakuk, "*Væ facienti ſocium bibere etiam inebriando, ut introſpicias nuditates eorum; ſatiaberis ignominia præ gloria; bibe etiam tu ut præputium tuum reveletur: circumibit ad te calix Jehovæ, ut vomitus ignominioſus ſuper gloria,*" ii. 15, 16; bibere inebriando etiam ſignificat haurire vera et commiſcere illa falſis; nuditates quas introſpiciunt, ſignificant deprivationem veri et inde intelligentiæ, n. 1073, 5433, 9960; præputium quod revelabitur, ſignificat conſpurcationem boni, n. 2056, 3412, 3413, 4462, 7225, 7245; gloria ſignificat Divinum Verum, ita Verbum, n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429; inde patet quid vomitus ignominioſus ſuper gloria. Apud Eſajam, "*Hi per vinum errant, per ſiceram aberrant, ſacerdos et propheta errant per ſiceram, abſorbentur a vino; errant inter videntes, titubant judicio, quin imo omnes menſæ plenæ ſunt vomitu egeſtionis non locus, quemnam docebit ſcientiam,*" xxviii. 7, 8; vinum et ſicera per quæ errant, ſignificant vera mixta falſis; ſacerdos et propheta, ſignificant illos qui docent bona et vera, et in ſenſu abſtracto bona et vera Eccleſiæ; videntes inter quos errant, ſignificant illos qui viſuri eſſent vera; titubare judicio, ſignificat inſanitionem; menſæ ſignificant omnia quæ nutrirent ſpiritualem vitam, per menſas enim intelliguntur cibi qui ſuper iis, et cibi ſignificant omnia vera et bona, quia illa ſunt quæ nutriunt vitam ſpiritualem; hic itaque per menſas plenas vomitu egeſtionis, ſignificantur eadem falſificata et adulterata. Apud Moſen, "*Ne polluite vos omnibus his, quia omnibus his pollutæ ſunt gentes, quas Ego ejicio coram vobis, unde polluta eſt terra, et evomuit terra habitatores ſuos, ita non evomet terra vos, quemadmodum evomuit gentes quæ ante vos,*" Levit. xviii. 24, 25, 28; agitur ibi de omnis generis adulteriis, per quæ in ſenſu ſpirituali intelliguntur omnia genera adulterationum boni et falſificationum veri, ſeu prophanationes; et quia mala et bona, tum falſa mali et vera boni non poſſunt ſimul eſſe, quin ejiciantur, ideo dicitur quod terra, hoc eſt, Eccleſia evomuerit eos. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificat evomere.

236. Quod dicas quod dives ſim et locupletatus, et nullius opus habeam, quod ſignificet fidem eorum, quod credant ſe in veris eſſe præ aliis, conſtat ex ſignificatione dicere, quod involvat id quod ab illis creditur, et quia agitur hic de illis qui in ſola fide ſunt, ideo dicere ſignificat fidem eorum; præterea dicere in ſenſu ſpirituali ſignificat cogitare, quia quod dicitur exit ex cogitatione, ac cogitatio eſt ſpiritualis quia eſt ſpiritus hominis, ac dictio et ſermo inde eſt naturalis quia eſt corporis, ex eo eſt quod dicere in Verbo plura ſignificet; ex ſignificatione dives eſſe, quod ſit poſſidere cognitiones veri et boni, et inde intelligens et ſapiens eſſe, de qua ſequitur; et ex ſignificatione locupletatus eſſe et nullius opus habere, quod ſit omnia ſcire, ut nihil deſit. Quod tales ſint ſeu ita credant, qui in doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam ſunt, non ſciunt illi qui non ſunt, tametſi inter eos ſunt; at uſque quod tales ſint, ex multa experientia ſcire datum eſt; loquutus ſum cum pluribus, qui in mundo crediderunt ſe præ aliis intelligentes et ſapientes eſſe, ex eo quod ſciverint plura de ſola fide et de juſtificatione per illam, et quidem talia quæ ſimplices non ſciverunt, quæ etiam vocaverunt interiora et arcana doctrinæ, et crediderunt ſe ſcire et intelligere omnia ut non aliquid deſit; inter illos erant plures qui de ſola fide et de juſtificatione per illam ſcripſerunt; ſed oſtenſum eſt illis quod nihil veri ſciant, et quod præ illis intelligentes et ſapientes ſint, qui vitam fidei, quæ eſt charitas, vixerunt, et juſtificationem per ſolam fidem non intellexerunt; et quoque oſtenſum eſt, quod illa quæ ſciverunt, non vera ſint ſed falſa, et quod ſcire et cogitare falſa non ſit intelligens et ſapiens eſſe, quoniam intelligentia eſt veri et ſapientia eſt vitæ inde: cauſa etiam detecta eſt, nempe quod in nulla affectione veri ſpirituali fuerint, ſed

ſolum in affectione naturali ſciendi illa quæ anteſignani dixerunt, quidam propter functiones, quidam propter famam eruditionis, et qui in hac affectione ſunt et non in illa, credunt quod omnia ſciant cum illa, et plus ii qui confirmarunt illa per ſenſum literæ Verbi, ac per rationis fallacias ſategerunt connectere illa cum reliquis falſis. Ab experientia etiam aliquid de his dicam; Spiritus, qui dum vixerunt homines in mundo, et tunc ab aliis Eruditi crediti ſunt, explorati ſunt num ſciant quid fides ſpiritualis, dixerunt ſe noſſe, quare miſſi ſunt ad illos qui in fide illa fuerunt, et tunc data cum iis communicatione perceperunt, quod non illis fides fuerit, et quod neſciverint quid fides; quare illis dictum eſt, quid nunc credant de ſola fide, ſuper qua fundatur tota Eccleſiæ eorum doctrina, ſed pudefacti obmutuerunt. Erant etiam plures ex doctis Eccleſiæ, qui interrogati ſunt de Regeneratione, num ſciant quid ſit, reſponderunt quod ſciant eſſe Baptiſmum, quoniam Dominus dicit, quod niſi quis generatur per aquam et ſpiritum non poſſit ingredi in Regnum Dei; at cum oſtenſum eſt illis quod Baptiſmus non ſit regeneratio, ſed quod per aquam et ſpiritum intelligantur vera et vita ſecundum illa, et quod nemo intrare poſſit in Cœlum niſi regeneratus ſit per illa, tunc receſſerunt fatendo ſuam inſcitiam. Præterea cum interrogati ſunt de Angelis, de Cœlo, de Inferno, de vita hominis poſt mortem, et de pluribus aliis, non ſciverunt aliquid, et erant omnia ſicut caligo in mentibus eorum, quare faſſi ſunt, quod quidem crediderint ſe ſciviſſe omnia, ſed nunc ſciant quod vix ſciant aliquid; per ſcire aliquid, in ſpirituali mundo intelligitur ſcire aliquid veri, at ſcire falſa non eſt ſcire, quia non eſt intelligere et ſapere: dein illis dictum eſt, quod illud intelligatur per Domini verba, "*Quod dicas quod dives ſim et locupletatus, et tu non ſcis quod tu ſis ærumnoſus, et miſerabilis et pauper, et cæcus et nudus.*" Quod dives in Verbo ſignificet illos qui in veris ſunt, eſt quia divitiæ ſpirituales non aliæ ſunt, inde etiam in Verbo per divitias ſignificantur cognitiones veri et boni, ac per divites illi qui in intelligentia per illas ſunt; ut conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Ezechielem, "*In ſapientia tua et in intelligentia tua feceras tibi opes, aurum et argentum in theſauris tuis; per multitudinem ſapientiæ tuæ multiplicaſti tibi opes,*" xxviii. 4, 5; hæc dicta ſunt ad principem Tyri, per quem in ſenſu ſpirituali intelliguntur illi qui in cognitionibus veri ſunt; per opes ipſæ illæ cognitiones in genere; per aurum in theſauris cognitiones boni, et per argentum in theſauris cognitiones veri; quod per illa ſignificentur cognitiones patet manifeſte, nam dicitur in ſapientia tua et in intelligentia tua feceras tibi opes, et per multitudinem ſapientiæ tuæ multiplicaſti tibi opes; quod per principem Tyri intelligantur illi qui in cognitionibus veri ſunt, eſt quia Princeps ſignificat primaria vera, n. 1482, 2089, 5094; et Tyrus cognitiones veri, n. 1201: quod per theſauros ſignificentur poſſeſſiones cognitionum, videatur n. 1694, 4508, 10227; et quod per aurum ſignificetur bonum, et per argentum verum, n. 1551, 1552, 2954, 5658. Apud Sachariam, "*Tyrus colligit argentum ſicut pulverem, et aurum ſicut cœnum platearum; ecce Dominus depauperabit eam, et excutiet in mare opes,*" ix. 3, 4; etiam ibi Tyrus pro illis qui comparant ſibi cognitiones, quæ ſunt argentum, aurum et opes. Apud Davidem, "*Filia Tyri afferet tibi munus, filia Regis; facies tuas deprecabuntur divites populi,*" Pſalm. xi. 13; deſcribitur ibi Eccleſia quoad affectionem veri, quæ intelligitur per filiam Regis, nam filia eſt Eccleſia quoad affectionem, n. 3262, 3963, 6729 9059; et Rex eſt verum, n. 1672, 2015, 2069, 3670, 4575, 4581, 4966, 6148; quapropter dicitur quod filia Tyri afferet munus, et quod divites populi deprecabuntur facies; divites populi ſunt qui abundant veris. Apud Hoſcheam, "*Dixit Ephraim, profecto ditatus ſum, inveni opes mihi, omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quæ peccatum, ſed adhuc loquar ad prophetas, et viſionem multiplicabo,*" xii. 9, 11; per ditatus ſum et inveni opes mihi non intelligitur quod ditatus ſit divitiis et opibus mundanis, ſed cœleſtibus, quæ ſunt cognitiones veri et boni, nam per Ephraim intelligitur intellectuale illorum qui ab Eccleſia, quod illuſtratur dum legitur Verbum, n. 5554, 6212, 6238, 6267; inde eſt quod dicatur, quod adhuc loquar ad prophetas et viſionem multiplicabo, per prophetas ſignificantur vera doctrinæ, ſimiliter per viſionem. Apud Jeremiam, "*Ego Jehovah dans cuique ſecundum vias ejus, juxta fructus operum ejus, ſicut perdix colligit ſed non parit, facit divitias ſed non cum judicio, in medio dierum ſuorum deſeret illas, in poſtremitate dierum fiet ſtultus,*" xvii. 11; agitur ibi de illis qui comparant ſibi cognitiones abſque fine alius uſus quam ut ſciant, cum tamen vita eſt cui inſervituræ ſunt, hoc intelligitur per colligere ſicut perdix et non parere, et per facere divitias ſed non cum judicio, et quod in extremitate dierum fiet ſtultus; et quia cognitiones veri et boni inſervituræ ſunt vitæ, hæc enim per illas perficietur, ideo dicitur quod Jehovah det cuique ſecundum vias ejus et juxta fructus operum ejus. Apud Lucam, "*Quiſquis ex vobis, qui non abnegat omnes ſuas facultates, non poteſt meus eſſe diſcipulus,*" xiv. 33; qui non ſcit quod facultates in Verbo ſint divitiæ et opes ſpirituales, quæ ſunt cognitiones ex Verbo, non aliter ſcire poteſt, quam quod ſe deprivaturus ſit omnibus opibus ut ſalvari poſſit, cum tamen non ille ſenſus illorum verborum eſt, ſed per facultates ibi intelliguntur omnia quæ ex propria intelligentia ſunt, nemo enim poteſt ſapere ex ſe, ſed ex Domino, quapropter abnegare omnes facultates eſt nihil intelligentiæ et ſapientiæ ſibi tribuere, et qui id non facit non poteſt inſtrui a Domino, hoc eſt, diſcipulus Ipſius eſſe. Qui non ſciunt, quod per divites intelligantur qui poſſident cognitiones veri et boni, ita qui habent Verbum, et quod per pauperes intelligantur qui non poſſident illas, ſed uſque qui deſiderant illas, non aliter ſcire poſſunt, quam quod per divitem, qui induebatur purpura et byſſo, et per pauperem qui projectus ad veſtibulum ejus, Luc. xvi. intelligatur dives et pauper in communi ſenſu, cum tamen per divitem ibi intelligitur Gens Judaica, quæ habebat Verbum, in quo omnes cognitiones veri et boni ſunt, per purpuram qua indutus intelligitur genuinum bonum, n. 9467, et per byſſum genuinum verum, n. 5319, 9469, 9596, 9744; et per pauperem projectum ad veſtibulum ejus intelliguntur gentes quæ erant extra Eccleſiam et non habebant Verbum, et tamen deſiderabant vera et bona Cœli et Eccleſiæ; inde etiam patet, quod per divites intelligantur, qui habent Verbum, proinde cognitiones veri et boni, quoniam ibi ſunt: ut quoque in Prophetico Eliſabethæ apud Lucam, "*Deus eſurientes implevit bonis, et divites emiſit inanes,*" i. 53; eſurientes ſunt qui deſiderant cognitiones, quales erant Gentes, quæ acceptabant Dominum et doctrinam ab Ipſo; divites autem qui habent cognitiones quia Verbum, quales erant Judæi, ſed qui uſque non volebant ſcire vera inde, quare nec acceptabant Dominum et doctrinam ab Ipſo; hi ſunt divites qui miſſi ſunt inanes, illi autem eſurientes qui impleti ſunt bonis.

237. Et non ſcis quod tu ſis ærumnoſus, quod ſignificet quod non ſciant quod falſa eorum cum veris nullam cohærentiam habeant, conſtat ex ſignificatione ærumnæ, quod ſit infractio veri per falſa, et quoque nulla cohærentia; inde patet quid intelligitur per ærumnoſum; quod tales ſint, eſt quia doctrina eorum fundatur ſuper duobus principiis falſis, quæ ſunt ſola fides et juſtificatio per illam, quare falſa inde fluunt in continua ſerie, ac vera, quæ ex ſenſu literæ Verbi adducunt ad confirmanda illa, infringuntur et falſificantur, et falſificata vera in ſe ſunt falſa. Hoc deſcribitur multis in locis in Verbo, ac intelligitur per vanitates quas prophetæ vident, et per mendacia quæ loquuntur; tum deſcribitur per rupturas murorum et domuum, uſque ut cadant; pariter per idola et ſculptilia, quæ artifex facit et connectit per catenas ut cohæreant, per idola enim et ſculptilia ſignificantur falſa doctrinæ; ſimiliter per rupturas murorum et domuum; pariter per prophetas qui vident vanitates et loquuntur mendacia, per prophetas enim intelliguntur doctrinæ, per vanitates talia quæ nullius rei ſunt, et per mendacia falſa; ſed quia hæc memorantur perpluribus in locis in Verbo, non poſſunt ob copiam adduci, quare ſuperſedentur, et ſolum aliqua adducentur, ubi dicuntur ærumnæ et maceries, ut ſciatur quod per illas ſignificentur infractiones veri per falſa, et ſic nulla cohærentia; apud Eſajam, "*Sapientia tua et ſcientia tua ſeduxit te, dum dixiſti in corde tua, ego et non ſicut ego præterea, ideo cadet ſuper te ærumna, et veniet ſuper te devaſtatio,*" xlvii. 10, 11; etiam hic deſcribuntur qui credunt ſe omnia ſcire, ac intelligentes eſſe præ omnibus aliis, cum tamen nihil veri ſciant et intelligant, et quod ideo auferatur illis intellectus veri; fides eorum quod intelligentiores ſint omnibus aliis intelligitur per quod ſapientia tua et ſcientia tua ſeduxit te, dum dixiſti in corde, ego et non ſicut ego præterea; et jactura omnis intellectus veri intelligitur per quod cadet ſuper te ærumna, et veniet ſuper te devaſtatio. Apud Ezechielem, "*Ærumna ſuper ærumnam veniet, ideo quærent viſionem a prophetis, ſed lex periit a ſacerdote, et conſilium a ſenioribus, rex lugebit et princeps induetur ſtupore,*" vii. 26, 27; agitur hic de vaſtatione Eccleſiæ, quæ eſt quando non verum niſi falſificatum; falſum ex falſo intelligitur per ærumnam ſuper ærumnam; viſio a propheta eſt doctrina, hic doctrina falſi; lex periit a ſacerdote eſt quod Verbum non intelligatur, lex enim ſignificat Verbum, et ſacerdos docentem: conſilium periit a ſenioribus, eſt quod rectum ab intelligentibus, conſilium ſignificat rectum, et ſeniores ſignificant intelligentes; rex lugebit ac princeps induetur ſtupore, eſt quod non amplius aliquod verum, rex ſignificat verum, et princeps vera primario inſervientia. Apud Davidem, "*Non in ore eorum rectum, medium eorum ærumna,*" Pſalm. v. 10; ſimiliter hic ærumna pro falſis non cohærentibus cum aliquo vero. Similiter apud Jeremiam, "*Plangite, vagamini inter macerias, quia Rex eorum in exilium abiit, ſacerdotes ejus et principes ſimul,*" xlix. 3; vagari inter macerias eſt inter deſtructa vera per falſa; rex qui in exilium abiit ſignificat verum; ſacerdotes ejus et principes ſimul, ſignificant bona et vera vitæ et doctrinæ, ut ſupra. Apud Ezechielem, "*Quando hic ædificant maceriem, illi ecce incruſtant inepto; dic ad incruſtantes inepto*

quod cadet paries, nonne dicitur ad vos ubi incruſtatio qua incruſtaſtis," xiii. 11, 12; maceries quam incruſtant inepto, ſignificat falſum quod pro principio ponitur, quod per applicatum Verbum ex ſenſu literæ ejus faciunt, ut appareat ſicut verum, incruſtatio eſt applicatio et inde apparens confirmatio, ineptum eſt falſificatum; et quia Verum Verbi ſic deſtruitur, et confirmantia fiunt vera falſificata, quæ in ſe ſunt falſa, et hæc cum principio falſo corruunt, ideo dicitur, ecce cadet paries, nonne dicitur ad vos ubi incruſtatio qua incruſtaſtis. Apud Hoſcheam, "*Ecce Ego obſepiens viam tuam per ſpinas, et maceria circumdabo maceriam, ut ſemitas tuas non inveniet,*" ii. 5; obſtruere viam per ſpinas eſt obſtruere omnes cogitationes per falſa mali, ne videant vera, falſa mali ſunt ſpinæ; macerie circumdare maceriem eſt cumulare falſa ſuper falſis; ut ſemitas tuas non inveniet, eſt ut nihil veri poſſit videri: hoc fit, quia vera non poſſunt ſimul eſſe cum falſis mali, ſicut non cœlum cum inferno, nam vera ſunt ex cœlo, et falſa mali ex inferno, quare cum falſa ex malo regnant, aufertur communicatio cum cœlo, quo ablato non videri poſſunt vera, et ſi dicuntur ab aliis, rejiciuntur; inde eſt quod qui in principiis falſis ſunt, ſicut illis, qui in principiis de ſola fide et de juſtificatione per illam, non datum ſit in aliquibus veris eſſe, videatur ſupra n. 235, 236. Sed exempla illam rem illuſtrent; illi qui pro principio religionis ſumſerunt ſolam fidem et juſtificationem per illam, cum legunt Verbum, et vident quod Dominus dicat quod homini juxta facta et opera retribuetur, et quod qui bona fecerat veniet in cœlum, at qui mala fecerat, in infernum, tunc vocant bona quæ faciunt fructus fidei, non ſcientes aut non volentes ſcire, quod bona, quæ vocantur fructus, omnia ſint ex charitate, et nulla ex fide ſeparata, quæ vocatur ſola fides; omne etiam bonum eſt charitatis, et verum eſt fidei inde; ex eo patet, quod pervertant Verbum: ſed hoc faciunt, quia verum non poſſunt aliter applicare ſuo principio, credentes uſque quod ſic cohæreant, ſed perit inde verum et fit falſum, et non modo fit falſum ſed etiam malum. Quod inde ſequantur falſa in continua ſerie, etiam patet, nam docent quod bona quæ homo facit, ſint meritoria, non volentes, quod ſicut fides cum ſuis veris eſt a Domino, et ſic non meritoria, ita charitas cum ſuis bonis; tum docent quod ut primum homo recipit fidem, reconciliatus ſit Deo Patri per Filium, et quod mala quæ dein facit non imputentur, et quoque nec mala quæ prius fecerat, nam dicunt ſalvari omnes, qualitercunque vixerant, modo recipiant fidem, etiam ſi foret in horis ante mortem; ſed hæc et plura alia, quæ ſunt derivationes ex falſo principii, non cohærent cum veris Verbi, ſed deſtruunt illa, et vera deſtructa ſunt falſa, et talia falſa quæ male olent; graveolentia ex illis ſentitur in altera vita, quæ talis eſt, ut non poſſit ſuſtineri ab aliquo bono ſpiritu, eſt ſicut nidor purulenti ex pulmone. Plura exempla poſſunt adduci, ſunt in copia, nam quicquid concluditur ex principio falſo, trahit inde falſum, quoniam in eo ſpectatur principium, cui adhæret quia inde fluit et ei applicatur. Qualis eſt religio de ſola fide et de juſtificatione per illam, concludi poteſt ex eo ſolo, quod omnes, qui confirmaverunt illa apud ſe doctrina et vita, in altera vita a ſe ſphæram nefandi adulterii effundant, quod eſt matris ſeu novercæ cum filio; hoc nefandum adulterium correſpondet illis, et quoque percipitur ab illis quocunque vadunt; ex illa ſphæra millies cognovi præſentiam eorum: cauſa quod ex illis talis ſphæra effluat, eſt quia adulterant

rant bona charitatis et Verbi, et adulteria correſpondent adulterationibus boni et ſcortationes falſificationibus veri, videatur n. 2466, 2729, 3799, 4865, 6348, 8904, 10648. Simile intelligitur per Rubenem quod cubuerit cum Bilha, ex qua pater ejus genuit Danem et Naphtalin, Geneſ. xxxv. 22, quapropter etiam damnatus eſt, Geneſ. xlix. 4; et quia polluit ſtrata patris ſui, adempta eſt ei primogenitura, et data Joſepho, 1 Chron. v. 1; per Rubenem enim in Verbo intelligitur fides, et ibi ſola fides, n. 3325, 3861, 3866, 3870, 4601, 4605, 4731, 4734, 4761, 6342, 6350; et per Joſephum bonum fidei, n. 3969, 3971, 4669, 6417. Quod in fine Eccleſiæ talia exſtitura ſint, prædicitur apud Danielem, ubi agitur de ſtatua a Nebuchadnezare in ſomnio viſa, his verbis, “*Quod vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, commiſcebunt ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodnm ferrum non commiſcetur cum argilla*,” ii. 43; per ferrum intelligitur verum abſque bono; per argillam luti falſum quod ex propria intelligentia; per ſemen hominis Verbum Domini, Matth. xiii. 24, 37; quorum quod non cohærentia ſit, intelligitur per non cohærebunt quemadmodum ferrum non commiſcetur cum argilla.

238. Et miſerabilis et pauper, quod ſignificet quod nec ſciant quod illis non ſunt cognitiones veri, nec cognitiones boni, conſtat ex ſignificatione miſeri ſeu miſerabilis, quod ſit qui in nullis cognitionibus veri eſt; et ex ſignificatione pauperis, quod ſit qui in nullis cognitionibus boni eſt: quod miſer et pauper illa ſignificent, conſtat ex pluribus locis in Verbo; et præterea ex eo, quod miſeria et paupertas ſpiritualis non aliud ſit quam defectus cognitionum veri et boni, nam tunc ſpiritus miſer et pauper eſt; at vero cum illas poſſidet, eſt dives et opulentus, quare etiam per divitias et opes in Verbo ſignificantur divitiæ et opes ſpirituales, quæ ſunt cognitiones veri et boni, ut mox ſupra, n. 236, oſtenſum eſt. Multis in locis in Verbo dicitur miſer et pauper, qui non ſcit ſenſum ſpiritualem Verbi, credit quod non alii per illos intelligantur, quam qui in mundo miſeri et pauperes ſunt, cum tamen illi non intelliguntur, ſed ii qui non in veris et bonis ſunt, inque eorum cognitionibus, et quidem per miſeros illi qui non in veris ſunt quia non in cognitionibus eorum, et per pauperes illi qui non in bonis ſunt quia non in cognitionibus eorum; quia duo illa nempe vera et bona intelliguntur per duo illa nomina, ideo in multis locis utrumque dicitur; ut in ſequentibus: apud Davidem, “*Ego Miſer et Pauper, Domine memento mei*,” Pſalm. xl. 18. Pſalm. lxx. 6: apud Eundem, “*Inclina Jehovah aurem tuam et reſponde, quia Miſer et Pauper ego*,” Pſalm. lxxxvi. 1; quod per miſerum et pauperem non intelligantur miſer et pauper, quoad divitias mundanas, ſed quoad divitias ſpirituales, patet, quoniam David de ſe hoc loquitur, quare etiam dixit, Jehovah inclina aurem et reſponde. Apud Eundem, “*Gladium nudant impii, et tendunt arcum ſuum, ad dejiciendum Miſerum et Pauperem*,” Pſalm. xxxvii. 14; quod per miſerum et pauperem etiam hic intelligantur, qui ſpiritualiter tales ſunt, ſed uſque deſiderant cognitiones veri et boni, patet, nam dicitur quod impii nudent gladium et tendant arcum, per gladium enim ſignificatur falſum pugnans contra verum et conans deſtruere illud, et per arcum doctrina falſi contra doctrinam veri, inde eſt quod dicatur quod hoc faciant ad dejiciendum

miſerum et pauperem: quod per gladium ſignificetur verum pugnans contra falſum, et in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra verum, videatur ſupra, n. 131: et quod per arcum ſignificetur doctrina in utroque ſenſu, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2686, 2709. Similiter alibi apud Eundem, "*Impius perſequutus eſt Miſerum et Pauperem, ac dejectum corde ad interficiendum,*" Pſalm. cix. 16: apud Eſajam, "*Stultus ſtultitiam loquitur, et cor ejus facit iniquitatem ad faciendum hypocriſin, et ad loquendum contra Jehovam errorem, ad evacuandum animam eſurientem, ac potum ſitientem deficere faciat; ipſe facinora conſulet ad perdendum Miſeros per verba mendacii, quando etiam loquitur Pauper judicium,*" xxxii. 6, 7; hic per miſeros et pauperes ſimiliter intelliguntur illi qui deſtituti ſunt cognitionibus veri et boni, quare dicitur quod improbus facinora conſulat ad perdendum miſeros per verba mendacii, etiam pauperem qui loquitur judicium, per verba mendacii eſt per falſa, et loqui judicium eſt rectum; quia de his agitur, etiam dicitur, quod faciat hypocriſin, et loquatur contra Jehovam errorem, ad evacuandum animam eſurientem, et potum ſitientem deficere faciat; facere hypocriſin et loqui errorem, eſt facere malum ex falſo ac loqui falſum ex malo; evacuare animam eſurientem eſt deprivare cognitionibus boni illos qui deſiderant eas, et deficere facere potum ſitientem eſt deprivare cognitionibus veri illos qui deſiderant eas. Apud Eundem, "*Habebunt Miſeri in Jehovah gaudium, et Pauperes hominum in Sancto Iſraelis exultabunt,*" xxix. 19; per Miſeros et Pauperes etiam hic ſignificantur qui in defectu veri et boni ſunt, et tamen in deſiderio ad illa; de his dicitur, quod habituri gaudium in Jehovah et exultaturi in Sancto Iſraelis, et non de miſeris et pauperibus quoad opes mundanas. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per miſeros et pauperes in aliis locis in Verbo; ut in ſequentibus, apud Davidem, "*Non in perpetuum oblivioni tradetur Pauper, ac ſpes Miſerorum peritura in æternum,*" Pſalm. ix. 19: apud Eundem, "*Deus judicabit Miſeros populi, ſervabit filios Pauperis; liberabit Pauperem clamantem et Miſerum; parcet Tenui et Pauperi; et animas Pauperum ſalvabit,*" Pſalm. lxxii. 4, 12, 13: apud Eundem, "*Videbunt Miſeri, lætabuntur quærentes Jehovam, quia exaudit Jehovah Pauperes,*" Pſalm. lxix. 33, 34: apud Eundem, "*Jehovah eripit Miſerum a validiori ipſo, et Pauperem a ſpoliantibus illum,*" Pſalm. xxxv. 10: apud Eundem, "*Miſer et Pauper laudant Nomen tuum,*" Pſalm. lxxiv. 21. Pſalm. cix. 22: apud Eundem, "*Scio quod Jehovah facturus ſit litem Miſeri, et judicium Pauperum,*" Pſalm. cxl. 13: et quoque alibi, ut Eſaj. x. 2. Jerem. xxii. 16. Ezech. xvi. 49. Cap. xviii. 12. Cap. xxii. 29. Amos viii. 4. Deut. xv. 11. Cap. xxiv. 14. Quod uterque nempe Miſer et Pauper in allatis locis nominetur, eſt quia eſt ſecundum ſtylum Verbi, ut ubi dicitur de Vero etiam dicatur de Bono, ac in oppoſito ſenſu ubi de Falſo etiam de Malo, quia unum faciunt et ſicut conjugium, quare Miſeri et ſimul Pauperes nominantur, per Miſeros enim intelliguntur qui in defectu cognitionum veri, et per Pauperes qui in defectu cognitionum boni; quod tale Conjugium ſit in Propheticis Verbi pæne ubivis, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 683, 793, 801, 2516, 2712, 3004, 3005, 3009, 4158, 5135, 5194, 5502, 6343, 7022, 7945, 8339, 9263, 9314; inde etiam eſt quod ſequatur, *Et Cæcus et Nudus*, per cæcum enim intelligitur qui in nullo intellectu veri, et per nudum qui in nullo intellectu et voluntate boni: tum in Verſu ſequente, *Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne, et veſtimenta alba ut induaris*, per aurum enim exploratum igne intelligitur bonum amoris, et per veſtimenta alba vera fidei: et adhuc, *ne appareat pudor nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas*, per quæ intelligitur ne videantur mala et falſa: ita quoque alibi: ſed quod tale conjugium ſit in ſingulis Verbi, non videre poſſunt alii quam qui ſciunt ſenſum internum ejus.

239. Et cæcus et nudus, quod ſignificet quod ſint abſque intellectu veri, et abſque intellectu et voluntate boni, conſtat ex ſignificatione cæci, quod ſint qui abſque intellectu veri, de qua ſequitur; et ex ſignificatione nudi, quod ſint qui abſque voluntate boni, ita quoque abſque intellectu ejus, de qua etiam ſequitur. Quod illi qui in Doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam ſunt, abſque intellectu veri ſint, conſtare poteſt ex eo, quod ſola fides ſeu fides abſque charitate non alibi reſideat quam in memoria, ac non aliquid ejus in intellectu, quapropter etiam removent intellectum a rebus fidei, dicentes quod credenda ſint, et quod intellectui nihil rei ſit cum rebus fidei; ita dicere poſſunt quicquid volunt, ſive foret maxime falſum, modo ſciant adferre ad confirmationem aliquid ex ſenſu literæ Verbi, cujus ſenſum ſpiritualem ignorant; in quo latet aliquid ſimile ſtatuto Pontificiorum, quod eſt ut omnes pendeant ex ore eorum, perſuadentes ſic quod illi ſciant et videant, cum tamen nihil vident; qui itaque non vident, hoc eſt, intelligunt illa quæ credent, illi cæci ſunt: inde quoque eſt, quod per illa quæ fidei erunt, non poſſint perficere vitam; nam via ad vitam hominis eſt intellectus, non per aliam viam homo fit ſpiritualis: omnes qui in Cœlo ſunt, vident vera intellectu, et ſic recipiunt illa, quæ autem non vident intellectu, non recipiunt; et tunc ſi quis ad illos dicit, quod fides habenda ſit tametſi non vident ſeu intelligunt, ſe avertunt, dicentes quid hoc, quod video ſeu intelligo hoc credo; quod autem non video ſeu intelligo, hoc non credere poſſum, forte ſunt falſa quæ deſtruunt vitam ſpiritualem. Quod illi qui in Doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam ſunt, abſque intellectu boni quia abſque voluntate boni ſint, conſtare poteſt ex eo, quod prorſus nihil de charitate erga proximum ſciant, proinde nihil de bono, omne enim bonum ſpirituale eſt ex charitate et nihil abſque ea, quapropter qui ſeparant fidem a charitate, dicentes quod charitas nihil ad ſalutem faciat, ſed ſola fides, illi prorſus ignorant quid bonum, quia ignorant quid charitas, cum tamen bonum ſpirituale et ejus affectio, quæ charitas vocatur, eſt ipſa vita ſpiritualis hominis, et fides nulla abſque illa; inde patet, quod ſint abſque intellectu boni; quod hoc exinde ſit, quia abſque voluntate boni ſunt, eſt quia ſe dicunt juſtos ſeu juſtificatos eſſe cum habent fidem, et per juſtificatos intelligunt non damnabiles propter ullam rem, quam cogitant et volunt, quia reconciliati ſunt Deo; quapropter credunt, quia ſequitur ex nexu cum principio, quod æque mali ac boni ſalventur modo fidem recipiant, ſive id foret in ultimis vitæ: arcana doctrinæ hujus in eo conſiſtunt, quod loquantur de progreſſivis gradibus Juſtificationis, non ex aliqua vita hominis, ſeu ex affectione charitatis ejus, ſed ex ſola fide de reconciliatione Dei Patris per Filium, quam vocant confidentiam ſeu fiduciam,

ac ipſam fidem ſalvantem; non ſcientes quod nihil vitæ ſpiritualis inſit ſi nihil charitatis; id quod interius percipitur aut apparet in confidentia apud illos, uſque nihil trahit ex affectione ſpirituali, ſed ex naturali cogitatione de gaudio aut de non damnatione. Præterea nulla voluntas boni eſt illis, qui non ſciunt aliquid de bono charitatis, et qui non ſciunt aliquid de hoc bono, non ſciunt aliquid de malo, nam bonum retegit malum, quapropter nec poſſunt explorare ſe, videre ſua mala, ac ſic fugere illa et averſari illa, inde eſt quod relaxent cogitationi ſuæ et voluntati ſuæ omnia fræna, modo caveant ſibi a faciendis malis propter leges, jacturam famæ, honoris, lucri et vitæ; inde eſt cum iidem fiunt ſpiritus, et illis auferuntur illi timores, quod aſſocient ſe diabolis, cogitant enim et volunt ſicut illi, quoniam ita cogitaverunt in mundo, ſpiritus enim in homine eſt qui cogitat: aliter vero illi qui vitam charitatis egerunt. Porro, qui credunt ſe juſtificatos eſſe per ſolam fidem, putant ſe duci a Deo, et inde bonum facere, dicentes quod omne bonum a Deo, et nihil ab homine, et quod bonum alioquin foret meritorium, non ſcientes quod ab homine eſſe debeat receptio; et quod receptio non dabilis ſit, ſi non attendat ad cogitationes et intentiones ſuas et inde facta, et tunc deſiſtat a malis et faciat bonum, quod fit cum ſpectat ad vera quæ novit ex Verbo, et vivit ſecundum illa: hoc niſi fiat, non eſt aliquod reciprocum, inde nec ulla reformatio; ad quid aliud inſerviunt præcepta Domini in Verbo. Quod homo hoc poſſit facere, etiam eſt a Domino; nam illa facultas eſt cuivis homini ex Divina præſentia Ipſius et Voluntate ut recipiatur. In ſumma, niſi homo recipiat intellectu et voluntate, ſeu cogitatione et affectione, ſeu quod idem, fide et amore, non a parte ejus eſt receptio, conſequenter nec conjunctio cum Domino: quiſque ſcit, quod Dominus jugiter adſit cum bono, ac velit ut recipiatur, ſed ubi omnia fræna laxantur cogitationibus, quod non poſſit influere; at ibi ſolum, ubi cogitationes et intentiones, quæ ſunt concupiſcentiæ, refrænantur per vera ex Verbo. Quod Dominus jugiter adſit cum bono, et velit recipi, docet Ipſe in ſequentibus hujus Capitis, ubi dicit, "*Ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, et aperuerit oſtium, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille Mecum,*" Verſ. 20; aperire oſtium eſt receptio a parte hominis, ut modo dictum eſt. Idem etiam Dominus docet alibi in Verbo, ut apud Johannem, "*Qui amat Me, verba mea ſervat, et Pater meus amabit eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus: qui non amat Me, verba mea non ſervat,*" xiv. 23, 24. Apud Matthæum, "*Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit et intelligit, qui fructum fert et facit,*" xiii. 23. Apud Marcum, "*Hi ſunt qui in terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum et* RECIPIUNT, *et fructum ferunt,*" iv. 20: quia receptio ab homine eſt, quæ conjungit illum cum Domino, et ſic facit illum ſpiritualem, ideo cum Dominus illa dixit, clamavit dicens, "*Qui habet aures ad audiendum audiat,*" Matth. xiii. 9. Marc. iii. 9. Luc. viii. 8. Quod Cæci ſignificent illos qui in nullo intellectu veri ſunt, et quod nudi ſignificent illos qui in nullo intellectu boni ſunt, quia in nulla voluntate ejus, conſtat ex pluribus locis in Verbo, quæ in medium afferre volo, etiam ob cauſam, ut ſciatur quod Verbum in ſuo ſinu ſit ſpirituale, at in litera naturale, proinde quod ſenſus literæ Verbi, qui eſt naturalis, recondat in ſe ſenſum ſpiritualem. Quod Cæci ſignificent illos qui in nullo intellectu veri ſunt, patet a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Tunc audient in die illo ſurdi verba libri, et e caligine eque tenebris oculi cæcorum videbunt,*" xxix. 18; agitur ibi de reſtauratione Eccleſiæ; et per ſurdos qui audient verba libri, intelliguntur qui volunt obedire veris et inde vitam boni agere, ſed non poſſunt quia non habent Verbum; et per cæcos quorum oculi in caligine et in tenebris videbunt, intelliguntur qui non ſunt in intellectu veri quia in ignorantia, quod tunc intellecturi; quod non ſurdi et cæci intelligantur, patet. Apud Eundem, "*Ecce Deus veſter in vindictam veniet, in retributionem Dei Ille veniet, et ſalvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum et aures ſurdorum aperientur, erumpent in deſerto aquæ, et fluvii in planitie deſerti,*" xxxv. 4, 5, 6; hæc dicuntur de adventu Domini; quod tunc ſalvandi qui credituri in Ipſum; quod illi qui non in intellectu veri ſunt tunc intellecturi, ſignificatur per aperientur oculi cæcorum; quod illi qui non in perceptione et voluntate boni ſunt, tunc obedituri et in bono victuri ſint, ſignificatur per quod aures ſurdorum aperientur; ideo dicitur, erumpent in deſerto aquæ et fluvii in planitie deſerti, deſertum ſignificat ubi non bonum quia non verum, et aquæ ſignificant vera, ac fluvii intelligentiam quæ ex veris. Apud Eundem, "*Dabo Te in fœdus populo, in lucem gentium ad aperiendum oculos cæcos, et ad educendum e carcere vinctum: Ego Jehovah, hoc Nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo,*" xlii. 6, 7, 8; hæc quoque de Domino, et de inſtauratione Eccleſiæ ab Ipſo apud gentes; quod tunc illi, qui prius in ignorantia, intellecturi ſint vera, ſignificatur per oculos cæcos quos aperiet; et quod ex ignorantia et ex falſis educendi ſint, ſignificatur per quod e carcere educet vinctum; quod Ipſum Divinum aſſumturum ſit Humanum, intelligitur per Ego Jehovah hoc Nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo. Apud Eundem, "*Ducam cæcos in viam quam non noverunt, in ſemitas quas non noverunt ducam eos, ponam tenebras eorum in lucem,*" xlii. 6; cæci etiam hic pro illis qui non in aliquo intellectu veri ſunt; vera et bona veri quæ recepturi, ſignificantur per quod ducentur in viam et in ſemitas quas non noverunt; diſſipatio falſi ignorantiæ et illuſtratio ſignificatur per ponam tenebras eorum in lucem. Apud Eundem, "*Ab oriente adducam ſemen tuum, et ab occidente colligam te, dicam ſeptentrioni da, et meridiei ne inhibe, adduc filios meos a longinquo, et filias meas ab extremitate terræ; omnem vocatum a Nomine meo creavi, formavi, etiam feci illum; educ populum cæcum cui oculi, et ſurdos quibus aures,*" xliii. 5, 6, 7, 8; etiam hæc de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes a Domino; adducere ſemen ab oriente, occidente, ſeptentrione et meridie, eſt omnes e quacunque religione ſunt, nam oriens et occidens ſignificant ubi bonum amoris clarum et obſcurum, ac ſeptentrio et meridies ubi verum fidei in obſcuro et in claro; hic intelliguntur qui in obſcuro ex ignorantia, nam dicitur educ filios meos a longinquo et filias meas ab extremitate terræ, filii dicuntur qui recipiunt vera, et filiæ qui bona, a longinquo et ab extremitate terræ ſignificat qui remoti ſunt a veris et bonis Eccleſiæ; quod omnes a Domino recipientur et reformabuntur qui agnoſcunt Ipſum, ſignificatur per creavi, formavi et feci omnem vocatum a Nomine meo; illi nunc ſunt qui intelliguntur per Cæcos quibus oculi, et per Surdos quibus aures. Apud Eundem, “*Exſpectans lucem ſed ecce tenebræ; in caliginibus ambulamus, palpamus ſicut Cæci parietem, et ſicut non oculi palpitamus, offendimus in meridie ſicut in crepuſculo, inter vivos ſicut mortui,*” lix. 9, 10; ſimiliter hic Cæci pro illis qui non in intellectu veri ſunt; tenebræ et caligines ſunt falſa; offendere in meridie ſicut in crepuſculo, eſt errare in falſis tametſi in luce poſſunt eſſe ex Verbo. Apud Eundem, “*Speculatores ejus cæci omnes, iidemque paſtores non ſciunt intelligere,*” lvi. 10, 11; etiam hic Cæci pro illis qui non intelligunt vera tametſi Verbum habent; quod Cæci illos ſignificent, patet, nam dicitur, non ſciunt et non ſciunt intelligere. Apud Jeremiam, “*Ego adducens eos e terra ſeptentrionis, inter eos cæcus et claudus, cum fletibus venient et cum precibus adducam eos, ducam eos ad fontes aquarum in via recti,*” xxxi. 8, 9; terra ſeptentrionis eſt ubi falſum ignorantiæ; et quod in illo ſunt, dicuntur Cæci; quod ducendi ſint ad vera, ſignificatur per quod ducam eos ad fontes aquarum in via recti. In Threnis, “*Jehovah accendit ignem in Zione, qui comedit fundamenta ejus, ob peccata prophetarum ejus, iniquitates ſacerdotum, errarunt Cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine, ea quæ non poſſunt tangunt veſtimentis ſuis,*” iv. 11, 12, 14; Zion eſt Eccleſia; ignis qui comedet fundamenta ejus, eſt amor ſui qui diſperget omnes cognitiones veri; peccata prophetarum et iniquitates ſacerdotum ſunt perverſitates docentium vera et bona; quod inde nihil veri intellecturi ſint, ſignificatur per errare Cæci in plateis; ſanguis quo polluti ſunt, eſt falſificatio veri et adulteratio boni in Verbo; prophanatio boni et veri inde per mala et falſa, intelligitur per ea quæ non poſſunt tangunt veſtimentis ſuis. Apud Sachariam, “*In die illo percutiam omnem equum ſtupore, et equitem amentia, omnem equum populorum percutiam cæcitate,*” xii. 4; equus ſignificat intellectuale, et eques intelligentem, inde patet quid ſignificatur per percutere omnem equum ſtupore et equum populorum cæcitate, ac equitem amentia; quod equus ſignificet intellectuale, videatur in Opuſculo de EQUO ALBO, n. 1 ad 6. Apud Davidem, “*Jehovah ſolvit vinctos, Jehovah aperit Cæcos,*” Pſalm. cxlvi. 7, 8; Vincti dicuntur qui in falſis ſunt et deſiderant exſolvi ab illis; Cæci ſunt qui inde non in intellectu veri; aperire illos eſt facere ut intelligant. Apud Johannem, “*Dixit Eſajas, occæcavit eorum oculos, et obturavit eorum cor, ut non videant oculis et intelligant corde,*” xii. 40; quod occæcare oculos ut non videant oculis ſuis, ſignificet non intelligere vera, patet. Apud Eundem, “*Jeſus dixit, in judicium Ego in hunc mundum veni, ut non videntes videant, videntes vero cæci fiant: dixerunt, ergo nos Cæci ſumus; dixit Jeſus, ſi Cæci eſſetis non haberetis peccatum; jam vero dicitis quod videamus, ideo peccatum veſtrum manet,*” ix. 39, 40, 41; per non videntes intelliguntur illi qui extra Eccleſiam ſunt et non ſciunt vera quia non habent Verbum, ita Gentes; per videntes autem intelliguntur illi qui intra Eccleſiam ſunt et habent Verbum, ita Judæi, de his dicitur quod Cæci fient, de illis autem quod viſuri; quod dicatur quod peccatum eorum maneat quia dicunt quod non cæci ſint ſed quod videant, eſt quia in Eccleſia ſunt ubi Verbum, et tamen non volunt videre et agnoſcere vera, ita nec Dominum: inde eſt, quod Scribæ et Phariſæi apud Judæos a Domino dicti ſint *Duces cæci cæcorum*, Matth. xv. 14: Luc. vi. 39; ac *Duces cæci, ſtulti et fatui*, Matth. xxiii. 16, 17, 19, 24. Apud Eundem, “*Jeſus*

Jeſus videt hominem cæcum a nativitate, dixit diſcipulis, quamdiu in mundo ſum, Lux mundi ſum: hæc dicens exſpuit in humum, et fecit lutum ex ſputo, et inunxit lutum ſuper oculos Cæci, et dixit, abi et lava te in piſcina Siloam; ac abiit et lavit ſe, et venit videns," ix. 27 ad 33; cur ita factum eſt a Domino, nemo intelligit niſi qui ſcit ſenſum internum ſeu ſpiritualem Verbi, in hoc ſenſu per Cæcum a nativitate intelliguntur qui extra Eccleſiam nati ſunt, et inde non potuerunt ſcire aliquid de Domino ac inſtrui ex Verbo; per lutum quod ex ſputo fecit in humo, ſignificatur reformatio per vera ex ſenſu literæ Verbi, humus eſt Eccleſia ubi Verbum, lutum eſt ultimum Divinum formans, inungere id ſuper oculos Cæci eſt per id dare intellectum veri; piſcina Siloam etiam ſignificat Verbum in litera; lavari ibi eſt purificari a falſis et malis: quod hæc intelligantur per illa, huc uſque abſconditum fuit. Quod Humus ſignificet Eccleſiam, videatur n. 566, 10570: quod Lutum ſignificet bonum ex quo verum, ita bonum formans, n. 1300, 6669: quod piſcina Siloam ſignificet Verbum in ſenſu literæ, patet apud Eſajam, Cap. viii. 6: ac in genere piſcinæ quæ Hieroſolymæ, Eſaj. xxii. 9, 11. Apud Marcum, "*Jeſus venit Bethſaida, ubi afferunt Ipſi cæcum, et rogant ut eum tangeret; apprehendens itaque manum Cæci, eduxit eum extra pagum, et exſpuens in oculos ejus interrogavit numquid videat, qui ſuſpiciens dixit, video arbores quod ſicut homines ambulantes: deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus, et fecit eum ſuſpicere; tunc reſtitutus eſt, et ſuſpexit clare omnes,*" viii. 22 ad 27; quid hæc involvunt nec intelligitur niſi ex ſenſu interno ſeu ſpirituali Verbi, qui hunc non intelligit, nihil aliud videt quam quod ita factum ſit, et forte cogitat plane ſenſualiter de eo; ſed omnia quæ Dominus loquutus eſt et quæ fecit in mundo continebant ſpiritualia ordine a ſupremis ad ultima, ita plene, etiam omnia Miracula et eorum deſcriptiones; Cæci, quos Dominus ſanabat, ſignificabant ſpiritualiter Cæcos, qui ſunt qui non ſciunt et intelligunt vera; per quod hic Cæcus duceretur extra pagum Bethſaida, erat quia Bethſaida ſignificabat damnationem ob non receptionem Domini; quod exſpuerit in oculos ejus ſignificat ſimile quod ſupra quod fecerit lutum ex ſputo; quod poſtea tetigerit oculos ejus ſignificat quod ex Divino illuſtraverit; inde eſt quod cæcus primum videret homines ſicut arbores ambulantes, per quod ſignificatur communis et obſcura perceptio veri ex ſenſu literæ, per arbores etiam ſignificantur cognitiones, et per ambulare ſignificatur vivere; quod poſtea cum tactus a Domino viderit omnes clare, ſignificat quod poſt inſtructionem et illuſtrationem a Domino intellexerit vera: hic ſenſus ineſt illis, et is ſenſus percipitur ab Angelis. Quod pagus Bethſaida ſignificet damnationem ob non receptionem Domini, patet apud Matthæum, Cap. xi. 21; et apud Lucam, Cap. x. 13: quod Tactus ſignificet communicationem et tranſlationem, hic vero illuſtrationem quia tangebantur oculi, videatur ſupra n. 79: quod Arbores ſignificent cognitiones, in Arcanis Cœlestibus, n. 2722, 2972, 7692: quod Ambulare ſignificet vivere, n. 519, 1794, 8417, 8420; et ſupra n. 97. Præterea per omnes Cæcos, quos Dominus ſanavit, intellecti ſunt illi qui in ignorantia ſunt et recipiunt Ipſum, et per Verbum ab Ipſo illuſtrantur; et in genere per omnia Miracula Domini ſignificantur talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, ita ſpiritualia, ex eo Miracula Ipſius Divina fuerunt, nam Divinum eſt ex primis agere et ſiſtere illa in ultimis: ex his patet, quid ſignificatum eſt per Cæcos quos Dominus ſanavit, de quibus Matth. ix. 27 ad 31. Cap. xii. 22. Cap. xx. 29 ad fin. Cap. xxi. 14. Marc. x. 46 ad fin. Luc. vii. 21, 22, 23. Cap. xviii. 35 ad fin. Quoniam per Cæcos ſignificantur illi qui non in cognitionibus veri ſunt, et inde non in aliquo intellectu veri, ideo inter leges et ſtatuta, quæ data filiis Iſraelis, fuerat, "*Quod Cæcus ex filiis Aharonis et ex Levitis non accederet ad offerendum panem Dei ſui,*" hoc eſt, ad faciendum ſacrificium, Levit. xxi. 18. Deut. xv. 21: "*tum quod Cæcum non offerretur,*" Levit. xxii. 22: pariter, "*Quod non coram Cæco darent offendiculum,*" Levit. xix. 14: "*Quod maledictus qui errare faceret Cæcum,*" Deut. xxvii. 18: quod hæ Leges latæ fuerint, erat quia Eccleſia apud illos inſtituta erat Eccleſia Repræſentativa, in qua omnia repræſentabant ſpiritualia quia illis correſpondebant. Ideo etiam dicitur ſequens maledictio ſuper eos qui non ſervant mandata, apud Moſen, "*Si non obediveris voci Dei tui cuſtodiendo ad faciendum omnia præcepta Ipſius, percutiet te Jehovah furore et cæcitate et ſtupore cordis, ut ſis palpitans in meridie, ſicut palpitat Cæcus in tenebris,*" Deut. xxviii. 28; per quod etiam intelligitur, quod cæcitate et ſtupore ſpirituali percutientur illi qui non obediunt voci Domini faciendo illa quæ in Verbo præceperat; Cæcitas ſpiritualis oculorum et ſtupor ſpiritualis cordis eſt nullus intellectus veri et nulla voluntas boni; palpitare in meridie, eſt talis eſſe in Eccleſia ubi lux veri datur per Verbum; quod meridies ſignificet ubi verum eſt in luce, videatur n. 9642; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 148, 149, 151.

240. Quod autem nudus ſignificet illos qui abſque intellectu veri quia abſque voluntate boni, conſtat etiam ex locis in Verbo ubi nudus et nuditas nominatur, quæ infra adducentur; quod nudus et nuditas illa ſignificent, eſt quia veſtimenta ſignificant vera quæ intellectus, et qui abſque veris eſt is quoque abſque bono eſt, nam omne bonum ſpirituale comparatur per vera, bonum ſpirituale abſque illis ſeu niſi per illa non datur; bonum ſpirituale eſt charitas. Nudus et Nuditas ſignificant deprivatum ſeu deprivationem ab intelligentia et ab amore, ita ab intellectu boni et a voluntate ejus, etiam ex cauſa, quia veſtes tegunt corpus et carnem, et per corpus et carnem ſignificatur bonum, inde per veſtes ſignificantur illa quæ tegunt bonum. Eſt intellectus veri et eſt intellectus boni, intellectus veri eſt intellectus talium quæ fidei ſunt, ac intellectus boni eſt intellectus talium quæ amoris et charitatis ſunt: eſt quoque voluntas veri et voluntas boni, voluntas veri eſt apud illos qui e ſpirituali Regno Domini ſunt, voluntas autem boni eſt apud illos qui e Regno Cœleſti Domini ſunt, hi quia in amore in Dominum et inde in amore mutuo, qui illis eſt charitas erga proximum, vera habent inſcripta cordibus ſuis, et inde faciunt illa, et quod procedit ex corde eſt ex voluntate boni, cor eſt voluntas boni; at illi qui in amore erga proximum ſunt, qui amor eſt charitas, non habent vera inſcripta cordibus, ſed memoriæ et inde menti intellectuali, et quod inde procedit ex affectione eſt voluntas veri; ita diſtinguuntur Angeli ſpirituales ab Angelis cœleſtibus; hi nudi apparent in cœlo, illi autem veſtiti: cauſa quod Angeli Cœleſtes nudi appareant, eſt quia non opus habent memoria retinere vera, nec intellectu inde compre-

hendere illa, quia habent illa inſcripta cordi, hoc eſt, amori et voluntati, ac inde vident illa; at quod Angeli ſpirituales veſtiti appareant, eſt quia habent vera inſcripta memoriæ et inde intellectui, ac vera memoriæ et inde intellectus ſunt quæ correſpondent veſtibus, quare omnes ex illis veſtiti apparent ſecundum intelligentiam; quod Angeli ita veſtiantur, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 177 ad 182. Ex his conſtare poteſt quid Nudus ſignificat in utroque ſenſu, nempe quod in uno ſignificet illos qui in bono cœleſti ſunt, in altero autem illos qui non in bono ſunt quia non in veris. Sed hæc melius videri poſſunt ex locis in Verbo ubi nudus ac nuditas nominantur, quæ loca ſunt ſequentia; apud Eſajam, “*Dixit Jehovah prophetæ, exue ſaccum deſuper lumbis tuis, et calceum tuum exue deſuper pede tuo, et fecit ita, tunc dixit Jehovah, ſicut ivit ſervus meus Jeſchajah Nudus et diſcalceatus, ſic ducet Rex Aſchuris captivitatem Ægypti, et turbam deportandam Kuſchi, pueros et ſenes, nudum et diſcalceatum, et detectos nates, Nuditatem Ægypti,*” xx. 2, 3, 4; quid Eccleſiæ et Cœli in his reconditum latet, nemo videre poteſt niſi ſciat ſenſum eorum ſpiritualem; in Verbi enim ſingulis aliquid Eccleſiæ et Cœli ineſt, quia Verbum eſt ſpirituale, quare explicabitur; per prophetam hic intelligitur doctrina Eccleſiæ; per exuere ſaccum deſuper lumbis ſeu nudos ſiſtere lumbos intelligitur revelare ſpurcos amores; per ſaccum ſolennem prophetæ hic intelliguntur femoralia quæ tegunt, et per lumbos ſignificantur illi amores; per exuere calceum deſuper pede, ſeu diſcalceare plantas pedis, ſignificatur revelare fœda naturæ; per quod Rex Aſchuris ducet captivitatem Ægypti, et turbam deportandam Kuſchi, intelligitur quod perverſum rationale confirmabit mala et falſa per ſcientifica et per fallacias; per pueros et ſenes intelligitur per omnia, tam communia quam particularia; per nudum et diſcalceatum intelliguntur deprivati ab omni vero et ab omni bono; per detectos nates intelliguntur mala amoris ſui; per nuditatem Ægypti intelliguntur falſa inde: inde patet de qua re Eccleſiæ et Cœli hic agitur, quod nempe de eo, quod perverſum rationale, quod eſt rationale quod negat Deum et naturæ omnia tribuit, confirmet ſe per ſcientifica et per fallacias, uſque ut ſit abſque omni intellectu veri et voluntate boni: quod per Prophetam in Verbo intelligatur doctrina, videatur n. 2534, 7269: quod per Lumbos, amores in utroque ſenſu, n. 3021, 4280, 5059: quod per Pedes, naturalia apud hominem, et per plantas pedum illa quæ in ultimis, n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952: quod per Calceos, eadem illa quoad tegumentum eorum, n. 1748, 1860, 6844: quod per Regem Aſchuris, rationale in utroque ſenſu, n. 119, 1186: quod per Ægyptum, ſcientificum quod naturalis hominis etiam in utroque ſenſu, bono et malo, n. 1164, 1165, 1186, 1462, 5700, 5702, 6015, 6651, 6679, 6683, 6692, 7296, 9340, 9391: quod per Kuſchum, fallaciæ ſenſuum, n. 1163, 1164, 1166. Apud Ezechielem, “*Cum præterivi præter te, et vidi te, operui nuditatem tuam, et lavi te, et veſtivi te: ſed cum confiſa es pulchritudini tuæ, et ſcortata es, non recordata rerum juventutis tuæ, cum eſſes nuda et denudata; ſcortata es cum filiis Ægypti et cum filiis Aſchuris, et multiplicaſti ſcortationem tuam uſque ad Chaldæam; propterea revelata eſt nuditas tua per ſcortationes tuas; ideo lapidabunt te lapide, et diſſecabunt te gladiis, et accendent domos* *tuas igne,*" xvi. 6, ſeq: agitur ibi de Hieroſolyma, per quam intelligitur Eccleſia quoad doctrinam; et per illa verba et per plura in eodem Capite deſcribitur qualis fuerat in principio, et qualis facta eſt cum deflexit a bono et a vero; qualis inſtaurata fuit a Domino, ita qualis in principio, deſcribitur per hæc, cum præterivi præter te et vidi te, operui nuditatem tuam, lavi te et veſtivi te, operire nuditatem ſignificat amovere mala voluntatis et falſa intellectus, lavare ſignificat purificare a malis, et veſtire ſignificat veris inſtruere; qualis autem facta eſt cum deflexit a bono et vero, deſcribitur per ſequentia; quod confiſa ſit pulchritudini ſuæ, ſignificat intelligentiam ex proprio quod ea delectata fuerit; per quod ſcortata ſit, ſignificat quod ſic imbuerit falſitates; per ſcortari cum filiis Ægypti et cum filiis Aſchuris, ſignificantur falſificationes confirmatæ per ſcientifica et inde rationalia; per multiplicare ſcortationem uſque ad Chaldæam, ſignificatur uſque ad prophanationem veri; inde patet, quid ſignificat, propterea revelata eſt nuditas tua per ſcortationes tuas, quod nempe Eccleſia per falſa et per falſificationes deprivata ſit omni intellectu veri; per lapidabunt te lapide ſignificatur quod moritura ſit per falſa; per diſſecabunt te gladiis, ſignificatur quod prorſus moritura per falſificationes veri; et per accendent domos tuas igne, ſignificatur quod tota peritura ſit per amores infernales; domus ſunt omnia quæ apud hominem, et ignis eſt amor infernalis: ex his patet, quid Cœli et Eccleſiæ continetur in illis verbis, et quod ille ſolum appareat ex ſenſu ſpirituali. Quod lavare ſignificat purificare a malis et falſis, videatur n. 3147, 10237, 10240, 10243: quod veſtire ſignificet inſtruere veris, n. 1073, 2576, 5248, 5319, 5954, 9212, 9216, 9952, 10536: quod pulchritudo ſignificet intelligentiam, n. 3080, 4985, 5199, hic intelligentiam ex proprio: quod ſcortari, imbuere falſa, ſupra n. 141: quod Ægyptus ſcientificum et Aſchur rationale, videatur mox ſupra: quod Chaldæa prophanationem veri, n. 1182, 1283, 1295, 1304, 1306, 1307, 1308, 1321, 1322, 1326: quod lapidare lapide ſignificet mori per falſa, n. 5156, 7456, 8575, 8799: quod gladius ſignificet falſum pugnans contra verum et deſtruens illud, n. 2799, 4499, 7102; inde diſſecare gladiis eſt prorſus mori per falſificationes veri: quod ignis ſignificet amorem infernalem, n. 1861, 5071, 6314, 6832, 7575, 10747: et quod domus ſignificet totum hominem, et illa quæ apud eum, ita quæ ejus intellectus et voluntatis ſunt, n. 710, 2233, 2234, 2719, 3128, 3538, 4973, 5023, 6690, 7353, 7848, 7910, 7929, 9150; inde patet quid ſignificatur per accendent domos tuas igne. Apud Hoſcheam, "*Contendite cum Matre veſtra, ut removeat ſcortationes ſuas et adulteria ſua, ne forte exuam eam nudam, et ponam eam ſicut deſertum, ſicut terram ſiccitatis, et occidam eam per ſitim, et filiorum ejus non miſerebor, quia filii ſcortationum illi,*" ii. 2, 3 4; etiam hic agitur de Eccleſia lapſa in falſa et mala; Mater cum qua contenderent, ſignificat Eccleſiam; ſcortationes et adulteria ſignificant falſa et inde mala; ponere illam ſicut deſertum ſicut terram ſiccitatis, ſignificat abſque bono et vero; occidere eam per ſitim, ſignificat defectum totalem veri; filii ejus quorum non miſerebor, ſignificant omnia falſa ejus in genere, quare vocantur filii ſcortationum: quod Mater ſignificet Eccleſiam, videatur n. 289, 2691, 2717, 3703, 4257,

5580,

5580, 8897: quod deſertum ſignificet non bonum quia non verum, n. 2708, 4736, 7055: quod terra ſiccitatis ſignificet ubi non verum, eſt quia aqua ſignificat verum fidei, n. 2702, 3058, 5668, 8568, 10238: occidi ſiti, quod ſignificet perire ex defectu veri, n. 8568 f. quod filii ſignificent affectiones veri et vera in genere, n. 2362, 3963, 6729, 6775, 6778, 9055; ita in ſenſu oppoſito affectiones falſi et falſa in genere: inde conſtare poteſt, quid ſignificatur per exuere illam nudam, quod nempe ut ſit abſque bono et vero. In Threnis, "*Peccatum peccavit Hieroſolyma, ideo omnes qui honoraverunt illam, vilipendunt illam, quia viderunt nuditatem ejus,*" i. 8: apud Ezechielem, *Ohola, quæ Samaria, ſcortata eſt cum Ægyptiis, cumque filiis Aſchuris, illi revelarunt nuditatem ejus, filios ejus et filias ejus ceperunt, et illam gladio tandem occiderunt; ideo dabo te in manum eorum quos odiſti, ut agant tecum ex odio, et ſument omnem laborem tuum, et te relinquent nudam et denudatam, ut reveletur nuditas ſcortationum tuarum,*" xxiii. 4, 8, 9, 10, 18, 28, 29; agitur in eo Capite de Samaria quæ vocatur Ohola, et de Hieroſolyma quæ vocatur Oholiba, et per utramque ſignificatur Eccleſia, per Samariam ubi filii Iſraelis, ſignificatur Eccleſia in qua non vera ſed falſa, et per Hieroſolymam Eccleſia in qua non bona ſed mala: quid ſignificatur per ſcortari cum Ægyptiis et cum filiis Aſchuris, et quid per occidere filias et filios ejus gladio, ſupra explicatum eſt; exinde patet quod per relinquere illam nudam et denudatam ſignificetur abſque vero et bono. Apud Eſajam, "*Dominus decalvabit verticem filiarum Zionis, et Jehovah podicem earum nudabit,*" iii. 17; filiæ Zionis ſignificant Eccleſiam cœleſtem et quæ illius Eccleſiæ ſunt, hic autem illam perverſam; vertex illarum qui decalvabitur, ſignificat intelligentiam qua deprivabitur; et podex qui nudabitur ſignificat amorem mali et falſi. Apud Nahum, "*Væ urbi ſanguinum, tota mendacio et rapina plena, præ multitudine ſcortationum ejus retegam fimbrias ſuper facies tuas, et oſtendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam,*" iii. 1, 4, 5; urbs ſanguinum ſignificat doctrinam falſi quæ violentiam infert bono charitatis. Apud Habakuk, "*Væ facienti ſocium bibere, etiamque inebriando, ut introſpicias nuditates eorum; bibe etiam tu ut præputium reveletur,*" ii. 15, 16; facere ſocium bibere inebriando, ſignificat imbuere falſis uſque ut non videat verum; introſpicere nuditates eſt ut appareant falſa quæ intellectus et mala quæ voluntatis; ut præputium reveletur eſt ut amores ſpurci: quod bibere ſit inſtrui in veris, videatur n. 3069, 3772, 4017, 4018, 8562, 9412, inde in oppoſito ſenſu eſt imbuere falſa; quod inebriari ſit inſanire ex falſis, ita non videre vera, n. 1072: quod præputium ſignificet amores corporeos et terreſtres, n. 4462, 7045. Inde conſtare poteſt quid ſignificatur per quod "*Noachus biberit vinum et inebriatus ſit, ita ut jaceret nudus in medio tentorii ſui: et quod Chamus riſerit nuditatem patris ſui, Schemus autem et Japhetus texerint nuditatem ejus, et quod facies ſuas averterint ut non viderent patris ſui nuditatem,*" Geneſ. ix. 21, 22, 23; ſed hæc videantur in Arcanis Cœlestibus explicata, ubi de illis agitur. In Threnis, "*Etiam ad te filia Edomi tranſibit calix, inebriaberis et nudaberis,*" iv. 21; hic ſimile per inebriari et nudari quod ſupra ſignificatur; ſed quinam illi ſunt qui per Edomum intelliguntur, videatur n. 3322, 8314. Apud Eſajam, "*Filia Babelis et Chaldææ ſede in terra, ſume molam et mole* *farinam, revela crines tuos, revela femur, tranſi flumina, reveletur nuditas tua, etiamque videatur opprobrium tuum,*" xlvii. 1, 2, 3; per filiam Babelis et Chaldææ intelliguntur illi qui prophanant bona et vera Eccleſiæ: per molere farinam intelligitur falſificare vera; per revelare crines et femur, intelligitur deprivari intelligentia veri et voluntate boni; ſimile per tranſire flumina et revelare nuditatem. Quia nuditas ſignificabat deprivationem intellectus veri et voluntatis boni, ideo ſtatutum fuit, quod "*Aharon et filii ejus aſcenderent in gradibus ſuper Altare, ne reveletur nuditas eorum ſuper illo,*" Exod. xx. 27: tum "*quod illis facerent femoralia lini ad tegendum carnem nuditatis, et quod eſſent ſuper illis cum intrarent tentorium conventus, et cum accederent ad altare, et quod alioquin portarent iniquitatem et morerentur,*" Exod. xxviii. 42, 43. Ex his patet, quid ſignificatur per verba in ſequenti Verſu in hoc Capite, "*Suadeo tibi emere a Me veſtimenta alba, ut induaris, ne appareat pudor nuditatis tuæ*: tum in ſequentibus hujus Libri Apocalypſeos, "*Beatus qui vigilat, et ſervat veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, et videantur pudenda ejus,*" xvi. 15. Præterea per Nudum in Verbo intelliguntur etiam illi qui non in veris ſunt et inde non in bono, quoniam ignorant illa, et tamen deſiderant illa, ut ſunt qui intra Eccleſiam ſunt ubi illi qui docent in falſis ſunt, tum qui extra Eccleſiam ſunt et non Verbum habent, et inde non vera ſciunt et nihil de Domino: hi ſunt qui intelliguntur in his locis, apud Eſajam, "*Hoc jejunium quod eligo, frangere famelico panem, et cum videris Nudum obtegere eum,*" lviii. 6, 7: apud Ezechielem, "*Panem ſuum famelico det, et Nudum tegat veſte,*" xviii. 7: et apud Matthæum, "*Nudus fui et non induiſtis Me,*" xxv. 36, 38; tegere veſte et induere ſignificat inſtruere in veris; quod veſtes ſint vera, videatur ſupra n. 195. Quod Nudus etiam ſignificet bonum innocentiæ, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 165, 8375, 9960; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 179, 180, 280.

241. Suadeo tibi, quod ſignificet medium reformationis illorum qui in doctrina de ſola fide, conſtat ex illis quæ nunc ſequuntur, nam agitur nunc de reformatione eorum qui in illa doctrina ſunt, inde ſuadeo tibi involvit præcepta quomodo illi victuri ut reformentur, et ſic ſalventur.

242. Emere a Me aurum exploratum igne ut ditatus ſis, quod ſignificet ut a Domino comparent ſibi genuinum bonum ut recipere poſſint vera fidei, conſtat ex ſignificatione emere, quod ſit comparare et appropriare ſibi, de qua n. 4397, 5374, 5397, 5406, 5410, 5426; ex ſignificatione auri explorati igne, quod ſit bonum genuinum, ita bonum a Domino, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ut ditatus ſis, quod ſit ut recipere poſſit vera fidei; quod ditatus fieri id ſignificet, eſt quia divitiæ et opes ſignificant cognitiones veri et boni, et divites illos qui in intelligentia per illas ſunt, hic qui in fide per illas quia hic de illis qui in doctrina de ſola fide ſunt, agitur; inde patet, quod per emere a Me aurum exploratum igne ut ditatus ſis, ſignificetur ut comparent ſibi genuinum bonum a Domino, ut recipere poſſint vera fidei. Quomodo hæc intelligenda ſunt, primum dicetur; quod non detur verum quod verum in ſe eſt niſi ex bono, ita nec fides quæ fides niſi ex charitate, ſæpius prius dictum eſt; verum enim quod in ſe verum eſt, non datur niſi vita ſpiritualis ei inſit, et tunc vita ſpiritualis ei ineſt dum formatur ex bono

charitatis, nam verum eſt forma boni, et bonum eſt eſſe veri, ita quoque eſt vita ejus, et bonum non aliunde eſt quam a Domino, et cum bonum a Domino eſt, tum verum quod ex bono eſt ſpectat Dominum primario, et quoque proximum et ejus bonum, nam Dominus influit cum bono, et ex eo format verum, quod eſt verum fidei, ac facit ut viſus ſpiritualis hominis ſpectet ad Ipſum et ad proximum; quod ita ſit, oſtenſum videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 145, 251, quod nempe Dominus aſpiciat Angelos et homines in fronte, et hi Dominum per oculos, ex cauſa quia frons correſpondet bono amoris, ac oculi intellectui inde illuſtrato, proinde veris quæ fidei ſunt; et quoque in eodem Opere, n. 17, 123, 124, 142, 143, 144, 510, oſtenſum eſt, quod in Mundo ſpirituali omnes vertantur ad ſuos amores, et illi qui Dominum agnoverunt et in Ipſum crediderunt, vertantur ad Ipſum, et quod inde illis bonum, et per bonum illuſtratio quoad vera: ex his conſtare poteſt, quid genuinum bonum, quod ſignificatur per aurum exploratum igne, quod nempe a Solo Domino. Quoniam in ſcriptis ad Angelum hujus Eccleſiæ agitur de illis qui vivunt ſecundum doctrinam de ſola fide, et quia illi qui ſe confirmaverunt in illa, qui in mundo inde docti vocati ſunt, potuerunt connectere falſa veris, ac inducere apparentiam ſicut vera eſſet doctrina, ideo datum eſt cum quibuſdam ex illis in altera vita loqui, et quia illa quæ tunc mutuo dicta ſunt, poſſunt inſervire illuſtrationi, velim ea afferre. Docti illi ex opinione in mundo putaverunt quod fides eſſet dabilis abſque charitate, et quod homo juſtificetur per illam ſolam; ſermo eorum erat admodum ingenioſus, dicendo quod fides abſque charitate dabilis ſit, ex cauſa quia prior eſt, et per illam homo in bono eſt; quis, dixerunt, non credere poteſt, quod Deus ſit, quod Verbum ſit Divinum, et ſimilia, quæ niſi crederentur non poſſent recipi et cogitari ab homine; concluſerunt inde quod fides dabilis ſit abſque charitate, quia præcedit ſeu prior eſt, et ſi dabilis, quod ſalvans ſit, quia homo non poteſt bonum facere a ſe, quare niſi illa ſalvaret omnes perirent, abſque fide nec daretur præſentia Dei apud illum, et ſi non præſentia Dei, regnaret malum et non alicui eſſet bonum; hæc dixerunt intelligi per juſtificationem per ſolam fidem. Sed oſtenſum illis eſt, quod non fides eſſet niſi ſimul charitas, et quod dixerunt eſſe fidem, eſſe ſolum cognitiones, quæ primæ ſunt cuivis homini, ut quod Deus ſit et quod Verbum ſit Divinum, ac ſimilia, et quod illæ cognitiones, non ſint in homine, ſed in introitu ad illum, qui eſt ejus memoria, priuſquam ſunt in ejus voluntate, et quantum in ejus voluntate ſunt, tantum in ipſo homine, nam voluntas eſt ipſe homo, et quantum in voluntate ſunt, tantum in ejus viſu ſunt, qui eſt fides; ipſæ cognitiones, quæ præcedunt, ac in viſu naturali apparent ſicut credi, non prius fiunt fidei, inde eſt quod viſus cognitionum, qui putatur eſſe fidei, recedat ab homine ſucceſſive prout is incipit male cogitare ex male velle, et quoque recedit ab illo poſt mortem, cum homo fit ſpiritus, ſi non cognitiones irradicatæ ſunt vitæ ejus, hoc eſt, voluntati aut amori ejus. Illuſtretur hoc per comparationem cum ventriculis qui apud aves et apud animalia terræ, qui vocantur Ventriculi *ruminatorii*, in hos primum colligunt eſcas ſuas, et dein per gradus exſumunt illas, ac edunt, et ſic nutriunt ſanguinem, ita fiunt vitæ eorum: ventriculis illis correſpondet memoria apud hominem, hac gaudet homo loco illorum, quia homo eſt ſpiritualis, in hanc primum colligit cibos ſpirituales, qui ſunt cognitiones, et dein exſumit illas quaſi ruminando, hoc eſt, cogitando et volendo, et appropriat ſibi, et ſic facit vitæ ſuæ: ex hac comparatione tametſi levi conſtare poteſt, quod cognitiones niſi implantentur vitæ per cogitare et velle illas et inde facere illas, ſimiles ſint eſcis non commeſis in ventriculis ruminatoriis, ubi vel putreſcunt vel evomuntur. Præterea circulus vitæ hominis eſt Scire, Intelligere, Velle et Facere, inchoat enim vita ſpiritualis hominis a ſcire, dein continuatur in intelligere, poſtea in velle, et demum in facere; unde quoque patet, quod cognitiones ſint modo in introitu ad vitam cum in memoria, et quod non plene in homine ſint quam cum in factis, ac eo plenius in factis quo plenius in intellectu et voluntate. Porro oſtenſum eſt, quod fides cognitionum, antequam fit fides vitæ, ſit fides hiſtorica, quæ qualis ſit notum eſt, quod nempe credatur ita eſſe, quia alius dixerat; hoc antequam fit ipſius hominis eſt alienum ſeu alius hominis apud ſe; et quoque eſt talis fides hiſtorica, qualis eſt fides rerum ignotarum, nam dicitur quod credenda ſint tametſi non intelliguntur, imo quod non perſcrutanda ſint intellectu, cum tamen fides ſpiritualis talis eſt, ut in illa ipſa vera videantur, et ſic credantur; in Cœlo nemo credit aliquod verum niſi videat aut viderit illud; dicunt enim, quis poteſt credere quod ita ſit niſi videat, forte poteſt eſſe falſum, et credere falſum non poſſunt alii quam mali, nam mali ex malo vident falſa, at boni ex bono vident vera, et quia bonum eſt a Domino, etiam viſus veri ex bono eſt a Domino: quod Angeli videant vera, eſt quia lux cœli, in qua ſunt, eſt Divinum Verum procedens a Domino; inde omnes, apud quos illa lux eſt etiam in mundo, eſt viſus veri; de Luce Cœli, et quod talis ſit, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140. Oſtenſum dein eſt, quod Charitas et Fides unum agant, ac intrent ſimul apud hominem, ita quantum homo in charitate eſt tantum in fide ſit, quoniam fides quoad eſſentiam eſt charitas, prorſus ſicut verum quoad eſſentiam eſt bonum, bonum enim dum exiſtit in ſpecie ſeu in forma eſt verum, ita charitas eſt fides, nam bonum eſt charitatis et verum eſt fidei; unum etiam amat alterum et ſe conjungit alteri, quare non datur unum niſi ſimul alterum; illuſtratum eſt hoc per hominis cogitationem quæ ejus intellectus et per affectionem quæ ejus voluntatis, cogitare abſque affectione eſt impoſſibile, ipſa enim eſſentia cogitationis eſt affectio ſeu amor; cogitare quidem poteſt homo omnia illa quæ ſcit ex doctrina Eccleſiæ, ſed ex affectione naturali, quæ eſt affectio ſeu amor gloriæ, famæ, honoris, lucri, ſed hæc affectio non facit ut cogitatio ſit ſpiritualis, verum erit charitas quæ eſt ipſa affectio ſpiritualis, hæc cum ſe conjungit cognitionibus, fit fides, et dein quantum homo in illa affectione eſt, tantum videt cogitatione illa quæ ſunt fidei ejus, quæ vocantur vera, et agnoſcit illa, quia ſunt ex ipſo ſpiritu ejus, ita ex ipſa vita ſpirituali ejus; hoc quoque eſt quod vocatur illuſtratio; inde eſt, quod nemo illuſtrari poſſit ex Verbo, niſi in affectione veri ſpirituali ſit. Datur quidem ſimile illuſtrationi apud illos qui ſe confirmaverunt in talibus quæ ſunt Doctrinæ de ſola fide et de juſtificatione per illam, ſed illa illuſtratio eſt illuſtratio fatua, quoniam poſſunt falſa æque ac vera confirmari, ſicut omnes hæreſes tam quæ regnant apud Judæos quam quæ apud Pontificios; etiam ſimilis lux poſt confirmationes datur apud illos qui naturaliſtæ vocantur, ac negant Deum et Divinum Verbi, et præterea omnia Eccleſiæ; ſimiliter apud illos qui confirmarunt apud ſe ſolam fidem et juſtificationem per illam; quod lux confirmationis ſit lux naturalis, non ſpiritualis, dabilis etiam apud malos, videatur n. 8780. Sed redeamus ad fidem quæ quoad eſſentiam eſt charitas, illa fides jugiter perficitur per talia quæ confirmant, nam ſemper ex luce ſpirituali videntur vera plura, et hæc omnia ſe conjungunt bono charitatis et id perficiunt; inde homini eſt intelligentia et ſapientia, tandem Angelica. Præterea illi qui ſolum in cognitionibus fidei ſunt, et non in vita ſecundum illas, credunt quod homo facile poſſit recipere fidem, ſi non in mundo uſque in altera vita, dicentes ſecum, annon cum audio et video quod ita ſit poſſum credere; ſed maxime falluntur, nam illi qui non fidem ſpiritualem receperunt in mundo, poſtea, ſi millies audiverint et viderint, nuſquam poſſunt recipere; cauſa eſt, quia fides illa non eſt in homine ſed extra illum; quod ita ſit manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod omnes qui e mundo veniunt, primum recipiantur ab Angelis et a bonis ſpiritibus, ac omni modo inſtruantur, imo etiam plura illis oſtenduntur ad vivum et ad viſum, ſed uſque non recipiunt, quare ſe ab illis abalienant, et accedunt ad illos qui in nulla fide ſunt; dictum etiam eſt illis, quod ſi reciperetur fides per ſolum ſcire et cogitare, quod ab omnibus æque malis ac bonis reciperetur, et ſic nemo damnaretur. Quod Charitas, quæ eſt affectio ſpiritualis, nuſquam dabilis ſit apud aliquem, niſi ſciat vera, exploret ſe ſecundum illa, recipiat illa, et novam vitam illis convenientem agat, videatur ſupra n. 239; inde ſequitur quod vita fidei ſit charitas, et quod nihil vitæ inſit fidei niſi quantum charitatis ineſt, et quoque quod quantum charitatis ineſt fidei tantum ducatur a Domino; at quod quantum charitatis non ineſt tantum ducatur a ſemet, et qui ducitur a ſemet et non a Domino, non cogitare poteſt bonum, minus velle et facere bonum quod bonum in ſe eſt, nam ex proprio hominis non procedit niſi quam malum, cum enim cogitat bonum ac vult et facit bonum ex proprio, eſt modo propter ſe, et propter mundum, quæ ſunt fines operum ejus, ac fines ſunt amores qui ducunt illum, et homo a proprio ſuo non abduci ſeu elevari poteſt, niſi, quoad illa quæ vitæ ſunt, ſpectet ad Dominum, per hunc viſum conjungitur ille cœlo, et inde a Domino datur ei affectio ſpiritualis. Cum hæc et illa dicta ſunt, datum eſt illis, cum quibus de hac re loquutus ſum, in luce ſpirituali eſſe, quæ lux talis eſt, ut in illa videri poſſint vera tam clare ſicut videntur objecta in mundo in luce ejus, et tunc illi qui in doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam erant, non potuerunt non affirmare quod ita ſit; ſed ut primum lux ea illis adempta eſt, et remiſſi ſunt in ſuam lucem, quæ erat naturalis, non potuerunt videre aliter quam quod viſus cognitionum eſſet fides ſalvans, et inde quod falſa, quæ fecerunt fidei ſuæ, eſſent vera: falſa fiunt fidei quando mala ſunt vitæ. Sed redeamus ad explicationem verborum hujus loci, quæ ſunt, *ſuadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne ut ditatus ſis*, per quæ ſignificatur ut comparent ſibi a Domino genuinum bonum ut recipere poſſint vera; et nunc oſtendendum eſt, quod aurum in Verbo ſignificet bonum amoris: hoc conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Malachiam, "*Ecce Ego mittens Angelum meum qui præparabit viam ante Me, et ſubito veniet ad Templum* *ſuum Dominus, Quem vos quæritis, et Angelus fœderis Quem vos deſideratis; ſedebit conflans et purgens argentum, et purificabit filios Levi, deſæcabit eos ſicut Aurum et Argentum, ut ſint adferentes Jehovæ mincham in juſtitia,*" iii. 1, 2, 3; hæc de adventu Domini dicta ſunt; dicitur quod Jehovah miſſurus Angelum qui parabit viam ante Ipſum, et per Angelum intelligitur Johannes Baptiſta ut notum eſt; per ante Me ſeu ante Jehovam intelligitur Ipſum Divinum Domini; per Templum ad quod venturus, intelligitur Divinum Humanum Ipſius; quod Illud etiam dicatur Angelus fœderis, eſt quia per Ipſum eſt conjunctio hominum Angelorumque cum Ipſo Divino, fœdus enim eſt conjunctio; per argentum quod ſedebit conflans et purgans, intelligitur verum ex bono; per filios Levi intelliguntur omnes qui in bono charitatis ſunt et inde in veris fidei; quapropter dicitur quod deſæcaturus eos ſicut aurum et ſicut argentum, hoc dicitur quia aurum ſignificat bonum et argentum verum inde; per adferre Jehovæ mincham in juſtitia, intelligitur cultus Domini ex bono charitatis: quod Templum ſignificet Divinum Humanum Domini, videatur ſupra n. 220: quod fœdus ſignificet conjunctionem, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632: quod argentum ſignificet verum ex bono, n. 1551, 1552, 2954, 5658: quod mincha ſignificet bonum amoris et charitatis, n. 4581, 9992, 9993, 9994, 10079, 10137: quod juſtitia dicatur de bono, n. 2235, 9857; inde adferre mincham in juſtitia ſignificat cultum ex bono amoris. Apud Sachariam, "*Duæ partes in univerſa terra exſcindentur, exſpirabunt, tertia autem relinquetur in ea; ducam tamen tertiam per ignem, et conflabo eos juxta conflare argentum, et explorabo eos juxta explorare aurum,*" xiii. 8, 9; per univerſam terram non intelligitur univerſa terra, ſed univerſa Eccleſia; per tertiam partem nec intelligitur tertia pars, ſed aliqui ibi; ducere illam per ignem, et conflare juxta conflare argentum, et explorare juxta explorare aurum, ſignificat purificare eos a falſis et malis ut implantetur bonum et verum: quod terra in Verbo ſit Eccleſia, videatur n. 662, 1066, 1067, 1262, 1413, 1607, 2928, 3355, 4407, 4535, 5577, 6516, 9325, 9643: quod tertia pars ſignificet aliquos, n. 2788: ſunt in locis allatis comparationes argenti et auri cum vero et bono, ſed in Verbo omnia quæ inſerviunt comparationibus, etiam correſpondent et inde ſignificant, videatur n. 3579, 8989. Quia aurum exploratum igne ſignificat bonum amoris purificatum a malis, ideo mandatum erat, "*quod Aurum et Argentum captum a Midianitis traduceretur per ignem et ſic purificaretur,*" Num. xxxi. 22, 23. Quod Aurum ſignificet bonum amoris et charitatis, conſtat amplius a ſequentibus, apud Hoſcheam, "*Deſeruit Iſrael bonum, hoſtis perſequitur eum, argentum ſuum et aurum ſuum fecerunt ſibi idola,*" viii. 3, 4; quod argentum ſuum et aurum ſuum ſibi fecerint idola, ſignificet quod verum et bonum verterint in falſa et mala, patet ex eo quia dicitur, deſeruit Iſrael bonum, et hoſtis perſequitur eum, hoſtis eſt falſum ex malo, et malum ex falſo. Apud Joelem, "*Quid vobis Mecum Tyre et Zidon, argentum meum et aurum meum ſumſiſtis, et deſiderabilia bonorum intuliſtis in Templa veſtra, et filios Jehudæ et filios Hieroſolymæ vendidiſtis filiis Græcorum, ut longe removeretis a terminis eorum,*" iv. 4. 5; per Tyrum et Zidonem intelliguntur illi intra Eccleſiam qui in cognitionibus veri et boni ſunt, hic illi qui perverterunt illas, et applicuerunt ad falſa et ad mala falſi; hoc ſignificatur per quod argentum meum et aurum meum ſumſiſtis et deſiderabilia bonorum intuliſtis in templa veſtra, argentum ſignificat verum, aurum bonum, et deſiderabilia bonorum ſignificant vera et bona derivata, quæ ſunt cognitiones ex Verbo ſenſu literæ; inferre in templa ſua ſignificat vertere in cultum prophanum; per quod filios Jehudæ et filios Hieroſolymæ vendiderint filiis Græcorum, intelligitur quod omnia vera boni tranſmutaverint in falſa mali; per longe removere eos a terminis eorum, intelligitur procul ab ipſis veris: quod per Tyrum et Zidonem intelligantur illi intra Eccleſiam qui in cognitionibus veri et boni ſunt, videatur n. 1201; quod per filios Jehudæ et filios Hieroſolymæ intelligantur omnia vera boni, eſt quia per filios ſignificantur vera, n. 1729, 1739, 2159, 2629, 2803, 2813, 3255, 3704, 7499, 8897, 9807; per Jehudam Eccleſia cœleſtis, n. 3654, 6364; per Hieroſolymam Eccleſia ubi genuina doctrina, n. 3654, 9166; quod per filios Græcorum intelligantur falſa, eſt quia Græci ſignificant gentes quæ in falſis, videatur n. 50. Apud Ezechielem, "*Negotiatores Schebæ et Raamæ, per primarium omnis aromatis, et per omnem lapidem pretioſum et aurum, dederunt negotiationes tuas,*" xxvii. 22: et apud Eundem, "*In ſapientia et intelligentia tua feceras tibi opes, et feceras aurum et argentum in theſauris tuis: in Eden horto Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum et aurum,*" xxviii. 4, 13; agitur in binis illis locis etiam de Tyro, per quam, ut ſupra dictum eſt, intelliguntur illi intra Eccleſiam qui in cognitionibus veri et boni ſunt; per negotiationes ejus intelliguntur ipſæ illæ cognitiones; per Schebam et Raamam quoque intelliguntur illi qui in cognitionibus illis ſunt, n. 1171, 3240; per aromata ſignificantur vera quæ grata quia ex bono, n. 4748, 5621, 9474, 9475, 10199, 10254; per lapides pretioſos ſignificantur vera quæ pulchra quia ex bono, n. 9863, 9865, 9868, 9873, 9905; quod per hortum Eden ſignificetur intelligentia et ſapientia inde, n. 100, 108, 1588, 2702, 3220; quia nunc per illa ſignificantur cognitiones veri et boni, ac per aurum et argentum ipſa bona et vera, et quia per illa comparatur omnis intelligentia et ſapientia, ideo dicitur in intelligentia et ſapientia tua feceras aurum et argentum in theſauris tuis. In Threnis, "*Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatum eſt obryzum optimum, effuſi ſunt lapides ſanctitatis in capite omnium platearum: filii Zionis æſtimati pares auro puro, quomodo reputati ſunt in utres teſtæ, opus manuum figuli,*" iv. 1, 2; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ; aurum quod obſcuratum et obryzum optimum quod mutatum, ſignificant bona Eccleſiæ; lapides ſanctitatis qui effuſi in capite omnium platearum, ſignificant vera inde quod falſificata; filii Zionis qui æſtimati præ auro puro, ſignificant vera Eccleſiæ prioris; utres teſtæ opus manuum figuli, ſignificant mala vitæ ex falſis doctrinæ quæ ex propria intelligentia. Apud Ezechielem, "*Ornavi te ornatu, et dedi armillas ſuper manus tuas, et torquem ſuper guttur tuum, ſic ornata es auro et argento, et veſtes tuæ byſſus et ſericum et acupictum; et accepiſti vaſa ornatus tui ex auro meo et ex argento meo quod dederam tibi, et feciſti tibi imagines cum quibus ſcortareris,*" xvi. 11, 13, 17, 18; agitur ibi de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, ut ſupra; ornatus quo ornata eſt, ſignificat in genere omnia vera ex bono et inde intelligentiam, n. 10536, 10540; armillæ ſuper manus ſignificant in ſpecie vera ex bono, n. 3103, 3105; torques ſuper guttur ſignificat conjunctionem verorum et bonorum interiorum cum exterioribus, ſeu ſpiritualium cum naturalibus, n.

5320; byſſus ſignificat verum genuinum, et ſericum idem ſplendens ex interiori bono, n. 5319, 9469; acupictum ſignificat ſcientificum quod naturalis hominis, n. 9688; imagines cum quibus ſcortaretur ſunt fallaciæ ſenſuum, quæ apparent illis qui in falſis ſunt ut vera; ſcortari cum illis eſt per illas falſa concludere; quod ſcortari ſignificet imbuere falſa, videatur ſupra n. 141: ex his patet quod per illa in eo Capite deſcribatur Eccleſia qualis fuerat cum primum inſtaurata a Domino, et qualis poſtea facta eſt. Apud Eſajam, "*Ecce Ego excitans contra eos Medum, qui Argentum non æſtimabunt, et auro non delectabuntur, quorum arcus juvenes allident, filiis non parcet oculus eorum,*" xiii. 17, 18; per Medum intelliguntur qui contra Eccleſiæ vera et bona ſunt, quare dicitur de illis, qui argentum non æſtimabunt nec auro delectabuntur, argentum eſt verum Eccleſiæ, et aurum eſt bonum ejus; arcus eorum ſignificant doctrinalia falſi pugnantis contra vera et bona, n. 2686, 2709; juvenes quos allident, ſignificant intelligentes ex veris, n. 7668; filii quibus non parcent, ſignificant ipſa vera. Apud Eundem, "*Turma Camelorum obtegent te, omnes e Scheba venient, aurum et thus portabunt, et laudes Jehovæ annuntiabunt. Mihi inſulæ confident, naveſque Tharſchiſh ad adducendum filios tuos e longinquo; argentum eorum et aurum eorum cum illis,*" lx. 6, 9; agitur ibi de adventu Domini, et per turmam camelorum intelliguntur omnes qui in cognitionibus veri et boni ſunt, n. 3048, 3071, 3143, 3145; per Schebam e qua venient, intelliguntur ubi ipſæ illæ cognitiones, n. 1171, 3240; per aurum et thus quæ portabunt, intelliguntur bona ac vera ex bono quæ inde grata, per aurum bona et per thus illa vera, n. 9993, 10177, 10296; per inſulas quæ confident, intelliguntur gentes quæ in cultu Divino ſunt ſed remotiore a veris Eccleſiæ, n. 1158; per naves Tharſchiſh intelliguntur cognitiones communes veri et boni quibus inſunt plures in particulari, n. 1977, 6385; per filios quos adducent e longinquo intelliguntur vera remotiora, filii ſunt vera ut ſupra, et e longinquo ſunt quæ remotiora, n. 1613, 9487; per argentum eorum et aurum eorum cum illis, ſignificantur cognitiones veri et boni apud illos. Simile ſignificatur per quod "*Sapientes qui venerunt ab Oriente ad locum ubi Chriſtus natus, obtulerint dona, aurum, thus et myrrham,*" Matth. ii. 11; obtulerunt illa quia ſignificabant bona et vera interiora et exteriora, quæ ſunt munera Deo grata. Apud Davidem, "*Incurvabunt ſe Illi omnes Reges, et omnes Gentes ſervient Illi: animas pauperum ſervabit, et vivent, et dabit illis ex auro Schebæ,*" Pſalm. lxxii. 10, 14, 15; etiam ibi agitur de adventu Domini; per reges qui incurvabunt ſe Ipſi, et per gentes quæ ſervient Ipſi, intelliguntur omnes qui in Veris ſunt ex Bono, quod per reges illi qui in veris, videatur ſupra n. 31, et quod per gentes illi qui in bonis, etiam ſupra n. 175; per pauperes quos ſervabit, intelliguntur illi qui non in cognitionibus veri et boni ſunt, ſed uſque deſiderant illas, etiam ſupra n. 238; per aurum Schebæ de quo illis dabit, intelligitur bonum amoris in quod Dominus ducet illos per cognitiones; quid Scheba, videatur mox ſupra. Apud Haggæum, "*Excitabo omnes gentes, ut veniant electio omnium gentium, et impleam Domum hanc gloria: Mihi argentum et aurum; major erit gloria Domus hujus poſterioris quam prioris,*" ii. 7, 8, 9; etiam hæc de adventu Domini; per gentes intelliguntur qui in bono ſunt et inde veris; per Domum intelligitur Eccleſia, n. 3720; per gloriam qua implebitur, intelligitur Divinum Verum, n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429; per argentum et aurum quod Mihi, intelligitur verum et bonum quod a ſolo Domino. Apud Sachariam, "*Colligentur opes omnium gentium circum circa, aurum, argentum et veſtes multa copia,*" xiv. 14; per opes omnium gentium intelliguntur cognitiones ubicunque ſunt, etiam apud malos; per aurum, argentum et veſtes multa copia, intelliguntur bona et vera ſpiritualia et naturalia: ſimile ſignificatum eſt per *Aurum, Argentum et Veſtes,* quæ filii Iſraelis mutuo petierunt ab Ægyptiis, quum ab illis diſceſſerunt, Exod. iii. 22. Cap. xi. 2, 3. Cap. xii. 33, 36; cur ita factum eſt, et quid involvit, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 6914, 6917, quod nempe ut repræſentaretur, quod malis auferrentur quæ habent et darentur bonis, ſecundum Domini verba apud Matthæum, Cap. xxv. 28, 29; et apud Lucam, Cap. xix. 24, 26; et quod facerent ſibi amicos ex injuſto mammone ſecundum Domini verba apud Lucam, Cap. xvi. 9; per injuſtum mammona intelliguntur cognitiones veri et boni apud illos qui non juſte illas poſſident, qui ſunt qui non applicant illas vitæ. Apud Davidem, "*Filiæ regum inter pretioſas tuas, conſtitit Regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris: tota glorioſa filia Regis intus, de implexis auri veſtis ejus,*" Pſalm. xlv. 10, 14; agitur ibi de Domino, et per filiam Regis intelligitur Eccleſia quæ in affectione veri; quæ deſcribitur per quod filiæ regum inter pretioſas ejus, per quas intelliguntur ipſæ affectiones veri; per quod conſiſtat regina ad dextram ejus in auro optimo Ophiris, intelligitur Regnum cœleſte Domini quod in bono amoris eſt; per quod de implexis auri veſtis ejus, intelligitur quod vera ſint ex bono. Apud Matthæum, "*Jeſus dixit diſcipulis quos emiſit ad evangelizandum, quod non poſſiderent aurum, nec argentum nec æs in zonis ſuis,*" x. 9; per hoc repræſentatum eſt, quod nihil boni et veri ex ſe haberent, ſed ex ſolo Domino, et quod gratis omnia donarentur. Quia Aurum ſignificabat bonum amoris, ideo *Menſa ſuper qua ponebantur Panes facierum, obducta erat auro,* Exod. xxv. 23, 24: ſimiliter *Altare ſuffitus,* quod inde vocabatur Altare aureum, Exod. xxx. 3: ac ideo *Candelabrum factum eſt ex puro auro,* Exod. xxv. 31, 38: quod etiam *Cherubi,* Exod. xxv. 18: et ideo *Arca obducta erat intra et extra Auro,* Exod. xxv. 11: ſimiliter plura in Templo Hieroſolymæ: Tentorium enim ubi Arca, Cherubi, Menſa ſuper qua panes facierum, Altare ſuffitus, et Candelabrum, repræſentabat Cœlum; pariter Templum, et inde Aurum ibi ſignificabat bonum amoris, et argentum verum ex bono. Quia ſanctiſſimum Cœli repræſentabatur per Aurum in Templo, ideo "*cum Beltſchazar biberet vinum ex vaſis auri eductis ex Templo illo, et ſimul laudaret deos auri, argenti, æris, ferri, ligni et lapidis, ſcriptum apparebat in pariete, Numeratus, Appenſus, Diviſus, et ille ea nocte occiſus eſt,*" Dan. v. 2, ſeq.; ſignificabatur enim per id prophanatio boni. Præterea per Aurum in oppoſito ſenſu in Verbo ſignificatur malum amoris ſui, et per Argentum falſum inde, ut apud Moſen, "*Argentum et Aurum Gentium non concupiſcent, quia abominationes, nec inducent in domum ſuam, ſed devovebuntur quia abominanda et deteſtanda,*" Deut. vii. 25, 26; ſed de hac ſignificatione Auri et Argenti dicetur infra.

243. Et veſtimenta alba ut induaris, quod ſignificet et genuina vera et inde intelligentiam, conſtat ex ſignificatione veſtimentorum alborum, quod ſint genuina vera, veſtimenta enim ſignificant vera, videatur ſupra n. 196, et al-

bum ſignificat genuinum, et prædicatur de veris, etiam ſupra n. 196; et ex ſignificatione induere, quod ſit inde intelligentiam ſibi comparare, nam per genuina vera comparatur omnis intelligentia; intellectus enim humanus eſt formatus ad recipiendum vera, ideo talis fit qualia ſunt vera ex quibus formatur. Creditur quod Intellectus ſit etiam poſſe ex cogitatione ratiocinari et loqui ex falſis, et ea multis confirmare, ſed uſque id non intellectus eſt, eſt modo facultas homini data cum memoria, cui adjuncta eſt, et cujus activum eſt; at per illam naſcitur et formatur intellectus, quantum homo ex affectione recipit vera; at recipere genuina vera ex affectione, non datur ulli homini quam a Solo Domino, quoniam ab Ipſo ſunt, proinde recipere intellectum ſeu intelligens fieri non datur ulli homini quam a Solo Domino, et datur cuivis qui applicat ſe ad recipiendum, ſecundum illa quæ ſupra n. 239 dicta ſunt: hoc itaque eſt quod ſignificatur per “Suadeo tibi emere a Me veſtimenta alba ut induaris.”

244. Ne appareat pudor nuditatis tuæ, quod ſignificet ne ſpurci amores, conſtat ex ſignificatione nuditatis, quod ſit deprivatio ab intellectu veri et boni quia a voluntate illorum, ſeu deprivatio veri quod fidei quia non bonum quod amoris, de qua ſupra n. 240; et quia per nuditatem illa deprivatio ſignificatur, ideo per pudorem nuditatis ſignificantur ſpurci amores, hi enim apparent quando non ſunt remoti per amorem boni et inde fidem veri: homo enim naſcitur in binos amores, qui ſunt amor ſui et amor mundi, quare ex hæreditario trahit ut ſe et mundum ſuper omnia amet, hi amores ſunt amores ſpurci, quia ex illis omnia mala fluunt, quæ ſunt contemtus aliorum præ ſe, inimicitia contra illos qui ſibi non favent, odia, vindictæ, aſtus, doli omnis generis; illi amores cum ſuis malis non removeri poſſunt, quam a binis amoribus, qui ſunt amor in Dominum et amor erga proximum, ex his trahit homo ut Dominum ſuper omnia amet et proximum ſicut ſeipſum, hi duo amores ſunt amores puri, quoniam e cœlo a Domino, ex his etiam omnia bona fluunt: quantum itaque homo in his eſt, tantum removentur amores illi ſpurci in quos natus eſt, uſque ut non appareant, et removentur per vera a Domino. Ex his conſtare poteſt, quod per ſuadeo tibi emere a Me veſtimenta alba ut induaris ne appareat pudor nuditatis tuæ, ſignificetur ut comparent ſibi genuina vera et inde intelligentiam a Domino ne appareant ſpurci amores.

245. Et collyrio inunge oculos ut videas, quod ſignificet ut aliquantum aperiatur intellectus, conſtat ex ſignificatione oculorum, quod ſint intellectus, de qua ſupra n. 152, inde per inungere oculos ut videas ſignificatur ut aperiatur intellectus: dicitur collyrio inungere, quia per collyrium ſignificatur unguentum factum ex farina cum oleo, et farina ſignificat verum fidei et oleum bonum amoris; quod farina ſignificet verum fidei, videatur n. 2177, 9995, et quod oleum bonum amoris, n. 3728, 4582, 4638: hoc ita dicitur, quia intellectus nihil veri videt niſi voluntas ſit in bono, verum enim in intellectu non aliud eſt quam forma boni quod eſt in voluntate.

246. Ego quoſcunque amo, arguo et caſtigo, quod ſignificet tentationes tunc, conſtat ex ſignificatione arguere et caſtigare, cum de illis qui bonum ſibi comparant et per id recipiunt vera, de quibus in mox præcedente Verſu actum eſt, quod ſit in tentationes admittere: dicitur quoſcunque amo, et per

id intelliguntur omnes qui in doctrina de ſola fide, qui in bono ſunt ſeu in charitate, et inde in veris ſeu in fide: quod illi amentur a Domino, eſt quia Dominus in bono ſeu in charitate eſt præſens, et per bonum ſeu charitatem in veris ſeu in fide, et non viciſſim. Quod nunc dicatur de illis qui in doctrina de ſola fide ſunt, quod Dominus illos arguat et caſtiget, eſt quia ſupra dictum eſt, *Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne, et veſtimenta alba ut induaris, ne appareat pudor nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos ut videas*, per quæ intelligitur, ut illi qui in doctrina de ſola fide ſunt, comparent ſibi genuinum bonum et genuina vera ac inde intelligentiam, ne appareant ſpurci amores, ac ut aliquantum aperiatur intellectus; et hoc dum fit apud illos qui in doctrina de ſola fide fuerunt, non poſſunt aliter quam in tentationes mitti, nam principia falſi de ſola fide et de juſtificatione per illam apud eos non poſſunt aboleri niſi per tentationes, et abolenda omnino ſunt, quia non conjungi poſſunt cum bono charitatis, cum hoc ſolum vera conjunguntur, quapropter hæc comparanda ſunt, ut dictum eſt: conjunguntur quidem vera per id quod dicant, quod homo, poſtquam fidem accepit, ducatur a Deo et ſic in bono charitatis, ſed uſque hoc nihili faciunt, quia nihil ad ſalutem, dicendo etiam quod illum nihil damnet, non malum cogitationis et voluntatis, nec malum vitæ, tum quod non ſub lege ſit, quia Dominus implevit legem pro ipſo, et quod non ſpectetur niſi fides, per hæc disjungunt; quod conjungant eſt cauſa, quia aliter non cohæreret doctrina cum Verbo, ubi toties dicitur de charitate et de factis; ſed hæc conjunctio non eſt conjunctio apud illos qui in vita ſecundum doctrinam ſunt, ſed apud illos qui in vita ſecundum Verbum ſunt. Dicitur quoſcunque amo, arguo et caſtigo, ſed intelligitur quod non Dominus arguat et caſtiget, ſed quod infernales ſpiritus qui in principiis ſimilis falſi ſunt, hi ſunt qui caſtigant, hoc eſt, tentant homines; quod Deus neminem tentet, notum eſt, quare ita intelligendum eſt, tametſi in litera dicitur de Deo quod in tentationem inducat, quod malum faciat, quod conjiciat in infernum, et ſimilia plura; inde patet, quod Divinum Verum in Verbo parum intelligatur niſi per ſenſum ſpiritualem ejus, ſeu per doctrinam ex illis qui in illuſtratione fuerunt. Quod Tentationes attinet, in illas venit homo, quando immittitur in ſuum proprium, tunc enim ſe adjungunt ei ſpiritus ab inferno qui in falſis principii ejus ſunt et in malis amoris ejus, et tenent ejus cogitationes in illis, at Dominus tenet ejus cogitationes in veris quæ fidei, et in bonis quæ charitatis, et quia tunc quoque jugiter de ſalute et de cœlo cogitat, inde ejus anxietas mentis interior, et inde pugna, quæ vocatur tentatio: at vero illi qui non in veris et bonis ſunt, ita non in aliqua fide ex charitate, non immitti poſſunt in tentationes, nihil enim apud illos eſt quod pugnat cum falſis et malis; inde eſt quod hodie pauci ſint qui tentantur, et inde quod parum ſciatur quid Tentatio ſpiritualis: ſed hæc plenius expoſita ſunt in ARCANIS CŒLESTIBUS, ex quibus collecta videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 196 ad 201.

247. Zelo age ergo et reſipiſce, quod ſignificet ut ſit illis charitas, conſtat ex ſignificatione zelo agere, quod ſit ex affectione ſpirituali, hæc enim eſt zelus in ſpirituali ſenſu, et quia charitas eſt ipſa illa affectio, ideo dicitur zelo age et reſipiſce, et per id ſignificatur ut ſit illis charitas: præterea nemo in tentationem ſpiritualem immittitur, niſi ſit in affectione ſpirituali.

ſpirituali quæ Charitas vocatur; niſi in illa ſit, non exiſtit aliqua pugna cum falſis et malis, quia nullus eſt Zelus pro veris et pro bonis; quia per tentationem non ſolum domantur mala et removentur falſa, ſed etiam loco illorum implantantur vera, et hæc conjunguntur cum bono charitatis uſque ut ſint unum, ideo per zelo age et reſipiſce ſignificatur ut ſit illis charitas.

248. Ecce ſto ad oſtium et pulſo, quod ſignificet præſentiam Domini perpetuam, conſtat ex ſignificatione oſtii ſeu januæ, quod in ſupremo ſenſu ſit Dominus quoad intromiſſionem in Cœlum aut in Eccleſiam, et in ſenſu interno verum ex bono quod ab Ipſo, quia homo per id intromittitur, de qua ſupra n. 208, hic quia dicitur a Domino, ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſignificatur perpetua Ipſius præſentia, et ſimul perpetua Ipſius voluntas quod velit intromittere; et quoque intromittit omnes et ſe conjungit omnibus qui Ipſum recipiunt, quod fit per vera ex bono ſeu per fidem ex charitate, quare ſequitur, "Si quis audiverit vocem meam et aperuerit oſtium, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ille Mecum:" quia oſtium dicitur, etiam dicitur pulſare, et per id ſignificatur perpetua voluntas ſe conjungendi cum homine et communicandi cum illo felicitates Cœli: quod ita ſit, ex eo conſtare poteſt, quod in Domino ſit Divinus Amor, ac Divinus Amor eſt velle dare omne ſuum aliis, ac velle ut recipiant Ipſum, et hoc quia non fieri poteſt aliter quam per receptionem boni et veri ſeu amoris et fidei ab homine, quoniam hæc ſunt Divina quæ procedunt ab Ipſo et recipientur, et quia Divina ſunt eſt Ipſe in illis, ideo conjunctio Domini cum Angelis et hominibus eſt per vera ex bono ſeu per fidem ex amore; hæc velle dare et implantare homini in ſpecie ſignificatur per "Sto ad oſtium et pulſo." Sunt duo, quæ in Libero hominis ſunt, ex perpetua præſentia Domini, et ex perpetua Ipſius voluntate Se conjungendi cum illo; PRIMUM quod inde eſt in libero hominis, eſt quod ei ſit copia et facultas bene cogitandi de Ipſo et de proximo; quiſque enim de Domino et de proximo bene aut male cogitare poteſt, ſi bene cogitat aperitur oſtium, ſi male clauditur; bene cogitare de Domino et de proximo non eſt ab homine et ejus proprio, ſed a Domino, qui perpetuo præſens eſt et per perpetuam præſentiam dat ei illam copiam et facultatem; at male cogitare de Domino et de proximo, eſt ab ipſo homine et ejus proprio. ALTERUM quod in libero hominis eſt ex perpetua præſentia Domini apud illum, et ex perpetua voluntate Ipſius conjungendi Se cum illo, eſt quod poſſit abſtinere a malis, et quantum abſtinet tantum aperit Dominus oſtium et intrat, non enim poteſt Dominus aperire et intrare quamdiu mala in cogitatione et voluntate hominis ſunt, nam hæc obſtant et claudunt. Datum etiam eſt a Domino ſcire mala cogitationis et voluntatis, tum vera per quæ diſcutienda ſunt, nam datum eſt Verbum, ubi illa retecta ſunt: ex his conſtare poteſt, quod nihil deſit quin homo reformari poſſit, ſi velit; omnia enim media reformationis relicta ſunt homini in ejus libero: ſed probe ſciendum eſt, quod liberum illud ſit a Domino, ut ſupra dictum eſt, et inde quod Dominus operetur illa, ſi homo ex libero, quod cuivis datum eſt, recipiat; receptio ab homine omnino erit, quod intelligitur per "Si quis audierit vocem meam et aperuerit oſtium;" nihil facit quod homo in principio non ſciat quod a Domino, quoniam non percipit influxum, modo ex Verbo dein credat, quod omne bonum

amoris et verum fidei ſit a Domino, Dominus enim operatur illa tametſi homo neſcit, et hoc ex perpetua Ipſius præſentia, quæ ſignificatur per ſto ad oſtium et pulſo; in ſumma, Dominus vult ut homo ex ſe abſtineat a malis et agat bona, modo credat quod facultas ita faciendi non ſit ab homine ſed a Domino; vult enim Dominus ut receptio ſit apud hominem, et receptio non aliter datur, quam ut homo ſicut ex ſe faciat, tametſi eſt ex Domino, ſic etiam datur apud hominem reciprocum, quod eſt nova ejus voluntas: ex his conſtare poteſt, quantum falluntur qui dicunt, quod homo juſtificetur et ſalvetur per ſolam fidem, quia non poteſt bonum facere a ſe, quid hoc foret aliud quam remittere manus, et exſpectare immediatum influxum; is qui hoc facit, prorſus nihil recipit. Errant etiam qui credunt ſe poſſe diſponere ad influxum per preces, adorationes et externa cultus, hæc nihil faciunt, niſi homo abſtineat a cogitando et faciendo mala, et per vera ex Verbo ſe ſicut a ſe ducat ad bona quoad vitam, ſi homo hæc facit tunc ſe diſponit, et tunc preces, adorationes et externa cultus coram Domino valent. De his plura videantur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 521 ad 527.

249. Si quis audiverit vocem meam, quod ſignificet qui attendit ad præcepta Domini, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit attendere, hoc eſt, cum attentione videre et auſcultare ſeu obedire, nam quæ per auditum intrant, non modo videntur intellectu, ſed etiam ſi concordant cum affectione hominis obediuntur, adjungit enim ſe affectio interior rebus auditis, non autem ita rebus viſis; inde eſt quod binæ ſignificationes audire et auſcultare ſint in communi ſermone, nempe audire et auſcultare aliquem, ac audire et auſcultare alicui, hoc enim eſt obedire, illud autem appercipere; et inde eſt, quod audiens eſto ſit obediens, at videns eſto ſit intelligens; quod talia ſint in communi ſermone, eſt ex ſpirituali mundo, in quo homo quoad ſpiritum ſuum eſt, videatur ſupra n. 14 et 108; et ex ſignificatione vocis meæ ſeu vocis Domini, quod ſint vera quæ Verbi, doctrinæ, et fidei inde, ita præcepta, de qua n. 219, 220, 3563, 6971, 8813, 9926. Dicitur qui attendit ad præcepta Domini, ac intelligitur qui vult ſcire vera et inveſtigare illa ex Verbo, hoc nemo poteſt qui in malis vitæ eſt, et qui ſe confirmavit in falſis doctrinæ; qui ſe confirmarunt in falſis doctrinæ, illi non attendunt ad alia in Verbo, quam quæ favent principiis falſi eorum, reliqua vel prætereunt ſicut non viſa, vel pervertunt et falſificant; qui autem in malis vitæ ſunt, illi non curant vera, et ſi audiunt illa uſque non audiunt; ita una facultate auditus, quæ eſt videre et appercipere illa, recipiunt, ſed non altera facultate auditus, quæ eſt auſcultare ſeu obedire illis: at qui volunt ſcire vera et inveſtigare illa ex Verbo, ſunt illi qui in affectione veri ſpirituali ſunt, qui ſunt qui amant verum quia eſt verum, et ii ſunt in illa affectione qui volunt vivere ſecundum vera ex Verbo, ita ſecundum præcepta Domini: hi ſunt qui intelliguntur per, "Qui audiverit vocem meam, et aperuerit oſtium, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ille Mecum."

250. Et aperuerit oſtium, quod ſignificet receptionem corde ſeu vita, conſtat ex ſignificatione aperire oſtium, quod ſit intromittere, per oſtium enim ſignificatur intromiſſio, videatur ſupra n. 208; hic autem per aperire oſtium ſignificatur receptio corde ſeu vita, nam ſequitur, et intrabo ad illum: dicitur ſi aperuerit oſtium, ſicut homo aperiret, cum tamen Ipſe Dominus eſt qui aperit, ſecundum illa quæ mox ſupra n. 248 dicta et oſtenſa

ſunt, ſed ita dicitur, quoniam ita apparet homini ex libero ei dato a Domino; et præterea in ſenſu literæ Verbi plura ſecundum apparentias dicta ſunt, ſed apparentiæ illæ exuuntur in Cœlo, ubi ſenſus internus ſeu ſpiritualis Verbi eſt: ſenſus literæ Verbi in multis locis ſecundum apparentias eſt, ex cauſa ut ſerviat ſenſui ſpirituali pro baſi, alioquin non foret ei baſis ſeu fundamentum: quod plura in Verbo ſecundum apparentias dicta ſint, conſtare poteſt ſolum ex eo, quod in Verbo dicatur quod malum ſit á Deo, quod excandeſcentia, ira, et vindicta Deo ſit, et ſimilia alia, cum tamen Deus nemini malum faciat, nec Ipſi ſit aliqua ira et vindicta, eſt enim ipſum Bonum et ipſe Amor, ſed quia ita apparet cum homo malum facit et punitur, ideo in ſenſu literæ ita dicitur, ſed uſque hoc aliter in ſenſu Verbi ſpirituali intelligitur; ſimile eſt cum hoc, *ſi homo aperuerit oſtium.* Porro dicetur quid intelligitur per aperire oſtium, cum id dicitur fieri ab homine, ut hic; nempe, Dominus ſemper præſens eſt cum bono et vero apud hominem, et conatur aperire ejus mentem ſpiritualem, quæ eſt oſtium quod Dominus aperire vult, et donare illum cœleſti amore et fide, dicit enim, *ſto ad oſtium et pulſo;* ſed hic conatus ſeu hæc perpetua voluntas Domini non appercipitur ab homine, putat enim homo quod bonum faciat a ſe, et quod ille conatus ſeu illa voluntas ſit in illo, ſatis eſt tunc quod agnoſcat ex doctrina Eccleſiæ quod omne bonum ſit a Deo et nihil ab homine; quod non appercipiatur ab homine, eſt etiam cauſa, ut ab homine ſit receptio, et per receptionem appropriatio, aliter enim homo non reformari poteſt: patet itaque quantum errant illi qui in doctrina de ſola fide ſunt, in eo quod dicant et credant quod fides ſalvet et non bonum vitæ, ſeu quod homo juſtificetur per ſolam fidem, excludendo ſic applicationem ad recipiendum; ſciunt quod homo explorabit ſeipſum, videbit et agnoſcet ſua mala non modo operum, ſed etiam mala cogitationum et intentionum, et quod poſtea abſtinebit ab illis, et fugiet illa, ac novam vitam, quæ vita boni erit, aget, et niſi hoc faciat quod nulla ei remiſſio, ſed quod damnatio: hoc Doctores et Antiſtites prædicant cum ex Verbo, et hoc docent unumquemvis qui ad ſanctam Cœnam accedit, hoc tunc docent ſicut ex fide; ſed ut primum redeunt et ſpectant ad doctrinam ſuam de Juſtificatione per ſolam fidem, tunc non amplius illa non credunt, dicentes quod omnes a malo ad bonum ducantur a Deo poſtquam fidem receperunt, et quidam ut connectant principia falſi cum veris, dicunt, quod poſtquam per fidem juſtificati ſunt, etiam a Deo ducantur ad explorandum ſe, ad confitendum ſua peccata coram Deo, ad abſtinendum ab illis, et ſic porro; verum hoc fit apud neminem qui credit juſtificationem per ſolam fidem, ſed fit apud illos qui charitatis vitam agunt, per hanc vitam conjungitur quiſque Cœlo, at per illam nullus; qui conjungitur Cœlo per vitam charitatis, is a Domino ducitur ad videndum ſua mala, tam mala cogitationis quam voluntatis, homo a bono videt mala; quia mala bono ſunt oppoſita; at qui ſalvationem per ſolam fidem credit, dicit corde, habeo fidem quia credo quæ dicuntur, nihil me damnat, juſtificatus ſum, et qui ita credit, nullatenus duci poteſt a Domino ad explorandum ſe, et ad reſipiſcendum a malis; ita docent vera coram populo, qui inde credit quod vivere bene et credere bene intelligatur per juſtificari per fidem, nec introſpicit altius in arcana doctrinæ eorum, hi ſunt qui ſalvantur, illi autem qui damnantur: quod damnentur, ipſi videre poſſunt, ſi velint; credunt enim ex doctrina, quod bona vitæ, quæ ſunt opera, nihil ad ſalutem faciant, ſed ſola fides, cum tamen opera ſunt abſtinere a malis et novam vitam agere, et ſi non, quod damnatio. Quod Prædicationes quæ non ſunt ex arcanis doctrinæ eorum, hæc doceant, et quoque receptæ in Eccleſia preces, conſtare poteſt ex illis quæ coram omni populo, qui accedit ad altare ad fruendum Sacramento Cœnæ, leguntur, quæ hic adducentur in vernacula in qua ſunt ſcriptæ.———

" The way and means to be received as worthy partakers of that
" holy table, is firſt to examine your lives and converſations by the
" rule of God's commandments; and wherein ſoever ye ſhall perceive
" yourſelves to have offended, either by will, word or deed, there
" to bewail your own ſinfulneſs, and to confeſs yourſelves to
" Almighty God, with full purpoſe of amendment of life. And if
" ye ſhall perceive your offences to be ſuch as are not only againſt
" God, but alſo againſt your neighbours, then ye ſhall reconcile
" yourſelves unto them, being ready to make reſtitution and ſatis-
" faction according to the uttermoſt of your power, for all injuries
" and wrongs done by you to any other; and being likewiſe ready
" to forgive others that have offended you, as ye would have
" forgiveneſs of your offences at God's hand: for otherwiſe the
" receiving of the holy Communion doth nothing elſe but encreaſe
" your damnation. Therefore if any of you be a blaſphemer of
" God, an hinderer, or ſlanderer of His Word, an adulterer, or
" be in malice or envy, or in any other grievous crime, repent
" you of your ſins, or elſe come not to that holy Table; leſt after
" the taking of that holy Sacrament the devil enter into you, as
" he entered into Judas, and fill you full of iniquities, and bring
" you to deſtruction both of body and ſoul.—Judge therefore your-
" ſelves, that ye be not judged of the Lord; repent you truly for
" your ſins paſt; have a lively and ſtedfaſt faith in Chriſt our
" Saviour; amend your lives, and be in perfect charity with all
" men.—Ye that do truly and earneſtly repent you of your ſins,
" and are in love and charity with your neighbours, and intend
" to live a new life following the commandments of God, and
" walking from henceforth in His holy ways; draw near with
" faith, and take this holy Sacrament to your comfort, and
" make your humble confeſſion to Almighty God.———

Ex his nunc videri poteſt, quod Doctores et Antiſtites Eccleſiæ ſciant et non ſciant, quod hæc via ſit via ad Cœlum, et non via fidei abſque illa; ſciunt cum illa quæ allata ſunt coram populo orant et prædicant, ſed non ſciunt cum ex doctrina ſua docent; illam viam vocant Religionem practicam, hanc autem Religionem Chriſtianam; ſed hanc credunt eſſe pro ſapientibus, illam autem pro ſimplicibus: verum aſſeverare poſſum, quod qui vivunt ſecundum Doctrinam de ſola fide et de juſtificatione per illam, prorſus nullam fidem ſpiritualem habeant, et quod poſt vitam in mundo in damnationem veniant; at qui vivunt ſecundum Doctrinam ex orationibus illis allatam, quod fidem ſpiritualem habeant, et quod poſt vitam in mundo in Cœlum veniant; quod etiam prorſus conſentit cum Fide in univerſo Chriſtiano orbe recepta, quæ Athanaſiana Fides vocatur, ubi hæc de Domino, "At whoſe coming all men ſhall give account for their own works; "and they that have done good, ſhall go into life everlaſting; and they "that have done evil, into everlaſting fire: this is the Catholic faith." ——Quæ quod prorſus conſentanea ſint Verbo, patet a ſequentibus his locis, "*Venturus eſt Filius hominis in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, et tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus,*" Matth. xvi. 27. "*Qui bona fecerunt, exibunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt in reſurrectionem condemnationis,*" Joh. v. 28, 29. "*Beati mortui qui in Domino moriuntur, imo dicit ſpiritus ut requieſcant ex laboribus ſuis, opera illorum ſequuntur illos,*" Apoc. xiv. 11. "*Ego dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua,*" Apoc. ii. 23. "*Vici mortuos parvos et magnos ſtantes coram Deo, et libri aperti ſunt, et judicati ſunt mortui juxta ea quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera eorum; dedit mare eos qui in eo mortui ſunt, ac mors et infernus dedit illos qui in iis ſunt, et judicati ſunt quilibet ſecundum opera illorum,*" Apoc. xx. 13, 15. "*Ecce venio, et merces mea Mecum, ut dem unicuivis ſecundum opera ejus,*" Apoc. xxii. 12. In Scriptis ad ſeptem Eccleſias, dicitur ad unamquamvis, novi Opera tua; ut, "*Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextra ſua, novi opera tua,*" Apoc. ii. 1, 2. "*Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe, hæc dicit Primus et Ultimus, novi opera tua,*" Apoc. ii. 12, 13. "*Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit habens romphæam, novi opera tua,*" Verſ. 18, 19. "*Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Filius Dei, novi opera tua et charitatem,*" Verſ. 18, 19. "*Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit habens ſeptem ſpiritus Dei, novi opera tua,*" Cap. iii. 1. "*Angelo Philadelphienſis Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Sanctus et Verus, novi opera tua,*" Verſ. 7, 8. "*Angelo Laodicenſium Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit Amen, Teſtis fidelis et verus, novi opera tua,*" Verſ. 14, 15. Apud Jeremiam, "*Retribue illis juxta opus illorum, et juxta factum manuum illorum,*" xxv. 14. Apud Eundem, "*Jehovah cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias hominum, ad dandum cuivis ſecundum vias ejus, et ſecundum fructum operum ejus,*" xxxii. 19. Apud Hoſcheam, "*Viſitabo ſuper vias ejus, et opera ejus retribuam illi,*" iv. 19. Apud Sachariam, "*Jehovah juxta vias noſtras, juxta opera noſtra facit nobiſcum,*" i. 6. Præterea etiam in ſequentibus; apud Johannem, "*Si hoc ſcitis, beati eſtis ſi* FECERITIS *illa,*" xiii. 17. Apud Lucam, "*Quid vocatis Me Domine, et non* FACITIS *quæ dico,*" vi. 46. Apud Matthæum, "*Qui* FACIT *et docet, magnus vocabitur in Regno Cœlorum,*" v. 20. Apud Eundem, "*Omnis arbor qui non fert fructum bonum, exſcindetur et in ignem conjicietur: non quiſquis dicit Mihi, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui* FACIT *voluntatem Patris mei qui eſt in Cœlis. Qui audit verba mea et* FACIT *illa, comparabo viro prudenti; qui autem audit verba mea, et* NON FACIT *illa, comparabo viro ſtulto,*" vii. 19 ad 27. Apud Eundem, "*Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit et intelligit, qui* *fructum fert et* FACIT," xiii. 23: apud Marcum, "*Hi ſunt qui in terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum et recipiunt, et* FRUCTUM FERUNT," iv. 24: apud Lucam, "*Semen quod in terram bonam cecidit, ſunt qui corde ſimplici et bono audiunt verbum, retinent, et* FRUCTUM FACIUNT," viii. 15: cum Dominus illa dixit, clamavit dicens, "*Qui habet aures ad audiendum audiat,*" Matth. xiii. 9. Marc. iii. 9. Luc. viii. 8. Apud Matthæum, "*Amabis Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua; illud eſt primum et magnum mandatum: ſecundum ſimile eſt huic, amabis proximum tuum ut te ipſum: ex his duobus mandatis pendent Lex et Prophetæ,*" xxii. 37 ad 40; Lex et Prophetæ ſunt Verbum in omni complexu. Quod amare Dominum Deum, ſit facere verba ſeu præcepta Ipſius, Ipſe docet apud Johannem, "*Qui amat Me, verba mea ſervat, et Pater meus amabit eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud illum faciemus, qui vero non amat Me, verba mea non ſervat,*" xiv. 21, 23, 24: et quoque apud Matthæum, "*Dominus dixit ad hircos qui erant a ſiniſtris, quod abirent in ignem æternum, et ad oves quæ erant a dextris, quod irent in vitam æternam,*" xxv. 31 ad 46; quod hirci ſint qui non faciunt bona charitatis, et quod oves qui faciunt, patet a verbis ibi; ambo dixerunt quod neſciverint quod facere bonum proximo ſit facere Domino, ſed inſtruuntur ſi non prius uſque die judicii, quod facere bonum ſit amare Dominum. Per quinque virgines fatuas quæ non habebant oleum in lampadibus, etiam intelliguntur illi qui in fide ſunt et non in bono charitatis; et per quinque virgines prudentes quæ oleum habebant in lampadibus, intelliguntur qui etiam in bono charitatis ſunt, lampas enim ſignificat fidem et oleum bonum charitatis, de his dicitur quod intromiſſi ſint, de illis autem dicentibus Domine, Domine, aperi nobis, quod reſponſum tulerint, "*Amen dico vobis, non novi vos,*" Matth. xxv. 1 ad 12. Quod ultimo tempore Eccleſiæ nulla eſſet fides in Dominum quia non charitas, ſignificatum eſt per quod "*Petrus ter abnegaverit Dominum antequam gallus cecinit,*" Matth. xxvi. 34, 69 ad 74. Simile ſignificatum eſt per quod Dominus dixerit ad Petrum, cum Petrus videret Johannem ſequi Dominum, "*Quid ad te Petre, tu ſequere Me Johannes,*" Petrus enim dixit de Johanne, "*hic quid,*" Joh. xxi. 21, 22; Petrus enim in ſenſu repræſentativo ſignificat Fidem, et Johannes Bonum charitatis: et quia Johannes ſignificabat Bonum charitatis, ideo "*ille accubuit ad pectus Domini,*" Joh. xxi. 20. Quod id Bonum faciat Eccleſiam, ſignificatur per verba Domini e cruce ad Johannem, "*Jeſus vidit matrem ſuam, et diſcipulum quem amabat, qui adſtabat, et dixit matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus, et dixit diſcipulo ecce mater tua; et ex illa hora accepit illam diſcipulus ille ad ſe,*" Joh. xix. 26, 27; per matrem et per mulierem ibi intelligitur Eccleſia, et per Johannem bonum charitatis, et ſic per illa verba, quod Eccleſia erit ubi bonum charitatis; ſed hæc amplius explicata videantur in locis citatis in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 122: et præterea quod non fides ſit ubi non charitas, in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39: et quod homo ſit poſt mortem qualis ejus vita fuit in mundo, et non qualis ejus fides, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 470 ad 484: et quid Charitas et quid Fides in ſua eſſentia, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 84 ad 122. Ex his nunc adductis expende, num fidem habere ſit aliud quam vivere illam, et vivere illam non eſt ſolum ſcire et cogitare, ſed etiam velle et facere, fides enim non eſt in homine dum ſolum eſt in ejus ſcire et cogitare, ſed cum etiam eſt in ejus velle et facere, fides in homine eſt fides vitæ, fides autem nondum in homine eſt fides memoriæ et inde cogitationis; fides vitæ intelligitur per credere in Deum, credere autem illa quæ a Deo, et non credere in Deum, eſt fides hiſtorica, quæ non eſt ſalvans; quis eſt qui verus ſacerdos et bonus paſtor, qui non vult ut homines bene vivant, et qui non ſcit quod fides cognitionum quia alius dixit, non ſit fides vitæ ſed fides hiſtorica; fides vitæ eſt fides charitatis, nam charitas eſt vita. Sed tametſi ita eſt, uſque prævideo, quod illi qui ſe confirmaverunt in Doctrina de ſola fide et de juſtificatione per illam, non recedant ab ea, ex cauſa quia connectunt falſa veris, docent enim vera cum ex Verbo, at docent falſa cum ex Doctrina, ac inde confundunt illa per quod dicant quod fructus fidei ſint bona vitæ, et quod hæc ſequantur ex fide, et tamen quod bona vitæ nihil ad ſalutem faciant, ſed ſola fides; ita conjungunt et ſeparant, et cum conjungunt docent vera, ſed coram populo qui non ſcit quod invertant, et quod hæc dicant ex neceſſitate ut cohæreat doctrina eorum cum Verbo; at cum ſeparant, docent falſa, nam dicunt fidem ſalvare et non charitatis bona quæ ſunt opera, tunc non ſcientes quod charitas et fides unum agant, et quod charitas ſit agere bene et fides credere bene, et credere bene abſque agere bene impoſſibile ſit, ita nulla fides abſque charitate; tum quod charitas ſit eſſe fidei et anima ejus, quare ſola fides eſt fides abſque anima, ita fides mortua; et quia hæc fides non eſt fides, inde juſtificatio per illam eſt res nihili.

251. Intrabo ad illum, quod ſignificet conjunctionem, conſtat ex ſignificatione intrare, cum de Domino, quod ſit conjungi Ipſi, de qua n. 3914, 3918, 6782, 6783. Quod Dominus conjungatur illis qui recipiunt Ipſum corde et vita, eſt quia Dominus intrat ſeu influit in vitam, intrat ſeu influit ſolum apud illos qui in vita amoris ſpiritualis ſunt, ſeu in vita charitatis, nam charitas eſt amor ſpiritualis, quando hic amor facit vitam hominis, tunc intrat ſeu influit Dominus per illum in vera fidei, et facit ut homo videat ſeu cognoſcat illa, inde affectio veri ſpiritualis eſt homini. Maxime fallitur, quod Dominus intret ſeu influat in ſolam fidem, ſeu in fidem ſeparatam a charitate apud hominem, huic fidei nulla vita ineſt, eſt enim ſicut ſpiritus pulmonicus abſque cordis influxu, qui ſpiritus foret ſolum motus inanimatus, ſpiritus enim pulmonicus animatur per influxum cordis, ut notum eſt: inde patet, per quam viam admittitur Divinum procedens a Domino, nempe per viam cordis, hoc eſt, amoris: ſive dicas cor ſive amorem, idem eſt, ac ſpiritus vitam inde: quod amor faciat vitam hominis, quiſque poteſt ſcire et videre, ſi modo vult attendere, nam quid homo abſque amore, nonne ſtipes; inde qualis amor talis homo; amor eſt velle et facere, nam quod homo amat hoc vult et facit. Idea de bono charitatis et de vero fidei formari poteſt ex Solis luce et calore; lux quæ procedit ex Sole cum conjuncta eſt calori, quod fit tempore veris et æſtatis, tunc omnia telluris germinant et florent; at cum in luce non eſt calor, ut tempore hyemis, tunc omnia telluris torpent et emoriuntur; etiam Lux ſpiritualis eſt verum fidei, et calor ſpiritualis eſt bonum charitatis: ex his idea formari poteſt de homine Eccleſiæ, qualis ille eſt, quando apud illum conjuncta eſt Fides Charitati, quod nempe ſit

ſicut hortus et paradiſus; et qualis ille, quando apud illum non conjuncta eſt fides charitati, quod ſit ſicut deſertum et terra nive obtecta.

252. Et cœnabo cum illo, et ille Mecum, quod ſignificet communicationem cum eis felicitatum cœli, conſtat ex ſignificatione cœnare, quod ſit communicare bona cœli; quod cœnare ſit illa communicare, eſt quia commeſſationes, convivia, prandia et cœnæ in Verbo ſignificant conſociationes per amorem, et inde communicationem jucundorum quæ amoris, nam omnia jucunda ſunt amoris: trahunt illa ſignificationem ex pane et vino, quæ ſignificant bonum amoris cœleſtis et ſpiritualis, et ex comedere, quod ſignificat communicationem et appropriationem; hæc ſignificaverat olim Cœna Paſchalis, et hæc hodie ſignificat Sancta Cœna, videatur ſupra n. 146; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 210 ad 222. Quod Cœnare dicatur, eſt quia nuptiæ fiebant quando Cœnæ, et per nuptias ſignificatur conjunctio boni et veri, et tunc communicatio jucundorum; inde dicitur in Apocalypſi, "*Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt,*" xix. 9: et dein, "*Venite et congregamini ad Cœnam Magni Dei,*" Verſ. 17. Quia Cœnæ ſignificant conſociationes per amorem, et tunc communicationem jucundorum, ideo Dominus comparavit Eccleſiam et Cœlum Cœnæ et quoque Nuptiis, Cœnæ apud Lucam, "*Quod Paterfamilias fecerit magnam Cœnam et vocaverit multos, ſed quod excuſaverint ſe omnes qui vocati, quare indignatus juſſit ut introducerent pauperes, mancos, claudos, cæcos; de prioribus dicendo, quod nemo eorum guſtaturus ſit Cœnam,*" xiv. 16 ad 24; pæne ſimiliter de nuptiis ad quas invitati ſunt, Matth. xxii. 1 ad 15; per Cœnam ibi intelligitur Eccleſia et Cœlum; per invitatos qui ſe excuſaverunt intelliguntur Judæi apud quos Eccleſia tunc erat, Eccleſia enim in ſpecie eſt ubi Verbum et per Verbum Dominus notus; per pauperes, mancos, claudos, cæcos, intelliguntur qui tales ſpiritualiter ſunt, et qui tunc extra Eccleſiam; quod Cœlum et Eccleſia aſſimiletur ibi Cœnæ et Nuptiis, eſt quia Cœlum eſt conjunctio angelorum cum Domino per amorem, et conſociatio illorum inter ſe per charitatem, et inde communicatio omnium jucundorum et felicitatum; ſimiliter Eccleſia, quia Eccleſia eſt Cœlum Domini in terris; quod Cœlum ſit conjunctio angelorum cum Domino per amorem, et quoque conſociatio illorum mutuæ per charitatem, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13 ad 19, et inde communicatio omnium jucundorum et felicitatum, n. 396 ad 400. In Verbo paſſim dicitur, quod commeſturi ſint in Cœlo, et per illud in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod fruituri ſint beatitudine et felicitate; ita ſimile ſignificatur per comedere ibi quod per cœnari, ut apud Lucam, "*Venient ab Oriente et Occidente et a Septentrione et Meridie, et diſcumbent in Regno Dei,*" xiii. 29: et apud Matthæum, "*Multi venient ab Oriente et Occidente, et accumbent cum Abrahamo, Iſaco et Jacobo in Regno Cœlorum,*" viii. 11; qui venturi ab Oriente, Occidente, Septentrione et Meridie, ſunt omnes qui in bono amoris et inde veris fidei ſunt; quod quatuor plagæ in Verbo illos ſignificent, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 141 ad 153; et quod per Abrahamum, Iſacum et Jacobum intelligatur Dominus quoad Ipſum Divinum ac Divinum Humanum, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1893, 4615, 6098, 6185, 6276, 6804, 6847; inde diſcumbere cum illis, eſt conjungi Domino, et conſociari inter ſe per amorem,

et per conjunctionem illam et per conſociationem hanc frui beatitudine et felicitate æterna, et illa ex ſolo Domino. Apud Lucam, "*Jeſus dixit, ſunto lumbi veſtri cincti, et candelæ lucentes, voſque ſimiles eſtote hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando reverſurus eſt a nuptiis, ut cum venerit et pulſaverit, aperiant Ipſi: beati ſervi hi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod cincturus ſit Se, et accumbere facturus eos, Ipſeque accedens miniſtraturus illis,*" xii. 35, ſeq. per lumbos qui erunt cincti, intelligitur bonum amoris, n. 3021, 4280, 9961; per candelas quæ erunt lucentes, ſignificantur vera fidei ex bono amoris, n. 9548, ~~9551~~, 9783; per cingere ſe, accumbere facere eos, et miniſtrare illis, ſignificatur donare illos omni bono. Apud Eundem, "*Vos eſtis qui permanſiſtis Mecum in tentationibus meis; Ego diſpono vobis prout diſpoſuit Mihi Pater Regnum, ut edatis et bibatis ſuper menſa mea in Regno Dei,*" xxii. 28, 29, 30; edere et bibere ſuper menſa Domini in Regno Dei eſt conjungi Domino per amorem et fidem, ac frui beatitudine cœleſti. Apud Matthæum, "*Jeſus dixit, dico vobis, quod non bibiturus ſim a nunc ex hoc genimine vitis, uſque ad diem illum quando id bibero vobiſcum novum in Regno Patris mei,*" xxvi. 29; hæc a Domino dicta ſunt, poſtquam inſtituit Sanctam Cœnam; et per genimen vitis ſignificatur Divinum Verum ex Divino Bono, et inde beatitudo et felicitas. Simile quod per Cœnam etiam ſignificatur per convivium, apud Eſajam, "*Faciet Jehovah omnibus populis in monte hoc convivium pinguedinum, convivium ſecum,*" xxv. 6; agitur ibi de adventu Domini, et per convivium pinguedinum ſignificatur appropriatio et communicatio bonorum, et per convivium ſecum ſeu vini optimi appropriatio verorum; quod pinguedines ſignificent bona amoris, videatur n. 353, 5943, 10053; et quoque jucunda amoris, n. 6409; et quod vinum ſignificet bonum charitatis quod in ſua eſſentia eſt verum, n. 1071, 1798, 6377. Simile ſignificatur per nuptias, ad quas invitatæ ſunt decem virgines, de quibus ita apud Matthæum, "*Simile eſt Regnum cœlorum decem virginibus, quæ ſumtis lampadibus exierunt in occurſum Sponſi: quinque ex eis erant prudentes, et quinque fatuæ: fatuæ ſumtis lampadibus non acceperunt oleum ſecum: prudentes autem acceperunt oleum in vaſis ſuis una cum ſuis lampadibus: morante autem Sponſo, dormiverunt omnes et obdormiverunt: media vero nocte clamor ortus eſt, ecce Sponſus venit, exite in occurſum ejus: tunc ſurrexerunt omnes illæ virgines, et adornarunt lampadas ſuas: et fatuæ prudentibus dixerunt, date nobis ex oleo veſtro, quia lampades noſtræ exſtinguuntur: et reſponderunt prudentes, dicentes, ne forte non ſufficiat nobis et vobis, ite potius ad eos qui vendunt, et emite vobis: cum itaque abirent emptum, venit Sponſus; et quæ paratæ erant, introiverunt cum Illo ad nuptias, et clauſa eſt janua: poſtea veniunt reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ipſe vero reſpondens dixit, amen dico vobis non novi vos,*" xxv. 1 ad 12; agitur ibi de Conjunctione cum Domino per amorem et fidem, nuptiæ etiam ſignificant illam, oleum ſignificat bonum amoris, et lampades verum fidei: ut pateat quod in ſingulis quæ Dominus loquutus eſt, ſenſus ſpiritualis ſit, velim illa quæ ibi quoad eum ſenſum aperire; Regnum cœlorum, cui decem Virgines aſſimilantur, ſignificat Cœlum et Eccleſiam, decem virgines ſignificant omnes qui ab Eccleſia, decem omnes, et virgines illos qui ſunt in affectione veri et boni ſpiritualis, quæ facit Eccleſiam, inde eſt quod Zion et Hieroſolyma, per quas ſignificatur Eccleſia, in Verbo dicatur virgo; ut virgo Zion et virgo Hieroſolyma, et quod in Apocalypſi dicatur, quod virgines ſequantur Agnum; per lampadas, quas acceperunt ut exirent in occurſum ſponſi, ſignificantur vera fidei, per ſponſum intelligitur Dominus quoad conjunctionem cum Cœlo et Eccleſia per amorem et fidem, agitur enim de nuptiis, per quas ſignificatur illa conjunctio; per quinque virgines prudentes et per quinque fatuas ſignificantur illi ab Eccleſia qui in fide ſunt ex amore, et qui in fide ſunt abſque amore, ſimiliter ac per prudentes et fatuas Matth. vii. 24, 26; per mediam noctem, qua clamor ortus eſt, ſignificatur ultimum judicium, et in genere ultimum vitæ hominis, quando judicabitur vel ad Cœlum vel ad Infernum; quod tunc fatuæ dixerint ad prudentes, ut darent illis ex oleo ſuo, et quod prudentes reſponderint quod irent ad illos qui vendunt, ſignificatur ſtatus omnium poſt mortem, quod illi qui non habent bonum amoris in fide ſeu verum fidei ex bono amoris, tunc velint comparare ſibi, ſed fruſtra, quia qualis vita homini fuit in mundo, talis manet: inde nunc patet, quid ſignificatur per quod prudentes introiverint in nuptias, et quod fatuæ, dicentes Domine, Domine, aperi nobis, reſponſum tulerint, amen dico vobis non novi vos; per non novi vos, ſignificatur quod Dominus illis non conjunctus ſit, amor enim ſpiritualis conjungit, et non fides abſque amore, Dominus enim manſionem habet apud illos qui in amore et inde fide ſunt, et hos novit quia Ipſe ibi eſt.

253. Vincens dabo ei ſedere Mecum in Throno meo, quod ſignificet qui tunc permanet ad finem vitæ, quod conjunctus erit Cœlo ubi Dominus, conſtat ex ſignificatione vincere, quod ſit permanere in affectione veri ſpirituali uſque ad finem vitæ, de qua ſupra n. 128, hic vero in ſtatu fidei ex charitate, quia de illa agitur; quod vincere id ſignificet, eſt quia homo, quamdiu vivit in mundo, in pugna eſt contra mala et inde falſa quæ apud illum, et qui in pugna eſt et permanet in fide charitatis uſque ad finem vitæ, is vincit, et qui in mundo vincit is vincit in æternum, quoniam homo poſt mortem talis eſt qualis fuerat quoad vitam in mundo; et ex ſignificatione ſedere Mecum in Throno meo, quod ſit conjunctus eſſe Cœlo ubi Dominus, per Thronum enim ſignificatur Cœlum, et per ſedere Mecum ſignificatur una eſſe cum Domino, ita conjunctus Ipſi. In Verbo pluries memoratur Thronus, et per illum, cum de Domino, ſignificatur in genere Cœlum, in ſpecie Cœlum ſpirituale, et abſtracte Divinum Verum procedens a Domino, quia hoc facit Cœlum, inde etiam Thronus dicitur de Judicio, quoniam omne Judicium fit ex veris; quod illa per Thronum in Verbo ſignificentur, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Dixit Jehovah, Cœli Thronus meus,*" lxvi. 1: apud Davidem, "*Jehovah in Cœlis firmavit Thronum ſuum,*" Pſalm. ciii. 19: apud Matthæum, "*Qui jurat per Cœlum, jurat per Thronum Dei, et per Ipſum qui ſedet ſuper illo,*" xxiii. 22; quod per Thronum hic ſignificetur Cœlum, patet, nam dicitur quod Cœli Thronus Ipſius; firmavit in Cœlis Thronum ſuum; qui jurat per Cœlum, jurat per Thronum Dei; non quod Jehovah ſeu Dominus ibi ſedeat ſuper Throno, ſed quia Divinum Ipſius in Cœlis dicitur Thronus, et

quoque quandoque apparet ut Thronus illis, quibus ſpectare datur in Cœlum. Quod Dominus ita viſus ſit, conſtat apud Eſajam, "*Vidi Dominum ſedentem ſuper Throno alto et elato, et fimbriæ Ipſius implentes Templum*," vi. 1; quod fimbriæ Ipſius impleverint Templum, ſignificat quod Divinum Verum procedens impleverit ultimum Cœli et Eccleſiam, per fimbrias enim Domini ſignificatur in genere Divinum Verum procedens, et in ſpecie illud in extremis Cœli et in Eccleſia, videatur ſupra n. 220. Apud Ezechielem, "*Super expanſum, quod ſuper capite Cheruborum, quaſi aſpectus lapidis Sapphiri, ſimilitudo Throni, et ſuper ſimilitudine Throni ſimilitudo quaſi aſpectus Hominis ſuper illo ſuperius*," i. 26. Cap. x. 1; quod Thronus apparuerit in aſpectu lapidis ſapphiri, erat quia ſapphirus ſignificabat Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipſius, et inde Spirituale Verum pellucens ex Cœleſti Bono, videatur n. 9407, 9173, ita Thronus ibi ſignificat totum Cœlum, nam Cœlum eſt Cœlum ex Divino Vero; quid Cherubi ſignificant, videatur n. 9277 f. 9509, 9674. In Apocalypſi, "*Ecce Thronus poſitus in Cœlo, et ſuper Throno ſedens; iris circa Thronum aſpectu Smaragdino; et e Throno exibant fulmina, tonitrua et voces; ante Thronum mare vitreum ſimile Chryſtallo; circum Thronum quatuor animalia plena oculis ante et retro*," iv. 2 ad 6, 9, 10; quod hic deſcribatur Cœlum quoad Divinum Verum, videbitur in Explicatione illorum verborum in Capite ſequente; ſimiliter in ſequentibus in Apocalypſi, "*Purus fluvius et ſplendidus ſicut Chryſtallus exibat e Throno Dei et Agni*," xxii. 1; quod purus fluvius et ſplendidus ſicut chryſtallus viſus ſit exire e Throno, erat quia Fluvius ſignificat Divinum Verum, et quoque Chryſtallus. Simile in Verbo ſignificatur per Thronum Davidis, quoniam per Davidem in Verbo Prophetico non David ſed Dominus quoad Regium, quod eſt Divinum Verum in Cœlo ſpirituali, quod eſt ſecundum Cœlum, intelligitur; ut apud Lucam, "*Dixit Angelus ad Mariam, Hic erit magnus et Filius Altiſſimi vocabitur, et dabit Ipſi Dominus Thronum Davidis patris Ipſius*," i. 32; et apud Eſajam, "*Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, ſuper Cujus humero Principatus, et vocabit Nomen Ejus Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis, multiplicando principatum et pacem non erit finis; ſuper Throno Davidis et ſuper Regno ejus ad ſtabiliendum illud in judicio et juſtitia, a nunc et uſque in æternitatem*," ix. 5, 6; quod hic non intelligatur David et ejus Thronus, ſuper quo Dominus ſeſſurus, patet, nam Regnum Ipſius non fuit in terra ſed in cœlo, quare per Thronum Davidis intelligitur Cœlum quoad Divinum Verum, videatur ſupra n. 205. Simile intelligitur in Pſalmis Davidis, ubi ipſe de Throno et Regno ſuo loquitur, ut in toto Pſalmo lxxxix. ubi etiam dicitur, "*Juravi Davidi ſervo meo, in æternum firmabo ſemen tuum, et in generationem et generationem Thronum tuum; judicium et juſtitia fulcrum Throni tui, ponam Thronum ejus ſicut dies cœlorum*," Verſ. 5, 15, 30; quod Dominus ibi intelligatur per Davidem, videatur ſupra n. 205. Simile etiam ſignificatur per Thronum gloriæ, ubi de Domino, gloria enim ſignificat Divinum Verum; ut apud Matthæum, "*Quando venerit Filius hominis in gloria ſua, et omnes ſancti Angeli cum Ipſo, tunc ſedebit ſuper Throno gloriæ ſuæ*," xxv. 31; quod gloria ſignificet Divinum Verum in

Cœlo, videatur n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429, et ſupra n. 34: Inde patet, quid ſignificatur per Thronum gloriæ apud Jeremiam, "*Ne deturpes Thronum gloriæ tuæ,*" xiv. 21. et Cap. xvii. 12; non deturpare Thronum gloriæ ſignificat ut non Divinum Verum. Simile ſignificatur per quod Hieroſolyma dicatur Thronus Jehovæ; per Hieroſolymam enim ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, doctrina eſt Divinum Verum. Inde patet quomodo intelligendum quod dicitur apud Jeremiam, "*In tempore illo vocabunt Hieroſolymam Thronum Jehovæ, et congregabuntur ad eam omnes gentes,*" iii. 17: apud Davidem, "*Hieroſolyma ædificata eſt, eo aſcendunt Tribus, et ibi ſedent Throni ad judicium, Throni domus Davidis,*" Pſalm. cxxiii. 3, 5: apud Ezechielem, "*Gloria Jehovæ intravit in Domum via portæ cujus facies verſus orientem; dixit ad me, fili hominis, ecce locum Throni mei, et locum volarum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Iſraelis in æternum,*" xliii. 4, 7: quod Hieroſolyma ſignificet Eccleſiam quoad doctrinam, ita Divinum Verum in cœlis et in terris, nam id facit Eccleſiam, videatur n. 3654, 9166, et ſupra n. 223. Quoniam omne Judicium fit ex veris, et Judicium in Cœlis ex Divino Vero, ideo Thronus quoque dicitur, ubi agitur de Domino quoad judicium, ut ſupra apud Matthæum, Cap. xxv. 31; et apud Davidem, Pſalm. cxxiii. 3, 5; et porro apud Davidem, "*Jehovah feciſti judicium meum, ſediſti ſuper Throno Judex juſtitiæ, increpaſti gentes, perdidiſti impium. Jehovah in æternum manebit, præparabit ad Judicium Thronum ſuum,*" Pſalm. ix. 5, 6, 8. Paſſim in Verbo etiam dicitur, quod non ſolus Dominus ſeſſurus ſit ſuper Throno, ſed etiam alii ſuper thronis; verum uſque per horum thronos non intelliguntur throni ſed Divina Vera; ut in Primo Libro Samuelis, "*Erigit e pulvere depreſſum, et e ſterquilineo extollit egenum, ad faciendum ſedere illos cum principibus, et Thronum gloriæ hæreditare faciet eos,*" ii. 8: in Apocalypſi, "*Viginti quatuor Seniores qui coram Throno Dei, ſedentes ſuper thronis ſuis,*" xi. 16: alibi, "*Vidi Thronos, et conſederunt ſuper illis, et judicium datum eſt illis,*" xx. 4: et apud Matthæum, "*Vos qui ſequuti eſtis Me in regeneratione, quum ſederit Filius hominis ſuper throno gloriæ ſuæ, ſedebitis et vos ſuper thronis judicantes duodecim Tribus Iſraelis,*" xix. 28, et Luc. xxii. 30; per thronos ibi intelliguntur Divina Vera, ſecundum quæ et ex quibus omnes judicandi ſunt; per duodecim et per viginti quatuor ſignificantur omnia, et prædicantur de veris; per ſeniores et per diſcipulos etiam ſignificantur Divina Vera, ſimiliter per Tribus; ex his cognitis conſtare poteſt quid intelligitur per thronos in locis allatis; tum per id de quo nunc agitur, *Vincens dabo ei ſedere Mecum in Throno meo*: quod duodecim ſignificent omnia, et quod prædicentur de veris, videatur n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913; quod ſimile viginti quatuor, quia is numerus eſt duplus numeri duodecim, et exſurgit inde per multiplicationem, n. 5291, 5335, 5708, 7973. Quod per Seniores Iſraelis ſignificentur omnes in Eccleſia, qui in veris ex bono ſunt, n. 6523, 6525, 6890, 7912, 8578, 8585, 9376, 9404: ſimiliter per duodecim diſcipulos Domini, n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397: ſimiliter per duodecim Tribus, n. 3858, 3926, 4060, 6335, 7836, 7891. Ex his conſtare poteſt, quid repræſentatum eſt per Thronum a Salomone ædificatum, de quo ita in

Libro Primo Regum, " *Fecit Salomo Thronum ebenum magnum, et obduxit illum auro puro, ſex gradus Throno; Caput rotundum Throno, et poſt eum manus hinc inde juxta locum ſedis, et duo Leones ſtantes juxta manus; et duodecim Leones ſtantes ibi ſuper ſex gradibus hinc et inde: non factus eſt talis ullis Regnis,*" x. 18, 19, 20; per ebenum ſignificatur Divinum Verum in ultimis; per rotundum correſpondens bonum; per aurum, quo obductus erat, ſignificatur Divinum Bonum ex quo Divinum Verum; per ſex gradus ſignificantur omnia a primis ad ultima; per duas manus ſignificatur omnis potentia; per leones ſignificantur vera Eccleſiæ in ſua potentia, per duodecim omnia. Quoniam thronus, ubi de Domino, ſignificat Cœlum quoad omne Divinum Verum; ita in oppoſito ſenſu Thronus ſignificat Infernum quoad omne falſum; in oppoſito hoc ſenſu nominatur Thronus ſupra, Cap. ii. 13. Eſaj. xiv. 9, 13. Cap. xlvii. 1. Hagg. ii. 22. Dan. vii. 9. Luc. i. 52; et alibi.

254. Sicut et Ego vici, et ſedeo cum Patre meo in throno Ipſius, quod ſignificet comparative ſicut Divinum Bonum eſt unitum Divino Vero in Cœlo, conſtat ex ſignificatione vincere, cum de Ipſo Domino, quod ſit unire Divinum Bonum Divino Vero; hoc quia factum eſt per Tentationes et Victorias, ideo dicitur ſicut Ego vici; quod Dominus univerit Divinum Bonum Divino Vero per Tentationes in Humanum ſuum admiſſas, et per continuas tunc Victorias, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 201, 293, 302. Quod ſedere cum Patre meo in Throno Ipſius, ſignificet Divinum Bonum unitum Divino Vero in Cœlo, eſt quia per Patrem a Domino intelligitur Divinum Bonum quod in Ipſo a conceptione fuit, ac per Filium Divinum Verum, utrumque in Cœlo, ac per Thronum Cœlum, ut ſupra; hoc Divinum Domini in Cœlis vocatur Divinum Verum, ſed eſt Divinum Bonum unitum Divino Vero; quod ita ſit, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 13, 133, 139, 140. Quod comparatio fiat hominum Eccleſiæ cum Ipſo Domino, dicendo, " *Vincens dabo illi ſedere Mecum in Throno meo, ſicut et Ego vici et ſedeo cum Patre in Throno Ipſius,*" eſt quia vita Domini in mundo fuit exemplar ſecundum quod victuri homines Eccleſiæ, ut quoque Ipſe dicit apud Johannem, " *Exemplum dedi vobis, ut ſicut Ego feci vobis, etiam vos faciatis: ſi hoc ſcitis, beati eſtis ſi feceritis illa,*" xiii. 15, 17: inde eſt, quod Dominus comparationem Secum fecerit etiam aliis in locis, ut in his, apud Johannem, " *Jeſus dixit, quemadmodum dilexit Me Pater, ita Ego dilexi vos, manete in dilectione mea, ſicut Ego mandata Patris mei ſervavi, et maneo in Ipſius dilectione,*" xv. 9, 10: apud Eundem, " *Ex mundo non ſunt, ſicut Ego ex mundo non ſum; ſicut Me miſiſti in mundum, etiam Ego miſi illos in mundum,*" xvii. 16, 18: apud Eundem, " *Sicut miſit Me Pater, etiam Ego mitto vos,*" xx. 21: apud Eundem, " *Ego gloriam, quam dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint unum ſicut nos unum ſumus, Ego in illis, Tu in Me: Pater quos dediſti Mihi, volo ut ubi ſum Ego, etiam illi ſint Mecum, ut videant gloriam meam, quam dediſti Mihi. Notum feci illis Nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti Me, in illis ſit et Ego in illis,*" xvii. 22, 23, 24, 26; quod Dominus de Sui conjunctione cum hominibus ſicut de Sui conjunctione cum Patre, hoc eſt, Humani ſui cum Divino quod in

Ipſo, loquutus ſit, eſt cauſa, quia Dominus non conjungitur cum proprio hominis, ſed cum Suo apud illum; Dominus proprium hominis removet, et dat ex ſuo, et in eo habitat: quod ita ſit, etiam in Eccleſia notum eſt, ut patet ex ſolenni prece et exhortatione ad illos, qui accedunt ad Sacramentum Cœnæ, ubi hæc verba, "If with a true penitent heart, and lively faith, we receive that holy Sacrament, for then we ſpiritually eat the fleſh of Chriſt and drink His blood, then we dwell in Chriſt and Chriſt in us, and we are one with Chriſt and Chriſt with us," et Joh. vi. 56; ſed hæc melius comprehendi poſſunt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 11, 12, oſtenſa ſunt: inde nunc quia Divinum Domini receptum ab Angelis et ab hominibus facit Cœlum et Eccleſiam apud illos, unum ſunt cum Domino, ſicut Ipſe et Pater unum ſit. Ut adhuc ſciatur, quomodo intelligendum eſt, quod Dominus dicat, quod ſedeat cum Patre ſuo in Throno Ipſius, ſciendum eſt, quod Thronus Dei ſit Cœlum, ut in ſuperiori Articulo oſtenſum eſt, ac Cœlum eſt Cœlum ex Divino quod procedit a Domino, et hoc Divinum vocatur Divinum Verum, ſed eſt Divinum Bonum unitum Divino Vero, ut ſupra dictum eſt; Ipſe Dominus non eſt in Cœlo, ſed eſt ſupra Cœlos, et apparet illis qui in Cœlis ſunt ut Sol; quod appareat ut Sol, eſt quia eſt Divinus Amor, ac Divinus Amor apparet Angelis ut Ignis Solaris, unde quoque Ignis ſacer in Verbo ſignificat Amorem Divinum; ex Ipſo ut Sole procedit Lux et Calor, Lux quæ procedit, quia eſt Lux ſpiritualis, eſt Divinum Verum, et Calor, quia eſt Calor ſpiritualis, eſt Divinum Bonum; hoc, nempe Divinum Bonum, intelligitur per Patrem in Cœlis: quod Dominus ſit Sol Cœli, et quod Lux et Calor inde ſint Divinum Verum unitum Divino Bono, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125, ac 126 ad 840; et quod Cœlum ſit Cœlum ex Divino quod procedit a Domino, n. 7 ad 12: inde conſtare poteſt, quid in Verbo intelligitur per Patrem in Cœlis, et per Patrem Cœleſtem, ut apud Matthæum, "*Benefacite inimicis, ut ſint filii Patris veſtri qui in Cœlis,*" v. 44, 45: apud Eundem, "*Sitis perfecti, ſicut Pater veſter in Cœlis eſt perfectus,*" v. 48: apud Eundem, "*Vos qui mali eſtis, noſtis bona dare liberis veſtris, quanto magis Pater veſter qui eſt in Cœlis dabit bona iis qui petunt ab Ipſo,*" vii. 11: apud Eundem, "*Faciens voluntatem Patris qui eſt in Cœlis, intrabit in Regnum Cœlorum,*" vii. 21: apud Eundem, "*Omnis plantatio, quam non plantavit Pater Cœleſtis, eradicatur,*" xv. 13; et præterea alibi, ut Matth. v. 16. Cap. vi. 1, 6, 8. Cap. xii. 49. Cap. xvi. 17. Cap. xviii. 14, 19, 35. Marc. xi. 25. 26. Luc. xi. 13. Quod Divinum Bonum intelligatur per Patrem, conſtare etiam poteſt ex hoc apud Matthæum, "*Ne contemnatis ullum ex puſillis his, nam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei Qui in Cœlis eſt,*" xviii. 10; quod videant faciem Patris Qui in Cœlis eſt, ſignificat quod recipiant Divinum Bonum a Domino; quod non videant faciem Ipſius, conſtat a Domini verbis apud Johannem, "*Patrem nemo vidit uſquam,*" i. 18. Cap. v. 37. Cap. vi. 47. Idem conſtare poteſt ex hoc apud Matthæum, "*Patrem ne vocetis veſtrum in terra, unus namque Pater veſter qui in Cœlis eſt,*" xxiii. 9; quod nemini interdictum ſit patrem ſuum in terra vocare patrem, patet, nec id a

Domino hic interdicitur, ſed hoc dictum eſt, quia per Patrem intelligitur Divinum Bonum, "*et nullus eſt Bonus niſi unus Deus,*" xix. 17: quod Dominus ita loquutus ſit, eſt quia per Patrem in Verbo utriuſque Teſtamenti in ſenſu ſpirituali intelligitur Bonum, videatur n. 3703, 5902, 6050, 7833, 7834; et quoque Cœlum et Eccleſia quoad bonum, n. 2691, 2717, 3703, 5580, 8897: et per Patrem, ubi a Domino, Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, n 2803, 3704, 7499, 8328, 8897.

255. Habens aurem audiat, quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet, quod qui intelligit auſcultet, quid Divinum Verum procedens a Domino docet et dicit illis qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 108, dicta et oſtenſa ſunt.

256. Dictum ſupra eſt, quod per ſeptem Eccleſias, ad quas ſcriptum eſt, non intelligantur ſeptem Eccleſiæ, ſed omnes qui ab Eccleſia, et in ſenſu abſtracto omnia Eccleſiæ; quod ita ſit, conſtare poteſt ex eo, quod per ſeptem ſignificentur omnes et omnia, et quod per nomina intelligantur res: quod omnes qui ab Eccleſia ſeu omnia Eccleſiæ per illa quæ ſcripta ſunt ad ſeptem illas, intelligantur, conſtare etiam poteſt ab explicatione omnium quæ ſcripta ſunt ad illas; omnia enim quæ Eccleſiæ ſunt, ſe referunt ad hæc quatuor communia, nempe ad Doctinam, ad Vitam ſecundum illam, et ad Fidem ſecundum vitam; de his actum eſt in ſcriptis ad ſex Eccleſias, de DOCTRINA ad Eccleſias in Epheſo et Smyrna; de VITA SECUNDUM DOCTRINAM ad Eccleſias in Thyatiri et Sardibus; et de FIDE SECUNDUM VITAM ad Eccleſias in Philadelphia et Laodicea: et quia Doctrina non poteſt implantari vitæ et fieri fidei, niſi homo pugnet contra mala et falſa, quæ apud illum ex hæreditario, ideo etiam de pugna illa actum eſt in ſcripto ad Eccleſiam in Pergamo, ibi enim agitur de TENTATIONIBUS, et Tentationes ſunt pugnæ contra mala et falſa: quod ibi de Tentationibus actum ſit, videatur ſupra n. 130: quod in ſcriptis ad Eccleſias in Epheſo et Smyrna actum ſit de Doctrina, videatur ſupra n. 93, 95, 112: quod in ſcriptis ad Eccleſias in Thyatiri et Sardibus actum ſit de Vita ſecundum doctrinam, n. 150 et 182: et quod in ſcriptis ad Eccleſias in Philadelphia et Laodicea actum ſit de Fide ſecundum vitam, n. 203 et 227. Quoniam in ſcriptis ad hanc ultimam Eccleſiam, nempe Laodiceam, actum eſt de illis qui in Doctrina de Sola fide ſunt, et ibi ad finem quoque de fide charitatis, hic ſupradictis addendum eſt, quod amor faciat Cœlum, et quia facit Cœlum etiam faciat Eccleſiam; omnes enim Societates Cœli, quæ innumeræ ſunt, ordinatæ ſunt ſecundum affectiones quæ amoris, et omnes quoque intra unamquamvis Societatem, ſic ut ſit affectio ſeu amor, ſecundum quem omnia ordinata ſunt in Cœlis, et non ullus ſecundum fidem: affectio ſeu amor ſpiritualis eſt Charitas, inde patet, quod nuſquam aliquis intrare poſſit Cœlum, ſi non in charitate ſit.

257. Quoniam in hoc Libro Prophetico ſæpius memorantur Numeri, et nemo poteſt ſcire Senſum ſpiritualem rerum inibi, niſi ſciatur quid ſinguli Numeri ſignificant, omnes enim Numeri in Verbo, ſicut omnia Nomina, ſignificant res ſpirituales; et quia Numerus ſeptem inter reliquos ſæpe memoratur, ideo velim hic oſtendere, quod Septem ſignificent omnes

et omnia, tum plenum et totum, quicquid enim ſignificat omnes et omnia, id etiam ſignificat plenum et totum, nam plenum et totum prædicatur de Magnitudine rei, ac omnes et omnia de Multitudine. Quod Septem illa ſignificent, conſtare poteſt a ſequentibus locis; apud Ezechielem, “ *Habitatores Urbium Iſraelis incendent comburentque arma, et ſcutum et clypeum, cum arcu et cum telis, et cum baculo manus et cum haſta; et accendent illis ignem ſeptem annis: et ſepelient Gogum, et omnem multitudinem ejus, et mundabunt terram ſeptem menſibus,*” xxxix. 9, 12; agitur ibi de deſolatione omnium in Eccleſia; habitatores urbium Iſraelis, ſignificant omnia bona veri; incendere ſignificat conſumere per mala; arma, ſcutum, clypeus, arcus, tela, baculus manus, haſta, ſunt omnia quæ doctrinæ; accendere illis ignem ſeptem annis, eſt omnia et plene conſumere per mala; Gogus ſignificat illos qui in cultu externo ſunt et in nullo interno; ſepelire illos et mundare terram, eſt omnes illos deſtruere, et ab illis plene repurgare Eccleſiam. Apud Jeremiam, “ *Multiplicabuntur viduæ præ arena marium, et adducam illis ſupra matrem juvenum vaſtatorem in meridie; elangueſcet quæ peperat ſeptem, exſpirabit animam ſuam,*” xv. 8, 9; per viduas quæ multiplicabuntur, ſignificantur qui in bono ſunt et deſiderant vera, et in oppoſito ſenſu, ut hic, qui in malo ſunt et volunt falſa; per matrem juvenum ſignificatur Eccleſia; per vaſtatorem in meridie, ſignificatur vaſtatio illius Eccleſiæ quantumvis in veris poteſt eſſe ex Verbo; per elangueſcet et exſpirabit animam quæ peperat ſeptem, ſignificatur quod peritura Eccleſia cui omnia vera data ſunt, quia Verbum, nam quæ peperat ſeptem ſignificat cui data ſunt omnia vera; hoc in ſpecie dictum eſt de Judæis. Similiter in Libro Primo Samuelis, “ *Famelici ceſſarunt, uſque dum ſterilis peperit ſeptem, multiprolis autem defecit,*” ii. 5; famelici qui ceſſarunt, ſunt qui deſiderant vera et bona Eccleſiæ; ſterilis pariens ſeptem, ſignificat illos qui extra Eccleſiam ſunt, et non ſciunt vera, quia non habent Verbum, ita Gentes, quibus dabuntur omnia; multiprolis deficiens ſignificat illos qui habent, quibus auferrentur. Apud Davidem, “ *Retribue vicinis ſeptuplum in ſinum eorum,*” lxxix. 72; et apud Moſchen, “ *Quod Judæi punirentur ſeptuplum propter peccata eorum,*” Levit. xxvi. 18, 21, 24, 28; ſeptuplum ſignificat plene. Apud Lucam, “ *Si ſepties in die peccaverit contra te frater tuus, et ſepties in die reverſus fuerit ad te, dicens reſipui, remittes ei,*” xvii. 4; ſepties remittere ſi ſepties reverſus fuerit, eſt toties remittere quoties revertitur, ita omnibus vicibus: ne intelligatur ſepties explicat Dominus coram Petro, qui credidit quod ſepties intelligeretur, apud Matthæum, “ *Dixit Petrus, Domine quoties peccabit in me frater et remittam ei, an uſque ſepties; dixit ei Jeſus, non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties,*” xviii. 21, 22; ſeptuagies ſepties eſt ſemper abſque numerando. Apud Davidem, “ *Septies in die laudo Te ſuper judiciis juſtitiæ,*” Pſalm. cxix. 164; ſepties in die eſt ſemper ſeu omni tempore. Apud Eundem, “ *Sermones Jehovæ ſermones puri, argentum conflatum in catino purificatum ſepties,*” Pſalm. xii. 7; argentum ſignificat Verum a Divino; purificatum ſepties ſignificat prorſus et plene purum. Apud Eſajam, “ *Erit Lux Lunæ ſicut Lux Solis, et Lux Solis erit ſeptupla ſicut Lux ſeptem dierum,*” xxx. 26; Lux Solis ſignificat Divinum Verum ex Divino

Divino Bono: quod lux illa erit ſeptupla ſicut lux ſeptem dierum, ſignificat quod Divinum Verum in Cœlo erit abſque omni falſo, ita prorſus et plene purum. Apud Matthæum, " *Immundus ſpiritus accipiet ſeptem ſpiritus alios pejores ſeipſo, et habitabit ibi,*" xii. 45; Luc. xi. 26; agitur ibi de prophanatione, et per ſeptem ſpiritus immundos, cum quibus rediturus, ſignificantur omnia falſa mali, ita plenaria deſtructio boni et veri. Simile ſignificatur per ſeptem tempora, quæ tranſitura ſuper regem Babelis, apud Danielem, " *Cor ejus ab homine mutabitur, et cor beſtiæ dabitur ei, dum ſeptem tempora tranſibunt ſuper illum,*" iv. 13, 22, 29; per regem Babelis ſignificantur illi qui prophanant bona et vera Verbi; quod cor ejus ab homine mutaretur et cor beſtiæ daretur, intelligitur quod nihil ſpirituale, quod vere humanum, remanſurum ſit, ſed loco ejus diabolicum; per ſeptem tempora quæ tranſitura ſuper illum, ſignificatur prophanatio, quæ eſt plenaria deſtructio veri et boni. Quia ſeptem et ſepties ſignificabant omnia et plenum, ideo ſequentia mandata ſunt, " *Quod ſeptem diebus implerentur manus,*" Exod. xxix. 35. " *Quod ſeptem diebus ſanctificarentur,*" Exod. xxix. 37. " *Quod ſeptem diebus indutus eſſet Aharon veſtibus cum initiabatur,*" Exod. xxix. 30. " *Quod ſeptem diebus non recederent a Tentorio, cum initiabantur in ſacerdotium,*" Levit. viii. 33, 34. " *Quod ſepties expiaretur Altare ſuper cornua,*" Levit. xvi. 18, 19. " *Quod ſeptem vicibus per oleum ſanctificaretur Altare,*" Levit. viii. 11. " *Quod ſeptem vicibus ſpargeretur ſanguis verſus Velum,*" Levit. iv. 16, 17. " *Quod ſeptem vicibus digito ſpargeretur ſanguis verſus orientem, cum Aharon ad Propitiatorium iret,*" Levit. xvi. 12, 13, 14, 15. " *Quod ſeptem vicibus ſpargeretur aqua ſeparationis verſus tentorium,*" Num. xix. 4. " *Quod ſepties ſpargeretur ſanguis circa mundationem lepræ,*" Levit. xiv. 7, 8, 27, 38, 51. " *Quod Candelabrum eſſet ex ſeptem lucernis,*" Exod. xxv. 32, 37. Cap. xxxvii. 18 ad 25. " *Quod feſta ſeptem diebus celebrarentur,*" Exod. xxxiv. 18. Levit. xxiii. 4 ad 9, 39 ad 44. Deut. xvi. 3, 4, 8. " *Quod ſeptem diebus feſti fieret holocauſtum, ex ſeptem juvencis et ex ſeptem arietibus in diem,*" Ezech. xlv. 23. " *Quod Bileamus ædificaverit ſeptem altaria, et ſacrificaverit ſeptem boves et ſeptem arietes,*" Num. xxiii. 1 ad 7, 15 ad 18, 29, 30. " *Quod numeraverint ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus, et tunc menſe ſeptimo clangeretur ad Jubilæum,*" Levit. xxv. 8, 9. Ex ſignificatione numeri ſeptem, conſtare poteſt, quid ſignificatur per " *ſeptem dies creationis,*" Geneſ. Cap. i. Tum per " *quod ſaturati fuerint quatuor millia hominum ex ſeptem panibus, et quod ſupereſſent ſeptem ſportæ plenæ,*" Matth. xv. 34 ad 38. Marc. viii. 5 ad 9. Inde nunc patet, quid ſignificatur in Apocalypſi, per " *ſeptem Eccleſias,*" i. 4, 11: per " *ſeptem Candelabra aurea, in quorum medio Filius hominis,*" Cap. i. 13: per " *ſeptem ſtellas in dextra Ipſius,*" Cap. i. 16, 20: per " *ſeptem ſpiritus Dei,*" iii. 1: per " *ſeptem lampades ignis ante Thronum,*" Cap. iv. 5: per " *Librum obſignatum ſeptem ſigillis,*" v. 1: per " *ſeptem Angelos, quibus datæ ſeptem tubæ,*" viii. 2: per " *quod ſeptem tonitrua loquuta ſint voces,*" x. 3, 4: per " *ſeptem Angelos habentes ſeptem plagas ultimas,*" xv. 1, 6: et per " *ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis,*" xvi. 1. Cap. xxi. 9: et porro alibi in Verbo, ubi ſeptem nominantur.

APOCALYPSIS.

CAPUT QUARTUM.

1. POST hæc vidi, et ecce oſtium apertum in Cœlo; et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, aſcende huc, et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac.

2. Et ſtatim factus ſum in ſpiritu, et ecce Thronus poſitus in Cœlo, et ſuper Throno Sedens.

3. Et Sedens erat ſimilis aſpectu lapidi Jaſpidi et Sardio, et iris circuitus Throni ſimilis aſpectu Smaragdo.

4. Et circum Thronum throni viginti et quatuor, et ſuper thronis vidi viginti et quatuor Seniores ſedentes, circumamictos veſtibus albis, et habebant ſuper Capitibus ſuis coronas aureas.

5. Et e Throno prodibant fulgura et tonitrua et voces; et ſeptem lampades ignis ardentes coram Throno, quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei.

6. Et in conſpectu Throni Mare vitreum ſimile chryſtallo: et in medio Throni et circum Thronum quatuor Animalia plena oculis ante et retro.

7. Et Animal primum ſimile Leoni; et ſecundum Animal ſimile Vitulo; et tertium Animal habens faciem ſicut Homo; et quartum Animal ſimile Aquilæ volanti.

8. Et quatuor Animalia, ſingula per ſe, habebant alas ſex in circuitu, et intus plenæ erant oculis, et requiem non habebant die et nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, Qui erat et Qui eſt et Qui venturus.

9. Et cum dederunt Animalia gloriam et honorem, et gratiarum actionem Sedenti ſuper Throno, Viventi in ſæcula ſæculorum,

10. Procidebant viginti et quatuor Seniores coram Sedente ſuper Throno, et adorabant Viventem in ſæcula ſæculorum, et abjiciebant coronas ſuas coram Throno, dicentes,

11. Dignus es Domine accipere gloriam et honorem et poteſtatem, quia Tu creaſti omnia, et per voluntatem tuam ſunt et creata ſunt.

EXPLICATIO.

258. Supra n. 5 indicatum eſt quod in Libro hoc Prophetico non agatur de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ Chriſtianæ a principio ejus ad finem, ſicut hactenus eſt creditum, ſed quod agatur de ſtatu Eccleſiæ et Cœli temporibus ultimis, quando novum Cœlum et nova Terra, hoc eſt, quando nova Eccleſia in Cœlis et in Terris, ita quando Judicium; nova Eccleſia in Cœlis dicitur, quia æque Eccleſia ibi eſt ac in terris, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 221 ad 227. Quia de illis in hoc Libro agitur, ideo in Primo Capite actum eſt de Domino Qui eſt Judex; et in Secundo et Tertio Capite de illis qui ab Eccleſia et qui non ab Eccleſia, ita de illis qui in priori Cœlo ſunt quod abolendum, et de illis qui in Novo quod formandum; quod per ſeptem Eccleſias, de quibus in illis binis Capitibus actum eſt, intelligantur omnes qui in Eccleſia, et quoque omnia Eccleſiæ, videatur mox ſupra n. 256 et 257. In hoc Quarto Capite nunc agitur de ordinatione omnium, præcipue in Cœlis, ante Judicium; propterea Thronus in Cœlo nunc viſus eſt, ac circum illum viginti quatuor throni, ſuper quibus viginti quatuor Seniores, tum quatuor Animalia juxta Thronum, quæ ſunt Cherubi; quod per illa deſcribatur ordinatio omnium ante Judicium et ad Judicium, videbitur in hujus Capitis Explicatione. Sciendum eſt, quod antequam aliqua mutatio exiſtit, omnia præordinentur et ad futurum Eventum præparentur, nam omnia a Domino prævidentur, et ſecundum Prævidentiam diſponuntur et providentur: per Thronum itaque in medio Cœli intelligitur Judicium, et per Sedentem ſuper illo Dominus; per viginti quatuor thronos ſuper quibus viginti quatuor Seniores, intelliguntur omnia vera in complexu, ex quibus et ſecundum quæ Judicium; et per quatuor Animalia, quæ ſunt Cherubi, intelligitur Divina Providentia Domini ne Cœli priores per inſignem futuram Mutationem detrimentum paterentur, utque dein omnia ſecundum Ordinem fierent, nempe ut interius mali ſepararentur ab interius bonis, ac hi in Cœlum eveherentur, illi autem in Infernum dejicerentur.

259. Verſ. 1. *Poſt hæc vidi, et ecce oſtium apertum in Cœlo; et vox prima, quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, aſcende huc, et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac.* Poſt hæc vidi, ſignificat intellectum illuſtratum: et ecce oſtium apertum in Cœlo, ſignificat arcana cœli revelata: et vox prima, quam audivi, ſignificat revelationem nunc de futuris: tanquam tubæ loquentis mecum, ſignificat claram et manifeſtam: dicebat, aſcende huc, ſignificat elevationem mentis et attentionem: et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac, ſignificat inſtructionem de illis quæ ultimo tempore Eccleſiæ exiſtent.

260. Poſt hæc vidi, quod ſignificet intellectum illuſtratum, conſtat ex ſignificatione videre quod ſit intelligere; quod videre ſignificet intelligere, eſt quia viſus oculi correſpondet viſui mentis, qui eſt intellectus; correſpondentia illa inde eſt, quia intellectus videt ſpiritualia, ac viſus oculi

naturalia; ſpiritualia ſunt vera ex bono, et naturalia ſunt objecta in variis formis; vera ex bono, quæ ſunt ſpiritualia, in Cœlo æque manifeſte videntur ſicut objecta coram oculo, ſed uſque cum multa differentia; vera enim illa videntur intellectualiter, hoc eſt, percipiuntur, qui viſus ſeu quæ perceptio qualis eſt, non deſcribi poteſt vocibus humanis, ſolum per hoc comprehendi, quod ei inſit conſenſus et confirmatio ab intimo, quod ita ſit, ſunt enim rationes confirmantes ingenti copia, quæ ſe ſicut unum ſiſtunt in viſu intellectuali, hoc unum eſt ſicut concluſum ex multis; rationes illæ confirmantes inſunt Luci Cœli, quæ eſt Divinum Verum ſeu Divina Sapientia procedens a Domino, et quæ operatur in unoquovis Angelo ſecundum ſtatum receptionis ejus; hic eſt viſus ſpiritualis ſeu intellectus. Quia hic viſus operatur in viſum oculorum apud Angelos, et ſiſtit vera intellectus in formis correſpondentibus, quæ apparent in Cœlo non diſſimiles formis in Mundo naturali, quæ vocantur objecta, ideo per videre in ſenſu literæ Verbi ſignificatur intelligere; quales apparentiæ in Cœlo ſunt, et quod correſpondeant objectis interioris viſus Angelorum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 170 ad 176. Quod in Verbo non dicatur intelligere, ſed videre, eſt cauſa, quia Verbum in ſuis ultimis eſt naturale, et naturale eſt baſis ſuper qua fundantur ſpiritualia; quapropter ſi Verbum in litera etiam eſſet ſpirituale, non ei foret baſis, ita foret ſicut domus abſque fundamento; de hac re etiam videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 303 ad 310. Quod in Verbo videre ſignificet intelligere, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Qui dixerunt videntibus ne videatis, et viſionem habentibus ne videatis nobis recta; loquimini nobis blanditias, videte illuſiones,*" xxx. 10: apud Eundem, "*Non connivebunt oculi videntium, et aures audientium auſcultabunt,*" xxxii. 3: apud Eundem, "*Cæci ſpectate videndo, videndo magna non cuſtodis,*" xlii. 18, 20: apud Eundem, "*Sacerdos et Propheta errant inter videntes, titubant judicio,*" xxviii. 7: et alibi, "*Videntes non vident et audientes non audiunt,*" Matth. xiii. 13, 14, 15. Marc. iv. 11. Cap. viii. 17, 18. Eſaj. vi. 9, 10. Cap. xii. 2; præter perplurimis aliis in locis, quæ adducere non opus eſt, quia notum eſt cuivis quod videre ſignificet intelligere etiam ex recepto more loquendi ubivis, dicitur enim hoc video quod ita ſit aut quod non ita ſit, pro quod intelligam.

Et ecce oſtium apertum in Cœlo, quod ſignificet arcana cœli revelata, conſtat ex ſignificatione oſtii, quod ſit intromiſſio, de qua ſupra n. 208, hic introſpectio, quæ eſt intromiſſio viſus, ac viſus intromittitur in Cœlum, quando viſus oculorum corporis hebetatur, ac tunc viſus oculorum ſpiritus illuſtratur; per hunc viſum ſunt omnia viſa quæ viſa a Prophetis: quod oſtium apertum in Cœlo hic ſignificet arcana Cœli revelata, eſt quia tunc apparent illa quæ in Cœlis ſunt, et coram Prophetis illa quæ arcana Eccleſiæ ſunt, hic arcana de illis quæ exſtitura circa Ultimum Judicium, quæ omnia nondum revelata ſunt, et quæ nec revelari potuerunt antequam Judicium peractum eſt, et non niſi quam per aliquem in Mundo, cui datum eſt a Domino videre illa, et ſimul cui revelatus eſt ſenſus ſpiritualis Verbi: omnia enim quæ in hoc Libro Prophetico ſcripta ſunt, de Ultimo Judicio ſcripta ſunt, ſed per Repræſentativa et Correſpondentias; quicquid enim a Domino dicitur et ab Angelis percipitur, vertitur in Repræſentativa dum deſcendit, et ſic ſiſtitur coram oculis tam Angelorum in ultimis Cœlis, quam coram hominibus prophetis quando oculi ſpiritus eorum aperti ſunt: ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per oſtium apertum in cœlo.

261. Et vox prima quam audivi, quod ſignificet revelationem nunc de futuris, conſtat ex ſignificatione vocis, quod ſit quicquid procedit a Domino et percipitur ab Angelis et ab hominibus, hic imprimis revelatio de futuris quæ ante Ultimum Judicium quæ circa illud, et quæ poſt illud, quia de illis in nunc ſequentibus agitur; quod vox Jehovæ in Verbo ſignificet Divinum procedens, quod eſt Divinum Verum, a quo omnis intelligentia et ſapientia, videatur n. 219, 220, 375, 3563, 6971, 8813, 9926; et quoque conſtat a ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Vox Jehovæ ſuper aquis, vox Jehovæ in virtute, vox Jehovæ cum honore, vox Jehovæ frangit cedros, vox Jehovæ incidens ut flamma ignis, vox Jehovæ trepidare facit deſertum, vox Jehovæ parturire facit cervas; ſed in Templo Ipſius quivis dicit gloriam,*" Pſalm. xxix. 3 ad 29; agitur in illo Pſalmo de Divino quod a Domino procedit, quod una voce vocatur Divinum Verum, effectus ejus apud bonos et apud malos per talia ibi deſcribitur; inde patet, quid vox Jehovæ. Apud Johannem, "*Qui Paſtor ovium eſt, huic Oſtiarius aperit, et oves vocem Illius audiunt, alienum non ſequuntur quia non ſciunt alienorum vocem: et alias oves habeo, quæ non ſunt ex Ovili hoc, etiam illas oportet Me adducere, et vocem meam audient: ſed vos non eſtis ex ovibus meis, nam oves meæ vocem meam audiunt, et Ego cognoſco illos et Me ſequuntur,*" x. 2, 3, 4, 5, 16, 26, 27; per oves in Verbo intelliguntur qui in Veris ex bono ſunt, ita qui in fide ex charitate; per vocem ibi non intelligitur vox, ſed Divinum procedens, quod eſt Divinum Verum, hoc influit apud illos qui in bono charitatis ſunt, et dat illis intelligentiam, et quantum in bono ſunt dat ſapientiam; intelligentia eſt veri, et ſapientia eſt veri ex bono. Apud Jeremiam, "*Factor terræ, per intelligentiam ſuam extendit Cælos, ad vocem, quam dat Ille, multitudo aquarum in Cælis,*" x. 12, 13. Cap. li. 16: apud Davidem, "*Vox Jehovæ ſuper aquis, Jehovah ſuper aquis magnis,*" Pſalm. xxix. 3: in Apocalypſi, "*Vox Filii hominis ſicut ſonitus aquarum multarum,*" i. 15: et alibi, "*Audivi vocem e Cælo, tanquam vocem aquarum multarum,*" xiv. 2; vox Jehovæ et vox e Cœlo eſt Divinum procedens, ſeu Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et ſapientia; quod dicatur audita ſicut vox aquarum multarum, eſt quia aquæ ſignificant Divina Vera in ultimis; quod aquæ illa ſignificent, videatur ſupra n. 71. Apud Davidem, "*Regna terræ pſallite Domino, equitanti ſuper Cælo Cæli antiquitatis; ecce dabit in voce vocem roboris,*" Pſalm. lxviii. 33, 34. Apud Johannem, "*Dico vobis, quod veniet hora, quando mortui audient vocem Filii hominis, et qui audient, vivent,*" v. 25. Apud Joelem, "*Jehovah ex Hieroſolyma dabit vocem ſuam, ut contremiſcant Cæli et terra,*" iv. 6; apud Eundem, "*Jehovah edidit vocem ſuam coram exercitu ſuo, quia innumerus qui facit Verbum Ipſius,*" ii. 11; quod Divinum Verum hic ſit vox Jehovæ, patet, præter plurimis aliis in locis.

262. Tanquam tubæ loquentis mecum, quod ſignificet claram et manifeſtam, conſtat ex ſignificatione tubæ, quod ſit Divinum Verum e Cœlo manifeſtatum

et revelatum, de qua ſupra n. 55: vox quæ e Cœlo auditur apud illos qui in ſpiritu ſunt, auditur ſolito ſicut vox humana; ſed quod ſicut tuba loquens, erat quia clare et manifeſte perceptum erat ab Angelis, et quod clare et manifeſte ab illis percipitur, hoc cadit ſonore in auditum ſpiritus; et hoc factum eſt apud Johannem, ut excitaret ejus attentionem, et inde viſum, ne aliquid ei in obſcuro eſſet: hoc intelligitur per vocem tubæ etiam aliis in locis, ut Matth. xxiv. 31. Sachar. ix. 14. Pſalm. xlvii. 6. Apoc. Cap. viii. 2, 7, 8, 13. Cap. ix. 1, 13, 14. Cap. x. 7. Cap. xviii. 22; et alibi.

263. Dicebat, aſcende huc, quod ſignificet elevationem mentis et attentionem, conſtat ex ſignificatione aſcendere, cum de auditione a Divino, quod ſit elevatio mentis, de qua n. 3804, 4539, 4969, 5406, 5817, 6007; quod etiam ſit attentio, eſt quia cum elevatur mens, fit attentio; ſunt enim homini quoad cogitationem et voluntatem interiora et exteriora, interiora ſunt illa quæ Interni hominis, exteriora ſunt quæ Externi; interiora quæ ſunt Interni hominis, ſunt in Mundo ſpirituali, quare illa quæ ibi ſunt ſpiritualia; exteriora autem ſeu quæ ſunt Externi hominis, ſunt in Mundo naturali, et illa quæ ibi ſunt naturalia; hæc quia ſunt exteriora et illa interiora, ideo per aſcendere ſignificatur elevatio verſus interiora, ſeu elevatio mentis: ſed de hac Elevatione videantur quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 33, 34, 38, 92, 499, 501, oſtenſa ſunt, et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 36 ad 53.

264. Et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac, quod ſignificet inſtructionem de illis quæ ultimo tempore Eccleſiæ exiſtent, conſtat ex ſignificatione oſtendere, quod ſit inſtruere ad vivum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione quæ oportet fieri poſthac, quod ſit quæ exſtitura ſunt ultimo tempore Eccleſiæ; quod illa ſignificentur, eſt quia in nunc ſequentibus agitur de ſtatu Cœli et Eccleſiæ mox ante ultimum Judicium, et poſtea de ipſo Judicio; et quia hoc exſtiturum erat, quando finis Eccleſiæ eſt, ideo per illa ſignificantur quæ exſtitura ultimo tempore Eccleſiæ: quod ultimum Judicium exiſtat quando finis Eccleſiæ eſt, et quod exſtiterit, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 33 ad 39, et 45 ad 52. Quod oſtendam tibi ſignificet inſtructionem ad vivum de illis, eſt quia omnia quæ oſtenſa ſunt continent illa, latent enim recondita in repræſentativis in Apocalypſi deſcriptis, at patent coram Angelis, et quoque coram hominibus qui ſciunt ſenſum ſpiritualem Verbi.

265. Verſ. 2 and 6 med. *Et ſtatim factus ſum in ſpiritu; et ecce Thronus poſitus in Cælo, et ſuper Throno Sedens. Et Sedens erat ſimilis aſpectu lapidi jaſpidi et ſardio, at iris circuitus Throni ſimilis aſpectu ſmaragdo. Et circum Thronum throni viginti et quatuor; et ſuper thronis vidi viginti et quatuor ſeniores ſedentes, circumamictos veſtibus albis, et habebant ſuper capitibus ſuis coronas aureas. Et e Throno prodibant fulgura et tonitrua et voces; et ſeptem lampades ignis ardentes coram Throno, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in conſpectu Throni mare vitreum ſimile chryſtallo.* Et ſtatim factus ſum in ſpiritu, ſignificat ſtatum ſpiritualem cum revelatio: et ecce Thronus poſitus in Cœlo, et ſuper Throno ſedens, ſignificat Dominum quoad ultimum Judicium: et Sedens erat ſimilis aſpectu lapidi jaſpidi et ſardio, ſignificat apparentiam Domini quoad Divinum Verum pellucens ex Divino Bono Divini Amoris: et iris circuitus throni ſimilis aſpectu ſmaragdo, ſignificat apparentiam Divini Veri in Cœlis

circum Dominum: et circum Thronum throni viginti et quatuor, et ſuper thronis viginti et quatuor ſeniores, ſignificat omnia vera ex bono in Cœlis ſuperioribus a Domino ordinata ante judicium: circumamictos veſtibus albis, ſignificat omnia vera ex bono in Cœlis inferioribus: et habebant ſuper capitibus ſuis coronas aureas, ſignificat omnia vera in ordinem diſpoſita ex Divino Bono, ita quoque omnes cœlos priores: et e Throno prodibant fulgura, tonitrua et voces, ſignificat illuſtrationem, intellectum et perceptionem Divini Veri in Cœlis: et ſeptem lampades ignis ardentes coram Throno, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei, ſignificat ipſum Divinum Verum unitum Divino Bono procedens ex Divino Amore Domini: et in conſpectu Throni Mare vitreum ſimile chryſtallo, ſignificat apparentiam Divini Veri in ultimis, ubi communia ejus, pellucentis ab influxu Divini Veri uniti Divino Bono in primis.

266. Et ſtatim factus ſum in ſpiritu, quod ſignificet ſtatum ſpiritualem cum revelatio, conſtat ex illis quæ ſupra n. 53 dicta et oſtenſa ſunt, ubi ſimiliter dicitur, quod factus ſit in ſpiritu.

267. Et ecce Thronus poſitus in Cœlo, et ſuper Throno ſedens, quod ſignificet Dominum quoad Ultimum Judicium, conſtat ex ſignificatione Throni, quod in genere ſit Cœlum, in ſpecie Cœlum ſpirituale, et abſtracte Divinum Verum procedens a Domino; quod etiam ſignificet Judicium, eſt quia omnes judicantur ex Divino Vero, et quoque omnes in Cœlo, de qua ſupra n. 253: quod Sedens ſuper Throno ſit Dominus, patet. Quod Domino Soli ſit judicium, etiam Ipſe docet apud Matthæum, “*Quando venerit Filius hominis in gloria ſua, et omnes ſancti Angeli cum Ipſo, ſedebit ſuper Throno gloriæ ſuæ, ac congregabuntur ante Ipſum omnes Gentes, et ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſeparat oves ab hircis,*” xxv. 32, 33, ſeq.: et apud Johannem, “*Non Pater judicat quenquam, ſed judicium omne dedit Filio; poteſtatem dedit judicium facere, quia Filius hominis eſt,*” v. 22, 27; quoniam nemo judicatur ex Divino Bono, ſed ex Divino Vero, ideo dicitur quod Pater non judicet quenquam, ſed Filius, quia Filius hominis eſt, Pater enim ſignificat Divinum Bonum, ac Filius hominis Divinum Verum procedens; quod Pater ſignificet Divinum Bonum, videatur ſupra n. 254; et quod Filius hominis Divinum Verum procedens, etiam ſupra n. 53 et 151. Quod Thronus hic ſignificet judicium, eſt quia agitur in hoc Capite de ordinatione omnium ad Judicium, videatur ſupra n. 258.

268. Et ſedens erat ſimilis aſpectu lapidi jaſpidi et ſardio, quod ſignificet apparentiam Domini quoad Divinum Verum pellucens a Divino Bono Divini Amoris, conſtat ex ſignificatione Sedentis ſuper Throno, quod ſit Dominus quoad ultimum Judicium, de qua mox ſupra n. 267; ex ſignificatione ſimilis aſpectu, quod ſit apparentia; ex ſignificatione lapidis jaſpidis, quod ſit ſpiritualis amor veri, de qua ſequitur; et ex ſignificatione lapidis ſardii, quod ſit cœleſtis amor boni; ita per lapidem jaſpidem et ſardium, quibus Dominus ſimilis aſpectu apparebat, ſignificatur Divinum Verum pellucens ex Divino Bono Divini Amoris. Quod jaſpis ſignificet Divinum Amorem Veri ſeu Divinum Verum procedens, conſtat ex locis in Verbo ubi nominatur, ut Exod. xxviii. 20; et Ezech. xxviii. 13; tum in Apocalypſi, “*Luminare Sanctæ Hieroſolymæ ſimile lapidi pretioſiſſimo, ſicuti lapidi Jaſpidi, inſtar chryſtalli ſplendenti,*”

denti," xxi. 11; per luminare ſanctæ Hieroſolymæ ſignificatur Divinum Verum Eccleſiæ lucens, luminare ipſum verum lucens, et Hieroſolyma Eccleſia quoad doctrinam; hoc aſſimilatur lapidi jaſpidi, quia jaſpis ſimile ſignificat: et alibi, "*Structura Muri Sanctæ Hieroſolymæ erat Jaſpis, et urbs aurum purum ſimile vitro puro,*" xxi. 18; murus Sanctæ Hieroſolymæ dicitur ex Jaſpide, quia per murum ſignificatur Divinum Verum tutans: et quia per murum id ſignificatur, ideo primus lapis fundamentorum ejus dicitur Jaſpis, Verſ. 19, fundamentum ſignificat verum ſuper quo fundatur Eccleſia. Dicitur etiam Sardius, quoniam per illum lapidem ſignificatur bonum, hic Divinum Bonum quia de Domino; eſt hic lapis qui vocatur pyropus, qui quia ſicut ex igne lucet, per utrumque ſignificatur tranſlucentia veri ex bono: quod omnes Lapides pretioſi ſignificent vera Cœli et Eccleſiæ ex bono, videatur n. 114, 9863, 9865, 9868, 9873; inde eſt, quod in Pectorali Aharonis, quod vocatur Urim et Thumim, poſiti fuerint duodecim Lapides pretioſi, et per illos data reſponſa, et hoc per exſplendeſcentiam, et ſimul tunc per rei interrogatæ perceptionem, aut per vivam vocem, videatur n. 9905.

269. Et iris circuitus Throni ſimilis aſpectu ſmaragdo, quod ſignificet apparentiam Divini Veri in Cœlis circum Dominum, conſtat ex ſignificatione iridis ſimilis aſpectu ſmaragdo, quod ſit apparentia Divini Veri in ſua circumferentia, iris enim circuitus Throni ſignificat Divinum Vetum circum circa, ſimilis aſpectu ſignificat apparentiam; quod apparentia fuerit inſtar ſmaragdi, erat quia indicabat ultimum Judicium, color enim hujus lapidis eſt viridis, et viride ſignificat verum obſcuratum; Divinum Verum in ſuo ſplendore apparet vel colore cœleſti, vel colore vario in pulchro ordine ſicut Iris; at cum obſcuratur, apparet colore ſmaragdino; erat Cœlum, quod vocatur prius Cœlum, ſuper quo Judicium, et quod periturum, de quo Apoc. xxi. 1, quod obſcurabat; inde eſt quod dicatur Iris, et ejus circuitus ſimilis ſmaragdo. Quod Iris ſignificet Divinum Verum in Cœlis in ſuo ordine et inde in ſua pulchritudine, eſt quia infinitæ varietates Veri ex bono in Cœlis ſunt, et cum illæ repræſentantur per colores, ſiſtunt aſpectum pulcherrimæ Iridis; inde eſt, quod Iris facta ſit ſignum fœderis poſt diluvium, Geneſ. viii. 12 ad 17: quod in Cœlis infinitæ Varietates ſint, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 56, 405, 418, 486; et in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 13; et in Arcanis Cœlestibus, n. 684, 690, 3744, 5598, 7236, 7833, 7836, 9002: quod Colores in Cœlo appareant ex luce ibi, et quod ſint ejus modificationes et variegationes, n. 1042, 1043, 1053, 1624, 3993, 4530, 4922, 4742; et quod colores appareant varii ſecundum varietates ſtatuum veri ex bono, et inde intelligentiæ et ſapientiæ, n. 4530, 4922, 4677, 9466: quod Irides in Cœlo appareant, unde et quid, n. 1042, 1043, 1623, 1624, 1625.

270. Et circum Thronum throni viginti et quatuor, et ſuper thronis vidi viginti et quatuor ſeniores ſedentes, quod ſignificet omnia vera ex bono in Cœlis ſuperioribus a Domino ordinata ante Judicium, conſtat ex ſignificatione Throni ſuper quo ſedens, quod ſit Dominus quoad ultimum Judicium, de qua mox ſupra, n. 267, et quod Thronus ſignificet Judicium, n. 253; ex ſignificatione viginti quatuor thronorum circum illum, et viginti quatuor ſeniorum

ſuper illis, quod ſint omnia vera cœli in complexu ordinata ante judicium, viginti quatuor ſignificant omnia, ac throni judicium, ac ſeniores illos qui in veris ex bono ſunt, et abſtracte vera ex bono; quod cœli ſuperiores hic intelligantur, eſt quia omnes ibi in veris ex bono amoris ſunt, et quia in mox ſequentibus dicitur de Cœlis inferioribus: quod viginti quatuor ſignificent omnia, eſt quia ille numerus ſimile ſignificat cum numero duodecim, et duodecim ſignificant omnia et prædicantur de veris, videatur n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913; quod numerus viginti quatuor ſimile ſignificet cum numero duodecim, eſt quia ille eſt duplus ejus, et duplum ſignificat ſimile cum illo a quo per multiplicationem exſurgit, n. 5291, 5335, 5708, 7973. Simile quod hic ſignificatur per thronos, ſuper quibus ſeſſuri duodecim Apoſtoli, de quibus apud Matthæum, "*Vos qui ſequuti eſtis Me in regeneratione, quum ſederit Filius hominis ſuper Throno gloriæ ſuæ, ſedebitis et vos ſuper thronis judicantes duodecim Tribus Iſraelis,*" xix. 28. Luc. xxii. 30; per duodecim apoſtolos ſignificantur omnia vera in complexu: ſimiliter in ſequentibus in Apocalypſi, "*Vidi thronos, et conſederunt ſuper illis, et judicium datum eſt illis,*" xx. 4; quod judicium datum ſit illis qui ſederunt ſuper thronis, ſignificat quod judicium ſit ſoli Domino, nam per ſeniores in Verbo ſignificantur omnes qui in veris ex bono ſunt, et abſtracte vera ex bono ex quibus judicium: qui credit quod in Verbo per Seniores et per Apoſtolos intelligantur Seniores et Apoſtoli, multum fallitur; in ſpirituali ſenſu Verbi non aliquæ perſonæ percipiuntur, ſed res abſtracte a perſonis, nam ſpirituale non aliquid commune habet cum perſonis, aliter in ſenſu literæ Verbi, qui eſt naturalis, in hoc ſenſu non modo nominantur perſonæ, ſed etiam idea perſonæ ineſt multis vocibus, ob cauſam ut Verbum ſit in ſuis ultimis naturale, et ſic baſis ſenſui ſpirituali: cum ſignificatione ſeniorum ſimile eſt ac cum ſignificatione Infantum, Puerorum, Juvenum, Senum, Virginum, Mulierum, et plurium ejus generis; hæ et illi non comprehenduntur in naturali ſenſu aliter in idea quam ut perſonæ, ſed in ſenſu ſpirituali per Infantes intelligitur Innocentia, per Pueros charitas, per Juvenes intelligentia, per Senes ſapientia, per Virgines affectio veri et boni, et per Mulieres bona quæ Eccleſiæ, et ſic in cæteris: ſimile eſt cum naturali et ſpirituali ſenſu Proximi, in naturali ſenſu per Proximum intelligitur quivis homo, ſed in ſpirituali ipſum bonum, verum, ſincerum, juſtum, quæ ſunt in perſona; unuſquiſque qui expendit poteſt ſcire, quod id in ſpirituali ſenſu ſit Proximus, quis enim amat perſonam ex alio; bonum enim et verum faciunt hominem, et faciunt ut homo ametur, et non vultus et corpus. Sed revertamur ab his ad ſignificationem Seniorum: quod per illos ſignificentur vera quæ ex bono, conſtare poteſt a locis in Verbo ubi nominantur; ut apud Eſajam, "*Tunc erubeſcet luna, et pudefiet ſol, et regnabit Jehovah Zebaoth in Monte Zionis et in Hieroſolyma; et coram Senioribus ejus gloria,*" xxiv. 23; per lunam et ſolem intelligitur cultus idololatricus eorum, tum falſum fidei et malum amoris; per montem Zionis et per Hieroſolymam intelligitur Cœlum et Eccleſia; per Seniores intelliguntur vera ex bono, quare etiam dicitur quod coram illis gloria, per gloriam enim ſignificatur Divinum Verum in Cœlo, videatur ſupra n. 34. In Threnis, "*Virgines meæ et juvenes mei iverunt in captivitatem; clamavi ad amatores meos, illi deceperunt*

runt me, et ſeniores mei in urbe exſpirarunt," i. 18, 19; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ, ſuper qua eſt lamentatio, quæ vaſtatio eſt quando non amplius eſt aliqua affectio veri ſpiritualis, et inde non intelligentia in talibus quæ Eccleſiæ, et quando ſic non aliquod verum; per virgines quæ abiverunt in captivitatem intelligitur affectio veri ſpiritualis, per juvenes intelligentia, captivitas eſt remotio ab illis; per ſeniores qui exſpirarunt, intelliguntur vera Eccleſiæ. Apud Ezechielem, "*Senem et Juvenem et Virginem, et Infantem, et Mulieres occidite ad perditionem; e ſanctuario meo incipite, inceperunt ergo a viris Senioribus qui coram domo,*" ix. 6; etiam hic agitur de vaſtatione Eccleſiæ, et per ſenem et juvenem intelligitur ſapientia et intelligentia, per virginem affectio veri et boni, per infantem innocentia, per mulieres bona Eccleſiæ; occidere ad perditionem ſignificat devaſtationem; Sanctuarium a quo inciperent eſt Eccleſia quoad bonum amoris et verum fidei, quæ ſunt viri ſeniores qui coram domo. In Threnis, "*Facies Senum non honoratæ ſunt; ſeniores a porta ceſſarunt, juvenes a cantu ſuo,*" v. 12, 14; ſenes ſignificant ſapientiam quæ eſt boni, ſeniores vera quæ ex bono, juvenes intelligentiam. "*Quod Deus Iſraelis viſus ſit ſub pedibus ſicut opus ſapphiri, Moſi, Aharoni, Nadab et Abihu, ac ſeptuaginta Senioribus; et non reliquis,*" Exod. xxiv. 9, 10, 11, 12, ſignificabat quod Dominus illis ſolum videatur qui in bono ſunt et qui in veris ex bono, videatur explicatio eorum in Arcanis Cœlestibus, n. 9403 ad 9411. Hæc ſunt quæ repræſentabant ſeptuaginta ſeniores Iſraelis, et hæc ſunt quæ ſignificant viginta quatuor Seniores ſuper totidem thronis; et hæc quoque ſunt quæ ſignificant duodecim Apoſtoli, de quibus dicitur quod ſeſſuri ſint ſuper thronis judicantes duodecim Tribus Iſraelis. Quod duodecim Apoſtoli ſignificent omnia vera ex bono, videatur n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397; quod ſimilia duodecim Tribus Iſraelis, n. 3858, 3926, 4060, 6335. Et quod ſimilia ſeniores Iſraelis, n. 6523, 6525, 6890, 7912, 8578, 8585, 9376, 9404.

271. Circumamictos veſtibus albis, quod ſignificet omnia vera ex bono in cœlis inferioribus, conſtat ex ſignificatione veſtium albarum, quod ſint vera induentia, quæ in ſpecie ſunt vera ſcientifica et cognitiones, de qua ſupra n. 195, 196, 198; et quia in his veris ſunt Cœli inferiores, ideo illi ſignificantur. Quod Veſtes albæ ſignificent Cœlos inferiores, apparere poteſt ſicut alienum illis qui non ſciunt aliquid de apparentiis et repræſentativis in Cœlo; omnes in Cœlis veſtiuntur ſecundum vera, ac vera inferiora correſpondent Veſtibus, et quia Cœli inferiores in his veris ſunt, ideo quoque Veſtes Angelorum in ſuperioribus Cœlis correſpondent illis: ſed hoc arcanum clarius comprehendi poteſt ex illis, quæ de Veſtibus quibus induti ſunt Angeli, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 177 ad 182, dicta et oſtenſa ſunt; tum ex illis quæ repræſentata et ſignificata ſunt per Veſtes Aharonis et Filiorum ejus, de quibus in Arcanis Cœlestibus, n. 9814, 10068; ut et quid per Veſtes Domini cum transformatus, n. 9212, 9216.

272. Et habebant ſuper capitibus ſuis coronas aureas, quod ſignificet omnia vera in ordinem diſpoſita a Divino Bono, ita quoque omnes Cœlos priores, conſtat ex ſignificatione viginti quatuor ſeniorum qui ſuper viginti quatuor thronis amicti veſtibus albis, quod ſint omnia Vera Cœlorum, ita

omnes cœli tam ſuperiores quam inferiores, de qua mox ſupra n. 270, 271; et ex ſignificatione coronæ aureæ, quod ſit Divinum Bonum, ex quo vera, de qua ſequitur: omnia vera cœli et Eccleſiæ ſunt ex Divino Bono; vera quæ non inde ſunt non ſunt vera; vera quæ non ex bono ſunt, ſunt ſicut cruſtæ abſque nucleo, ac ſicut domus in qua non homo habitat, ſed fera; talia etiam ſunt vera quæ fidei vocantur abſque bono charitatis, bonum charitatis eſt bonum a Domino, ita Bonum Divinum: quia nunc ſeniores ſuper thronis ſignificant vera Cœlorum, et coronæ aureæ bonum ex quo illa, ideo ſeniores viſi ſunt cum coronis: ſimile ſignificatur per Coronas Regum, Reges enim in ſenſu repræſentativo ſignificant vera, et coronæ ſuper capitibus eorum ſignificant bonum ex quo vera: quod reges ſignificent vera, videatur ſupra n. 31; inde eſt, quod coronæ ſint ex auro, aurum enim pariter ſignificat bonum, ſupra n. 242. Quod Coronæ ſignificent bonum et inde ſapientiam, et quod vera ſint quæ coronantur, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Germinare faciam cornu Davidi, diſponam lucernam Uncto meo, hoſtes ejus induam pudore, ſed ſuper ipſo florebit corona ejus,*" Pſalm. cxxxii. 17, 18; per Davidem ibi, et per Unctum, intelligitur Dominus, videatur ſupra n. 205; per cornu, Ipſius potentia; lucerna eſt Divinum Verum ex quo Divina intelligentia; per coronam Divinum Bonum ex quo Divina ſapientia et ex quo regimen Ipſius; mala et falſa ſunt hoſtes qui induentur pudore. Apud Eundem, "*Iram exerces cum Uncto tuo, damnaſti in terram uſque coronam Ipſius,*" Pſalm. lxxxix. 40; ibi etiam Unctus pro Domino; ira pro ſtatu tentationum, in quo fuit cum in pugnis cum infernis, lamentatio tunc deſcribitur per iram et damnationem, prout ultima Domini in cruce quod deſereretur; crux enim erat ultima tentationum ſeu pugnarum cum infernis, et poſt ultimam illam induit Divinum Bonum Divini Amoris, et ſic univit Divinum Humanum Ipſi Divino quod in Ipſo. Apud Eſajam, "*In die illo erit Jehovah Zebaoth in coronam ornatus, et in cidarim decoris reliquiis populi ſui,*" xxviii. 5; corona ornatus pro ſapientia quæ eſt boni a Divino; cidaris decoris pro intelligentia quæ eſt veri ex illo bono. Apud Eundem, "*Propter Zionem non tacebo, et propter Hieroſolymam non quieſcam, uſque dum exeat ſicut ſplendor juſtitia ejus, et ſalus ejus ſicut lampas ardeat, et eris corona decoris in manu Jehovæ, et cidaris regni in manu Dei tui,*" lxii. 1, 3; per Zionem et Hieroſolymam intelligitur Eccleſia, per Zionem Eccleſia quæ in bono, et per Hieroſolymam Eccleſia quæ in veris ex illo bono; inde dicitur corona decoris in manu Jehovæ, et cidaris regni in manu Dei; corona decoris eſt ſapientia quæ boni, ac cidaris regni eſt intelligentia quæ veri; et quia per coronam ſignificatur ſapientia quæ boni, ideo dicitur in manu Jehovæ, et quia per cidarim ſignificatur intelligentia quæ veri, ideo dicitur in manu Dei, nam ubi agitur de bono dicitur Jehovah, et ubi de vero dicitur Deus, videatur n. 2586, 2769, 6905. Apud Jeremiam, "*Dic Regi et Dominæ, demittite vos, ſedete, quia deſcendit ornamentum capitis veſtri, corona decoris veſtri,*" xiii. 18; corona decoris pro ſapientia quæ boni, decus eſt Divinum Verum Eccleſiæ, n. 9815. Apud Eundem, "*Ceſſavit gaudium cordis noſtri, converſa eſt in luctum chorea noſtra, cecidit Corona Capitis noſtri,*" Thren. v. 16, 17; corona capitis quæ cecidit pro ſapientia quæ illis qui ab Eccleſia per Divinum Verum, quæ ceſſavit una cum beatitudine interna. Apud Ezechielem, “*Dedit monile ſuper naſum tuum, et inaures ſuper aures tuas, et coronam ornatus ſuper caput tuum,*” xvi. 12 ; agitur ibi de Hieroſolyma quæ eſt Eccleſia, ibi de ejus prima inſtauratione ; per monile ſuper naſum ſignificatur perceptio boni ; per inaures ſuper aures ſignificatur perceptio veri et obedientia ; per coronam ſuper caput ſignificatur ſapientia inde. Apud Hiobum, “*Gloriam a me abſtraxit, et removit coronam capitis mei,*” xix. 9 ; gloria pro intelligentia ex Divino Vero ; corona capitis pro ſapientia inde. In Apocalypſi, “*Vidi, cum ecce Equus albus, et Sedens ſuper illo habens arcum, cui data eſt Corona ; hic exivit vincens et ut vinceret,*” vi. 2 ; Equus albus et Sedens ſuper illo, eſt Dominus quoad Verbum ; arcus eſt doctrina veri per quam pugnatur ; inde patet, quod Corona, quia de Domino, ſit Divinum Bonum, quod induit etiam quoad Humanum, ut victoriæ præmium. Et alibi, “*Poſtea vidi, cum ecce nubes, et ſuper nube ſedens ſimilis Filio hominis, habens ſuper capite ſuo coronam auream, et in manu ſua falcem acutam,*” xiv. 14; nubes alba pro Verbi ſenſu literali, n. 4060, 4061, 5292, 6343, 6752, 8281 ; Filius hominis pro Domino quoad Divinum Verum ; Corona aurea pro Divino Bono ex quo Divinum Verum ; falx acuta pro diſſipatione mali et falſi. Quod Corona ſit Divinum Bonum ex quo Divinum Verum, repræſentabatur per bracteam auri a facie cidaris quæ ſuper Aharonem, quæ bractea etiam vocabatur Corona et Coronamentum, de qua ita in Exodo, “*Facies bracteam auri, et ſculpes ſuper illa ſculptura ſigilli, Sanctitas Jehovæ, et pones illam ſuper filo hyacinthini, et erit ſuper cidari e regione faciei,*” xxviii. 36, 37 ; quod illa bractea dicatur corona ſanctitatis et coronamentum, videatur Exod. xxix. 6. Cap. xxxix. 30. Levit. viii. 9 ; ſed quid per illa in ſpecie ſignificatur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9930 ad 9936, ubi ſingula explicata ſunt.

273. Et e Throno prodibant fulgura et tonitrua et voces, quod ſignificet illuſtrationem, intellectum et perceptionem Divini Veri in Cœlis a Domino, conſtat ex ſignificatione fulgurum, tonitruum et vocum, quod prædicentur de Divino Vero, fulgura de ejus illuſtratione, tonitrua de ejus intellectu, et voces de ejus perceptione ; quod hæc ſignificentur per illa, conſtabit ex locis in Verbo ubi nominantur : ſed primum aliquid dicetur, unde ſignificationes illæ ; omnia quæ in Cœlo aſpectabili coram oculis hominum apparent, Correſpondentiæ ſunt, ſicut ſol, luna, ſtellæ, aer, æther, lux, calor, nubes, nimbi, imbres, et plura ; correſpondentiæ ſunt, quia omnia quæ in naturali mundo ſunt, correſpondent illis quæ in ſpirituali mundo ; ſunt quoque illa correſpondentiæ in Cœlo, ubi Angeli, quoniam apparent illis ſimilia, verum ibi non ſunt naturalia, ſed ſunt ſpiritualia, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO oſtenſa ſunt, ut de Sole et Luna in Cœlo, n. 116 ad 125 : de Luce et Calore in Cœlo, n. 126 ad 140 : et in genere de Correſpondentia Cœli cum omnibus Telluris, n. 103 ad 115 : ac de Apparentiis in Cœlo, n. 170 ad 176 : inde etiam fulgura et tonitrua ſunt correſpondentiæ ; et quia correſpondentiæ ſunt, ideo ſignificant ſimilia quibus correſpondent ; in genere ſignificant Divinum Verum ab angelis ſuperioribus receptum et enuntiatum, quod cum deſcendit ad Angelos inferiores, quandoque apparet ſicut fulgur, et auditur ſicut tonitru cum vocibus ; inde eſt, quod fulgur ſignificet Divinum Verum quoad

illuſtrationem, tonitru Divinum Verum quoad intellectum, et voces Divinum Verum quoad perceptionem: quoad intellectum et quoad perceptionem dicitur, quoniam quod intrat per auditum in mentem, hoc et videtur et percipitur, videtur in intellectu, et percipitur per communicationem cum voluntate; quid proprie perceptio, qualis eſt Angelis in Cœlo, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 140. Inde nunc eſt, quod fulgura et tonitrua in Verbo ſignificent Divinum Verum quoad illuſtrationem et quoad intellectum, ut conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Redemiſti brachio populum tuum, ſtillarunt aquas nubes, vocem dederunt ætheres, etiam tela tua iverunt; vox tonitrui tui in orbem, illuſtrarunt fulgura orbem,*" Pſalm. lxxvii. 16, 18, 19; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ; et per ſtillarunt aquas nubes, ſignificantur vera ex ſenſu literæ Verbi; per vocem dederunt ætheres ſeu nubes ſuperiores, ſignificantur vera ex ſenſu ſpirituali Verbi; per tela quæ iverunt intelliguntur fulmina, ex quibus apparent ſicut ſagittæ ex arcu, et quæ adſunt cum tonitrua et fulgura, et per illa ſignificantur Divina Vera; per vocem tonitrui in orbem, ſignificatur Divinum Verum quoad perceptionem et intellectum in Eccleſia; et per illuſtrarunt fulgura orbem, ſignificatur quoad illuſtrationem inde; orbis eſt Eccleſia. Apud Eundem, "*Ignis coram Jehovah ibit, et inflammabit circumcirca hoſtes ejus; illuſtrabunt fulgura Ipſius orbem,*" Pſalm. xcvii. 3, 4; ex his quoque patet, quod fulgura ſignificent Divinum Verum quoad illuſtrationem, nam dicitur illuſtrabunt fulgura orbem. Apud Jeremiam, "*Factor terræ per virtutem ſuam, præparat orbem per ſapientiam ſuam, et per intelligentiam ſuam extendit Cælos; ad vocem quam dat Ille multitudo aquarum in Cœlis, et aſcendere facit vapores a fine terræ, fulgura pluviæ facit,*" x. 12, 13. Cap. li. 16. Pſalm. cxxxv. 7, 8; etiam hic agitur de inſtauratione Eccleſiæ; quod per vocem tonitrui ſignificetur Divinum Verum quoad perceptionem et intellectum, et per fulgura illud quoad illuſtrationem, conſtare poteſt ex eo quod dicatur, quod Factor terræ præparet orbem per ſapientiam ſuam, et extendat Cœlos per intelligentiam ſuam; et mox, quod ad vocem, quam dat, multitudo aquarum in Cœlis, et quod fulgura pluviæ faciat; terra et orbis ſignificant Eccleſiam; aquæ in cœlis ſignificant vera ſpiritualia; pluviæ illa cum deſcendunt et fiunt naturalia; illuſtratio eorum ſignificatur per fulgura. In Libro II Samuelis, "*Tonuit de Cœlo Jehovah, et Altiſſimus dedit vocem ſuam, et miſit tela et diſperſit eos, fulgur et confudit,*" xxii. 14, 15; tonitrua hic exprimuntur per tonare e Cœlo et per dare vocem, fulmina volantia per tela, et per hæc et per illa ſignificantur Divina vera, et per fulgur eorum lux, quæ ſicut vivificant et illuſtrant bonos, ita perterrefaciunt et occæcant malos, quod intelligitur per quod miſit tela et diſperſit eos, ac fulgur et confudit; mali enim non ſuſtinent Divina vera, et prorſus non aliquam lucem e cœlo, quare ad præſentiam eorum aufugiunt. Similiter apud Davidem, "*Tonavit in Cœlis Jehovah, et Altiſſimus dedit vocem ſuam, et miſit tela ſua et diſperſit eos, et fulmina multa et conturbavit illos,*" Pſalm. xviii. 14, 15: et alibi, "*Fulgurando fulgura et diſperge illos, mitte tela tua et conturba illos,*" Pſalm. cxliv. 6. Quod Tonitrua et Fulgura ſignificent Divinum Verum quoad intellectum et quoad illuſtrationem, conſtat adhuc a ſequena ſequentibus his locis; apud Davidem, "*In anguſtia invocaſti, et eripui te, reſpondi tibi in occulto, tonitru,*" Pſalm. lxxxi. 8. In Apocalypſi, "*Audivi unum ex quatuor animalibus, dicens tanquam vocem tonitrui, veni et aſpice,*" vi. 1: alibi, "*Accepit Angelus thuribulum, et implevit illud ex igne Altaris, et abjecit in terram, et facta ſunt tonitrua, voces et fulgura,*" viii. 5: alibi, "*Angelus clamavit voce magna ſicut leo, et cum clamavit, loquuta ſunt ſeptem Tonitrua voces ſuas,*" x. 3, 4: alibi, "*Apertum eſt Templum Dei in Cœlo, et viſa eſt Arca fœderis in Templo, et facta ſunt fulgura et voces et tonitrua,*" xi. 19: alibi, "*Audivi vocem e Cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam ſonum tonitrui magni,*" xiv. 2: et alibi, "*Audivi ſonitum turbæ multæ, et tanquam ſonitum aquarum multarum, tanquam ſonitum Tonitruum vehementium, dicentium Halleluja, quia Regnum cepit Dominus Deus noſter omnipotens,*" xix. 6. Quoniam Tonitrua et Fulgura ſignificant Divina vera, ideo etiam cum Jehovah deſcendit ſuper monte Sinai ut promulgaret illa, "*erant voces, et fulgura, et quoque vox buccinæ,*" Exod. xix. 16; quod vox buccinæ ſignificet Divinum Verum quoad revelationem, videatur ſupra n. 55, 262. Vox e Cœlo ad Dominum, audita ut tonitru, Joh. xii. 28, 29. Quod Jacobus et Johannes vocati Boanerges filii tonitrui, Marc. iii. 14, 17.

274. Et ſeptem Lampades ignis ardentes coram Throno, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei, quod ſignificet ipſum Divinum Verum unitum Divino Bono procedens ex Divino Amore Domini, conſtat ex ſignificatione ſeptem, quod ſint omnia in complexu; ex ſignificatione lampadum igne ardentium coram Throno, quod ſint Divinum Verum unitum Divino Bono procedens a Divino Amore Domini; lampades enim ſignificant vera, inde ſeptem lampades omne verum in complexu, quod eſt Divinum Verum, et ignis ſignificat bonum amoris; et quia lampades viſæ erant ardentes coram Throno ſuper quo Dominus, ſignificatur quod illud ex Domino. Quia per ſeptem Spiritus Dei, ſignificantur omnia vera Cœli et Eccleſiæ a Domino, ut ſupra n. 183 oſtenſum videatur, ideo dicitur, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Quod ſeptem ſignificent omnia, videatur ſupra n. 256: quod ignis ſignificet bonum amoris, n. 934, 4906, 5215, 6314, 6832, 10055. Quod lampades ſignificent vera, quæ vera fidei vocantur, conſtare poteſt ex his locis in Verbo; apud Davidem, "*Lampas pedi meo Verbum tuum, et lux ſemitæ meæ,*" Pſalm. cxix. 105; Verbum dicitur lampas, quia eſt Divinum Verum. Apud Eundem, "*Tu illuminas lampadem meam, Jehovah Deus ſplendere facit tenebras meas,*" Pſalm. xviii. 17; illuminare lampadem ſignificat illuſtrare intellectum per Divinum Verum; et ſplendere facere tenebras, ſignificat diſſipare luce veri falſa ignorantiæ. Apud Lucam, "*Sunto lumbi veſtri cincti, et lampades lucentes,*" xii. 35; per lumbos qui erunt cincti, ſignificatur bonum amoris, videatur n. 3021, 4280, 4462, 5050, 5051, 5052, 9961; et per lampades lucentes, ſignificantur vera fidei ex bono amoris. Apud Matthæum, "*Lucerna corporis eſt oculus; ſi oculus bonus, totum corpus eſt lucidum; ſi oculus malus, totum corpus eſt obtenebratum; ſi ergo lumen tenebræ, quantæ tenebræ,*" vi. 22, 23; Oculus dicitur hic lucerna ſeu lampas lucens, quia oculus ſignificat intellectum veri, et inde quoque verum fidei; et quia intellectus omne ſuum trahit a voluntate, nam qualis hæc talis ille, ſicut

verum fidei omne ſuum trahit a bono amoris; quando itaque intellectus veri eſt a bono voluntatis, tunc totus homo eſt ſpiritualis; hoc ſignificatur per ſi oculus bonus, totum corpus eſt lucidum: contrarium autem eſt, cum intellectus formatur ex malo voluntatis, quod tunc ille ſit in meris falſis ſignificatur per ſi oculus tuus malus totum corpus eſt obtenebratum, ſi ergo lumen tenebræ, tenebræ quantæ. Quod oculus ſignificet intellectum, videatur ſupra n. 152: et quod tenebræ ſignificent falſa, in Arcanis Cœlestibus, n. 1839, 1860, 3340, 4418, 4531, 7688, 7711, 7712. Qui non ſcit, quod Oculus ſignificet intellectum, ſenſum iſtorum verborum nullatenus capit. Apud Jeremiam, " *Abrogabo iis vocem gaudii et vocem lætitiæ, et vocem ſponſi et vocem ſponſæ, vocem molarum et lucem lampadis,*" xxv. 10; abrogare vocem gaudii et vocem lætitiæ, ſignificat interiorem felicitatem ex bono amoris et veris fidei; abrogare vocem ſponſi et vocem ſponſæ, ſignificat omnem conjunctionem boni et veri, quæ facit Cœlum et Eccleſiam apud hominem; abrogare vocem molarum et lucem lampadis, ſignificat doctrinam charitatis et fidei; quid mola et molere, videatur n. 4335, 7780, 9995, 10303: ſimiliter in Apocalypſi, " *Lux lucernæ non lucebit in Babylone amplius, et vox ſponſi et ſponſæ non audietur ibi amplius,*" xviii. 23. Apud Eſajam, " *Salus veſtra ſicut lampas ardeat,*" lxii. 1, ſignificat ut verum fidei ſit ex bono amoris. Apud Matthæum, " *Regnum cælorum ſimile eſt decem virginibus, quæ accipientes lampadas exiverunt in occurſum Sponſi: quinque ſtultæ acceperunt lampadas ſed non oleum, quinque autem prudentes acceperunt etiam oleum; quare veniente Sponſo prudentes intrarunt in nuptias, ſtultæ autem non admiſſæ ſunt,*" xxv. 1 ad 8; per lampadas hic ſignificantur vera fidei, et per oleum bonum amoris; quid reliqua hujus Parabolæ ſignificant, videatur ſupra n. 252 fin. ubi ſingula explicata ſunt.

275. Et in conſpectu Throni mare vitreum ſimile Chryſtallo, quod ſignificet apparentiam veri in ultimis, ubi communia ejus, et pellucentiam ab influxu Divini veri uniti Divino Bono in primis, conſtat ex ſignificatione in conſpectu Throni, quod ſit apparentia; ex ſignificatione Maris, quod ſint communia veri, de qua ſequitur; ex ſignificatione vitrei, quod ſit pellucentia; dicitur etiam ſimile Chryſtallo, ut exprimatur pellucentia ex influxu Divini Veri uniti Divino Bono in primis, qui ſignificatur per ſeptem lampadas ignis ardentes coram Throno, ut mox ſupra n. 274 oſtenſum eſt. Deſcribitur in præcedentibus uſque ad hæc ſtatus univerſi Cœli ordinati ad Judicium, ac ultimum ejus per Mare vitreum ſimile chryſtallo: quod ſit Verum Ultimi Cœli, quod per Mare Vitreum ſignificatur, eſt quia Mare ſignificat communia veri, quale verum eſt in ultimis Cœli, et apud hominem in naturali homine, quod Verum ſcientificum vocatur; quod Mare illa ſignificet, eſt quia in mari eſt congregatio aquarum, et per aquas ſignificantur vera, videatur ſupra n. 71. Quod Mare illa ſignificet, conſtat a pluribus locis in Verbo, quorum aliquam copiam volo adducere; apud Eſajam, " *Concludam Ægyptios in manum Domini duri, et rex vehemens dominabitur in eos; tunc deficient aquæ a mari, et fluvius exſiccabitur et exareſcet,*" xix. 4, 5; per Ægyptios ſignificantur ſcientiæ quæ naturalis hominis; per Dominum durum in cujus manum concludentur, ſignificatur malum amoris

ſui; per regem vehementem ſignificatur falſum inde; per quod deficient aquæ ex mari, ſignificatur quod ex omni copia ſcientiarum uſque non vera; et per quod fluvius exſiccabitur et exareſcet, ſignificatur quod nulla doctrina veri, et inde nulla intelligentia. Apud Eundem, "*Viſitabit Jehovah gladio ſuo duro, magno et forti ſuper Leviathanem ſerpentem oblongum, et ſuper Leviathanem ſerpentem tortuoſum, et occidet cetos qui in mari,*" xxvii. 1; hæc quoque de Ægypto, per quam ſignificantur ſcientiæ quæ naturalis hominis; per Leviathanem ſerpentem oblongum ſignificantur illi qui rejiciunt omnia quæ non oculis vident, ita mere ſenſuales, qui abſque fide ſunt quia non comprehendunt; per Leviathanem ſerpentem tortuoſum ſignificantur qui ideo non credunt, et uſque dicunt ſe credere, per gladium durum, magnum et fortem quo viſitabuntur, ſignificatur exſtinctio omnis veri, gladius enim eſt falſum deſtruens verum; per cetos in mari qui occidentur ſignificantur ſcientifica in communi; quod hæc per cetos ſignificentur, videatur n. 7293. Apud Eundem, "*Silent habitatores inſulæ, mercator Zidonis tranſiens mare, impleverunt te: erubeſce Zidon, quia dixit Mare, nunimentum Maris, dicendo non parturivi et non peperi, et non educavi juvenes, adoleſcere feci virgines; cum fama Ægypto, dolore corripientur, ſicut fama Tyri,*" xxiii. 2, 3, 4, 5; per Zidonem et Tyrum ſignificantur cognitiones boni et veri, quare dicitur mercator Zidonis tranſiens mare, mercator eſt qui comparat ſibi illas et communicat; quod nihil boni et veri per illas ſibi comparaverint, ſignificatur per dixit Mare non parturivi nec peperi, non educavi juvenes et adoleſcere feci virgines, parturire et parere eſt producere aliquid ex cognitionibus, juvenes ſunt vera, et virgines ſunt bona; quod inde uſus cognitionum et ſcientiarum periturum ſit, ſignificatur, per cum fama Ægypto dolore corripientur ſicut fama Tyri. Apud Ezechielem, "*Deſcendent deſuper thronis ſuis omnes principes maris, et abjicient amicula ſua, et veſtes acupicturæ ſuæ exuent, terroribus induentur: tollent ſuper te lamentationem, et dicent, quomodo periiſti habitata a maribus, urbs laudata quæ fuit valida in mari, quare perturbabuntur inſulæ in mari ob exitium tuum,*" xxvi. 15 ad 18; hæc de Tyro, per quam ſignificantur cognitiones veri, harum neglectus et jactura ita deſcribitur; principes maris qui deſcendent deſuper thronis ſuis, ſignificant cognitiones primarias; quod relinquentur una cum ſcientificis, ſignificatur per quod abjicient amicula ſua et exuent veſtes acupicturæ ſuæ, acupictura eſt ſcientificum; urbs habitata a maribus, et valida in mari, ſignificat cognitivum in omni copia, maria ſignificant collectiones; inſulæ in mari, ſignificant gentes remotiores a veris, quæ deſiderant cognitiones, de his dicitur, quare perturbabuntur inſulæ in mari ob exitium tuum. Apud Eſajam, "*Non facient malum, neque corrumpent ſe in toto Monte ſanctitatis meæ, quia plena erit terra ſcientia Jehovæ, ſicut aquæ Mare contegunt,*" xi. 9; agitur ibi de novo Cœlo et de nova Eccleſia, quæ ſunt quæ intelliguntur per Montem ſanctitatis, in quo non facient malum, nec ſe corrumpent; intelligentia veri eorum a Domino deſcribitur per quod plena erit terra ſcientia Jehovæ; et quia aquæ ſignificant vera, et Mare plenitudinem eorum, ideo dicitur, ſicut aquæ mare contegunt. Apud Eundem, "*Per increpationem meam exſicco Mare, pono fluvios deſertum, putreſcet piſcis eorum, eo quod non ſit* *aqua, et morietur ſiti,*" l. 2; exſiccare mare ſignificat plenarium defectum cognitionum communium veri; ponere fluvios deſertum, ſignificat deprivationem ab omni vero et inde intelligentia; putreſcet piſcis, ſignificat quod ſcientifica quæ naturalis hominis erunt abſque omni vita ſpirituali, quod fit cum applicantur ad confirmandum falſa contra vera Eccleſiæ; eo quod non ſit aqua, ſignificat quia non aliquod verum; mori ſiti ſignificat veri exſtinctionem. Quod fluvii ſignificent illa quæ intelligentiæ ſunt, videatur n. 108, 2702, 3051: quod deſertum ſignificet ubi non bonum quia non verum, n. 2708, 4736, 7055: quod piſcis ſignificet ſcientificum quod naturalis hominis, n. 40, 991: quod Aqua Verum, n. 2702, 3424, 3058, 5668, 8568: et quod mori ſiti deprivationem vitæ ſpiritualis ex defectu veri, n. 8568 fin. Apud Davidem, "*Jehovah dominaris in elationem Maris, cum attollit fluctus ſuos,*" Pſalm. lxxxix. 10; per Mare hic ſignificatur naturalis homo, quia ibi ſunt communia veri; per elationem ejus ſignificatur cum ſe effert contra Divinum, negando illa quæ Eccleſiæ ſunt; per fluctus quos attollit, ſignificantur falſa. Apud Eundem, "*Jehovah ſuper maria fundavit orbem, et ſuper flumina ſtabilivit eum,*" Pſalm. xxiv. 2; per orbem ſignificatur Eccleſia; per maria cognitiones in communi quæ in naturali homine; per flumina vera fidei; ſuper his et illis fundatur Eccleſia. Apud Amos, "*Jehovah qui ædificat in Cœlis gradus ſuos, et vocat aquas Maris, et effundit eas ſuper facies terræ,*" ix. 6; per gradus quos Jehovah ædificat in Cœlis, ſignificantur interiora vera, quæ vocantur ſpiritualia; per aquas Maris ſignificantur exteriora vera, quæ ſunt naturalia quia in naturali homine; per effundere illas ſuper facies terræ, ſignificatur ſuper homines Eccleſiæ, nam terra eſt Eccleſia. Apud Davidem, "*Per Verbum Jehovæ Cœli facti ſunt, et per ſpiritum oris Ipſius omnis exercitus eorum; colligit ſicut cumulum aquas Maris, dans in theſauris abyſſos,*" Pſalm. xxxiii. 6, 7; Verbum Jehovæ per quod Cœli facti ſunt, et ſpiritus oris per quem exercitus eorum, ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, exercitus cœlorum ſunt omnia amoris et fidei; aquæ maris quas colligit in cumulum, ſignificant cognitiones veri ac vera in communi, quæ ſimul ſunt in naturali homine; abyſſi quos dat in theſauris, ſignificant ſcientifica ſenſualia, quæ ſunt communiſſima et ultima naturalis hominis, et in quibus ſimul ſunt vera interiora ſeu ſuperiora, inde vocantur illa theſauri. Apud Eundem, "*Jehovah fundavit terram ſuper baſibus ejus, ut non dimoveatur in æternum et in perpetuum; abyſſo ſicut veſte obvelaſti eam,*" Pſalm. civ. 5, 6; per terram ſignificatur Eccleſia; baſes ſuper quibus Jehovah fundavit eam in æternum, ſunt cognitiones veri et boni; abyſſus quæ ſicut veſte obvelavit eam, eſt ſcientificum ſenſuale, quod eſt ultimum naturalis hominis, et quia eſt ultimum, dicitur ſicut veſte obvelavit. Apud Eundem, "*Jehovah in Mari via tua, et ſemita tua in aquis multis, veſtigia tamen tua non nota ſunt,*" Pſalm. lxxvii. 20; apud Eſajam, "*Sic dixit Jehovah, qui dedi in mari viam, et in aquis validis ſemitam,*" xliii. 16; quod per mare hic non intelligatur mare, nec per aquas intelligantur aquæ, patet, quia dicitur quod ibi Jehovæ via et ſemita, quare per mare et per aquas intelliguntur talia, in quibus eſt Jehovah ſeu Dominus, quæ ſunt cognitiones veri in communi ex Verbo, et vera ibi, mare ſunt illæ cognitiones, et aquæ ſunt vera; cognitiones et vera in eo differunt, quod cognitiones ſint naturalis hominis, et vera ſpiritualis. Apud Jeremiam, "*Ecce Ego litigans litem tuam, et ulciſcar ultionem tuam, et exſiccem Mare Babelis, et arefaciam ſcaturiginem ejus; aſcendet ſuper Babelem mare, multitudine fluctuum ſuorum obtecta erit*," li. 36, 42; per Babelem intelliguntur qui prophanant bona; Mare Babelis ſunt traditiones eorum, quæ ſunt adulterationes boni ex Verbo; fluctus ſunt falſa eorum; deſtructio eorum, quando ultimum Judicium, deſcribitur per illa verba. Apud Eundem, "*Populus veniens a ſeptentrione, et gens magna, et reges multi excitabuntur a lateribus terræ; vox eorum ſicut Mare tumultuatur, et ſuper equis equitant*," l. 42; populus veniens a ſeptentrione, ſunt qui in falſis ex malo, gens magna ſunt mala, et reges multi ſunt falſa; latera terræ ſunt quæ extra Eccleſiam, et quæ non ſunt Eccleſiæ, terra enim eſt Eccleſia; vox eorum ſicut mare tumultuatur, eſt falſum e naturali homine ſe efferens contra verum Eccleſiæ; equi ſuper quibus equitant, ſunt ratiocinia ex fallaciis ſenſuum. Apud Eundem, "*Jehovah dans ſolem in lucem diei, ſtatuta lunæ et ſtellarum in lucem noctis, commovens Mare ut tumultuentur fluctus ejus*," xxxi. 35; per ſolem ex quo lux diei, ſignificatur bonum amoris cœleſtis ex quo perceptio veri; per ſtatuta lunæ et ſtellarum ex quibus lux noctis, ſignificantur vera ex bono ſpirituali, et ex cognitionibus, a quibus intelligentia; per mare quod commovetur, et per fluctus qui tumultuantur, ſignificantur communia veri in naturali homine et ſcientifica. Apud Eſajam, "*Impii ſicut Mare impulſum, quando quieſcere non poteſt, ſed ejiciunt aquæ ejus cœnum et lutum*," lvii. 20; per mare impulſum quod impiis, ſignificantur ratiocinia ex falſis; per aquas quæ ejiciunt cœnum et lutum, ſignificantur ipſa falſa, ex quibus mala vitæ et falſa doctrinæ. Apud Ezechielem, "*Extendam manum meam ſuper Philiſthæos, et exſcindam Keretheos, et perdam reliquias litoris maris*," xxvi. 16; per Philiſthæos ſignificantur qui in doctrina de ſola fide; et per reliquias litoris maris quæ perdentur, ſignificantur omnia veri. Apud Hoſcheam, "*Non revertar ad perdendum Ephraimum, poſt Jehovam ibunt, et cum honore accedent filii a mari, cum honore advenient ſicut avis ex Ægypto, et ſicut columba e terra Aſſyriæ*," xi. 9, 10, 11; per Ephraimum ſignificatur Eccleſia quoad intellectum veri; per filios a mari qui accedent, ſignificantur vera ex communi fonte, qui eſt Verbum; per avem ex Ægypto, ſignificatur ſcientificum concordans; et per columbam ex terra Aſſyriæ, ſignificatur rationale. Apud Sachariam, "*In die illo exibunt aquæ vivæ ex Hieroſolyma, pars earum ad mare orientale, et pars earum ad mare poſterius*," xiv. 7; per aquas vivas ex Hieroſolyma ſignificantur vera ex ſpirituali origine in Eccleſia, quæ vera ſunt quæ recipiuntur ab homine, quando eſt in illuſtratione a Domino cum legit Verbum; Hieroſolyma eſt Eccleſia quoad doctrinam; per mare ſignificatur naturalis homo, in quem deſcendunt illa quæ ſunt in ſpirituali; per mare orientale ſignificatur naturalis homo quoad bonum; et per mare poſterius naturalis homo quoad verum; et quia naturalis homo eſt in communibus veri, ideo per mare etiam communia veri ſignificantur. Qui non ſcit aliquid de ſpirituali homine, ac de veris et bonis quæ ibi, opinari poteſt quod vera quæ in naturali homine, et vocantur cognitiones et ſcientifica, non ſint communia veri, ſed omnia veri quæ apud hominem; at ſciat quod vera in ſpirituali homine, ex quibus illa quæ in naturali, immenſo numero excedant; ſed illa quæ in ſpirituali homine non ad perceptionem naturalis hominis perveniunt, quam cum in ſpiritualem mundum venit, quod fit poſt mortem, tunc enim homo exuit naturale et induit ſpirituale; quod ita ſit, conſtare poteſt ſolum ex eo, quod Angeli ſint in intelligentia et ſapientia ineffabili præ homine, et tamen Angeli ſunt ex Humano Genere; quod Angeli ſint ex Humano Genere, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 14 ad 22, et 23 ad 27. Quia Mare ſignificat communia veri, ideo Vas magnum, quod pro communi Lavatione, vocabatur Mare æneum, 1 Reg. vii. 23 ad 26; lavationes enim repræſentabant purificationes a falſis et malis, et aquæ ſignificant vera per quæ purificationes fiunt; et quia omnia vera ſunt ex bono, ideo continens ejus erat Æs, unde vocatum eſt Mare æneum, Æs enim ſignificat bonum; purificatio ſpiritualis, quæ eſt purificatio a falſis et malis, deſcribitur ibi plene per menſuras illius vaſis, et per baſes ejus, intellectas in ſenſu ſpirituali. Ex his, quæ adducta ſunt, conſtare poteſt, quod per Mare ſignificentur communia veri, ſeu cognitiones veri ſimul et collectim. Quid vero amplius ſignificatur per Mare, patebit in explicatione ſequentium, nam in ſequentibus nominatur Mare in vario ſenſu, ut Apoc. v. 13. Cap. vii. 1, 2, 3. Cap. viii. 8, 9. Cap. x. 2, 8. Cap. xii. 18. Cap. xiii. 1. Cap. xiv. 7. Cap. xv. 2. Cap. xvi. 3. Cap. xviii. 17, 19, 21. Cap. xx. 13. Cap. xxi. 1.

276. Verſ. 6, 7, 8. *Et in medio Throni et circum Thronum quatuor Animalia plena oculis ante et retro. Et Animal primum ſimile leoni, et ſecundum Animal ſimile vitulo, et tertium Animal habens faciem ſicut homo, et quartum Animal ſimile aquilæ volanti. Et quatuor Animalia ſingula per ſe habebant alas ſex in circuitu, et intus plena erant oculis, et requiem non habebant die et nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, Qui erat et Qui eſt et Qui venturus.* Et in medio Throni et circum Thronum quatuor Animalia plena oculis ante et retro, ſignificat Cuſtodiam et Providentiam Domini ne interiores Cœli adeantur niſi a bono amoris et charitatis, ut inferiora quæ inde pendent in ordine ſint: et Animal primum ſimile leoni, ſignificat apparentiam in ultimis quoad potentiam et effectum Divini Veri procedentis a Domino: et ſecundum Animal ſimile vitulo, ſignificat apparentiam in ultimis Divini Boni quoad tutelam: et tertium Animal habens faciem ſicut homo, ſignificat in ultimis apparentiam Divinæ Cuſtodiæ et Providentiæ quoad ſapientiam: et quartum Animal ſimile aquilæ volanti, ſignificat in ultimis apparentiam Divinæ Cuſtodiæ et Providentiæ quoad intelligentiam et quoad circumſpectionem undequaque: et quatuor Animalia ſingula per ſe habebant alas ſex in circuitu, ſignificat apparentiam Divini Spiritualis undequaque circum Divinum Cœleſte: et intus plena erant oculis, ſignificat Divinam Providentiam et Cuſtodiam: et requiem non habebant die et nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſignificat ſanctiſſimum quod procedit a Domino: Dominus Deus Omnipotens, Qui erat et Qui eſt et Qui venturus, ſignificat Qui Infinitus et Æternus.

277. Et in medio Throni et circum Thronum quatuor Animalia plena

oculis ante et retro, quod ſignificet Cuſtodiam et Providentiam Domini ne interiores Cœli adeantur niſi a bono amoris et charitatis, ut inferiora, quæ inde pendent, in ordine ſint, conſtat ex ſignificatione e medio Throni, quod ſit a Domino, ſedens enim ſuper throno erat Dominus, videatur ſupra n. 268; et ex ſignificatione circum Thronum, quod ſint Cœli interiores ſeu ſuperiores, illi enim ſunt circum Dominum proxime; ex ſignificatione quatuor Animalium, quæ erant Cherubi, quod ſint Divina Cuſtodia et Providentia ne cœli interiores ſeu ſuperiores adeantur niſi a bono amoris et charitatis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione oculorum quibus erant plena ante et retro, quod ſint Divina Providentia Domini; oculi enim, cum de homine, ſignificant intellectum, qui eſt viſus ejus internus; cum autem oculi dicuntur de Deo, ſignificant Divinam Providentiam, videatur ſupra n. 68 et 152: et quia per oculos ibi ſignificatur Divina Providentia Domini, ne Cœli ſuperiores adeantur niſi a bono amoris et charitatis, ideo viſi ſunt Cherubi illi pleni oculis ante et retro: quod ex illa Providentia Domini pendeant inferiora, quæ ſunt Cœli inferiores et quoque Eccleſia in terris, ut in ordine ſint, eſt quia Influxus Domini eſt immediatus a Se et quoque mediatus per Cœlos ſuperiores in Cœlos inferiores et in Eccleſiam; quare niſi Cœli ſuperiores in ordine ſint, inferiores nec poſſent in ordine eſſe, de quo Influxu videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 277, 278. Quod Cherubi ſint qui hic intelliguntur per quatuor Animalia, conſtat apud Ezechielem, cui ſimilia viſa ſunt ad fluvium Kebar, quæ deſcribuntur ab illo in Capite i. et Capite x. et in hoc ultimo vocantur Cherubi, Verſ. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 14, 16, 18, 19, et de illis dicitur, "*Suſtulerunt ſe Cherubi; hæc Animalia quæ vidi ad fluvium Kebar. Hæc Animalia quæ vidi ſub Deo Iſraelis ad fluvium Kebar, intellexi quod Cherubi illi,*" Cap. x. 15, 20. Quatuor Animalia, quæ Cherubi, ita deſcribuntur apud illum Prophetam, "*Juxta fluvium Kebar apparuit ſimilitudo quatuor Animalium, quorum hic erat aſpectus: ſimilitudo hominis illis, et quatuor facies cuique, et quatuor alæ cuique illorum: ſimilitudo facierum eorum; facies hominis et facies leonis ad dextram quatuor illis, et facies bovis ad ſiniſtram quatuor illis, ac facies aquilæ quatuor illis: aſpectus eorum ſicut prunæ ignis ardentes juxta aſpectum lampadum: idem incedens inter Animalia, ita ut ſplendor igni, et ex igne exiens fulgur. Super capitibus Animalis Expanſum, juxta ſpeciem Chryſtalli mirabilis: ſuper Expanſo, quod ſuper capite eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo Throni; et ſuper ſimilitudine Throni, ſimilitudo ut aſpectus Hominis ſuper illo: ab aſpectu lumborum Ejus et deorſum vidi quaſi aſpectum ignis, cui ſplendor circumcirca, ſicut aſpectus Iridis quæ eſt in nube; ſic aſpectus ſplendoris Jehovæ circumcirca; hic aſpectus ſimilitudo gloriæ Jehovæ,*" Ezech. i. 5, 6, 10, 13, 22, 26, 27, 28; per hæc Repræſentativa deſcribitur Divinum Domini in Cœlis ſuperioribus, ac Providentia Ipſius ne adeantur niſi a bono amoris et charitatis, et in deſcriptione illa continentur omnia quæ in hoc Capite Apocalypſeos de ordinatione Cœlorum dicta ſunt, et ſignificata per Thronum ſuper quo Sedens ſimilis aſpectu lapidi Jaſpidi et Sardio, per Iridem circum Thronum, per Lampades ignis ardentes coram Throno, et per reliqua, quæ ideo ſingillatim explicare ſuperſedeo: nunc ſolum oſtendetur, quod per

Cherubos in Verbo ſignificentur Cuſtodia et Providentia Domini ne Cœli ſuperiores adeantur niſi a bono amoris et charitatis, ut inferiora in ordine ſint. Hoc patet evidenter ex Cherubis poſitis ante Hortum Edenis, quando homo inde expulſus eſt; de quibus ita apud Moſen, "*Cum Jehovah Deus expuliſſet hominem, habitare fecit ab oriente Edenis Cherubos, et flammam gladii hinc inde vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam arboris vitæ,*" Geneſ. iii. 24; quid per hominem et ejus uxorem in iis Capitibus intelligitur, videatur explicatum in ARCANIS CŒLESTIBUS; quod nempe per hominem ibi intelligatur Eccleſia Antiquiſſima, quæ erat Eccleſia Cœleſtis; et Eccleſia Cœleſtis diſtinguitur ab Eccleſia ſpirituali in eo, quod illa ſit in bono amoris in Dominum, hæc autem in bono charitatis erga proximum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28; ex hominibus qui faciunt binas illas Eccleſias in terris formantur bini Cœli ſuperiores: quando itaque Eccleſia Cœleſtis, quæ fuit Antiquiſſima et primaria in hac Tellure, declinavit et incepit recedere a bono amoris, tunc dicitur quod Cherubi habitare facti ſint ab Oriente Edenis et flamma gladii vertentis ſe hinc inde, ad cuſtodiendum viam ad arborem vitæ; et per Orientem Edenis ſignificatur ubi intrat bonum amoris cœleſtis; per flammam gladii vertentis ſe hinc inde, ſignificatur Verum ex illo bono tutans; et per Arborem vitæ ſignificatur Divinum quod a Domino in Cœlis ſuperioribus, quod eſt bonum amoris et charitatis et inde gaudium cœleſte: inde patet, quod per Cherubos ſignificentur Cuſtodiæ ne adeantur illi Cœli niſi per bonum amoris et charitatis, quare etiam de illis dicitur, ad cuſtodiendum viam arboris vitæ. Quod Oriens ſignificet bonum amoris, videatur n. 1250, 3708: quod Eden ſapientiam inde, n. 99, 100: quod Gladius ſignificet verum pugnans contra falſum et id diſpergens, ita verum tutans, n. 73, 131: quod Flamma Verum ex bono cœleſti, n. 3222, 6832, 9570: quod Arbor vitæ ſit bonum amoris a Domino, et inde gaudium cœleſte, ſupra n. 109, 110. Quia hoc ſignificatur per Cherubos, ideo bini Cherubi ex auro ſolido poſiti fuerunt ſuper Propitiatorio quod ſuper Arcam, de quibus ita apud Moſen, "*Facies Cherubos, ex Auro ſolido facies illos, a duabus extremitatibus Propitiatorii, ex Propitiatorio facies Cherubos: et ſint Cherubi expandentes alas ſurſum, obtegentes alis ſuis Propitiatorium; verſus Propitiatorium erunt facies Cheruborum; et dabis Propitiatorium ſuper Arcam; conveniam te ibi, et loquar tecum inter duos Cherubos,*" Exod. xxv. 18 ad 22. Cap. xxxvii. 7, 8, 9; per Arcam et Tentorium repræſentabantur Cœli ſuperiores, per Arcam, in qua Teſtimonium ſeu Lex, repræſentabatur Cœlum Intimum ſeu Tertium; per Habitaculum quod extra Velum, Cœlum Medium ſeu Secundum; per Propitiatorium auditio et receptio omnium cultus quæ ex bono amoris et charitatis; per Cherubos cuſtodiæ, ac per aurum ex quo illi, bonum amoris; inde etiam patet, quod bini Cherubi repræſentaverint cuſtodias ne adeantur Cœli ſuperiores niſi per bonum amoris et charitatis. Quod per Tabernaculum in genere repræſentatum ſit Cœlum ubi Dominus, videatur n. 9457, 9481, 10545: per Arcam intimum ſeu tertium Cœlum, n. 3478, 9485: per Teſtimonium ſeu Legem in Arca Dominus quoad Verbum, n. 3382, 6752, 7462: quod per Habitaculum quod extra velum Cœlum medium ſeu ſecundum, n. 3478, 9457, 9481, 9485, 9594, 9596, 9632: quod per Propitiatorium auditio et receptio omnium cultus quæ ex bono amoris et charitatis a Domino, n. 9506: et quod per aurum, bonum amoris, n. 113, 1551, 1552, 5658, 6914, 6917, 9510, 9874, 9881. Quia illæ Cuſtodiæ per Cherubos ſignificatæ ſunt, ideo etiam "*Cherubi erant ſuper aulæis Habitaculi, et ſuper velo,*" Exod. xxvi. 1, 31: ac ideo "*Salomo fecit in Adyto Templi Cherubos ex ligno olei, et poſuit eos in medio Domus interioris, et obduxit illos auro: et quoque ſculpſit omnes parietes Domus ſculpturis Cheruborum, et quoque ſuper fores,*" 1 Reg. vi. 24 ad 29, 32 ad 35; per Templum etiam ſignificabatur Cœlum et Eccleſia; et per Adytum ejus intimum Cœli et Eccleſiæ; per lignum olei ex quo Cherubi ſignificatur bonum amoris, ſimiliter per Aurum quo obducti erant; per parietes ſuper quibus ſculpti erant Cherubi, ſignificantur ultima Cœli et Eccleſiæ, ac per Cherubos ibi Cuſtodiæ: per fores ſuper quibus etiam erant Cherubi, ſignificatur aditus in Cœlum et Eccleſiam; inde patet, quod Cherubi ſignificaverint Cuſtodias ne adeatur Cœlum niſi per bonum amoris et charitatis; et quia Cherubi ſignificaverunt Cuſtodias illas, etiam ſignificant Divinam Providentiam Domini, nam Cuſtodiæ illæ ſunt a Domino, et ſunt Divina Ipſius Providentia. Quod Templum et Domus Dei ſignificent Cœlum et Eccleſiam, videatur ſupra n. 220; inde Adytum ſignificat intimum eorum: quod lignum olei ſignificet bonum amoris, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 886, 3728, 3454, 9780, 9954, 10261; ſimiliter aurum, ſupra n. 242: quod fores ſignificent aditum et intromiſſionem, etiam ſupra n. 248. Similiter Cherubis ornatum diſcribitur Templum novum, de quo apud Ezechielem, "*Facti Cherubi et palmæ, ita ut palma inter Cherubum et Cherubum: ita factum ad omnem Domum circumcirca a terra uſque ad ſupra oſtium Cherubi et palmæ facti; et paries Templi,*" xli. 18, 19, 20; palma ſignificat bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis, videatur n. 8368. Quoniam Divinum Verum ex Divino Bono protegit, ideo Rex Tyri vocatur Cherubus, per Regem enim ſignificatur Divinum Verum, et per Tyrum cognitiones, et inde per Regem Tyri intelligentia, de quo ita apud Ezechielem, "*Rex Tyri in Eden horto Dei fuiſti; omnis lapis pretioſus tegumentum tuum; tu Cherubus expanſio protegentis, poſui te in monte ſanctitatis Dei, in medio lapidum ignis ambulaveras, perfectus in viis tuis in die quo creatus es,*" xxviii. 12, 14, 15; quod per Regem ſignificetur Divinum Verum, videatur ſupra n. 31; et quod per Tyrum cognitiones, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1201: quod per lapides pretioſos vera et bona Cœli et Eccleſiæ, n. 9863, 9865, 9868, 9873, 9905; qui vocantur lapides ignis, quia ignis ſignificat bonum amoris, n. 934, 4906, 6314, 5215, 6832; quia per Regem Tyri ſignificatur intelligentia ex Divino Vero, et hoc cuſtodit ſeu protegit, ideo Rex Tyri vocatur Cherubus expanſio protegentis. Quoniam non adiri poſſunt Cœli ſuperiores niſi per bonum amoris et charitatis, hoc eſt, per cultum et per preces niſi quæ procedunt ex illo bono, ideo Dominus loquutus eſt cum Moſe et Aharone, cum intraverunt Habitaculum, inter binos Cherubos qui ſuper Arca, Exod. xxv. 22; ut quoque conſtat apud Moſen, "*Quando ingreſſus eſt Moſes in Tentorium conventus, audivit vocem loquentem ad illum* *deſuper Propitiatorio quod ſuper Arca teſtimonii ab inter duos Cherubos,*" Num. vii. 89. Quia eſt Divinum procedens a Domino quod providet et cuſtodit, ideo de Domino dicitur, quod ſedeat ſuper Cherubis, Eſaj. xxxvii. 16. Pſalm. xviii. 10, 11. Pſalm. lxxx. 2. Pſalm. xcix. 1. 1 Sam. iv. 4. 2 Sam. vi. 2. Quoniam in hoc Capite agitur de ordinatione omnium ad Judicium, ideo etiam agitur hic de Cherubis, hoc eſt, de Cuſtodia et Providentia Domini ne Cœli ſuperiores adeantur niſi per bonum amoris et charitatis, nam niſi hoc factum fuiſſet ante Judicium, periclitati fuiſſent ipſiſſimi Cœli in quibus veri Angeli, ex cauſa quia illi Cœli qui perituri, de quibus Apoc. Cap. xxi. 1, non in bono amoris et charitatis fuerunt, ſed modo in aliquibus veris; fuerunt enim ibi ex Chriſtiano Orbe illi qui in Doctrina de ſola fide, quam aliqui confirmarunt ex nonnullis locis e Verbo, et per id aliquam conjunctionem nacti ſunt cum Ultimo Cœlo; ſed conjunctio illa diſrupta eſt, quando id Cœlum, quod Apoc. xxi. 1, vocatur prius Cœlum, diſſipatum eſt; et tunc ordinatum eſt a Domino, ne poſthac aliquis conjungatur Cœlis niſi qui in bono amoris in Dominum et in charitate erga proximum eſt: hoc in ſpecie eſt quod intelligitur per illa quæ nunc ſequuntur in hoc Capite. Qui itaque credit, quod Cœli poſthac adiri poſſint per cultum et per preces ab iis qui in ſola fide ſunt et non ſimul in bono charitatis, multum fallitur; cultus eorum non amplius recipitur nec preces audiuntur, ſed attenditur modo ad amorem vitæ eorum; quare ſi amor ſui et mundi regnat, qualitercunque in cultu externo ſunt, conjuncti ſunt infernis, et quoque illuc poſt mortem feruntur, et non prius ad aliquod Cœlum quod periturum, ut hactenus factum eſt.

278. Et Animal primum ſimile leoni, quod ſignificet apparentiam in ultimis quoad potentiam et effectum Divini Veri procedentis a Domino, conſtat ex ſignificatione leonis, quod ſit Divinum Verum procedens a Domino quoad potentiam et effectum, de qua ſequitur; quod ſit apparentia in ultimis, eſt quia Cherubi viſi ſunt ſicut Animalia, et primum hoc ſimile leoni; in ultimis dicitur, quia apparentia illa erat coram Johanne cum in ſpiritu erat, et is vidit omnia in ultimis, ubi Divina Cœleſtia et Spiritualia repræſentantur vario modo, nunc per hortos et paradiſos, nunc per palatia et templa, nunc per fluvios et aquas, nunc per Animalia varii generis, ut per leones, camelos, equos, boves, juvencos, oves, agnos, columbas, aquilas, et per plura: ſimilia viſa ſunt Prophetis, per quos Verbum conſcriptum eſt, ob cauſam ut Verbum in ſuis ultimis, quæ ſunt quæ continentur in ſenſu literæ ejus, ex talibus quæ ſunt in mundo, quæ repræſentationes et correſpondentiæ cœleſtium et ſpiritualium eſſent, conſiſteret, et ſic ſerviret ſenſui ſpirituali pro baſi et fundamento: ob illam cauſam etiam Cherubi, per quos ſignificatur Cuſtodia et Providentia Domini ne Cœli ſuperiores adeantur niſi quam a bono amoris et charitatis, viſi ſunt Johanni, et quoque Ezechieli quoad facies ut Animalia. Quoniam Dominus eſt qui cuſtodit et providet, et hoc per Divinum Verum et per Divinum Bonum, ita per Divinam ſuam ſapientiam et intelligentiam, ideo viſa ſunt quatuor Animalia, quæ erant ſimilia leoni, vitulo, homini, et aquilæ, ſic

enim per leonem repræſentatum eſt Divinum Verum quoad potentiam, per vitulum Divinum Bonum quoad tutelam, per hominem Divina ſapientia, et per aquilam Divina intelligentia; Divina Domini Providentia quoad cuſtodiam Cœlorum ſuperiorum ne adeantur niſi a bono amoris et charitatis, includit illa quatuor. Quod Leo ſignificet Divinum Verum procedens a Domino quoad potentiam, conſtat a locis in Verbo, ubi nominatur, ut ex ſequentibus; apud Moſen, "*Catulus Leonis Jehudah, a præda aſcendiſti fili mi, curvavit ſe, cubuit ſicut leo vetus, quis excitabit eum,*" Geneſ. xlix. 9; per Jehudam hic ſignificatur Cœleſte Regnum Domini, ubi omnes ſunt in potentia a Domino per Divinum Verum; potentia illa intelligitur per catulum leonis et per veterem leonem; per prædam ex qua aſcendit, ſignificatur diſſipatio falſorum et malorum; per curvare ſe ſignificatur in potentiam ſe mittere; per cubare ſignificatur quod in ſecuro ſit ab omni falſo et malo, quare dicitur quis excitabit eum: quod per Jehudam in Verbo ſignificetur Regnum Cœleſte Domini, videatur n. 3654, 3881, 5603, 5782, 6363: quod per prædam, ubi de illo Regno ac de Domino, ſignificetur diſſipatio falſorum et malorum, ac ereptio et liberatio ab inferno, n. 6368, 6442: quod per curvare ſe, cum de leone, ſignificetur mittere ſe in potentiam, n. 6369: quod per cubare ſignificetur ſtatus ſecuritatis et tranquillitatis, n. 3696. Apud Eundem, "*Hoc tempore dicetur Jacobo et Iſraeli quid fecerit Deus, en populus ſicut vetus leo ſurgit, et ſicut leo juvenis effert ſe, non requieſcet donec comederit rapinam,*" Num. xxiii. 23, 24: et apud Eundem, "*Incurvat ſe, cubat ſicut leo vetus, quis excitabit eum; benedicentes tibi benedictus, maledicentes tibi maledictus,*" Num. xxiv. 9; hic de Jacobo et Iſraele, per quos ſignificatur Regnum ſpirituale Domini, potentia illorum deſcribitur per leonem veterem et juvenem, qui ſurgit, effert ſe, et incurvat ſe; diſſipatio falſorum et malorum ſignificatur per comedere rapinam; et ſtatus ſecuritatis et tranquillitatis per cubare, quis excitabit eum: quod per Jacobum et Iſraelem in Verbo intelligatur Regnum ſpirituale Domini, videatur n. 4286, 4570, 5973, 6423, 8805, 9340. Quid Regnum Cœleſte Domini, et quid Regnum Spirituale Ipſius, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28. Quod incurvare ſe ſit in potentiam ſe mittere, quod præda et rapina ſit diſſipatio falſorum et malorum, et quod cubare ſit ſtatus ſecuritatis et tranquillitatis, cum illa de leone, videatur mox ſupra. Apud Nahum, "*Ubi eſt habitaculum leonum, et paſcuum leonum juvenum, ubi ambulavit leo, vetus leo, catulus leonis, nec terrens,*" ii. 12; per leones etiam hic ſignificantur qui in potentia ſunt per Divinum Verum; per habitaculum eorum ſignificatur ubi tales in Eccleſia; per paſcuum eorum ſignificantur cognitiones veri et boni; per ambulavit nec terrens ſignificatur ſtatus ſecuritatis eorum a falſis et malis. Apud Micham, "*Erunt reliquiæ Jacobi in medio populorum multorum ſicut ros a cum Jehovah, ſicut guttæ ſuper herba, ſicut leo inter beſtias ſylvæ, ſicut leo juvenis inter greges ovium, qui ſi tranſiverit, conculcabit et diſperget, ut non eripiens; exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, et omnes inimici tui exſcindentur,*" v. 6, 7, 8; per reliquias Jacobi ſignificantur vera et bona Eccleſiæ; per rorem a Jehovah ſignificatur verum ſpirituale; per guttam ſuper herba, verum naturale; per leonem inter beſtias ſylvæ et per leonem juvenem inter greges ovium, ac per conculcare et diſpergere ut non eripiens, ſignificatur potentia ſuper mala et falſa; quia hæc ſignificantur, ideo dicitur, exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos et omnes inimici tui exſcindentur, per hoſtes enim ſignificantur mala, et per inimicos falſa, videatur n. 2851, 8289, 9314, 10481. Apud Eſajam, "*Dixit Dominus, abi conſtitue ſpeculatorem, qui ſpectet et nuntiet, et vidit currum, par equitum, currum aſini, currum cameli, et auſcultavit auſcultationem: clamavit leo ſuper ſpecula, Domine, ego ſtans jugiter interdiu, et ſuper cuſtodia mea ego conſtitutus omnibus noctibus; cecidit, cecidit, Babel,*" xxi. 6, 7, 8, 9; agitur ibi de adventu Domini, et de nova Eccleſia tunc; per leonem ſuper ſpecula, ſignificatur cuſtodia et Providentia Domini, quare dicitur, ego ſtans jugiter interdiu, et ſuper cuſtodia mea ego conſtitutus omnibus noctibus; per currum et per par equitum, ſignificatur doctrina veri ex Verbo; et per auſcultare auſcultationem vita ſecundum illam: quod currus ſignificet doctrinam veri, videatur n. 2760, 2762, 5321, 8029, 8215: quod eques ſignificet Verbum quoad intellectum, n. 2760, 6401, 6534, 7024, 8146, 8148. Apud Eundem, "*Quemadmodum rugit Leo et juvenis Leo ſuper rapina ſua, cui occurrit contra illum plenitudo paſtorum, ſic deſcendet Jehovah ad militandum ſuper monte Zionis et ſuper colle ejus,*" xxxi. 4; hic Jehovah comparatur Leoni rugienti, quia per Leonem ſignificatur potentia educendi ab inferno ſeu a malis, et per rugire defenſio contra mala et falſa, quare dicitur, ſic deſcendet Jehovah Zebaoth ad militandum ſuper monte Zionis et ſuper colle ejus; mons Zionis et collis ejus eſt Eccleſia cœleſtis et Eccleſia ſpiritualis; rapina ſuper qua leo et juvenis leo ſignificat liberationem a malis quæ ab inferno. Simile per rugire, cum de Leone, ſignificatur apud Hoſcheam, "*Non revertar ad perdendum Ephraimum, poſt Jehovam ibunt, ſicut Leo rugit,*" xi. 10: apud Amos, "*Leo rugiit, quis non timeat; Dominus Jehovih loquutus eſt, quis non prophetet,*" iii. 8: in Apocalypſi, "*Angelus clamavit vace magna, et ſicut Leo rugiit,*" x. 3: et apud Davidem, "*Leones rugientes ad prædam, et ad quærendum a Deo cibum ſuum, oritur ſol colliguntur, et in habitaculis ſuis recubant,*" Pſalm. civ. 21, 22; deſcribitur per hæc apud Davidem ſtatus Angelorum Cœli, quando non in ſtatu intenſi amoris et inde ſapientiæ ſunt, et quando in illa redeunt; prior ſtatus deſcribitur per leones rugientes ad prædam et ad quærendum a Deo cibum; poſterior ſtatus per oritur ſol colliguntur, et in habitaculis ſuis recubant; per Leones intelliguntur Angeli Cœli, per rugire deſiderium, per prædam et cibum bonum quod eſt amoris et verum quod eſt ſapientiæ, per oriri ſolem Dominus quoad amorem et inde ſapientiam, per colligi redire in ſtatum cœleſtem, et per recubare in habitaculis ſuis ſtatus tranquillitatis et pacis: de binis illis ſtatibus Angelorum Cœli, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 154 ad 161. Quia Jehovah comparatur Leoni ex Divino Vero quoad potentiam, ideo Dominus vocatur Leo in Apocalypſi, "*Ecce vicit Leo, qui eſt ex tribu Jehudæ, radix Davidis,*" v. 5: et quia omnis potentia eſt ex Domino per Divinum Verum, ideo hoc quoque ſignificatur per leonem, ut apud Moſen, "*Gadi dixit, benedictus qui latitudinem dedit Gadi, ſicut Leo habitat, rapit brachium, etiam verticem,*" Deut. xxxiii. 20; per Gadem ſignificatur in ſupremo ſenſu Omnipotentia, et inde in ſenſu repræſentativo potentia quæ eſt Veri, videatur n. 3934, 3935; inde dicitur, benedictus qui latitudinem dedit Gadi, per latitudinem enim ſignificatur Verum, n. 1613, 3433, 3434, 4482, 9487, 10179: quod omnis potentia ſit ex Divino Vero, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, in Articulo de potentia Angelorum Cœli, n. 228 ad 233. Quoniam per leonem ſignificatur potentia, ideo in lamentatione Davidis ſuper Saule et Jonathane, dicitur, "*Saul et Jonathan amabiles, præ aquilis veloces fuerunt, præ leonibus validi,*" II Sam. i. 23; per Saulem ibi ut regem et per Jonathanem ut filium regis, intelligitur Verum tutans Eccleſiam, nam agitur ibi de Doctrina veri et boni, inſcripſit enim lamentationem illam ad docendum filios Jehudæ arcum, Verſ. 18 ibi, per arcum ſignificatur illa doctrina, videatur n. 2686, 2709, 6402. Quoniam per Reges Jehudæ et Iſraelis repræſentabatur Dominus quoad Divinum Verum, et per Thronum repræſentabatur Judicium quod fit ex Divino Vero, ac per Leones repræſentabatur potentia, cuſtodia et tutela contra falſa et mala, ideo juxta duas manus Throni a Salomone ædificati erant duo leones, et duodecim leones ſuper ſex gradibus hinc inde, II Reg. x. 18, 19, 20. Ex his conſtare poteſt, quid per Leones, cum de Domino, Cœlo et Eccleſia agitur in Verbo, ſignificatur. Per leones etiam in Verbo ſignificatur potentia falſi ex malo, per quod deſtruitur et vaſtatur Eccleſia; ut apud Jeremiam, "*Contra eam rugiunt Leones juvenes, edunt vocem ſuam, redigunt terram in vaſtitatem,*" ii. 15: et apud Eſajam, "*Gens cujus tela acuta, et omnes arcus ejus tenſi, ungulæ equorum ejus ſicut rupes reputantur; rugitus illi ſicut leonis, rugit ſicut leo juvenis, et fremit et apprehendit prædam,*" v. 28, 29: præter multis aliis in locis, ut Eſaj. xi. 6. Cap. xxxv. 9. Jerem. iv. 7. Cap. v. 6. Cap. viii. 8. Cap. l. 17. Cap. li. 38. Ezech. xix. 3, 5, 6. Hoſch. xiii. 7, 8. Joel. i. 6, 7. Pſalm. xvii. 12. Pſalm. xxii. 14. Pſalm. lvii. 5. Pſalm. lviii. 7, 8. Pſalm. xci. 13.

279. Et ſecundum Animal ſimile vitulo, quod ſignificet apparentiam in ultimis Divini boni quoad tutelam, conſtat ex ſignificatione vituli ſeu juvenci, quod ſit bonum naturalis hominis, in ſpecie bonum innocentiæ et charitatis ejus; et quia eſt bonum naturalis hominis, etiam eſt bonum Cœli Ultimi, hoc enim Cœlum eſt ſpirituale naturale, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 29, 30, 31; et quia hoc bonum ibi eſt, ideo eſt cuſtodia ſeu tutela ne Cœli ſuperiores adeantur niſi per bonum amoris et charitatis; inde eſt, quod unus Cherubus ſimilis eſſet vitulo: quod hæc apparentia fuerit in ultimis, videatur mox ſupra n. 278. Quod Vitulus ſeu Juvencus ſignificet bonum naturalis hominis, eſt quia illa quæ ex armento erant ſignificabant affectiones boni et veri in externo ſeu naturali homine, et illa quæ ex grege affectiones boni et veri in interno ſeu ſpirituali homine; quæ ex grege, erant agni, capræ, oves, arietes, hirci; et quæ ex armento, erant boves, juvenci, vituli. Quod juvenci et vituli bonum naturalis hominis ſignificent, conſtat ex locis in Verbo ubi nominantur; primum ex deſcriptione Cheruborum quoad pedes, apud Ezechielem, "*Pes rectus eorum, et vola pedum eorum, tanquam vola pedis vituli, iique micantes ſicut ſpecies æris lævigati,*" i. 7; quod ita viſus ſit pes rectus eorum, erat cauſa quia Cherubi repræſentabant Divinam Domini cuſtodiam, ac pedes et volæ pedum illam in ultimis ſeu in ſpirituali naturali

Cœlo et in naturali mundo; per pedes enim in genere ſignificatur naturale; per pedem rectum naturale quoad bonum, per volam pedum ultimum ibi, et per æs lævigatum ſimiliter ſignificatur bonum in naturali; inde patet, quod bonum in naturali ſignificetur per vitulum, et quod ibi ſit ultimum bonum quod cuſtodit et tutatur ne adeantur cœli niſi per bonum amoris et charitatis: quod pedes ſignificent naturale, videatur n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952, 5327, 5328: quod id quod ad dextrum ſignificet bonum ex quo verum, n. 9604, 9736, 10061; inde pes rectus naturale quoad bonum: quod volæ, plantæ et ungulæ ſignificent ultima in naturali, n. 4938, 7729: quod æs lævigatum ſignificet bonum naturale, ſupra n. 70. Apud Hoſcheam, "*Revertimini ad Jehovam, dicite ad Ipſum, omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et rependemus juvencos labiorum noſtrorum,*" xiv. 3; quid ſit rependere juvencos labiorum, nemo ſcire poteſt, niſi ſciat quid ſignificant juvenci et quid labia, quod ſit confeſſio et gratiarum actio ex bono corde, patet; ſed ita dicitur, quia juvenci ſignificant bonum externum, et labia ſignificant doctrinam; inde per rependere juvencos labiorum ſignificatur confiteri et gratias agere ex bonis doctrinæ: quod labia ſignificent doctrinam, videatur n. 1286, 1288. Apud Amos, "*Attrahitis habitationem violentiæ, cubant ſuper lectis eboris, et edunt agnos de grege, et vitulos e medio ſaginarii,*" vi. 3, 4; agitur ibi de illis qui in abundantia cognitionum boni et veri ſunt, et uſque male vivunt; edere agnos de grege, ſignificat haurire cognitiones boni interni ſeu ſpiritualis hominis; et edere vitulos e medio ſaginarii ſignificat haurire cognitiones boni externi ſeu naturalis hominis; et attrahere habitationem violentiæ eſt vitam contrariam charitati vivere. Apud Malachiam, "*Exorietur vobis, timentes Nominis mei, ſol juſtitiæ et ſanitas in alis, ut exeatis et creſcatis ſicut vituli ſaginati,*" iii. 20; ſol juſtitiæ, qui exorietur timentibus Nominis Jehovæ, ſignificat bonum amoris; et ſanitas in alis ſignificat verum fidei; inde exire et creſcere ſicut vituli ſaginati, ſignificat incrementum omnis boni; ſaginatum et pingue etiam ſignificat bonum. Apud Lucam, "*Pater de filio prodigo, qui reverſus pœnitentiam cordis egit, dixit, efferte ſtolam primariam et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceos ſuper pede, et adducite vitulum ſaginatum, mactate, ut comedentes lætemur,*" xv. 22, 23; qui modo ſenſum literæ ſcit, credit quod non altiora hic lateant, quam quæ in eo ſenſu exſtant, cum tamen ſingula involvunt cœleſtia, ſicut quod induerent illum ſtola primaria, quod darent annulum in manum ejus, et calceos ſuper pede, et adducerent vitulum ſaginatum, ut comedentes lætarentur; per filium prodigum intelliguntur qui divitias ſpirituales, quæ ſunt cognitiones veri et boni, prodigunt; per reditum ad patrem et confeſſionem quod non dignus eſſet vocari filius ejus, ſignificatur pœnitentia cordis et humiliatio; per ſtolam primariam qua indueretur, ſignificantur communia et primaria vera; per annulum ſuper manum ſignificatur conjunctio veri et boni in interno ſeu ſpirituali homine, per calceos ſuper pede ſignificatur eadem in externo ſeu naturali homine; per utrumque hoc regeneratio; per vitulum ſaginatum, bonum amoris et charitatis; et per comedere et lætari, conſociatio et gaudium Cœleſte. Apud Jeremiam, "*Dabo viros tranſgreſſos fœdus meum, qui non ſtabiliverunt verba fœderis, quod ferierunt coram Me,* *Vituli, quem conciderunt in duas, ut tranſirent inter partes ejus, principes Jehudæ et principes Hieroſolymæ, Miniſtros regios et Sacerdotes, et omnem populum terræ, tranſeuntes inter partes Vituli, et dabo illos in manum hoſtium eorum, ut ſit cadaver eorum in cibum avi cœlorum,*" xxxiv. 18, 19, 20; quid ſit fœdus vituli, et quid ſit tranſire inter partes ejus, nemo ſcire poteſt niſi ſciat quid ſignificat fœdus, quid vitulus, quid ſectio ejus in duas partes, tum quid principes Jehudæ et Hieroſolymæ, miniſtri regii, ſacerdotes et populus terræ; patet quod Arcanum Cœleſte ſit; hoc uſque intelligi poteſt, cum ſcitur quod fœdus ſit conjunctio, vitulus bonum, vitulus ſectus in duas partes bonum procedens a Domino ab una parte et bonum receptum ab homine ab altera, unde conjunctio; et quod principes Jehudæ et Hieroſolymæ, miniſtri regii, ſacerdotes et populus terræ, ſint bona et vera quæ Eccleſiæ; et quod tranſire inter partes ſit conjungere; ex his cognitis ſciri poteſt, quod ſenſus internus horum verborum ſit, quod nulla eſſet conjunctio per bona et vera Eccleſiæ apud illam Gentem, ſed disjunctio. Simile involvit fœdus Vituli cum Abramo, de quo in Libro Geneſeos, "*Jehovah dixit ad Abramum, accipe tibi vitulum triennem, et capram triennem et arietem triennem, et turturem et pullum, et accepit ſibi omnia illa, et partitus eſt illa in medium, et dedit quamvis partem ſuam obviam alteri, et volucrem non partitus: et deſcendit volatile ſuper corpora, et abegit illa Abram: et fuit ſol ad occidendum, et ſopor cecidit ſuper Abramum, et ecce terror tenebrarum magnarum cadens ſuper illum: et in die illo pepigit Jehovah fœdus cum Abramo,*" xv. 9, 10, 11, 12, 18; terror tenebrarum magnarum cadens ſuper Abramum ſignificabat ſtatum Gentis Judaicæ, quod in maximis tenebris eſſent quoad vera et bona Eccleſiæ; hic ſtatus Gentis illius eſt qui per fœdus vituli, quem conciderunt in duas partes, inter quas tranſiverunt, apud Prophetam deſcriptus eſt. Quoniam per vitulum ſignificatur bonum naturalis hominis ac verum ejus, quod eſt ſcientificum, et quoque naturalis homo et ejus ſcientificum ſignificatur per Ægyptum, ideo Ægyptus in Verbo dicitur Vitula et Vitulus, quare etiam, poſtquam applicuerunt ſcientifica Eccleſiæ ad magica et idololatrica, verterunt Vitulum in idolum, exinde traxerunt filii Iſraelis, quod in deſerto fecerint ſibi vitulum, et illum coluerint, et exinde quoque fuit illis Vitulus in Samaria: quod Ægyptus dictus ſit Vitula et Vitulus, patet apud Jeremiam, "*Vitula pulcherrima Ægyptus, excidium a ſeptentrione venit, et mercenarii ejus in medio ejus ſicut vituli ſaginarii,*" xlvi. 20, 21: de Vitulo quem filii Iſraelis ſibi fecerunt in deſerto, videatur Exod. xxxii: et de vitulo Samariæ, 1 Reg. xii. 28 ad 32; de quo ita apud Hoſcheam, "*Regem fecerunt et non a Me, principes fecerunt et non novi, argentum et aurum ſuum fecerunt ſibi idola, ut excidatur, deſeruit vitulus tuus Samaria, nam ex Iſrael ille, faber fecit eum non Deus, in fruſta fiet vitulus Samariæ,*" viii. 4, 5, 6; agitur ibi de prava explicatione Verbi, cujus ſenſus literæ trahitur ad favorem ſuorum amorum et principiorum religionis inde captis; regem facere et non a Me, et principes facere et non novi, ſignificat doctrinalia ex propria intelligentia quæ in ſe ſunt falſa, ſed faciunt ut ſint ſicut vera; rex enim eſt verum et in oppoſito ſenſu falſum, et principes ſunt primaria vera aut falſa, quæ principia religionis vocantur; argentum et aurum ſuum facere idola, ſignificat vera et bona Eccleſiæ pervertere, et uſque illa ut ſancta colere, tametſi, quia ex propria intelligentia, abſque vita ſunt; argentum eſt verum et aurum eſt bonum quæ a Domino: idola ſignificant cultum ex Doctrina quæ ex propria intelligentia; faber fecit et non Deus, ſignificat ex proprio et non ex Divino; in fruſta fieri, ſignificat diſſipari; inde patet quid vitulus Samariæ. Quia Vituli ſignificabant bonum naturalis hominis, ideo etiam Vituli ſacrificabantur, de quo Exod. xxix. 11, 12, ſeq. Levit. iv. 3, ſeq. 13, ſeq. Cap. viii. 15, ſeq. Cap. ix. 2. Cap. xvi. 3. Cap. xxiii. 18. Num. viii. 8, ſeq. Cap. xv. 24. Cap. xxviii. 19, 20. Judic. vi. 25 ad 29. 1 Sam. i. 25. Cap. xvi. 2. 1 Reg. xviii. 23 ad 26, 33: omnia enim Animalia quæ ſacrificabantur, ſignificabant varia genera bonorum Eccleſiæ.

280. Et tertium Animal habens faciem ſicut homo, quod ſignificet in ultimis apparentiam Divinæ Cuſtodiæ et Providentiæ quoad ſapientiam, conſtat ex ſignificatione faciei hominis, quod ſit affectio veri, per faciem ſignificatur Affectio, et per hominem recipiens Divinum Verum, et quia inde ei rationale per hominem ſignificatur ſapientia, homo enim creatus eſt ut ſit rationalis et ſapiens, per hoc diſtinguitur a brutis animalibus; inde eſt, quod per hominem in Verbo ſignificetur ſapientia. Quod homo ſignificet affectionem veri et ſimul ſapientiam, eſt quia affectio veri et ſapientia unum agunt; qui enim in affectione veri ſpirituali eſt, hoc eſt, qui afficitur vero ſeu amat verum quia eſt verum, is conjunctus eſt Domino, quoniam Dominus in ſuis veris eſt, et eſt ſuum Verum apud hominem, inde ei ſapientia, et inde eſt quod homo ſit. Quidam putant quod homo ſit homo ex facie et ex corpore, et quod per illa diſtinguatur a beſtiis, ſed in errore ſunt, homo eſt homo ex ſapientia, quare quantum aliquis ſapiens eſt tantum eſt homo: inde eſt, quod qui ſapientes ſunt, in Cœlo et in ejus luce appareant ut homines, in decore et pulchritudine ſecundum ſapientiam; at vero qui non ſapientes ſunt, qui ſunt qui in nulla affectione ſpirituali ſunt, ſed mere in affectione naturali, in qua homo eſt cum non amat verum quia eſt verum, ſed quia inde ei gloria, honor et lucrum, illi in luce Cœli non apparent ſicut homines, ſed ſicut monſtra in varia forma, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 70, 72, 73 ad 77, 80: et quid ſapientia et non ſapientia, n. 346 ad 356 ibi. Quod per Hominem in Verbo ſignificetur Affectio veri et inde ſapientia, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Quouſque Domine, dixit, uſque dum devaſtabuntur urbes, ut ſint ſine habitatore; et domus ut non ſit in iis homo; et terra redigetur in ſolitudinem: removebit Jehovah hominem, et multiplicabuntur deſerta in medio terræ*," vi. 11, 12; hæc non dicta ſunt de vaſtatione terræ, quod ibi non amplius urbes et domus, et in illis non habitator et homo, ſed de vaſtatione boni et veri in Eccleſia; per urbes ibi ſignificantur Doctrinæ vera; per habitatorem Doctrinæ bonum; per domos ſignificantur interiora hominis quæ mentis ejus ſunt; et per hominem affectio veri ſpiritualis et ſapientia; hoc ſignificatur per quod devaſtabuntur domus ut non ſit in iis homo; per terram, quæ redigetur in ſolitudinem, ſignificatur Eccleſia; inde patet, quid ſignificatur per removere hominem, et per multiplicare deſerta in medio terræ; deſertum ſignificat ubi non bonum quia non verum. Apud Eundem, "*Rarum reddam virum hominem præ auro puro, et hominem præ auro ophiris*," xiii. 12; per virum hominem ſignificatur intelligentia, et per hominem

ſapientia, quæ quod ceſſatura ſint, ſignificatur per quod reddentur rari: intelligentia diſtinguitur a ſapientia per id, quod intelligentia ſit intellectus veri, qualis eſt ſpirituali homini, et ſapientia intellectus veri qualis eſt cœleſti homini, hujus intellectus eſt ex voluntate boni; inde patet quid per virum hominem, et quid per hominem ibi ſignificatur. Apud Eundem, "*Exurentur habitatores terræ, et relictus erit homo rarus,*" xxiv. 6; per habitatores terræ ſignificantur bona Eccleſiæ, quæ exuri dicuntur quando amores ſui et mundi regnare incipiunt; quod tunc affectio veri ſpiritualis et inde ſapientia ceſſatura ſit, ſignificatur per relictus erit homo rarus. Apud Eundem, "*Devaſtatæ ſunt ſemitæ, ceſſavit tranſiens viam, irritum reddidit fœdus, faſtidivit urbes, non reputat hominem,*" xxxiii. 8; etiam ibi agitur de vaſtatione Eccleſiæ; ſemitæ quæ devaſtatæ, et tranſiens viam qui ceſſavit, ſignificat quod non amplius bona et vera quæ ducunt ad Cœlum; fœdus quod irritum reddidit ſignificat conjunctionem tunc nullam cum Domino; faſtidivit urbes ſignificat quod reſpuant Doctrinam; non reputat hominem ſignificat quod nihili faciat ſapientiam. Apud Jeremiam, "*Vidi terram cum ecce vacuum et inane, et verſus cœlos et non lux eorum; vidi cum ecce non homo, et omnes aves Cœli avolarunt,*" iv. 23, 25; quod hic non intelligatur terra quod illa vacua et inanis, nec quod Cœli quod inde non lux, nec quod in terra non homo, et quod omnes aves cœli avolaverint, patet; quid autem intelligitur, non aliunde conſtare poteſt quam a ſenſu ſpirituali Verbi, in illo ſenſu per terram ſignificatur Eccleſia, quod vacuum et inane ibi ſignificatur quod in Eccleſia non bonum et verum; per Cœlos ubi non lux ſignificantur interiora mentis hominis, quæ ſunt receptacula lucis Cœli, lux quæ non ibi eſt Divinum Verum et inde ſapientia, quare dicitur vidi et ecce non homo; per aves cœli quæ avolarunt ſignificatur rationale et intellectuale. Apud Eundem, "*Ecce dies venturi, quibus ſeminabo domum Iſraelis et domum Jehudæ ſemine hominis et ſemine beſtiæ,*" xxxi. 27; per Domum Iſraelis et per Domum Jehudæ ſignificatur Eccleſia quoad verum et quoad bonum; per ſemen hominis et per ſemen beſtiæ ſignificatur affectio veri ſpiritualis et affectio veri naturalis; ubi enim in Verbo dicitur homo et beſtia ſignificatur ſpirituale et naturale ſeu internum et externum, videatur n. 7424, 7523, 7872. Apud Zephaniam, "*Conſumam hominem et beſtiam, conſumam avem cœlorum et piſces maris; exſcindam hominem a ſuperficiebus terræ,*" i. 3; conſumere hominem et beſtiam eſt affectionem veri ſpiritualem et affectionem veri naturalem; conſumere avem Cœlorum et piſces maris eſt vera ſpiritualia et vera naturalia; exſcindere hominem a ſuperficiebus terræ eſt affectionem veri et ſapientiam. Apud Ezechielem, "*Vos grex mi, grex paſcui mei, homo vos, Ego Deus veſter,*" xxxiv. 31; grex paſcui ſignificat bonum et verum ſpirituale, paſcuum eſt receptio illorum a Domino; inde dicitur homo vos, Ego Deus veſter, homo pro affectione veri ſpirituali et ſapientia. Apud Eundem, "*Ecce Ego apud vos, et reſpiciam ad vos ut excolamini et conſeramini; tunc multiplicabo ſuper vobis hominem, omnem Domum Iſraelis totam, et habitabuntur urbes, et vaſtitates ædificabuntur; ambulare faciam ſuper vobis hominem, populum meum Iſraelem. Sic dixit Dominus Jehovih, quoniam dicitis* *conſumens hominem tu, et orbans populos tuos fuiſti, ideo hominem non conſumes amplius, et gladius tuus non orbabit amplius: erunt urbes devaſtatæ plenæ grege hominis,*" xxxvi. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 38; agitur ibi de reſtauratione Eccleſiæ; per Iſraelem ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, quæ eſt Eccleſia quæ in bono ſpirituali, quod bonum eſt bonum charitatis; hæc Eccleſia ibi vocatur homo ex affectione veri ſpirituali, quæ facit Eccleſiam, quare dicitur multiplicabo ſuper vobis hominem, omnem domum Iſraelis, et ambulare faciam ſuper vobis hominem, populum meum Iſraelem; per gregem hominis quo urbes devaſtatæ plenæ erunt ſignificantur vera ſpiritualia, quibus doctrina Eccleſiæ plena erit; per gladium qui non orbabit amplius, ſignificatur quod non falſum deſtruet verum amplius. Apud Eundem, "*Mater tua leæna, inter leones cubuit; ſurrexit unus de catulis ejus, qui didicit rapere rapinam, homines devoravit,*" xix. 3, 6; Mater eſt Eccleſia, hic Eccleſia perverſa; falſum mali deſtruens verum ſignificatur per leænam cubantem inter leones; per catulum ejus qui didicit rapere rapinam, et qui devoravit homines, ſignificatur primarium falſum doctrinæ eorum, quod deſtruxit vera et conſumſit omnem affectionem eorum: hæc dicta ſunt de principibus Iſraelis, per quos ſignificantur primaria vera, hic autem in oppoſito ſenſu primaria falſa. Apud Jeremiam, "*Fiet Chazor in habitaculum draconum, deſolationem uſque in ſæculum, non habitabit ibi vir, nec commorabitur in ea filius hominis,*" xlix. 33; agitur ibi de Eccleſia quæ in falſis et in nullis veris; Chazor ſignificat cognitiones veri; cognitiones falſi ſignificantur per habitaculum draconum; quod ibi non verum et non doctrina veri, ſignificatur per quod non habitabit ibi vir, nec commorabitur in ea filius hominis, vir eſt verum et filius hominis eſt doctrina veri. In Apocalypſi, "*Menſus eſt murum Sanctæ Hieroſolymæ centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis quæ eſt Angeli,*" xxi. 17; nemo intellecturus eſt quid ſignificat quod murus ſanctæ Hieroſolymæ eſſet 144 cubitorum, et quod hæc menſura eſſet hominis quæ eſt Angeli, niſi ſciat quid ſignificat ſancta Hieroſolyma, quid murus ejus, quid numerus 144, tum quid homo et quid angelus; ſancta Hieroſolyma ſignificat Eccleſiam quoad doctrinam; murus verum tutans; numerus 144 ſignificant omnia vera ex bono in complexu; homo ſignificat receptionem eorum ex affectione, ſimile Angelus; ideo dicitur quod ſit menſura hominis quæ eſt Angeli, menſura ſignificat quale; ex his patet, quomodo illa verba ſpiritualiter intelligenda ſunt; ſed hæc clarius explicata videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 1. Quoniam per hominem ſignificatur affectio veri ſpiritualis et inde ſapientia, ideo per illum etiam ſignificatur Eccleſia, quia Eccleſia apud hominem eſt Eccleſia ex affectione veri ſpirituali et inde ſapientia: ex quo patet, quid in Primis Capitibus Geneſeos intelligitur per Hominem, quod nempe Eccleſia, quæ prima hujus Telluris et Antiquiſſima fuit; hæc intelligitur per Adamum ſeu Hominem; ejus Inſtauratio deſcribitur in Primo Capite per Creationem Cœli et terræ, ejus intelligentia et ſapientia per Paradiſum, et ejus lapſus per eſum arboris ſcientiæ. Per Hominem autem in ſupremo ſenſu intelligitur Ipſe Dominus, quoniam ab Ipſo Cœlum et Eccleſia, et apud unumquemvis ex quo Cœlum et Eccleſia affectio veri ſpiritualis et ſapientia ; inde eſt quod ſolus Dominus in ſupremo ſenſu ſit Homo, et quod tantum homines ſint in utroque Mundo, Spirituali et Naturali, quantum ab Ipſo recipiunt Verum et Bonum, ita quantum amant verum et vivunt ſecundum illud : inde quoque eſt, quod univerſum Cœlum Angelicum appareat ſicut unus Homo ; et quoque unaquævis Societas ibi : et inde quoque eſt quod Angeli appareant in perfecta forma humana : ſed de his videantur plura in Opere de Cœlo et Inferno, n. 59 ad 67, 68 ad 72, 73 ad 77, 87 ad 102. Ex hac cauſa eſt, quod quatuor Cherubi, per quos ſignificatur Cuſtodia et Providentia Domini ne adeatur niſi per bonum amoris, viſi ſint ſicut homines, tametſi quatuor facies cuivis, et quod Dominus ſupra illos viſus ſit ut Homo ; quod quatuor Cherubi viſi ſint ut homines, conſtat apud Ezechielem, “ *Hic aſpectus quatuor Animalium, ſimilitudo hominis illis, ſed quatuor facies unicuique,*” i. 5, 6 : ſimiliter duo Cherubi ſuper Propitiatorio erant facie ſicut homines. Quod Dominus viſus ſit ſupra quatuor Cherubos ut Homo, dicitur etiam apud eundem Prophetam, “ *Supra expanſum, quod ſuper capite Cheruborum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo Throni, et ſuper ſimilitudine Throni ſimilitudo quaſi aſpectus Hominis ſuper illo ſuperius,*” i. 26.

281. Et quartum Animal ſimile Aquilæ volanti, quod ſignificet in ultimis apparentiam Divinæ Cuſtodiæ et Providentiæ quoad intelligentiam et quoad perſpectionem undequaque, conſtat ex ſignificatione aquilæ, quod ſit intelligentia, hic intelligentia Divina quæ eſt Cuſtodiæ et Providentiæ Domini ; quod aquila ſit intelligentia eſt quia intelligentia eſt in luce Cœli, et aquila alte volat ut ibi ſit, et circumſpiciat undequaque, inde eſt quod hæc facies Cherubi apparuerit ſimilis aquilæ volanti, volare enim ſignificat præſentiam et perſpectionem circum circa, et cum de Divino omnipræſentiam : quod Aquila ſignificet intelligentiam, eſt etiam quia aves Cœli, in bono ſenſu, ſignificant intellectualia et rationalia, et aquila præ cæteris, quia non modo alte volat, ſed etiam acutæ aciei eſt : quod aves Cœli ſignificent intellectualia et rationalia in utroque ſenſu, videatur n. 745, 776, 866, 988, 993, 3219, 5149, 7441. Quod Aquila ſignificet Intelligentiam, conſtat ex his locis in Verbo ; apud Ezechielem, “ *Aquila magna, magna alis, longa pennis, plena plumis, cui acupictura ; venit ſuper Libanum, et accepit ramuſculum cedri ; caput ſurculorum ejus decerpſit ; et deduxit in terram negotiationis, in urbe aromatoriorum poſuit id : ſumſit de ſemine terræ, et poſuit id in agro ſementis ; accepit ad aquas magnas, circumſpecte poſuit id ; et germinavit, et factum eſt in vitem luxuriantem humili ſtatura ; ita ut reſpicerent palmites ejus ad illam, et radices ejus ſub illa eſſent ; ſic facta eſt in vitem quæ fecit palmites et emiſit ramos. Et fuit aquila altera magna, magna alis et plena plumis, ad quam ecce vitis hæc applicuit radices ſuas, et palmites ſuos miſit ad illam, ad irrigandum eam ex areolis plantationis ejus, in agro bono apud aquas multas illa plantata, ad faciendum ramum, et ad portandum fructum, ut eſſet in vitem magnificentiæ,*” xvii. 1 ad 8 ; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ ſpiritualis a Domino, et deſcribitur ibi in ſenſu interno proceſſus inſtaurationis ejus ſeu regenerationis hominum ejus a

principio ad finem; et per primam Aquilam deſcribitur proceſſus regenerationis naturalis ſeu externi hominis per ſcientifica et per cognitiones ex Verbo; et per alteram Aquilam deſcribitur proceſſus regenerationis ſpiritualis ſeu interni hominis per vera ex bono; inde per primam Aquilam ſignificatur intelligentia naturalis hominis, et per alteram intelligentia ſpiritualis hominis: paucis etiam dicetur, quid ſingula ſignificant: Aquila prima dicitur magna alis, longa pennis, plena plumis, et per illa ſignificatur copia ſcientiarum et cognitionum veri et boni, ex qua prima intelligentia quæ eſt intelligentia naturalis hominis; ideo dicitur cui acupictura, per acupicturam enim ſignificatur ſcientificum et cognitivum, videatur n. 9688; venit ſuper Libanum et accepit ramuſculum cedri, ſignificat quod ex doctrina Eccleſiæ quæ ex Verbo acceperit aliquas cognitiones veri, per Libanum ſignificatur illa doctrina, et per ramuſculum cedri ſignificantur cognitiones; caput ſurculorum ejus decerpſit, et deduxit in terram negotiationis, ſignificat primarias cognitiones inde, ad quas applicuit ſcientias, per caput ſurculorum ſignificantur primariæ cognitiones, et per terram negotiationis ſignificatur naturalis homo cui ſcientiæ; in urbe aromatoriorum poſuit id, ſignificat inter vera ex bono ibi, per aromata ſignificantur vera quæ grata quia ex bono, n. 4748, 5621, 9474, 9475, 10199, 10254; ſumſit de ſemine terræ, et poſuit id in agro ſementis, accepit ad aquas magnas, circumſpecte poſuit id, ſignificat multiplicationem, ſemen terræ eſt verum Eccleſiæ, ager ſementis eſt bonum ex quo creſcit, aquæ magnæ ſunt cognitiones veri et boni, circumſpecte ponere eſt ſeparare a falſis; germinavit et factum eſt in vitem luxuriantem, ut reſpicerent palmites ejus ad illam, et radices ejus ſub illa eſſent, ſignificat naſcentem Eccleſiam ex ordinatione cognitionum veri et ex applicatione earum ad uſum; ſic facta eſt in vitem quæ fecit palmites et emiſit ramos, ſignificat initiamentum Eccleſiæ ſpiritualis, et creſcentiam verorum continuam; quod Vitis ſit Eccleſia ſpiritualis, videatur n. 1069, 6375, 9277: huc uſque deſcripta eſt initiatio Eccleſiæ apud hominem, quæ fit in naturali ſeu externo homine; deſcribitur nunc inſtauratio ejus, quæ fit in ſpirituali ſeu interno homine per Aquilam alteram, per quam quia ſignificatur intelligentia ſpiritualis, dicitur quod vitis ad illam nempe Aquilam applicuerit radices ſuas et miſerit palmites; per radices enim ſignificantur ſcientiæ, et per palmites cognitiones veri et boni, quæ omnes applicantur veris quæ ſunt in ſpirituali ſeu interno homine, ſine earum applicatione ſpirituali homo nihil ſapit; multiplicatio et fructificatio veri ex bono, ita incrementum intelligentiæ, deſcribitur per quod illa plantata fuerit in agro bono, apud aquas multas, ad faciendum ramum, et ad portandum fructum, ut eſſet in vitem magnificentiæ, ager bonus eſt Eccleſia quoad bonum charitatis, aquæ multæ ſunt cognitiones boni et veri, facere ramum eſt multiplicare vera, portare fructum eſt producere bona quæ ſunt uſus, vitis magnificentiæ eſt Eccleſia ſpiritualis, ſic interna et externa: ſed hæc, quia arcana regenerationis et inſtaurationis Eccleſiæ apud hominem ſunt, melius perſpici poſſunt ex illis quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, ex Arcanis Cœleſtibus de Scientiis et Cognitionibus, n. 51, tum quæ de

Regeneratione, n. 183 ibi, allata ſunt. Quod Aquila Intelligentiam ſignificet, etiam conſtare poteſt apud Eſajam, "*Exſpectantes Jehovam innovantur robore, et aſcendunt ala ſicut Aquilæ,*" xl. 31; aſcendere ala ſicut aquilæ, eſt in lucem cœli, ita in intelligentiam. Apud Davidem, "*Jehovah qui ſaturat os tuum, ut renoveris ſicut aquila,*" Pſalm. ciii. 5; renovari ſicut aquila eſt quoad intelligentiam. Apud Moſen, "*Vidiſtis quomodo tulerim vos ſicut alis aquilarum, et adduxerim vos ad Me,*" Exod. xix. 4; ferre ſicut alis aquilarum et adducere eſt quoque in intelligentiam, quia in Cœlum et ejus lucem. Apud Eundem, "*Jehovah invenit eum in terra deſerti, circumduxit eum, inſtruxit eum, cuſtodivit eum ſicut pupillum oculi; ſicut Aquila excitat nidum ſuum, ſuper pullis motitat ſe, expandit alas ſuas, accipit eum, portat eum ſuper ala ſua; ſic Jehovah ſolus ducit eum,*" Deut. xxxii. 10, 11, 12; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ Antiquæ, ac de prima reformatione eorum qui ab ea Eccleſia; primus ſtatus eorum intelligitur per terram deſerti in qua invenit illos, terra deſerti eſt ubi non bonum quia non verum; inſtructio eorum in veris, cuſtoditio a falſis, ac aperitio interiorum quæ mentis eorum ut venirent in lucem Cœli, et ſic in intellectum veri et boni, qui eſt intelligentia, deſcribitur per Aquilam, ejus nidum in alto, ejus motitationem ſuper pullis, et portationem eorum ſuper alis; comparatio fit cum Aquila quia Aquila ſignificat intelligentiam. In Libro II Samuelis, "*Saul et Jonathan præ aquilis veloces, et præ leonibus validi,*" i. 23; per Saulem ut regem et per Jonathanem ut filium regis ſignificatur verum Eccleſiæ; et quia inde eſt intelligentia et quoque potentia, dicitur quod præ aquilis eſſent veloces et præ leonibus validi, velocitas in Verbo, cum de intelligentia, ſignificat affectionem veri, inſcripſit enim David ſuum lamentum ſuper Saulem et Jonathanem ad docendum filios Jehudæ arcum, et per filios Jehudæ ſignificantur vera Eccleſiæ, et per arcum doctrina veri pugnantis contra falſa. Apud Hiobum, "*Num per intelligentiam tuam volat accipiter, et expandit alas ſuas verſus auſtrum, num juxta os tuum attollit ſe aquila, et in alto ponit nidum ſuum, in petra habitat et pernoctat, inde perveſtigat cibum, in longinquum oculi ejus proſpiciunt; et ubi ſunt confoſſi ibi illa,*" xxxix. 26 ad 30; agitur ibi de intelligentia, quod nemo illam ex ſe ſeu ex proprio comparare poſſit, quare dicitur num per intelligentiam tuam volat accipiter, et expandit alas ſuas verſus auſtrum, et per id ſignificatur inducere ſemet in lucem intelligentiæ, hanc ſignificat auſtrum, hic autem non poſſe; ipſa intelligentia quæ ſpiritualis hominis deſcribitur per quod Aquila ſe attollat, in alto ponat nidum, in petra habitet et pernoctet, inde perveſtiget cibum, et oculis in longinquum proſpiciat; quod nulli talis intelligentia ex ſe fit ſignificatur per num ad os tuum hoc facit Aquila; at quod ex propria intelligentia non prodeant niſi quam falſa, ſignificatur per ubi ſunt confoſſi ibi illa, confoſſi in Verbo ſignificant illos apud quos vera exſtincta ſunt per falſa, videatur n. 4503. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per Domini verba, quando interrogaverunt Ipſum ubinam Ultimum Judicium, apud Lucam, "*Dixerunt Diſcipuli, ubi Domine, Ipſe dixit eis, ubi corpus ibi congregabuntur Aquilæ,*" xvii. 37; per corpus ibi ſignificatur Mundus ſpiritualis, ubi omnes homines ſimul ſunt tam boni quam mali, et per Aquilas ſignificantur qui in veris et qui in falſis, ita qui in intelligentia vera et qui in intelligentia falſa, hæc intelligentia eſt ex proprio hominis, intelligentia vera autem eſt ex Domino per Verbum. Falſa quæ ſunt ex propria intelligentia etiam deſcribuntur per Aquilas in Verbo, ut in ſequentibus his locis; apud Jeremiam, "*Ecce ſicut nubes aſcendit, et ſicut procella currus ejus, celeres ſunt præ aquilis equi ejus; væ nobis quia devaſtati ſumus,*" iv. 13; agitur ibi de deſolatione veri in Eccleſia, et per nubem quæ aſcendit, ſignificantur falſa; per currum qui ſicut procella, ſignificatur doctrina falſi; cupiditas et voluptas eorum ratiocinandi contra vera et deſtruendi illa ſignificatur per quod celeres ſint præ aquilis equi eorum, per velox et feſtinum in Verbo ſignificatur excitatum ab affectione et cupidine, videatur n. 7695, 7866; et per equos intellectus veri, et in oppoſito ſenſu intellectus falſi ſeu ratiocinatio ex falſis contra vera, n. 2760, 2761, 2762, 3217, 5321, 6125, 6400, 6534, 7024, 8146, 8148, 8381; et quia equi hoc ſignificant, et aquilæ intelligentiam, hic intelligentiam propriam, quæ eſt ratiocinatio ex falſis, ideo dicitur celeres ſunt præ aquilis equi illorum. In Threnis, "*Veloces fuerunt perſequutores noſtri præ aquilis cœlorum,*" iv. 20: et apud Habakuk, "*Cujus leves ſunt præ pardis equi, et oculi ſunt præ lupis veſperæ, ut diffundant ſe equites ejus; unde equites ejus e longinquo adveniunt, advolant ſicut aquila feſtinans ad comedendum; tota ad violentiam venit,*" i. 8, 9; ſimiliter hic aquila pro ratiocinatione ex falſis contra vera, quæ eſt ex propria intelligentia.

282. Quoniam hic Cherubus ſimilis fuit Aquilæ, et hæc apparuit ſicut volans, dicetur etiam quid per volare in Verbo ſignificatur; per volare ſignificatur circumſpectio et præſentia, ex cauſa quia Avis volans ex alto perſpicit undequaque, et ſic per viſum ſuum præſens eſt ubivis et circum; at cum in Verbo volare dicitur de Jehovah, ſignificat volare Omnipræſentiam, quoniam Omnipræſentia eſt Infinita circumſpectio et Infinita præſentia: inde nunc eſt quod hic Cherubus apparuerit ſimilis Aquilæ volanti; nam per Cherubos in genere ſignificatur Providentia Domini ne Cœli ſuperiores adeantur niſi quam ex bono amoris et charitatis, et per hunc Cherubum Divina Intelligentia, ut mox ſupra oſtenſum eſt. Quod per Volare in Verbo, ubi de Domino, ſignificetur omnipræſentia, et cum de hominibus circumſpectio et præſentia, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Deus equitavit ſuper Cherubo, volavit, ac vectus eſt ſuper alis venti,*" Pſalm. xviii. 11. II Samuel. xxii. 11; equitavit ſuper Cherubo ſignificat Divinam Providentiam; volavit ſignificat omnipræſentiam in ſpirituali mundo; et vectus ſuper alis venti ſignificat omnipræſentiam in naturali mundo: quid illa apud Davidem, nemo intellecturus eſſet niſi ex ſenſu interno. Apud Eſajam, "*Sicut aves volantes, ſic proteget Jehovah Zebaoth Hieroſolymam,*" xxxi. 5; dicitur Jehovah protegere Hieroſolymam, ſicut aves volantes, nam per protegere ſignificatur Divina Providentia quoad tutelam, per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia, et per aves volantes, cum quibus fit comparatio, ſignificatur circumſpectio et præſentia, hic, quia de Domino, Omnipræſentia. In Apocalypſi,

“ *Vidi et audivi unum Angelum volantem per medium Cœli, dicentem voce magna, væ væ incolis terræ,*” viii. 13: et alibi, “ *Vidi alium Angelum volantem per medium Cœli habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret incolis terræ,*” xiv. 6; per priorem Angelum ſignificatur damnatio omnium qui in malis ſunt, et per alterum Angelum ſignificatur ſalvatio omnium qui in bono ſunt; per volare ſignificatur circumſpectio undequaque ubi ſunt. Apud Eſajam, “ *Omnia pecora Arabiæ congregabuntur tibi, arietes Nebajoth miniſtrabunt tibi; qui illi, ſicut nubes volant, et ſicut columbæ ad feneſtras,*” lx. 7, 8; agitur ibi de adventu Domini, et de illuſtratione gentium tunc; et per pecora Arabiæ quæ congregabuntur, ſignificantur cognitiones veri et boni; per Arietes Nebajoth qui miniſtrabunt, ſignificantur vera quæ vitam ex affectione ſpirituali ducunt; per volare ſicut nubes, et ſicut columbæ ad feneſtras, ſignificatur inquiſitio et perveſtigatio veri ex ſenſu literæ Verbi; inde etiam per volare ſignificatur circumſpectio; per nubem enim ſignificatur ſenſus literæ Verbi, per columbas affectio veri ſpiritualis, et per feneſtras verum in luce; quod talis ſenſus illis verbis inſit, conſtare poteſt ex ſignificatione pecorum Arabiæ, arietum Nebajoth, nubis, columbarum et feneſtrarum. Apud Davidem, “ *Timor et tremor venit ſuper me, unde dixi, quis dabit mihi alam ſicut columbæ, avolabo ubi habitem; ecce elongabo vagari, pernoctabo in deſerto,*” Pſalm. lv. 6, 7, 8; agitur ibi de Tentatione et de anguſtia tunc, timor et tremor ſignificant illam anguſtiam; inquiſitio veri tunc, et circumſpectio quo ſe vertat, ſignificatur per quis dabit mihi alam ſicut columbæ, avolabo ubi habitem, ala columbæ eſt affectio veri ſpiritualis, avolare ubi habitem eſt per illam eripere vitam a damnatione; nondum ſpes liberationis, ſignificatur per ecce elongabo vagari, pernoctabo in deſerto. Apud Hoſcheam, “ *Ephraim, ſicut avis avolabit gloria eorum, imo ſi educaverint filios, tum orbos faciam eos ab homine,*” ix. 11, 12; per Ephraim ſignificatur intellectus illuſtratus eorum qui ab Eccleſia; per gloriam ſignificatur Divinum Verum; per avolare ſicut avis, ſignificatur deprivatio ejus, comparatio fit cum ave, quia avis ſignificat rationale et intellectuale ſimile cum Ephraim; per ſi educaverint filios tum orbos faciam eos ab homine, ſignificatur ſi uſque protulerint vera quod uſque per illa nihil ſaperent, filii enim ſunt vera, orbos facere ab homine eſt deprivare a ſapientia. Apud Moſen, “ *Non facietis vobis formam ullius animalis in terra, nec formam ullius avis alatæ quæ volat verſus Cœlum,*” Deut. iv. 17; per hæc in ſenſu interno ſignificatur quod non ſibi comparanda ſit ſapientia et intelligentia ex ſemet ſeu ex proprio; per Animalia enim quæ gradiuntur ſuper terra ſignificantur affectiones boni ex quibus ſapientia, et per aves ſignificantur affectiones veri ex quibus intelligentia; per quod non facerent ſibi formam eorum ſignificatur quod illæ non comparandæ ſint ex homine ſeu ex proprio ejus; avis alata quæ volat verſus cœlum dicitur, quia per avem alatam ſignificatur intellectus veri ſpiritualis, et per volare verſus cœlum ſignificatur circumſpectio quæ eſt intelligentiæ in Divinis. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod hic Cherubus apparuerit ſimilis Aquilæ volanti; ſicut etiam quid ſignificatur apud Eſajam per “ *Seraphim cui erant ſex alæ, quarum duabus tegebat faciem, duabus tegebat pedes, et duabus volabat,*”

vi. 2, quod nempe per alas quibus tegebat faciem ſignificetur affectio veri ſpiritualis; per alas quibus tegebat pedes, affectio veri naturalis inde; et per alas quibus volabat circumſpectio et præſentia, hic omnipræſentia, quia per Seraphim ſimile ſignificatur quod per Cherubim, nempe Divina Providentia quoad Cuſtodiam. Quod per Volare, cum de hominibus, ſignificetur circumſpectio et ſimul præſentia, eſt quia viſus eſt præſens apud objectum quod videt, quod appareat longinquum aut diſtans, eſt ex intermediis, quæ ſimul apparent, et menſurari poſſunt quoad ſpatia; hoc plene confirmari poteſt ex illis quæ exiſtunt in ſpirituali mundo, in eo ipſa ſpatia ſunt apparentiæ oriundæ ex diverſitate affectionum et inde cogitationum, quapropter cum apparent aliqui aut aliqua longinque, et Angelus ſeu ſpiritus ex intenſa affectione vult illos qui ibi ſunt convenire, aut illa quæ ibi ſunt luſtrare, ſtatim ibi præſens eſt: ſimile fit cum cogitatione quæ eſt viſus hominis internus ſeu ſpiritualis, illa videt quæ prius viderat in ſe abſque ſpatio, ita prorſus ut præſentia: inde eſt, quod volare dicatur de intellectu et de ejus intelligentia, et quod per id ſignificetur circumſpectio et præſentia.

283. Et quatuor Animalia ſingula per ſe habebant alas ſex in circuitu, quod ſignificet apparentiam Divini Spiritualis undequaque circum Divinum Cœleſte, conſtat ex ſignificatione quatuor Animalium, quæ erant Cherubi, quod ſint Cuſtodia et Providentia Divina Domini ne adeantur Cœli ſuperiores niſi a bono amoris et charitatis; et quia per quatuor Animalia quoad corpora hoc ſignificatur, etiam ſignificatur Divinum Cœleſte, de qua ſequitur; et ex ſignificatione ſex alarum in circuitu, quod ſit Divinum ſpirituale circum illud, de qua etiam ſequitur: quod Cherubi quoad corpora ſignificaverint Divinum Cœleſte, et quoad alas Divinum ſpirituale, eſt cauſa, quia omnia, per quæ repræſentantur Cœleſtia, quoad ipſa corpora ſignificent eſſentialia, et quoad illa quæ circum ſunt, ſignificent formalia; ita quoque homo quoad Corpus ſignificat bonum in eſſentia, et quoad illa quæ ambiunt bonum in forma: bonum Cœleſte eſt bonum in eſſentia, et bonum ſpirituale eſt bonum in forma; et hoc ex cauſa, quia voluntas, ubi reſidet bonum, eſt ipſe homo ſeu homo in eſſentia, ac intellectus ubi eſt verum, quod eſt forma boni, eſt homo inde, ita homo in forma; hoc bonum etiam circum illud eſt. Sed primum dicetur, quid ſit Divinum Cœleſte, et quid Divinum ſpirituale: ſunt Cœli diſtincti in duo Regna, quorum unum vocatur Regnum Cœleſte, alterum Regnum Spirituale; diſtinguuntur in eo, quod illi qui in Regno Cœleſti ſunt, in bono amoris in Dominum ſint, et illi qui in Regno ſpirituali, in bono charitatis erga proximum ſint; inde Divinum Cœleſte eſt bonum amoris in Dominum, et Divinum ſpirituale eſt bonum charitatis erga proximum: ſecundum hæc bona etiam Cœli ordinati ſunt; ſupremum ſeu tertium Cœlum conſiſtit ex illis qui in bono Cœleſti ſeu in bono amoris in Dominum ſunt, et Cœlum quod ei ſuccedit, et vocatur Cœlum medium ſeu ſecundum, conſiſtit ex illis qui in bono ſpirituali ſeu in bono charitatis erga proximum ſunt; et quia bonum Cœleſte eſt bonum in ſupremo loco, ac bonum ſpirituale eſt bonum in ſecundo loco, ideo eſt hoc circum illud; quod enim ſupra eſt hoc etiam intra eſt, et quod infra eſt hoc etiam extra eſt,

et quod extra eſt hoc circum eſt; inde eſt, quod in Verbo per ſuperiora et quæ in medio ſignificentur interiora, et per inferiora et quæ in circuitu intelligantur exteriora. Quia nunc utrumque bonum, cœleſte et ſpirituale, cuſtodit, et per ipſa Animalia ſeu per Cherubos quoad corpora ſignificatur Divinum Cœleſte, et per illos quoad alas ſignificatur Divinum ſpirituale, patet, quod per quatuor Animalia ſingula per ſe viſa ſint habere alas ſex in circuitu, ſignificetur apparentia Divini ſpiritualis undequaque circum Divinum Cœleſte: ſed de his plenior idea haberi poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno dicta et oſtenſa ſunt; primum ex Articulo, ubi oſtenditur, *quod Divinum Domini faciat Cœlum,* n. 7 ad 12: dein ex Articulo, *quod Divinum Domini in Cœlo ſit Amor in Ipſum et Charitas erga proximum,* n. 13 ad 19: et demum in Articulo, *quod Cœlum diſtinctum ſit in duo Regna, in Regnum Cœleſte et in Regnum Spirituale,* n. 20 ad 28. Quod Cherubi viſi ſint ut Animalia, eſt quia Cœleſtia repræſentantur variis modis in ultimis, ut conſtare poteſt ex multis locis in Verbo, prout quod Spiritus ſanctus apparuerit ut Columba ſupra Jeſum cum baptizatus, Matth. iii. 16, 17; et quod Divinum Domini apparuerit ut Agnus, Apoc. v. 6, 8, 13; unde etiam Dominus vocatus eſt Agnus, Apoc. vi. 1, 16. Cap. vii. 9, 10, 14, 17. Cap. xii. 11. Cap. xiii. 8. Cap. xiv. 1, 4. Cap. xvii. 14. Cap. xix. 7, 9. Cap. xxi. 22, 23, 26. Quod Cherubi fuerint quatuor, et ſinguli habuerint ſex alas, eſt quia per quatuor ſignificatur bonum cœleſte, et per ſex bonum ſpirituale; quatuor enim ſignificant conjunctionem, et conjunctio intima cum Domino eſt per amorem in Ipſum; ſex autem ſignificant communicationem, et communicatio cum Domino eſt per charitatem erga proximum. Quod Alæ ſignificent Divinum ſpirituale, quod in ſua eſſentia eſt verum ex bono, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Si cubueritis inter ordines, alæ columbæ obductæ argento, et pennæ ejus flavedine auri, cum expandit Schaddai, reges in ea,*" Pſalm. lxviii. 14, 15; quid ſignificat quod eis qui cubant inter ordines alæ columbæ obductæ argento, et pennæ flavedine auri, et quod reges in ea cum expandit Schaddai, nemo intelligit niſi ex ſenſu interno; in hoc cubare inter ordines ſignificat vivere in ſtatutis; alæ columbæ obductæ argento ſignificant vera ſpiritualia; pennæ flavedine auri ſignificant bonum ſpirituale ex quo illa vera; Schaddai ſignificat ſtatum tentationum; reges in ea ſignificant vera in illo et poſt illum: quod alæ columbæ obductæ argento ſignificent vera ſpiritualia, eſt quia ala ſignificat ſpirituale, columba verum ex bono, et argentum ipſum verum; quod pennæ obductæ flavedine auri ſignificent bonum ſpirituale ex quo illa vera, eſt quia penna ſignificat bonum ſpirituale ex quo vera, et ſimile flavedo auri; quod cum expandit Schaddai ſignificet ſtatum tentationum, eſt quia Deus Schaddai ſignificat tentationes et conſolationes poſt illas; et quia vera ex bono implantantur homini per tentationes, ideo dicitur Reges in ea, per reges enim ſignificantur vera ex bono, videatur ſupra n. 31. Apud Eundem, "*Deus equitavit ſuper Cherubo, volavit, vectus eſt ſuper alis venti,*" Pſalm. xviii. 11; Deus equitavit ſuper Cherubo, ſignificat Divinam Providentiam Domini; volavit ſignificat

Omnipræſentiam in ſpirituali mundo; vectus ſuper alis venti, ſignificat Omnipræſentiam in naturali mundo; alæ venti ſunt ſpiritualia ex quibus naturalia. Apud Eundem, "*Jehovah ſub ala ſua obtegit te, et ſub abyſſo confides; clypeus et parma veritas,*" Pſalm. xci. 4; ſub ala obtegere, ſignificat cuſtodire per Divinum Verum, quod eſt Divinum ſpirituale; ſub abyſſo confidere, ſignificat Verum ſcientificum, quod eſt Divinum ſpirituale naturale; quia hoc et illud ſignificat Verum, et obtegere ſignificat cuſtodiam per illud, ideo dicitur clypeus et parma veritas. Ex his etiam patet, quid ſignificatur per "*Occultari ſub umbra alarum Dei,*" Pſalm. xvii. 8: per "*Confidere in umbra alarum Ipſius,*" Pſalm. xxxvi. 8. Pſalm. lvii. 2: tum quid per "*Cantare ſub umbra alarum Ipſius,*" Pſalm. lxiii. 8. Quod ala, cum de Domino, ſignificet Divinum Spirituale, conſtat adhuc ex his locis; apud Ezechielem, "*Cum præterivi præter te, et vidi te, quod ecce tempus tuum, tempus amorum, expandi alam meam ſuper te, et operui nuditatem tuam,*" xvi. 8; agitur ibi de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia, ibi de ejus reformatione; tempus amorum ſignificat ſtatum quando reformari potuit; expandi alam meam ſuper te, ſignificat ſpirituale verum per quod facta eſt reformatio; operui nuditatem tuam, ſignificat per id occultationem mali; malum enim, quod homini eſt ex hæreditario et dein ex proprio, occultatur, hoc eſt, removetur ut non appareat, per vera ſpiritualia, quæ ſunt vera ex bono. Apud Davidem, "*Jehovah operit ſe luce ſicut veſte, extendit cœlos ſicut cortinam, contignat aquis triclinia ſua, ponit nubes currum ſuum, ambulat ſuper alis venti,*" Pſalm. civ. 2, 3, 4; per lucem, qua ſe operit Jehovah, ſignificatur Divinum Verum in Cœlis, quod veſtis Ipſius vocatur, quia procedit ab Ipſo ut Sole, et ſic eſt extra ac circum Ipſum, per hoc ſimile ſignificatur quod per lucem et veſtes Domini cum transformatus, Matth. xvii. 2. Marc. ix. 3. Luc. ix. 28 ad 37; extendit Cœlos ſicut cortinam, ſignificat implere Divino Vero et per id intelligentia Cœlum et illos qui ibi; contignare aquis triclinia ſua, ſignificat implere cognitionibus veri et boni illos ibi qui in ultimo Cœlo et qui in Eccleſia; ponere nubes currum ſuum, ſignificat doctrinam veri ex ſenſu literali Verbi, nubes eſt ille ſenſus, et currus eſt doctrina; ambulare ſuper alis venti, ſignificat ſenſum ſpiritualem qui in ſenſu literali. Apud Malachiam, "*Exorietur vobis, timentes Nominis mei, Sol juſtitiæ, et ſanitas in alis Ipſius,*" iii. 20; Sol juſtitiæ ſignificat bonum amoris, quod eſt Divinum Cœleſte; et alæ Jehovæ in quibus ſanitas, ſignificat verum ex illo bono, quod eſt Divinum ſpirituale; ſanitas eſt reformatio per illud. Apud Moſen, "*Sicut Aquila excitat nidum ſuum, ſuper pullis ſuis motitat ſe, expandit alas ſuas, portat ſuper ala ſua, ſic Jehovah ducit eum,*" Deut. xxxii. 10, 11, 12; comparatio fit cum Aquila, quia Aquila ſignificat intelligentiam, et Ala Divinum ſpirituale, quod eſt Divinum Verum ex quo illa. Apud Eſajam, "*Exſpectantes Jehovam innovantur robore, aſcendunt ala ſicut Aquilæ,*" xl. 31; aſcendere ala ſicut aquilæ eſt in lucem Cœli, quæ eſt Divinum Verum ſeu Divinum ſpirituale ex quo intelligentia. Apud Ezechielem, "*In monte altitudinis plantabo eum, ut attollat ramum et faciat fructum, et evadat in Cedrum* *magnificam, ut habitent ſub illa omnis avis cujuſcunquæ alæ,*" xvii. 23; per Cedrum magnificam ſignificatur ſpiritualis Eccleſia; per omnem avem cujuſcunque alæ ſignificantur intellectualia quæ ex ſpiritualibus veris. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per alas Cheruborum tam hic quam alibi in Verbo, quod nempe Divinum ſpirituale, quod eſt Divinum Verum inſtruens, regenerans, et tutans; ut quoque apud Ezechielem, "*Quatuor facies erant unicuique Cherubo, et quatuor alæ unicuique; alæ eorum erectæ unius ad alterum; cuique alæ tegentes corpora eorum: audivi ſonum alarum tanquam ſonum aquarum magnarum, ſicut vocem Schaddai; cum ibant, vocem tumultus tanquam vocem caſtrorum; cum ſtabant, remittebant alas ſuas: audivi vocem alarum illorum, oſculantium ſe unius ad alterum, et vocem rotarum juxta illos: vox alarum Cheruborum audita eſt ad Atrium exterius, ſicut vox Dei Schaddai: ſimilitudo manuum erat ſub alis illorum,*" i. 4, 6, 23, 25, 26. Cap. iii. 13. Cap. x. 5, 21; quod Alæ hic ſignificent Divinum Spirituale, quod eſt Divinum Verum Domini in Regno Ipſius Cœleſti, conſtat ex ſingulis deſcriptionis ibi; quod Alæ eſſent quatuor, ſignificat Divinum ſpirituale in eo Regno; quod Alæ eſſent erectæ unius ad alterum, et quod ſemet oſcularentur, ſignificat conſociationem et conjunctionem omnium ibi a Domino; quod alæ tegerent corpora eorum, ſignificat Divinum ſpirituale circumdans Divinum cœleſte ibi; quod ſonus alarum auditus ſit ſicut ſonus aquarum magnarum, et quod ſicut rotarum, et ſicut vox Schaddai, et quod vox alarum audita ſit ad atrium exterius, ſignificat quale Divini ſpiritualis ſeu Divini Veri in ultimo Cœlo, vox enim prædicatur de vero, aquæ ſignificant vera et eorum perceptionem; rotæ vera doctrinalium ex eo quod currus ſignificet doctrinam; et Deus Schaddai eſt verum increpans in tentationibus et poſtea conſolans; atrium exterius eſt ultimum Cœlum; ſimilitudo manuum ſub alis ſignificat Divini Veri potentiam. Ex his quoque conſtare poteſt, quid ſignificabatur per alas Cheruborum qui ſuper Propitiatorio quod ſuper Arcam, de quibus ita apud Moſen, "*Fac Cherubum unum ab extremitate hinc, et Cherubum alterum ab extremitate illinc; ex Propitiatorio facietis Cherubos ſuper duabus extremitatibus ejus: et erunt Cherubi expandentes alas ſurſum, obtegentes alis ſuis ſuper Propitiatorium, et facies eorum viri ad fratrem ſuum, ad Propitiatorium erunt facies Cheruborum: et dabis Propitiatorium ſuper Arcam deſuper, et ad Arcam dabis Teſtimonium, quod dabo ad te,*" Exod. xxv. 18, 19, 20, 21; per Cherubos ibi ſimiliter ſignificatur Domini Providentia quoad cuſtodiam ne Cœlum ſupremum ſeu Regnum Cœleſte adeatur niſi per bonum amoris a Domino in Dominum; per Teſtimonium ſeu Legem in Arca ſignificatur Ipſe Dominus; per Arcam Cœlum intimum ſeu ſupremum; per Propitiatorium auditio et receptio omnium cultus quæ ex bono amoris, et tunc expiatio; per alas Cheruborum ſignificatur Divinum ſpirituale in eo Cœlo aut in eo Regno; per quod alæ expanſæ eſſent ſurſum, et per quod obtegerent Propitiatorium, et quod facies eorum eſſent ad Propitiatorium, ſignificatur ipſa receptio et auditio: ſed hæc plenius explicata videantur in ARCANIS CŒLESTIBUS, a n. 9506 ad 9546. Et quia per alas Cheruborum et earum determinationes ſignificatur Divinum Verum

Verum auditum et receptum a Domino, ideo ſequitur apud Moſen, "*Et conveniam te ibi, et loquar tecum deſuper Propitiatorio ab inter binos Cherubos; qui ſuper Arca Teſtimonii, omnia quæ præcipiam tibi apud filios Iſraelis,*" Verſ. 22 ibi; et Num. vii. 89. Quia pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habent, ita quoque alæ, in quo ſignificant falſa et ratiocinationes ex illis; ut in Apocalypſi, "*E fumo putei abyſſi exiverunt locuſtæ, et vox alarum illarum ſicut vox equorum multorum currentium ad bellum,*" ix. 2, 9; locuſtæ ſignificant falſa in extremis; et equi ratiocinia ex illis, et bellum pugnam falſi contra verum, inde dicitur vox alarum locuſtarum ſicut vox equorum multorum currentium ad bellum. Apud Hoſcheam, "*Sociatus idolis Ephraim, receſſit vinum eorum, ſcortando ſcortari fecerunt, ligavit ventus eam in alis ſuis, et pudefient a ſacrificiis ſuis,*" iv. 17, 18, 19; per Ephraim ſignificatur intellectuale, quale eſt illis intra Eccleſiam qui illuſtrantur cum legunt Verbum; per idola ſignificantur falſa doctrinæ; inde per ſociatus idolis Ephraim ſignificatur intellectuale perverſum arripiens falſa; per receſſit vinum eorum, ſignificatur quod receſſerit verum Eccleſiæ, vinum eſt id Verum; per ſcortando ſcortari fecerunt, ſignificatur quod falſificaverint vera, ſcortatio eſt falſificatio veri; per ligavit ventus in alis, ſignificatur ratiocinatio ex fallaciis, unde falſa: quid fallaciæ in ſpiritualibus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 53. Simile per ventum in alis ſignificatur apud Sachariam, Cap. v. 9.

284. Et intus plena erant oculis, quod ſignificet Divinam Providentiam et Cuſtodiam, conſtat ex ſignificatione Oculorum, cum de Domino, quod ſit Divina Ipſius Providentia, de qua ſupra n. 68 et 152; quod etiam Cuſtodiam, eſt quia per Cherubos illa quoque ſignificatur, n. 277.

285. Et requiem non habebant die et nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod ſignificet Sanctiſſimum quod procedit a Domino, conſtat ex ſignificatione requiem non habere die et nocte, cum de Divina Providentia et Cuſtodia Domini, quæ ſignificantur per quatuor Cherubos qui apparuerunt ſicut quatuor Animalia, quod ſit univerſaliter et perpetuo, quoniam Divina Domini Providentia et Cuſtodia in æternum non requieſcit et ceſſat; et ex ſignificatione Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod ſit Sanctiſſimum quod procedit a Domino, nam per Sanctum ter nominatum ſignificatur Sanctiſſimum, ex cauſa quia Tria in Verbo ſignificant plenum, completum et continuum, videatur n. 2788, 4495, 7715. Simile ſignificatur per hæc apud Eſajam, "*Vidi Dominum ſedentem ſuper Throno alto et elato, et fimbriæ Ipſius implentes Templum; Seraphim ſtantes deſuper illo; ſex alæ cuivis, duabus tegebat facies ſuas, duabus tegebat pedes ſuos, et duabus volabat; et clamavit hic ad illum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovah Zebaoth, plenitudo terræ gloria Ipſius,*" v. 1, 2, 3; per Seraphim hic ſimilia ſignificantur quæ per Cherubos; et per Thronum altum et elatum, Divinum procedens ex quo Cœlum; per fimbrias quæ implebant Templum, ſignificatur Divinum Verum procedens a Domino in ultimis Cœli et in Eccleſia; per alas quibus tegebat facies et pedes, et quibus volabat, ſignificatur Divinum ſpirituale in primis et

in ultimis, et extenſio ejus undequaque, ita Omnipræſentia; per Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſignificatur ſanctiſſimum; quod hoc ſit Divinum Verum quod implet omnia, ſignificatur per quod plenitudo terræ gloria Ipſius, quod Gloria ſit Divinum Verum, videatur ſupra n. 34; et quod Dominus ſit ſolus Sanctus; et quod Sanctum dicatur de Divino Vero quod procedit ab Ipſo, etiam ſupra n. 204.

286. Dominus Deus Omnipotens, Qui erat et Qui eſt et Qui venturus, quod ſignificet Qui Infinitus et Æternus, conſtat ex ſignificatione Omnipotentis, quod ſit quod Infinitus, de qua ſequitur; et ex ſignificatione Qui erat Qui eſt et Qui venturus, quod ſit quod Æternus, de qua ſupra n. 23. Sunt duo quæ de Solo Jehovah, hoc eſt, Domino prædicari poſſunt, nempe Infinitum et Æternum, Infinitum de Ipſius Eſſe, quod eſt Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, Æternum de Ipſius Exiſtere ex illo Eſſe, quod eſt Divinum Verum Divinæ Sapientiæ Ipſius; hæc duo ſunt Divina in ſe: ex his duobus Univerſum eſt creatum, quapropter etiam in Univerſo omnia ſe referunt ad bonum et ad verum, et bonum ubivis eſt Eſſe rei, ac Verum eſt Exiſtere inde; ſed hæc duo in omnibus Univerſi ſunt finita. Inde eſt, quod hic dicatur Dominus Deus, Dominus enim ſignificat Divinum Bonum Divini Amoris, ac Deus Divinum Verum Divinæ Sapientiæ: quod Jehovah in Verbo dicatur Dominus ex Divino Bono, videatur n. 4973, 9167, 9194; ac Deus ex Divino Vero, n. 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4287, 4402, 7010, 9167. Ex his patet, quod Omnipotens ſignificet Infinitum, et quod Qui erat Qui eſt et Qui venturus ſignificet Æternum.

287. Verſ. 9, 10, 11. *Et cum dederunt Animalia gloriam et honorem et gratiarum actionem Sedenti ſuper Throno, Viventi in ſæcula ſæculorum; procidebant viginti et quatuor Seniores coram Sedente ſuper Throno, et adorabant Viventem in ſæcula ſæculorum, et abjiciebant coronas ſuas coram Throno, dicentes, Dignus es, Domine, accipere gloriam et honorem et poteſtatem, quia Tu creaſti omnia, et per Voluntatem tuam ſunt et creata ſunt.* Et cum dederunt Animalia gloriam et honorem et gratiarum actionem, ſignificat Divinum Verum et Divinum Bonum, ac Glorificationem: Sedenti ſuper Throno, et Viventi in ſæcula ſæculorum, ſignificat a Quo omnia Cœli et Eccleſiæ, et Vita æterna: procidebant viginti et quatuor Seniores coram Sedente ſuper Throno, ſignificat humiliationem et tunc agnitionem ab illis qui in Vero ex bono ſunt quod a Domino omnia Cœli et Eccleſiæ: et adorabant Viventem in ſæcula ſæculorum, ſignificat humiliationem et tunc agnitionem quod a Domino Vita æterna: et abjiciebant coronas ſuas coram Throno, ſignificat humiliationem et tunc agnitionem corde quod nihil boni ex illis, ſed quod omne a Domino: dicentes, dignus es Domine accipere gloriam et honorem et poteſtatem, ſignificat Meritum et Juſtitiam quæ Divino Humano Domini, quod ex Eo ſit omne Divinum Verum ac Divinum Bonum, et ſalvatio: quia Tu creaſti omnia, ſignificat quod ab Ipſo omnis exiſtentia et vita ſit, ac Cœlum illis qui recipiunt: et per Voluntatem tuam ſunt et creata ſunt, ſignificat quod per Divinum Bonum ſint, et per Divinum Verum exiſtant.

288. Et cum dederunt Animalia gloriam et honorem et gratiarum

actionem, quod ſignificet Divinum Verum et Divinum Bonum, ac glorificationem, conſtat ex ſignificatione gloriæ et honoris, cum de Domino, quod ſit Divinum Verum et Divinum Bonum, Gloria Divinum Verum, ac Honor Divinum Bonum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione gratiarum actionis, quod ſit glorificatio: quid per glorificationem hic intelligitur, primum dicetur; glorificatio, cum a Domino, eſt perpetuus influxus Divini Boni uniti Divino Vero apud Angelos et apud homines; et apud hos et illos glorificatio Domini eſt receptio, et agnitio corde, quod omne bonum et omne verum a Domino ſit, et inde omnis intelligentia, ſapientia et felicitas; hoc in ſenſu ſpirituali ſignificatur per gratiarum actionem. Omnis etiam glorificatio Domini, quæ fit ab Angelis Cœli et ab hominibus Eccleſiæ, non eſt ab ipſis, ſed influit a Domino; glorificatio quæ eſt ab hominibus et non a Domino, non eſt ex corde ſed ſolum ex activo memoriæ et ſic ex ore, et quod ſolum ex his prodit, et non per illa ex corde, non auditur in cœlo, ita nec recipitur a Domino, ſed elabitur ſicut alia vox ſonora in mundum; hæc glorificatio non eſt agnitio corde quod omne bonum et omne verum ſit a Domino: agnitio corde dicitur, et per id intelligitur ex vita amoris, nam cor in Verbo ſignificat amorem, et amor eſt vita ſecundum præcepta Domini; quando homo in hac vita eſt, tunc eſt glorificatio Domini, quæ eſt agnitio quod omne bonum et verum ſit a Domino, ex corde: hoc quoque intelligitur per glorificari apud Johannem, "*Si manſeritis in Me, et verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis petite, et fiet vobis: in hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum feratis, et ſitis mei diſcipuli,*" xv. 7, 8. Quod quatuor Animalia, quæ erant Cherubi, dederint gloriam et honorem et gratiarum actionem, eſt quia Divinum Verum et Divinum Bonum ac glorificatio, quæ ſignificantur per gloriam, honorem et gratiarum actionem, procedunt et influunt a Domino, Cherubi enim illi ſignificant Dominum quoad Providentiam et Cuſtodiam, videatur ſupra n. 277, et illi erant in medio Throni et circum Thronum, ut patet ex Verſu 6 hujus Capitis, et ſuper Throno erat Dominus Verſ. 2; inde conſtat quod illa a Domino: receptio autem et agnitio corde intelligitur per verba Verſus ſequentis, nempe per hæc, his auditis *procidebant viginti et quatuor Seniores coram Sedente ſuper Throno, et adorabant Viventem in ſæcula ſæculorum, et abjiciebant coronas ſuas coram Throno.* In Verbo ſæpius dicitur Gloria et Honor, et ubivis Gloria ſignificat Verum et Honor Bonum; quod duo illa dicantur ſimul, eſt quia in ſingulis Verbi eſt conjugium Cœleſte, quod eſt conjunctio Veri et Boni; cauſa, quod id conjugium ſit in ſingulis Verbi, eſt quia Divinum quod procedit a Domino, eſt Divinum Verum unitum Divino Bono; et quia hoc cum illo facit Cœlum, et quoque facit Eccleſiam, ideo in ſingulis Verbi illud eſt; ita quoque in ſingulis Verbi eſt Divinum a Domino, et Ipſe Dominus; per hoc etiam Verbum ſanctiſſimum eſt; quod tale conjugium ſit in ſingulis Verbi, videatur ſupra n. 238; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2516, 2712, 3004, 3005, 3009, 4158, 5138, 5194, 5502, 6343, 7022, 7945, 8339, 9263, 9314. Quod Gloria ſignificet Divinum Verum a Domino, videatur ſupra n. 34; quod Honor ſignificet Divinum Bonum, ſequitur ex illis quæ dicta ſunt de conjugio cœleſti in ſingulis Verbi; ut quoque conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Jehovah Cælos fecit, Gloria et Honor coram Ipſo, robur et decus in ſanctuario Ipſius,*" Pſalm. xcvi. 5, 6; per Cœlos intelligitur Divinum quod procedit a Domino, quoniam Cœli ex Divino Ipſius ſunt; et quia Divinum quod procedit et facit Cœlos eſt Divinum Verum et Divinum Bonum, ideo dicitur Gloria et Honor coram Ipſo; per Sanctuarium intelligitur Eccleſia, Divinum Bonum et Divinum Verum ibi intelliguntur per robur et decus: quod Divinum Domini faciat Cœlos, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 7 ad 12: et quod Divinum Domini in Cœlis ſit Divinum Verum et Divinum Bonum, n. 7, 13, 133, 138, 139, 140. Apud Eundem, "*Jehovah Deus magnus valde, Gloriam et Honorem induiſti,*" Pſalm. civ. 1; per Gloriam et Honorem induere, cum de Jehovah, ſignificatur ſuccingere Se Divino Vero et Divino Bono, hæc enim procedunt ab Ipſo, et inde cingunt Ipſum, et faciunt Cœlos, ideo illa in Verbo dicuntur Veſtis Ipſius et Indumentum, videatur ſupra n. 65 et 271. Apud Eundem, "*Magna Opera Jehovæ, Gloria et Honor Opus Ipſius,*" Pſalm. cxi. 2, 3; per Opera Jehovæ intelliguntur omnia quæ procedunt et fiunt ab Ipſo; quæ quia ſe referunt ad Divinum Verum et ad Divinum Bonum, ideo dicitur Gloria et Honor opus Ipſius. Apud Eundem, "*Generatio generationi laudabit Opera tua, et virtutes tuas annuntiabunt, Honorem magnificentiæ Gloriæ tuæ, et verba mirabilium tuorum meditabor: et notas faciam filiis hominum virtutes Ipſius, et Gloriam honoris Regni Ipſius,*" Pſalm. cxlv. 4, 5, 12; honor magnificentiæ gloriæ pro Divino Bono unito Divino Vero; et gloria honoris pro Divino Vero unito Divino Bono; quod ita dicatur, eſt quia unitio eſt reciproca, a Domino enim procedit Divinum Bonum unitum Divino Vero, in Cœlo vero ab Angelis et in Eccleſia ab hominibus recipitur Divinum Verum et unitur Divino Bono, ideo dicitur gloria honoris Regni Ipſius, per Regnum Ipſius ſignificatur Cœlum et Eccleſia. Apud Eundem, "*Gloriam et Honorem pones ſuper Ipſum, quoniam ponis Ipſum benedictiones in æternum,*" Pſalm. xxi. 6, 7; hæc dicta ſunt de Domino, et per gloriam et honorem ſuper Ipſum intelligitur omne Divinum Verum et Divinum Bonum. Apud Eundem, "*Accinge gladium tuum ſuper femur, potens Gloria et Honore tuo; in Honore tuo conſcende, equita ſuper Verbo veritatis,*" Pſalm. xlv. 4, 5; etiam hæc de Domino; accingere gladium ſuper femur, ſignificat Divinum Verum pugnans ex Divino Bono, quod id per gladium ſuper femur ſignificetur, videatur n. 10485; et quia ex Divino Vero ſubjugavit Inferna, ac diſpoſuit in ordinem Cœlos, ideo dicitur potens gloria et honore, et quoque in honore conſcende et equita ſuper verbo veritatis; in honore conſcendere et equitare ſuper verbo veritatis ſignificat agere ex Divino Bono per Divinum Verum. Apud Eundem, "*Carere Ipſum feciſti paululum præ Angelis, ſed Gloria et Honore coronaſti Ipſum,*" Pſalm. viii. 6; etiam de Domino; ſtatus humiliationis Ipſius deſcribitur per carere Ipſum feciſti paululum præ Angelis, et ſtatus glorificationis per gloria et honore coronaſti Ipſum; per glorificare intelligitur unire Ipſum Divinum ſuum Humano ſuo, et Hoc quoque facere Divinum. Apud Eſajam, "*Lætamini* *deſertum et locus aridus, et exultet planities deſerti, et floreat ſicut roſa, florendo floreat et exultet ; gloria Libani data eſt illi, honor Carmeli et Scharonis : illi videbunt gloriam Jehovæ et honorem Dei noſtri,*" xxxv. 1, 2 ; agitur hic de illuminatione gentium, illarum ignoranta veri et boni ſignificatur per deſertum et locum aridum ; illarum gaudium ex inſtructione in veris et illuminatione per lætari, exultare et florere ; gloria Libani quæ data illis ſignificat Divinum Verum, et honor Carmeli et Scharonis ſignificat Divinum Bonum, quæ recipiunt ; inde eſt quod etiam dicatur, illi videbunt gloriam Jehovæ et honorem Dei noſtri. In Apocalypſi, "*Gentes, quæ ſervatæ ſunt, ambulabunt ad lucem ejus, et reges terræ gloriam ſuam et honorem ad eam afferent : et adferetur in eam gloria et honor gentium,*" xxi. 24, 26 ; hæc dicta ſunt de Nova Hieroſolyma, per quam ſignificatur Nova Eccleſia in Cœlis et in terris ; per Gentes ibi ſignificantur omnes qui in bono ſunt ; et per reges terræ omnes qui in veris ex bono ; de utriſque dicitur quod adferent gloriam et honorem in illam, et per id intelligitur cultus ex bono amoris in Dominum, et ex veris fidei quæ ex bono charitatis erga proximum.

289. Sedenti ſuper Throno, et Viventi in ſæcula ſæculorum, quod ſignificet a Quo omnia Cœli et Eccleſiæ, et Vita æterna, conſtat ex ſignificatione Throni, cum de Domino, quod in genere ſit totum Cœlum, in ſpecie Cœlum ſpirituale, et abſtracte Divinum Verum procedens, et quia per hoc Cœli exiſtunt, ideo per Thronum hic ſignificantur omnia Cœli et Eccleſiæ, de qua ſupra n. 253 ; quod Sedens ſuper Throno ſit Dominus, videatur etiam ſupra n. 267, 268 ; et ex ſignificatione Viventis in ſæcula ſæculorum, quod ſit quod vita æterna ſit ab Ipſo, de qua ſupra n. 84 ; per Viventem enim ſignificatur quod Solus Vita, et inde quod omne vitæ, quod apud Angelos et apud homines, ſit ab Ipſo, et per ſæcula ſæculorum ſignificatur æternum ; quod ſæcula ſæculorum ſignificent æternum, eſt quia illa in Mundo ſignificant tempora quoad omnem eorum durationem, in Cœlo autem, ubi tempora qualia in mundo non dantur, ſignificant æternum ; ſenſus enim literæ Verbi eſt ex talibus quæ in Mundo ſunt, ſenſus autem ſpiritualis ejus ex talibus quæ in Cœlo ſunt, et hoc ob cauſam ut Divinum deſinat in naturalia quæ mundi ſunt ut in ſua ultima, ac in illis quieſcat et ſuper illis ſubſiſtat, inde eſt quod ſæcula ſæculorum dicantur, et non dicatur æternum.

290. Procidebant viginti et quatuor Seniores coram Sedente ſuper Throno, quod ſignificet humiliationem et tunc agnitionem ab illis qui in vero ex bono ſunt, quod a Domino omnia Cœli et Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione procidere, quod ſit humiliatio et tunc agnitio corde ; ex ſignificatione viginti et quatuor Seniorum, quod ſint qui in vero ex bono ſunt, de qua ſupra n. 271 ; et ex ſignificatione Sedentis ſuper Throno, quod ſit Dominus a Quo omnia Cœli et Eccleſiæ, de qua mox ſupra n. 289. In hoc Verſu et in ſequentibus hujus Capitis agitur de receptione Divini Veri et Divini Boni ab Angelis Cœli et ab hominibus Eccleſiæ ; in mox præcedente autem Verſu agitur de Domino quod ab Ipſo Divinum Verum et Divinum Bonum procedat ; hoc ſignificatur per

quod Animalia dederint gloriam et honorem et gratiarum actionem Sedenti ſuper Throno, et Viventi in ſæcula ſæculorum, videatur ſupra n. 288; ac illud, nempe receptio et agnitio, ſignificatur per quod Seniores prociderint coram Sedente ſuper Throno, et adoraverint Viventem in ſæcula ſæculorum; per procidere enim ſignificatur humiliatio, receptio et agnitio, et per viginti et quatuor Seniores ſignificantur omnes qui in vero ex bono ſunt tam in Cœlis quam in terris. Sciendum eſt, quod receptio Divini Veri ac Divini Boni, et agnitio corde quod a Domino omnia Cœli et Eccleſiæ ſint ac vita æterna, ſolum detur apud illos qui in vero ex bono ſunt, cauſa eſt, quia illi ſoli in amore et fide ſunt, et qui in his ſunt illi conjuncti ſunt Domino quoad animam et quoad cor, in hæc influit Dominus, et non in illa quæ modo ſunt ex memoria et inde loquela; memoria enim eſt modo introitus ad hominem, et ſicut atrium per quod intratur, eſt ſicut ventriculus ruminatorius apud aves et beſtias, cui etiam memoria apud hominem correſpondet; in homine ſunt quæ in ejus voluntate et inde intellectu, ſeu quod idem, quod in ejus amore et inde fide: ſive dicatur de homine quod ſit in bono et vero, ſive in amore et fide, idem eſt, quoniam omne bonum eſt amoris, et omne verum eſt fidei.

291. Et adorabant Viventem in ſæcula ſæculorum, quod ſignificet humiliationem et tunc agnitionem quod a Domino vita æterna, conſtat ex ſignificatione procidere et adorare, quod ſit humiliatio et tunc agnitio corde; et ex ſignificatione Viventis in ſæcula ſæculorum, quod ſit quod a Domino vita æterna, de qua mox ſupra n. 289. Humiliatio et tunc agnitio corde dicitur, nempe quod a Domino ſit omne bonum et omne verum, et inde omnis intelligentia, ſapientia et felicitas, non datur apud aliquem niſi dum in humiliatione eſt, nam cum in humiliatione eſt, tunc remotus eſt a ſuo proprio, et proprium hominis non quicquam boni et veri a Domino recipit et agnoſcit, eſt enim proprium hominis non niſi quam malum, et malum rejicit omne bonum et omne verum Cœli et Eccleſiæ: inde conſtare poteſt, cur humiliatio, et unde eſt quod per procidere et adorare ſignificetur humiliatio et tunc agnitio corde.

292. Et abjiciebant coronas ſuas coram Throno, quod ſignificet humiliationem et tunc agnitionem corde, quod nihil boni ex illis, ſed quod omne a Domino, conſtat ex ſignificatione coronæ, quod ſit bonum et inde ſapientia, de qua ſupra n. 272; et ex ſignificatione abjicere coram Throno, ſeu ibi demittere, quod ſit ex humiliatione agnoſcere, quod id non a ſemet ſed a Solo Domino, nam abjicere eſt ſibi abdicare, et demittere coram Throno eſt agnoſcere quod id a Solo Domino. Bonum quod hic per coronas ſignificatur, eſt bonum amoris et charitatis, hoc bonum influit a Solo Domino, ac recipitur ab Angelis Cœli et ab hominibus Eccleſiæ in Veris quæ ex Verbo: vera quæ ex Verbo apud Angelum et apud hominem in eorum memoria ſunt, exinde Dominus evocat illa, et conjungit bono quantum Angelus aut homo in affectione veri ſpirituali eſt, quæ ei eſt quando vivit ſecundum vera ex Verbo; conjunctio fit in interiori ſeu ſpirituali homine, et inde fit in exteriore ſeu naturali

homine: conjunctio illa facit Eccleſiam apud hominem dum in terris vivit, et poſtea facit Cœlum apud illum: inde patet, quod abſque illa conjunctione nemo poſſit ſalvari, tum quod nulla conjunctio boni et veri detur, niſi homo vivat vitam amoris; vivere vitam amoris eſt facere præcepta Domini, nam amare eſt facere, quod enim homo amat hoc vult et hoc facit, quod autem non amat hoc non vult et ideo non facit.

293. Dicentes, dignus es Domine accipere gloriam et honorem et poteſtatem, quod ſignificet meritum et juſtitiam quæ Divino Humano Domini, quod ex eo ſit omne Divinum Verum et Divinum Bonum, ac ſalvatio, conſtat ex ſignificatione dignus es Domine, quod ſit Meritum et Juſtitia quæ Divino Humano Domini, de qua ſequitur; ex ſignificatione gloriæ et honoris, cum de Domino, quod ſint Divinum Verum et Divinum Bonum quæ ab Ipſo, de qua ſupra n. 288; et ex ſignificatione poteſtatis, quod ſit ſalvatio; quod poteſtas hic ſalvationem ſignificet, eſt quia omnis poteſtas Divina illam ſpectat ut finem; homo enim ex poteſtate Divina reformatur, et dein introducitur in Cœlum, et ibi detinetur a malo et falſo ac tenetur in bono et vero, hoc nemo poteſt niſi Solus Dominus: qui ſibi poteſtatem illam vindicant, illi prorſus non ſciunt quid ſalvatio, nam non ſciunt quid reformatio, nec quid Cœlum apud hominem; vindicare ſibi poteſtatem Domini, eſt poteſtatem ſuper Ipſum Dominum, quæ poteſtas vocatur *poteſtas tenebrarum*, Luc. xvii. 53. Quod poteſtas, cum de Domino, principaliter ſpectet ſalvationem, conſtat ex his locis; apud Johannem, *Jeſus dixit, Pater dediſti Filio poteſtatem omnis carnis, ut omnes, quos dediſti Ipſi, det illis vitam æternam*," xvii. 2: apud Eundem, "*Quotquot receperunt dedit iis poteſtatem ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius*," i. 12: apud Eundem, "*Ego ſum Vitis, vos palmites; manens in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum; quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*," xv. 5: apud Marcum, "*Obſtupuerunt ſuper doctrina Ipſius, erat enim docens illos ut poteſtatem habens*," i. 22: et apud Lucam, "*Cum poteſtate et potentia præcipit immundis ſpiritibus, et exeunt*," iv. 36; præter aliis in locis. Eſt quoque Domino poteſtas ſuper omnia, quia eſt Solus Deus, ſed ſalvatio humani Generis eſt principale poteſtatis, quia propter illam Cœli et Mundi creati ſunt, ac illa eſt receptio Divini procedentis. Quod per Dignus es Domine, ſignificetur meritum et juſtitia quæ Divino Humano Domini, eſt quia dignus es ſignificat quod meruit; Meritum Domini eſt, quod, cum in Mundo fuit, ſubjugaverit Inferna, et omnia in Cœlis in ordinem redegerit, et quod glorificaverit Humanum ſuum, et hoc ex propria potentia; per hoc ſalvavit ex genere humano omnes qui credunt in Ipſum, hoc eſt, qui amant facere præcepta Ipſius, Joh. i. 12, 13. Hoc Meritum etiam in Verbo vocatur Juſtitia, ac Dominus quoad Divinum Humanum ex illo vocatur Jehovah Juſtitia, Jerem. xxiii. 5, 6. Cap. xxxiii. 15, 16. De hoc Merito ſeu de hac Juſtitia Domini videantur plura in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 293, 294; et in Arcanis Cœleſtibus, n. 300 ad 306.

294. Quia Tu creaſti omnia, quod ſignificet quod ab Ipſo omnis

exiſtentia et vita ſit, ac Cœlum illis qui recipiunt, conſtat ex ſignificatione creare, quod ſit quod omnia non ſolum a Domino exſtiterint, ſed etiam quod ab Ipſo omnis vita ſit; et quia in ſpirituali ſenſu Verbi non niſi quam de Cœlo et Eccleſia agitur, ideo per creare hic primario ſignificatur reformare, ita Cœlum dare illis qui recipiunt, hoc enim eſt reformare; quod omnium exiſtentia a Domino ſit, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 7 ad 12, et 138; et quod omnis vita, n. 9 ibi; et in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 278: ſed hic per creare non ſignificatur exiſtentia et vita naturalis, ſed exiſtentia et vita ſpiritualis; hæc per creare in Verbo ubivis ſignificatur; cauſa eſt, quia exiſtentia Cœli et terræ non eſt finis creationis, ſed eſt medium ad finem, finis creationis eſt, ut Humanum Genus exiſtat, ut ex eo ſit Cœlum Angelicum, et quia hoc finis eſt, ideo per creare ſignificatur reformare, quod eſt Cœlum dare illis qui recipiunt; fines ſunt qui in ſenſu ſpirituali Verbi intelliguntur, ſed in ſenſu literæ dicuntur modo media quæ involvunt fines; hoc modo ſpirituale reconditum latet in litera Verbi. Quod creare ſignificet reformare et regenerare homines et ſic inſtaurare Eccleſiam, conſtare poteſt ex locis in Verbo ubi dicitur, ut in ſequentibus; apud Eſajam, “*Dabo in deſerto cedrum ſchittæ, et myrtum et lignum olei, ut videant et cognoſcant et attendant et intelligant una, quod manus Jehovæ fecerit hoc, et Sanctus Iſraelis creaverit hoc,*” xli. 19, 20; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes; deſertum ſignificat non bonum quia in ignorantia veri, omne enim bonum, in quod reformatur homo, non datur niſi per vera; cedrus ſchittæ ſignificat genuinum verum; myrtus et lignum olei ſignificant bonum ſpirituale et bonum cœleſte; inde patet, cum de Gentibus qui non in bono Eccleſiæ aut Cœli ſunt quia in ignorantia veri, quid ſignificat dabo in deſerto cedrum ſchittæ et myrtum et lignum olei; ut videant, cognoſcant, attendant et intelligant una, ſignificat cognitiones, intellectum, perceptionem et affectionem quæ amoris boni et veri; hæc quia ſignificantur, patet quod Sanctus Iſraelis creaverit hoc, ſignificet reformationem, ita quod creare ſit reformare. Apud Eundem, “*Sic dixit Jehovah Creator tuus Jacob, et Formator tuus, Iſrael, nam redemi te, vocavi nomine tuo, Mihi tu; adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terræ; omnem vocatum a Nomine meo, in gloriam meam creavi, formavi, et feci; Ego Jehovah Sanctus veſter, Creator Iſraelis, Rex veſter,*” xliii. 1, 6, 7, 15; agitur etiam ibi de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes; ex reformatione eorum Jehovah dicitur Creator et Formator, quare dicitur redemi te, vocavi nomine tuo, Mihi tu; adduc filios meos e longinquo et filias meas ab extremitate terræ, ſignificat gentes quæ extra Eccleſiam, quæ recipiunt vera et bona Eccleſiæ a Domino, longinquum et extremitas terræ ſignificat qui extra Eccleſiam, terra eſt Eccleſia; filii ſunt qui recipiunt vera, et filiæ qui recipiunt bona; hi dicuntur creati, formati et facti in gloriam, gloria eſt Divinum Verum quod recipiunt. Apud Davidem, “*Cor mundum crea mihi Deus, et ſpiritum firmum innova in medio mei,*” Pſalm. li. 12; cor mundum creare ſignificat reformare quoad bonum amoris; ſpiritum firmum innovare in medio mei ſignificat reformare quoad verum fidei; cor enim ſignificat bonum amoris, et ſpiritus vitam ſecundum Divinum Verum, quæ eſt fides veri. Apud Eundem, " *Quare fruſtra creaſti filios hominis, ubi Miſericordiæ tuæ priores,*" Pſalm. lxxxix. 48, 50; creare filios hominis ſignificat reformare per Divinum Verum, filii hominis ſunt illi qui in Divinis Veris, ita abſtracte Divina Vera. Apud Eundem, " *Timebunt Gentes Nomen Jehovæ, et omnes Reges terræ gloriam tuam, quod ædificaverit Jehovah Zionem: ſcribetur hoc in generationem, et populus qui creabitur laudabit Jah,*" Pſalm. cii. 16, 17, 19; agitur ibi de reformatione; per gentes quæ timebunt Nomen Jehovæ intelliguntur qui in bono ſunt; et per Reges terræ qui in veris ex bono ſunt; per ædificare Zionem ſignificatur inſtaurare Eccleſiam, Zion eſt Eccleſia; per populum qui creabitur et laudabit Jah ſignificantur omnes illi qui reformantur. Apud Eundem, " *Das illis, colligunt, aperis manum tuam, ſaturantur bono; emittis ſpiritum tuum, creantur, et renovas facies terræ,*" Pſalm. civ. 28, 30; quod hic creare ſit reformare, patet; nam per dare illis colligunt, ſignificatur quod recipiant vera quæ dantur a Domino; per aperis manum ſaturantur bono, ſignificatur quod recipiant bonum quod a Domino influit; per emittere ſpiritum creantur, ſignificatur quod quoad vitam ſecundum Divinum Verum reformentur; et per renovas facies terræ, ſignificatur inſtauratio Eccleſiæ. Apud Eſajam, " *Tollite in altum oculos, et videte quis creavit hæc, qui educit in numerum exercitum eorum, omnes nomine vocat: Deus ab æterno, Jehovah creans fines terræ non fatigatur,*" xl. 26, 28; agitur etiam hic de reformatione, quæ ſignificatur per creare; per exercitum quem educet, ſignificantur omnia vera et bona; per nomine vocare, ſignificatur receptio ſecundum quale cujuſvis; per creare fines terræ, ſignificatur inſtaurare Eccleſiam, ita reformare illos qui ibi. Apud Ezechielem, " *In Eden horto Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum, in die quo creatus es præparata ſunt: perfectus tu in viis tuis in die quo creatus es, donec inventa eſt perverſitas in te,*" xxviii. 13, 15; hæc dicta ſunt de rege Tyri, per quem ſignificantur illi qui in veris ſunt et per illa in bono; de illis dicitur quod in horto Dei fuerint, et quod omnis lapis pretioſus tegumentum eorum, per hortum Dei ſignificatur intelligentia, et per lapides pretioſos, qui ibi etiam nominantur, ſignificantur cognitiones veri et boni, hæ dicuntur tegumentum, quia in naturali homine ſunt, ac naturalis homo tegit ſpiritualem: hæc dicuntur præparata in die quo creati ſunt, hoc eſt, in die quo reformati: inde patet, quid ſignificatur per perfectus tu in viis tuis a die quo creatus es. Apud Eſajam, " *Creabit Jehovah ſuper omne habitaculum Zionis, et ſuper convocationes ejus, nubem interdiu, et ſplendorem ignis flammæ noctu, nam ſuper omni gloriæ obtegumentum,*" iv. 5; per Zionem ſignificatur Eccleſia quoad Verbum; ſenſus Verbi internus ſeu ſpiritualis quoad bonum intelligitur per habitaculum ejus; ſenſus externus ſeu literalis quoad vera intelligitur per nubem interdiu, et quoad bonum per ſplendorem ignis flammæ noctu; hic ſenſus, quia tegit et recondit ſpiritualem, vocatur tegumentum ſuper omni gloria, gloria eſt ſenſus ſpiritualis; hæc quoque dicuntur creata, quia ſunt vera Cœli et Eccleſiæ. Apud

Malachiam, "*Nonne Deus unus creavit nos, quare perfide agimus,*" ii. 10; quia per creavit nos ſignificatur reformavit ut eſſent Eccleſia, ideo dicitur quare perfide agimus. Apud Eſajam, "*Sic dixit Deus Jehovah, creans cœlos et expandens illos, extendens terram, dans animam populo ſuper illa, et ſpiritum ambulantibus in illa,*" xlii. 5; per creare cœlos, et expandere illos, et per extendere terram ſignificatur reformare, per cœlos ſignificantur et cœli et interna Eccleſiæ, interna etiam Eccleſiæ ſunt cœli apud homines ibi, et per terram ſignificatur externum Eccleſiæ, quæ expandi et extendi dicuntur cum multiplicantur vera ex bono; quod reformatio per illa ſignificetur, patet, nam dicitur dans animam populo ſuper illa, et ſpiritum ambulantibus in illa. Apud Eundem, "*Jehovah creans Cœlos, formans terram et faciens illam, non inanitatem creavit eam, ad habitandum formavit eam,*" xlv. 12, 18; per Cœlos et per terram et per creare hic ſimilia quæ in loco ſupra allato ſignificantur; per non inanitatem creavit eam ſignificatur quod non ſit abſque vero et bono, in quibus ſunt reformati; carentia eorum eſt inanitas; per ad habitandum formavit eam ſignificatur quod ad vivendum ſecundum illa et ex illis, habitare enim ſignificat vivere. Apud Eundem, "*Ecce Ego creans Cœlum novum et terram novam; lætamini et exultate in æternum quæ Ego creans: ecce Ego creaturus Hieroſolymam exultationem, et populum ejus lætitiam,*" lxv. 17, 18; per creare Cœlum novum et terram novam non intelligitur cœlum aſpectabile et terra habitabilis, ſed Nova Eccleſia interna et externa, Cœlum eſt internum Eccleſiæ et terra eſt externum ejus; quid internum Eccleſiæ et quid externum ejus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 246; ideo dicitur, ecce Ego creaturus Hieroſolymam exultationem et populum ejus lætitiam, Hieroſolyma eſt Eccleſia, exultatio eſt jucundum ejus ex bono, et lætitia eſt jucundum ejus ex vero. Simile per Cœlum novum et Terram novam ſignificatur apud Eundem Prophetam, Cap. lxvi. 22; et ſimile per Cœlum novum et Terram novam in Apocalypſi, Cap. xxi. 1; et ſimile per illa in Capite Primo Geneſeos, "*In principio creavit Jehovah Cœlum et Terram; et Terra erat vacua et inanis, et tenebræ ſuper faciebus abyſſi; et ſpiritus Dei ſe movebat ſuper faciebus terræ: et dixit Deus, fiat Lux et facta eſt Lux: et creavit Deus hominem in imaginem ſuam, in imaginem Dei creavit eum: maſculum et fœminam creavit eos,*" i. 1, 2, 3, 27; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ Primæ in hac Tellure; reformatio hominum illius Eccleſiæ quoad Internum et quoad Externum eorum, intelligitur per creationem Cœli et Terræ in eo Capite; quod prius nulla Eccleſia, quia homines abſque bono et vero erant, ſignificatur per quod terra eſſet vacua et inanis; et quod in denſa ignorantia et quoque in falſis prius fuerint, ſignificatur per quod tenebræ ſuper faciebus abyſſi; prima eorum illuminatio ſignificatur per quod ſpiritus Dei ſe moverit ſuper faciebus terræ, et dixerit Deus fiat Lux et facta eſt Lux, per Spiritum Dei ſignificatur Divinum Verum procedens a Domino, et per movere ſe ſuper faciebus terræ ſignificatur illuſtratio, ſimile per Lucem ſignificatur, et per facta eſt Lux ſignificatur receptio Divini Veri: quod Deus creaverit hominem in imaginem ſuam, ſignificat ut eſſet in amore boni et veri, et correſponderet cœlo ut ejus inſtar, amor enim boni et veri eſt imago Dei, et inde quoque Cœlum Angelicum eſt imago Dei, quare etiam Cœlum Angelicum in conſpectu Domini eſt ſicut unus Homo, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 59 ad 67, 68 ad 72, 73 ad 77, 78 ad 86, 87 ad 102; quod maſculum et fœminam creaverit eos, ſignificat quod reformaverit quoad verum et bonum, maſculus eſt verum et fœmina eſt bonum: ex his patet, quod non Creatio Cœli et Terræ, ſed quod nova Creatio ſeu Reformatio hominum Eccleſiæ Primæ, in eo Capite et ſequente deſcribatur; et quod ſimilia ibi intelligantur per novum Cœlum et novam Terram et per creationem eorum, quæ in locis mox ſupra allatis. Quod Creatio in Verbo ſignificet Reformationem et Inſtaurationem Eccleſiæ, quæ fit per Divinum Verum quod procedit a Domino, etiam patet ex his apud Johannem, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: omnia per Ipſum facta ſunt, et ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt: in Ipſo vita erat, et vita erat Lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebræ non comprehenderunt: erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum; et mundus per Ipſum factus eſt; et mundus Ipſum non cognovit: et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipſius,*" i. 1, 2, 3, 4, 5, 9, 10, 14; per Verbum ibi intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; quod omnia per illud creata ſint, intelligitur per quod omnia per Ipſum facta ſint, et ſine Ipſo factum ſit nihil quod factum eſt, et quod mundus per Ipſum factus ſit; quia per Verbum intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ideo dicitur in Ipſo vita erat, et vita erat lux hominum, erat Lux vera, Lux ſignificat Divinum Verum, ac vita omnem ex Divino Vero intelligentiam et ſapientiam, nam hæc facit ipſam vitam hominis, et quoque ſecundum illam eſt vita æterna; præſentia Domini apud unumquemvis cum Divino ſuo Vero, ex quo vita et lux, intelligitur per Lux in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in mundum; ſed quod illi qui in falſis mali ſunt non percipiant ita nec recipiant illud, intelligitur per quod tenebræ non comprehenderint, et quod mundus Ipſum non cognoverit, tenebræ ſignificant falſa mali; quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, qui hic per Verbum intelligitur, patet clare, nam dicitur, *Et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipſius,* gloria etiam ſignificat Divinum Verum. Quod omnia per Divinum Verum procedens a Domino, quod hic intelligitur per Verbum, creata ſint, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 137, 139; et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 263: inde quoque patet, quod facere aut creare hic quoque ſignificet facere hominem novum ſeu reformare; nam ſimiliter hic ut in Libro Geneſeos dicitur ſtatim de Luce, quæ quod ſignificet Divinum Verum procedens, per quod omnes reformantur, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140; et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 49.

295. Et per Voluntatem tuam ſunt et creata ſunt, quod ſignificet quod per Divinum Bonum ſint et per Divinum Verum exiſtant, conſtat ex ſignificatione voluntatis, cum de Domino, quod ſit Divinus Amor; ex ſignificatione ſunt ſeu eſſe, quod ſit bonum amoris, hic Divinum Bonum Divini Amoris receptum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione creata

ſunt ſeu creari, quod ſit Divinum Verum etiam receptum, ita per id reformati; quod creari ſignificet exiſtere, eſt quia illi ſolum dicuntur exiſtere, qui reformati ſunt, in illis enim vita eſt, et illis intelligentia et ſapientia eſt; at qui non reformati ſunt, in illis non vita eſt ſed mors ſpiritualis, nec illis intelligentia et ſapientia eſt, ſed inſania et ſtultitia, inde nec dicuntur exiſtere: de omni re, quæ apparet ad aliquem ſenſum, quidem dicitur exiſtere, at non de homine ſpiritualiter, niſi in bono et vero ſit, creatus enim eſt homo ut ſit vivus, intelligens et ſapiens, quare cum eſt mortuus, inſanus et ſtultus, tunc non quatenus homo exiſtit: ſunt duo quæ faciunt ut homo ſit homo, nempe bonum et verum, utrumque a Domino, bonum eſt eſſe vitæ ejus, verum autem eſt exiſtere vitæ inde, nam omne verum exiſtit ex bono, eſt enim forma boni et inde quale boni; et quia bonum eſt eſſe vitæ, et verum eſt exiſtere vitæ inde, et per creari ſignificatur exiſtere, inde eſt quod dicatur, quod per Voluntatem tuam ſint et creata ſint: hoc nunc eſt ſpirituale in his verbis. Quod Voluntas, cum de Domino, ſit Divinus Amor, eſt quia Ipſum Divinum, ex Quo omnia, eſt Divinus Amor, inde apparet Dominus coram Angelis ut Sol igneus et flammans, et hoc ex cauſa, quia Amor in ſpirituali mundo apparet ut ignis, unde eſt quod Ignis in Verbo, cum de Domino, de Cœlo et de Eccleſia, ſignificet amorem; ex illo Sole in cœlis procedit Calor et Lux, et Calor ibi eſt Divinum Bonum procedens, ac Lux eſt Divinum Verum procedens; ſed hæc plenius oſtenſa videantur in Opere de CŒLO ET INFERNO, de Sole Cœli, n. 116 ad 125; et de Calore et Luce in Cœlo, n. 126 ad 140: et quia Ipſum Divinum, a Quo omnia, eſt Divinus Amor, ideo quoque Voluntas, cum de Ipſo, eſt Divinus Amor, quod enim Ipſe Amor vult, hoc eſt bonum Amoris, verum quod vocatur fidei, eſt modo medium ut exiſtat bonum, et dein ut exiſtat ex bono: ex hac origine eſt apud hominem Voluntas et Intellectus, voluntas eſt receptaculum boni amoris apud illum, et intellectus eſt receptaculum veri fidei apud illum; intellectus eſt medium ut reformetur voluntas, et dein ut voluntas appareat in forma qualis eſt per intellectum; inde etiam patet, quod Voluntas ſit eſſe vitæ hominis, et intellectus exiſtere vitæ inde: ſed hæc etiam plenius oſtenſa videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, ubi agitur de Voluntate et Intellectu, n. 28 ad 35. Quia voluntas hominis eſt amor ejus, et Voluntas Dei eſt Divinus Amor, conſtare poteſt, quid in ſpirituali ſenſu intelligitur per facere Voluntatem Dei et Voluntatem Patris, quod nempe ſit amare Deum ſupra omnia et proximum ſicut ſeipſum, et quia amare eſt velle ita quoque eſt facere, quod enim homo amat hoc vult, et quod vult etiam facit, inde per facere Voluntatem Dei ſeu Patris, intelligitur facere præcepta, ſeu vivere ſecundum illa ex affectione amoris ſeu charitatis; hæc intelliguntur per Voluntatem Dei et Patris in ſequentibus his locis; apud Matthæum, "*Deus peccatores non audit, ſed ſi quis colit Deum, et Voluntatem Ipſius facit, hunc audit,*" ix. 31: apud Eundem, "*Faciens Voluntatem Patris qui eſt in Cœlis, intrabit in Regnum Cœlorum: non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui facit Voluntatem Patris*

Qui eſt in Cœlis," vi. 10: apud Eundem, "*Veniat Regnum tuum, fiat Voluntas tua, ſicut in Cœlo ita in terra,*" vi. 10: apud Eundem, "*Non eſt Voluntas coram Patre, ut pereat unus de puſillis,*" xviii. 14; quod voluntas Ipſius ne pereat unus de puſillis, ſit amor, patet: voluntas Patris dicitur, quia per Patrem intelligitur Divinum Bonum: apud Eundem, "*Si manſeritis in Me, et verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis, petatis, et fiet vobis,*" xv. 7; quod fiet illis quicquid volunt et petunt, qui manent in Domino, et in quibus verba Ipſius manent, eſt quia tunc non aliud volunt quam quod Dominus dat illis velle, et hoc eſt bonum, et bonum eſt ab Ipſo. Voluntas Domini vocatur Beneplacitum Ipſius in Veteri Teſtamento, et pariter ſignificat Divinum Amorem, et facere illud ſeu Voluntatem Ipſius ſignificat amare Deum et proximum, ita vivere ſecundum præcepta Domini, quoniam hoc eſt amare Deum et proximum, et quoniam hoc deſcendit ex amore Domini, nemo enim poteſt amare Dominum et proximum niſi ex Domino, eſt enim id ipſum bonum homini, et omne bonum eſt a Domino: quod Beneplacitum illa ſignificet, patet ab his locis; apud Eſajam, "*In ira mea percuſſi te, ſed in Beneplacito meo miſertus ſum tui,*" lx. 10; in ira percutere, ſignificat tentationem; in Beneplacito miſereri, ſignificat liberationem ex amore, miſereri eſt ex amore benefacere egentibus. Apud Davidem, "*Precatio mea erga Te Jehovah tempore Beneplaciti; Deus propter magnitudinem Miſericordiæ reſponde mihi in veritate ſalutis tuæ,*" Pſalm. lxix. 14; tempus Beneplaciti Jehovæ ſignificat acceptationem ex amore; tempus ſignificat ſtatum exiſtentem, cum dicitur de hominibus, at perpetuum exiſtens, cum de Jehovah, ita Amorem Ipſius, quia hic perpetuus eſt; auditio et adjuvatio ex Amore per Divinum procedens, quod eſt Divinum Verum, ſignificatur per propter magnitudinem Miſericordiæ reſponde mihi in veritate ſalutis tuæ. Apud Eundem, "*Dixit Jehovah, in tempore Beneplaciti reſpondi tibi, et in die ſalutis adjuvi te,*" Pſalm. xlix. 8; tempus Beneplaciti ſeu Voluntatis etiam hic ſignificat Divinum Amorem; reſpondere ſignificat opem ferre et benefacere. Apud Eſajam, "*Ad proclamandum annum Beneplaciti Jehovæ, ad conſolandum omnes lugentes,*" lxi. 2; hæc de adventu Domini; et per annum Beneplaciti ſignificatur tempus et ſtatus hominum Eccleſiæ quando ex Amore opitulandi; quare etiam dicitur ad conſolandum omnes lugentes. Apud Davidem, "*Tu benedicis juſto, ſicut clypeo beneplacito circumdabis eos,*" Pſalm. v. 13; hic Beneplacitum manifeſte pro Divino Amore, ex quo Dominus omnes tutatur; tutela Ipſius ex Amore ſignificatur per ſicut clypeo circumdabis eos. Apud Eundem, "*Jehovah aperiens manum, et ſatians omne vivens Beneplacito,*" Pſalm. cxlvi. 16; per aperire manum ſignificatur donare bono; et per ſatiare omne vivens Beneplacito ſignificatur lucupletare Divino Vero ex amore omnes qui recipiunt vitam ab Ipſo. Apud Moſen, "*De pretioſis terræ et de plenitudine ejus, et Beneplacitum Habitantis in rubo, veniant Capiti Joſephi, et vertici Naziræi fratrum ejus. Naphtali ſatur Beneplacito et benedictione Jehovæ,*" Deut. xxxiii. 16; per Joſephum in ſupremo ſenſu ſignificatur Dominus quoad Divinum Spirituale, in ſenſu interno Regnum

num Spirituale, et in externo Salvatio, Fructificatio boni et Multiplicatio veri, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417; exinde conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod Joſepho de pretioſis terræ et plenitudine ejus, et Beneplacitum Habitantis in rubo, pretioſa terræ ſunt bona ſpiritualia et inde vera quæ Eccleſiæ, terra eſt Eccleſia, Beneplacitum Habitantis in rubo eſt Divinus Amor Veri Domini, rubus in qua etiam Dominus apparuit coram Moſe ſignificat Divinum illum Amorem; caput Joſephi ſignificat ſapientiam quæ Interni hominis, et vertex Naziræi fratrum ejus ſignificat intelligentiam et ſcientiam quæ Externi hominis: Naphtali a luctationibus dictus ſignificat tentationes, ac conſolationem et benedictionem ex Divino Amore poſt illas, quæ intelligitur per ſatur Beneplacito et benedictione Jehovæ. Apud Eſajam, "*Num hoc vocabis jejunium, et diem Beneplaciti Jehovæ, nonne frangere famelico panem tuum, et quum videris nudum obtexeris eum,*" lviii. 5; quod per beneplacitum Jehovæ, cum de hominibus, ſignificetur vivere ſecundum præcepta Ipſius, quod eſt amare Deum et proximum, ut ſupra dictum eſt, patet, nam dicitur quod Beneplacitum Ipſius ſit frangere famelico panem, et obtegere nudum, per frangere famelico panem ſignificatur ex amore bonum facere proximo qui deſiderat bonum, et per obtegere nudum ſignificatur inſtruere veris eum qui deſiderat inſtrui. Apud Davidem, "*Facere Beneplacitum tuum* (ſeu Voluntatem tuam) *Deus mi deſideravi, et Lex tua in viſceribus meis,*" Pſalm. xl. 9: apud Eundem, "*Doce me facere Beneplacitum tuum; Spiritus tuus bonus ducat me in terra rectitudinis,*" Pſalm. cxliii. 10: apud Eundem, "*Benedicite Jehovæ omnes exercitus Ipſius, miniſtri Ipſius facientes Beneplacitum Ipſius,*" Pſalm. ciii. 21; facere Beneplacitum Jehovæ Dei, ſignificat vivere ſecundum præcepta Ipſius, hoc Beneplacitum ſeu Voluntas Ipſius eſt, quia ex Divino Amore vult ut omnes ſalventur, et per id ſalvantur. Vox Beneplaciti in Lingua Hebræa etiam ſignificat Voluntatem, nam quicquid ſecundum voluntatem ſit, hoc beneplacet, ac Divinus Amor non aliud vult quam ut Amor ex Ipſo ſit apud Angelos et homines, et tunc Amor Ipſius apud illos eſt, quando amant vivere ſecundum præcepta Ipſius; quod hoc ſit amare Dominum, docet Ipſe apud Johannem, Cap. xiv. 15, 21, 23, 24. Cap. xv. 10, 14. Cap. xxi. 15, 16, 17. Quod Voluntas ſignificet amorem in oppoſito ſenſu, nempe amorem mali et amorem falſi, conſtat apud Johannem, "*Quotquot Jeſum receperunt, dedit eis poteſtatem ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt,*" i. 12, 13; credere in Nomen Domini ſignificat vivere ſecundum præcepta Doctrinæ Ipſius, quod Nomen Domini ſignificet omnia per quæ colitur, ita omnia amoris et fidei, videatur ſupra n. 102, 135; qui non ex ſanguinibus ſignificat qui non in vita contra bonum et verum; non ex voluntate carnis ſignificat qui non in amore mali; qui non ex voluntate viri ſignificat qui non in amore falſi; quod caro, cum de homine, ſit ejus proprium voluntarium, ita malum, videatur n. 148, 149, 780, 999, 3813, 8409, 10283; et quod vir ſit hominis proprium intellectuale, quod eſt falſum, n. 4823.

APOCALYPSIS.

CAPUT QUINTUM.

1. ET vidi in dextra Sedentis ſuper Throno Librum ſcriptum intus et a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem.

2. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, quis eſt dignus aperire Librum, et ſolvere ſigilla ejus.

3. Et nemo potuit in Cœlo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire librum nec inſpicere eum.

4. Et ego flebam multum, quod nemo dignus inventus aperire et legere librum, nec inſpicere eum.

5. Et unus ex Senioribus dicit mihi, ne fleto, ecce vicit Leo qui eſt ex tribu Jehudæ, radix Davidis, aperire librum et ſolvere ſeptem ſigilla ejus.

6. Et vidi et ecce in medio Throni, et quatuor Animalium, et in medio Seniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem et oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Dei ſpiritus emiſſi in omnem terram.

7. Et venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper Throno.

8. Et cum accepiſſet librum, quatuor Animalia, et viginti quatuor Seniores prociderunt coram Agno, habentes unuſquiſque citharas et phialas aureas plenas ſuffitibus, quæ ſunt preces ſanctorum.

9. Et canebant Canticum novum, dicentes, dignus es accipere librum et aperire ſigilla ejus, quia occiſus es, et redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, ex omni tribu et lingua, et populo et gente.

10. Et feciſti nos Deo noſtro reges et ſacerdotes, et regnabimus ſuper terra.

11. Et vidi et audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum et Animalia et Seniores; et erat numerus eorum myriades myriadum et chiliades chiliadum.

12. Dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus accipere

poteſtatem et divitias et ſapientiam et honorem et gloriam et benedictionem.

13. Et omne creatum, quod eſt in Cœlo et in terra et ſub terra, et in mari quæ ſunt, et quæ in illis omnia, audivi dicentes, Sedenti ſuper Throno et Agno benedictio et honor et gloria et robur in ſæcula ſæculorum.

14. Et quatuor Animalia dicebant Amen, et viginti quatuor Seniores prociderunt et adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum.

EXPLICATIO.

296. *Et vidi in dextra Sedentis ſuper Throno Librum ſcriptum intus et a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem.* Et vidi in dextra Sedentis ſuper Throno, ſignificat Dominum quoad Omnipotentiam et quoad Omniſcientiam: Librum ſcriptum intus et a tergo, ſignificat ſtatum vitæ omnium in Cœlo et in Terra, in communi et in particulari: obſignatum ſigillis ſeptem, ſignificat prorſus reconditum.

297. Et vidi in dextra Sedentis ſuper Throno, quod ſignificet Dominum quoad Omnipotentiam et quoad Omniſcientiam, conſtat ex ſignificatione dextræ, cum de Domino, quod ſit Omnipotentia et quoque Omniſcientia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione Sedentis ſuper Throno, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum in Cœlo, Thronus enim ſignificat in genere Cœlum, in ſpecie Cœlum ſpirituale, et abſtracte Divinum Verum procedens, ex quo Cœlum et per quod Judicium, videatur ſupra n. 253. Quod Dominus intelligatur per Sedentem ſuper Throno, et quoque per Agnum qui ex Sedente ſuper Throno accepit librum, eſt quia per Sedentem ſuper Throno intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per Agnum Dominus quoad Divinum Verum: ſunt enim duo quæ procedunt a Domino ut Sole Cœli, nempe Divinum Bonum ac Divinum Verum, Divinum Bonum a Domino vocatur Pater in Cœlis, et Hic intelligitur per Sedentem ſuper Throno, ac Divinum Verum a Domino vocatur Filius hominis, hic autem Agnus; et quia Divinum Bonum neminem judicat, ſed Divinum Verum, ideo hic dicitur quod Agnus acceperit librum a Sedente ſuper Throno; quod Divinum Bonum neminem judicet ſed Divinum Verum, intelligitur per Domini verba apud Johannem, "*Non Pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio, quia Filius hominis eſt,*" v. 22, 27; per Patrem intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per Filium hominis Dominus quoad Divinum Verum: quod Divinum Bonum non judicet quenquam, eſt quia Illud explorat

neminem, ſed Divinum Verum, hoc enim explorat unumquemvis. At uſque ſciendum eſt, quod Ipſe Dominus nec judicet aliquem ex Divino Vero quod procedit ab Ipſo, hoc enim unitum eſt Divino Bono, ita ut ſint unum, ſed quod homo ſpiritus ſeipſum judicet, eſt enim Divinum Verum ab ipſo receptum quod illum judicat, et hoc quia apparet ſicut Dominus judicet, ideo in Verbo dicitur quod omnes judicentur a Domino; hoc quoque docet Dominus apud Johannem, "*Jeſus dixit, ſi quis audiverit mea verba, non tamen crediderit, Ego non judico illum, non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvem mundum; qui ſpernit Me, et non accipit verba mea, habet judicantem ſe, verbum quod loquutus ſum, illud judicabit illum in extremo die,*" xii. 47, 48. Cum Judicio enim ita fit, Dominus præſens eſt apud omnes, et ex Divino Amore vult ſalvare omnes, et quoque vertit et adducit ad Se omnes; qui in bono ſunt et inde veris, illi ſequuntur, nam applicant ſe; at qui in malo ſunt et inde falſis, non ſequuntur, ſed vertunt ſe retro a Domino, et vertere ſe retro a Domino, eſt a Cœlo ad Infernum; omnis enim homo ſpiritus eſt vel ſuum bonum et inde verum, vel eſt ſuum malum et inde falſum, qui eſt bonum et inde verum, ille ſe adduci patitur a Domino, at qui eſt malum et inde falſum, ille non ſe adduci patitur, hic omni vi et conatu renititur, vult enim ad ſuum amorem, hunc ſpirat et animat, quare ad illos cupit qui in ſimili amore mali ſunt: exinde conſtare poteſt, quod non Dominus judicet aliquem, ſed quod Divinum Verum receptum judicet ad Cœlum illos qui receperunt Divinum Verum corde, hoc eſt, amore; et ad Infernum illos, qui non receperunt Divinum Verum corde, et qui negaverunt illud: ex his conſtare poteſt quomodo intelligendum, quod Dominus dixerit, quod omne judicium ſit Filio quia Filius hominis eſt, et alibi, quod non venerit ut judicet mundum, ſed ut ſalvet mundum, et quod Verbum quod loquutus eſt, judicaturum ſit illum: Sed hæc talia ſunt, quæ non cadunt in intelligentiam propriam hominis, ſunt enim inter Arcana ſapientiæ Angelorum; ſed uſque de hac re aliquid elucidatum eſt in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 545 ad 551, ubi actum eſt de eo, quod Dominus neminem in Infernum conjiciat, ſed quod ipſe ſpiritus ſemet. Quod Dominus ſit qui intelligitur per Sedentem ſuper Throno, et non alius quem diſtinguunt ab Ipſo et vocant Deum Patrem, conſtare unicuivis poteſt ex eo, quod non aliud Divinum fuerit quod Dominus vocavit Patrem, quam ſuum Divinum, Hoc enim aſſumſit Humanum, quare Hoc fuit Pater Ipſius; et quod Hoc ſit Infinitum, Æternum, Increatum, Omnipotens, Deus, Dominus, et prorſus nihil differens ab Ipſo Divino, quod diſtinguunt ab Ipſo et vocant Patrem, conſtare poteſt a recepta Fide quæ Athanaſiana vocatur, ubi etiam dicitur, quod nemo eorum Maximus et Minimus et nemo eorum Primus et Ultimus, ſed prorſus æquales, et quod ſicut unus ita alter Infinitus, Æternus, Increatus, Omnipotens, Deus, Dominus, et tamen non tres Infiniti ſed Unus, non tres Æterni ſed Unus, non tres Increati ſed Unus, non tres Omnipotentes ſed Unus, non tres Dii et Domini ſed Unus. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod non duo diſtincti intelligantur per Sedentem ſuper Throno et

Agnum, ac in ſequentibus per Deum et Agnum, ſed quod per unum intelligatur Divinum Bonum et per alterum Divinum Verum in Cœlo, utrumque procedens a Domino. Quod Dominus intelligatur per Sedentem ſuper Throno, conſtat etiam ex ſingulis in Capite præcedente iv. ubi agitur de Throno et de Sedente ſuper illo, quæ videantur explicata a n. 258 ad 295; et præterea apud Matthæum, "*Quando venerit Filius hominis in gloria ſua, et omnes ſancti Angeli cum Ipſo, tunc ſedebit ſuper Throno gloriæ ſuæ,*" xxv. 31. Cap. xix. 28, 29: tum apud Ezechielem, "*Super Expanſum quod ſuper capite Cheruborum quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo Throni, et ſuper ſimilitudine Throni ſimilitudo aſpectus Hominis ſuper illo ſedentis,*" i. 26. Cap. x. 1: et apud Eſajam, "*Vidi Dominum Sedentem ſuper Throno alto et elato, et fimbriæ Ipſius implentes Templum,*" vi. 1. Quia per Thronum ſignificatur Cœlum, et per Sedentem ſuper Throno Dominus quoad Divinum Ipſius in Cœlo, ideo dictum eſt ſupra in Capite iii. "*Vincens dabo ei ſedere Mecum in Throno meo,*" per quod ſignificatur, quod erit in Cœlo ubi Dominus, videatur ſupra n. 253; ac ideo infra in hoc Capite dicitur, "*Vidi et ecce in medio Throni Agnum ſtantem,*" Verſ. 6; et in Capite xxi. "*Oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ exeuntem ex Throno Dei et Agni,*" Verſ. 1; per Thronum Dei et Agni intelligitur Cœlum et Dominus ibi quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum, Deus ibi eſt Dominus quoad Divinum Bonum et Agnus quoad Divinum Verum: diſtinguitur hic inter utrumque, quia ſunt qui recipiunt plus unum quam alterum, qui recipiunt Divinum Verum in bono illi ſalvantur, qui autem recipiunt Divinum Verum, quod eſt Verbum, non in bono illi non ſalvantur, quoniam omne Divinum Verum eſt in bono, et non alibi, quare qui non recipiunt illud in bono, illi rejiciunt illud et negant illud, ſi non palam uſque tacite, et ſi non ore uſque corde, nam cor eorum eſt malum, et malum rejicit: recipere Divinum Verum in bono, eſt in bono charitatis, nam qui in illo ſunt ii recipiunt.

298. Quod Dextra, cum de Domino, ſignificet et Omnipotentiam et Omniſcientiam, eſt quia ad dextrum in Cœlo eſt Meridies, et ad ſiniſtrum ibi eſt Septentrio, et per Meridiem ſignificatur Divinum Verum in luce, et per Septentrionem Divinum Verum in umbra; et quia omnis Potentia eſt Divino Bono per Divinum Verum, ideo per dextram, cum de Domino, ſignificatur Omnipotentia; et quia omnis intelligentia et ſapientia eſt Divino Bono per Divinum Verum, ac ad dextrum in Cœlo eſt Divinum Verum in luce, ut dictum eſt, ideo per dextram, cum de Domino, etiam ſignificatur Omniſcientia: quod ad dextrum in Cœlo ſit Meridies, et quod ibi ſit Divinum Verum in luce, ac illi qui ibi in intelligentia et ſapientia, et quod ad ſiniſtrum ibi ſit Septentrio, et quod ibi ſit Divinum Verum in umbra, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, ubi agitur de quatuor Plagis in Cœlo, n. 141 ad 153: quod omnis potentia ſit ex Divino Bono per Divinum Verum, in eodem Opere ubi agitur de Potentia Angelorum Cœli, n. 228 ad 233: tum quod omnis Intelligentia et Sapientia etiam ſit ex Divino Bono per Divinum Verum, in eodem Opere ubi agitur de Sapientia Angelorum Cœli, n. 265 ad 275; ac de Sapientibus et Simplicibus

plicibus in Cœlo, n. 346 ad 356. Quod dextra, cum de Domino, ſignificet et Omnipotentiam et Omniſcientiam, et cum de hominibus, potentiam et ſapientiam, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Davidem, “*Septentrionem et Dextram Tu creaſti; Thabor et Chermon per Nomen tuum exultabunt; Tibi brachium cum virtute; fortis eſt manus tua, exaltabitur Dextra tua; Juſtitia et Judicium fulcrum Throni tui; Miſericordia et Veritas conſiſtent ante facies tuas,*” Pſalm. lxxxix. 13, 14, 15; quod per Dextram hic intelligatur Meridies, patet, nam dicitur, Septentrionem et Dextram Tu creaſti, ac Meridies ſignificat Divinum Verum in luce, ita in ſupremo ſenſu, in quo de Domino, Omnipotentiam et Omniſcientiam, quæ ſunt Divino Bono per Divinum Verum, ut ſupra dictum eſt; quia utraque tam Omnipotentia quam Omniſcientia ſignificatur, ideo dicitur Thabor et Chermon, Juſtitia et Judicium, Miſericordia et Veritas; per Thaborem et Chermonem ſignificantur qui in Divino Bono ac in Divino Vero ſunt, per Juſtitiam et Judicium ſignificatur Divinum Bonum ac Divinum Verum, ſimiliter per Miſericordiam et Veritatem, per utrumque ſimul in ſenſu ſpirituali ſignificatur Divinum Bonum per Divinum Verum; Omnipotentia et Omniſcientia, quæ ſunt Divino Bono per Divinum Verum, ſignificatur per Tibi brachium cum Virtute, et per fortis eſt manus tua, exaltabitur dextra tua. Apud Eundem, “*Si oblitus fuero tui Hieroſolyma, oblita fuerit Dextra mea,*” Pſalm. cxxxvii. 5; Hieroſolyma ſignificat Eccleſiam quoad Doctrinam Divini Veri, et Dextra Jehovæ Divinum Verum in luce, quoniam, ut ſupra dictum eſt, ad dextram Domini in Cœlo ſunt qui in luce et in ſapientia ex Divino Vero; inde patet cur dicitur, ſi oblitus fuero tui Hieroſolyma, oblita fuerit Dextra mea. Apud Eundem, “*Ecce ſtolidus, non cognoſco, ſed Ego ſemper tecum, apprehendiſti manum dextræ meæ, in conſilio tuo ducis me, et poſtea gloria acceptas me,*” Pſalm. lxxiii. 22, 23, 24; quia per manum dextræ, cum de homine, ſignificatur ſapientia quæ ex Divino Vero, ideo dicitur, ſtolidus non cognoſco, in conſilio tuo ducis me, et poſtea gloria acceptas me; in conſilio ducere eſt per Divinum Verum, et gloria acceptare eſt intelligentia beare; gloria enim, cum de Domino, ſignificat Divinum Verum et Divinam Sapientiam, cum autem de homine, ſignificat intelligentiam inde. Apud Eundem, “*Jehovah Cuſtos tuus, Jehovah umbra tua ſuper manu Dextræ tuæ, interdiu ſol non percutiet te, aut luna in nocte,*” Pſalm. cxxi. 6; eſſe umbra ſuper manu dextræ ſignificat eſſe tutela contra malum et falſum, umbra ibi pro umbraculo ne lædatur, et manus dextra pro potentia et ſapientia ex Divino Vero, quæ læderentur per malum et falſum niſi Dominus tutaretur; quia hæc ſignificantur, ideo dicitur, interdiu ſol non percutiet te, aut luna in nocte, per ſolem ibi ſignificatur amor ſui et inde omne malum, et per lunam falſum mali; quod hæc per ſolem et lunam ſignificentur, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 122, 123; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2441, 7078, 8487, 9755, 10130, 10189, 10420, 10702. Apud Eundem, “*Sit manus tua, Jehovah, pro viro dextræ tuæ, pro filio hominis confortaſti Te,*” Pſalm. lxxx. 18; ſit manus tua Jehovah pro cuſtodia ex Omnipotentia et Omniſcientia; vir dextræ, pro quo cuſtodia, ſignificat ſapientem, et filius hominis intelligentem, utrumque per Divinum Verum. Apud Eundem, “*Accinge gladium ſuper femur, Potens decore tuo et in honore tuo; in honore tuo conſcende, equita ſuper verbo veritatis, manſuetudinis et juſtitiæ, docebit Te mirabilia Dextra tua: filiæ regum inter pretioſas tuas; conſiſtet Regina ad Dextram tuam in auro optimo Ophiris*,” Pſalm. xlv. 4, 5, 10; hæc de Domino; accingere gladium ſuper femur, ſignificat Divinum Verum pugnans ex Divino Bono, quare dicitur, Potens decore et in honore tuo, per decus ſignificatur Divinum Verum, et per honorem Divinum Bonum, videatur ſupra n. 131 et 288; tum etiam dicitur, in honore tuo conſcende, equita ſuper verbo veritatis, per in honore conſcendere ſignificatur pugnare ex Divino Bono, et per equitare ſuper verbo veritatis ſignificatur pugnare ex Divino Vero, ita ex Divino Bono per Divinum Verum; Omnipotentia et Omniſcientia Domini ſignificantur per docebit Te mirabilia Dextra tua; filiæ regum quæ inter pretioſas, ſignificant affectiones veri; Regina quæ ad dextram in auro optimo Ophiris, ſignificat Cœlum et Eccleſiam, et ibi illos qui in veris ex bono ſunt, dextra eſt verum in luce, et aurum ophiris eſt bonum amoris. Apud Eundem, “*Dictum Jehovæ ad Dominum meum, ſede ad dextram meam, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Dominus ad Dextram tuam, percuſſit in die iræ reges*,” Pſalm. cx. 1, 5. Matth. xxii. 42. Marc. xii. 36. Luc. xx. 42, 43; quod hæc de Domino dicta ſint, notum eſt; per illa deſcribitur pugna Domini in mundo contra Inferna et ſubjugatio eorum, quæ facta eſt ex Divino Bono per Divinum Verum, dextra ibi ſignificat Divinum Verum, quare dicitur, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, per inimicos ſignificantur Inferna, per ponere illos ſcabellum pedum ſignificatur prorſus ſubjugare; ſimile ſignificatur per Dominus ad dextram tuam, percuſſit in die iræ reges, dies iræ eſt ſtatus pugnæ, et reges ſunt qui in falſis ex malo: quod Dominus, cum in mundo fuit, induerit Divinum Verum ex Divino Bono, et quod per id ſubjugaverit Inferna, ac omnia in Cœlis diſpoſuerit in ordinem, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 46; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 301, 303. Apud Evangeliſtas, “*Jeſus dixit, ex nunc videbitis Filium hominis ſedentem ex dextris potentiæ*,” Matth. xxvi. 63, 64. Marc. xiv. 61, 62. Luc. xxii. 69: et apud Marcum, “*Dominus, poſtquam loquutus eſt illis, ſublatus eſt in Cœlum, et conſedit ex dextra Dei*,” xvi. 19; ſedere a dextris potentiæ et a dextra Dei, ſignificat Omnipotentiam et Omniſcientiam quæ Domino ex Divino Bono per Divinum Verum. Apud Eſajam, “*Corroboravi te, etiam adjuvi te per Dextram juſtitiæ meæ: Ego Jehovah Deus confirmans dextram tuam, dicens tibi ne timeto, Ego adjuvo te*,” xli. 10, 13; corroboravi te etiam adjuvi te ſignificet ex Omnipotentia et Omniſcientia, quæ eſt Divino Bono per Divinum Verum, dare potentiam et intelligentiam; quare dicitur, ſuſtentavi te per dextram juſtitiæ meæ, per dextram ſignificatur Divinum Verum, et per juſtitiam Divinum Bonum; confirmare dextram tuam, ſignificat potentiam et ſapientiam quæ homini inde; quia utraque, nempe Omnipotentia et

Omniſcientia, quæ Domino ex Divino Bono per Divinum Verum, hic intelligitur, ideo dicitur Jehovah Deus, Dominus enim ex Divino Bono dicitur Jehovah, et ex Divino Vero Deus, videatur n. 709, 732, 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4283, 4402, 7010, 9167. Apud Eundem, “ *Dixit Jehovah Uncto tuo Koreſho, cujus apprehendi dextram, ad ſubjiciendum coram illo gentes, et lumbos regum ſolvam, ad aperiendum coram illo januas, ut portæ non claudantur,*” xlv. 1; per Koreſhum in ſenſu repræſentativo intelligitur Dominus; Omnipotentia et Omniſcientia Ipſius ex Divino Bono per Divinum Verum, ex quo in mundo ſubjugavit omnia Inferna, et poſtea illa in æternum ſubjugata tenet, ſignificatur per cujus apprehendi dextram, ad ſubjiciendum coram illo gentes, et lumbos regum ſolvam, tum per ad aperiendum coram illo januas ut portæ non claudantur, per gentes quæ coram illo ſubjicientur, ſignificantur Inferna quoad mala, et per reges quorum lumbos ſolvet ſignificantur Inferna quoad falſa, per januas quæ coram Illo aperientur ut portæ non claudantur, ſignificatur quod Ipſi ex Omniſcientia manifeſta ſint omnia et ex Omnipotentia poteſtas ſalvandi. Per dextram ſignificatur Omniſcientia et Omnipotentia quæ Domino ex Divino Bono per Divinum Verum, etiam in ſequentibus locis; apud Davidem, “ *Jehovah coram me jugiter, quia a dextra mea, non dimovebor,*” Pſalm. xvi. 8: apud Eundem, “ *Deus, Dextra tua ſuſtentat me,*” Pſalm. xviii. 36: apud Eundem, “ *Deus, juſtitia plena eſt Dextra tua,*” Pſalm. xlviii. 11; apud Eſajam, “ *Manus mea fundavit terram, et Dextra mea pugillavit Cælos,*” xlviii. 13: apud Eundem, “ *Juravit Deus per Dextram ſuam, et per brachium roboris ſui,*” lxii. 8: in Apocalypſi, “ *Filius hominis habens in manu dextra ſtellas ſeptem,*” i. 16: apud Davidem, “ *Dextra Jehovæ facit fortitudinem, Dextra Jehovæ exaltata,*” Pſalm. cxviii. 15, 16. Quia per dextram, cum de Angelis et de hominibus, intelligitur ſapientia et intelligentia quæ illis eſt ex Divino Bono per Divinum Verum procedens a Domino, ideo “ *Viſus eſt Zachariæ Angelus Domini ſtans a dextris Altaris ſuffimenti,*” Luc. i. 11: ac “ *Viſus eſt Angelus in Monumento, ubi fuerat Dominus, ſedens a dextris,*” Marc. xvi. 5, 6: ac ideo “ *Oves dicuntur poſitæ a dextris, et hirci a ſiniſtris,*” Matth. xxv. 33, 34, ſeq: per Oves ibi intelliguntur qui in veris ex bono ſunt, ſeu in fide veri ex bono charitatis; per Hircos autem intelliguntur qui in fide abſque charitate, quæ fides vocatur ſola fides, et in ſe ſpectata eſt nulla fides. Quia dextra talia ſignificabat, ideo Aharon et filii ejus, cum inaugurabantur in ſacerdotium, “ *Sanguis ſpargebatur ſuper eorum auriculam dextram, et ſuper eorum dextræ manus et dextri pedis pollicem,*” Exod. xxix. 20; per ſanguinem ibi ſignificatur Divinum Verum ex Divino Bono; per Auriculam dextram ſignificatur perceptivum veri ex bono; per dextram manum et dextrum pedem ſignificatur intelligentia et potentia veri ex bono in interno ſeu ſpirituali homine et in externo ſeu naturali, et per pollicem ſignificatur plenum. Quoniam pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, quare etiam dextra, et in eo ſenſu ſignificat dextra falſum ex malo, ac ratiocinationem et pugnam ejus contra verum ex bono; ut apud Davidem, “ *Exaltaſti dextram inimicorum ejus,*” Pſalm. lxxxix. 43: apud

Eundem, “*Quorum os loquitur vanitatem, et dextra eorum dextra mendacii,*” Pſalm. cxliv. 8, 11: apud Eſajam, “*Ut non eripiat animam ſuam, nec dicat nonne mendacium in dextra mea,*” xliv. 20: in Apocalypſi, “*Accipient characterem beſtiæ in manu dextra, aut in frontibus,*” xiii. 16. Cap. xiv. 9: quod dextra, cum de malis, ſignificet falſum ac inde ratiocinationem et pugnam contra verum, eſt quia Plagæ apud illos qui in malo ſunt oppoſitæ ſunt Plagis quæ apud illos qui in bono ſunt, et ſic ad eorum dextram ſunt vera in denſa caligine, ſed falſa ſicut in maximo lumine: quod Plagæ in Mundo ſpirituali illis qui in malo ſunt oppoſitæ ſint Plagis quæ illis qui in bono ſunt, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 151, 152: cauſa, n. 122, 123.

299. Librum ſcriptum intus et a tergo, quod ſignificet ſtatum vitæ omnium in Cœlo et in terra, in communi et in particulari, conſtat ex ſignificatione libri, hic libri vitæ, quod ſit quod a Domino inſcriptum ſeu implantatum eſt hominis ſpiritui, hoc eſt, cordi et animæ, ſeu quod idem, quod ejus amori et fidei, de qua ſupra n. 199; inde per librum hic ſignificatur ſtatus vitæ omnium in Cœlo et in terra, et per ſcriptum ſignificatur quod implantatum eſt a Domino; quod ſcribere ſignificet implantare, videatur etiam ſupra n. 222; et ex ſignificatione intus et a tergo, quod ſit quod eſt cordi et animæ ſeu amori et fidei, amor enim eſt intus apud hominem et ſpiritum, quia facit ejus vitam, fides autem, niſi in ejus amore ſit, non eſt intus apud illum, ſed poſt ſeu a tergo; fides enim quæ fides prorſus unum facit cum amore, nam quod homo amat hoc fidei ejus eſt, quod autem non amat non eſt fidei ejus; apparet quidem quod ſit fides quod aliquis ex memoria cogitat et ex doctrina docet, ſed ſi modo ex naturali amore et non ex ſpirituali id amat, eſt modo viſus cogitationis externi hominis, qui viſus mentitur fidem, ſed hæc fides, quia eſt abſque vita priuſquam implantata eſt interno homini et ejus amori, non eſt in homine ſed poſt illum ſeu a tergo ejus; fides implantata interno homini et ejus amori, eſt credere et amare verum quia eſt verum, et non amare id principaliter propter famam eruditionis et inde honorem aut lucrum: ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per ſcriptum intus et a tergo. Agitur in hoc Capite de eo, quod Solus Dominus ſciat ſtatus vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari, et quod nemo præter Ipſum; hoc repræſentative ſiſtitur per Librum ſcriptum, quem nullus potuit aperire, legere et inſpicere, quam Solus Agnus, hoc eſt, Dominus: quod nemo hoc ſciat, quam Solus Dominus eſt quia eſt Solus Deus, et quia formavit Cœlum Angelicum ad imaginem Sui, et hominem ad imaginem Cœli, quapropter Is ſcit omnia Cœli in communi, et qui ſcit omnia Cœli in communi, is quoque ſcit unumquemvis in particulari, nam homo qui in veris ex bono eſt et Angelus eſt imago Cœli, eſt enim forma ejus; inde quoque ſequitur, quod nemo ſciat alicujus ſtatus in particulari, niſi qui ſcit ſtatum omnium communem, pendet enim indivulſe unum ab altero: ſed hæc non paucis poſſunt deſcribi, quare videantur quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO oſtenſa ſunt, ubi diſtinctius et perſpicuius hæc deſcripta ſunt, in ſequentibus his

articulis, quod Divinum Domini faciat Cœlum, n. 7 ad 12: quod unuſquiſque Angelus ſit Cœlum in minima forma, n. 51 ad 58: quod univerſum Cœlum in complexu referat unum hominem, n. 59 ad 67: pariter unaquævis ſocietas ibi, n. 68 ad 72: quod inde unuſquiſque Angelus ſit in perfecta forma humana, n. 73 ad 77: quod Cœlum in toto et in parte referat hominem, quod ſit ex Divino Humano Domini, n. 78 ad 87: quod correſpondentia ſit omnium Cœli cum omnibus hominis, n. 87 ad 102: de conjunctione Cœli cum Humano genere, n. 291 ad 302. Sciendum eſt, quod hic et alibi in Verbo dicatur Liber, ſed quod per illum intelligatur Volumen; antiquis enim temporibus ſcriptum fuit ſuper Membranis, quæ convolvebantur, et membrana vocabatur Liber et Volumen libri, ut quoque conſtare poteſt ex Verbo; ut apud Ezechielem, "*Vidi cum ecce manus emiſſa ad me, et ecce in ea Volumen libri ſcriptum ante et poſt,*" ii. 9, 10: et apud Davidem, "*Tum dixi, ecce venio, in Volumine libri ſcriptum eſt de me,*" Pſalm. xl. 8: quapropter dicitur apud Eſajam, "*Contabeſcet omnis exercitus cœlorum, et Cœli convolventur ſicut Volumen,*" xxxiv. 4: ſimiliter in Apocalypſi, "*Cœlum abſceſſit ſicut liber qui convolvitur,*" vi. 14; ex his ſciri poteſt, quomodo Liber, qui Johanni viſus, ſcriptus eſt intus et a tergo.

300. Obſignatum ſigillis ſeptem, quod ſignificet prorſus reconditum, nempe ſtatum vitæ omnium in Cœlo et in terra, conſtat ex ſignificatione obſignare ſigillis, quod ſit recondi, nam quid in libro obſignato ſigillis continetur, nemo ſcit priuſquam aperitur et legitur; et ex ſignificatione ſeptem, quod ſint omnes et omnia, ac plenum et totum, de qua ſupra n. 257, ita quoque prorſus, quia hoc eſt plene et in totum.

301. Verſ. 2, 3. *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, quis eſt dignus aperire librum et ſolvere ſigilla ejus. Et nemo potuit in Cœlo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire librum nec inſpicere eum.* Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, ſignificat influxum Domini in Cœlum: quis eſt dignus aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, ſignificat num ullus ibi talis eſt ut ſciat et percipiat ſtatus vitæ omnium: et nemo potuit in Cœlo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire librum nec inſpicere eum, ſignificat manifeſtationem quod ne hilum aliquis de ſtatu vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari ex ſe ſciat et percipiat.

302. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, quod ſignificet explorationem ex influxu Domini in Cœlum, conſtat ex ſignificatione Angeli fortis, quod ſit Cœlum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione prædicare voce magna, quod ſit exploratio ex influxu Domini, exploratio nempe num aliquis ſcire poſſit ſtatus vitæ omnium in cœlo et in terra in communi et in particulari, nam de ea re hic agitur; hoc ſignificatur per prædicare, ac influxus Domini per vocem magnam; per vocem enim, cum de Domino, ſignificatur omne Verum Verbi, doctrinæ et fidei ab Ipſo; et cum de Cœlo et Eccleſia, omnis cogitatio et affectio inde, et quia omne, quod Angeli in Cœlo, et homines in quibus eſt Eccleſia, quod verum et bonum eſt, cogitant et quo afficiuntur, eſt ex influxu

Domini, ideo is per vocem magnam hic ſignificatur; notum enim eſt, quod nemo poſſit ex amore boni affici bono, et ex amore veri cogitare verum ex ſe, ſed quod id influat e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Domino, et quia ita eſt, per vocem magnam ſignificatur influxus Domini: quod Vox in Verbo ſignificet verum Verbi, doctrinæ et fidei, tum omne annuntiatum ex Verbo, videatur ſupra n. 261, et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3563, 6971, 8813, 9926: et quod ſignificet affectionem veri et boni interiorem, et inde cogitationem, n. 10454. Quod Angelus fortis ſignificet cœlum, eſt quia Univerſum Cœlum Angelicum coram Domino eſt ſicut unus Homo aut ſicut unus Angelus, ſimiliter unaquævis Societas Cœli, quapropter per Angelum in Verbo non intelligitur unus Angelus, ſed integra Societas Angelica, ut per Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, hic itaque per Angelum fortem prædicantem voce magna ſignificatur influxus Domini in totum Cœlum; quod in totum Cœlum, etiam patet a ſequentibus, nam dicitur, et nemo potuit in Cœlo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire librum et inſpicere eum: quod per Angelos in Verbo intelligantur integræ Societates cœli, ac in ſupremo ſenſu Dominus quoad Divinum Verum procedens, videatur ſupra n. 90, 130, 200: et quod totum Cœlum coram Domino ſit ſicut unus Homo ſeu ſicut unus Angelus, et quoque unaquævis Societas Cœli, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 87.

303. Quis eſt dignus aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, quod ſignificet num ullus ibi talis eſt ut ſciat et percipiat ſtatus vitæ omnium, conſtat ex ſignificatione quis eſt dignus, quod ſit cui meritum et juſtitia, et cui omniſcientia, ita num ullus talis ſit; quod per dignum, cum de Domino, ſignificetur meritum et juſtitia, quæ Ipſi Soli, videatur ſupra n. 293; et quod Omniſcientia, patet a ſequentibus, ubi dicitur, quod Agnus acceperit a dextra Sedentis ſuper Throno librum, et aperuerit illum, per dextram enim ſignificatur Omniſcientia et Omnipotentia, videatur ſupra n. 297; ex ſignificatione libri, quod ſit ſtatus vitæ omnium in communi et in particulari, de qua mox ſupra n. 299; et ex ſignificatione aperire illum et ſolvere ſigilla ejus, quod ſit ſcire et percipere, nam cum liber ſignificat ſtatus vitæ omnium, tunc aperire et ſolvere ſigilla, ſignificat ſcire et percipere illos, ſcire enim et percipere prædicatur de ſtatu vitæ, at aperire et ſolvere ſigilla de libro, ita verba in ſenſu interno accommodantur rebus quæ ſignificantur per verba in ſenſu literæ, correſpondent namque; quare aperire ſignificat ſcire, ac ſolvere ſigilla ſignificat percipere quæ aliis prorſus recondita ſunt, ut ſupra n. 300.

304. Et nemo potuit in Cœlo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire librum nec inſpicere eum, quod ſignificet manifeſtationem, quod ne hilum aliquis de ſtatu vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari ex ſe ſciat et percipiat, conſtat ex ſignificatione et nemo potuit aperire librum nec inſpicere eum, quod ſit quod non aliquis ſciat et percipiat ex ſe ſtatus vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari, de qua mox ſupra n. 303; et ex ſignificatione in cœlo, nec ſuper

terra, neque ſub terra, quod non modo ſit quod nemo ubicunque eſt, ſed etiam quod ne hilum; per Cœlum enim, per ſuper terra et per ſub terra, intelliguntur tres cœli, et per omnes ibi intelligitur Cœlum in toto complexu; et quia Cœlum eſt Cœlum ex Divino Vero, quod influit a Domino, et recipitur ab Angelis, et prorſus non ex aliqua intelligentia angelorum propria, hæc enim nulla intelligentia eſt, inde per eadem verba ſignificatur quod ne hilum aliquis ex ſe: quod Angeli in Cœlo æque ac homines in mundo habeant proprium, quod in ſe ſpectatum non eſt niſi quam malum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 592; et quia malum non recipit aliquid intelligentiæ et ſapientiæ, ſequitur, quod Angeli æque ac homines ex ſe prorſus nihil veri intelligant, ſed quod ſolum ex Domino: cauſa quod Angeli tales ſint, eſt quia omnes Angeli ſunt ex Humano Genere, et unuſquiſque homo retinet ſuum proprium poſt mortem, et quod a malis quæ ſunt proprii eorum detineantur, ac in bonis teneantur a Domino: quod omnes Angeli ſint ex Humano Genere, et non aliquis ex principio creatus, videatur in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 14 ad 22: et quod omnes a malo detineantur, et in bono teneantur a Domino, in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 166. Quod in Cœlo, ſuper terra et ſub terra, ſignificet tres cœlos, eſt quia Angeli, qui in Tertio ſeu Supremo Cœlo ſunt, habitant ſuper montibus, et qui in Secundo ſeu Medio, ſuper collibus, et qui in Primo ſeu Ultimo, ſub illis in planitiebus et vallibus: eſt enim in Mundo ſpirituali ubi ſpiritus et Angeli, prorſus ſicut in Mundo naturali ubi homines, nempe terræ, colles et montes, et quoad apparentiam eſt talis ſimilitudo ut prorſus nihil differat; quare etiam homines poſt mortem vix ſciunt aliter quam quod adhuc ſuper terra vivant, et cum datur illis copia inſpicere in noſtram tellurem, non vident aliquid diſſimile: præterea Angeli qui in Ultimo Cœlo ſunt, vocant cœlum ubi Angeli Tertii Cœli habitant, quia alte ſupra illos, at ubi ipſi habitant vocant terram; etiam Cœlum Tertium ſeu Supremum, quod eſt ſuper montibus, non apparet illis qui infra ſunt ſeu ſuper terra, aliter ac coram nobis ſuprema regio athmoſphæræ tecta levi et candida nube, ita ſicut Cœlum coram nobis: inde conſtare poteſt, quid in ſpecie per in Cœlo, ſuper terra et ſub terra hic intelligitur; ſed de his plura videantur in Opere de Cœlo et Inferno, ubi agitur de Apparentiis in Cœlo, n. 170 ad 176; ac de Habitationibus et Manſionibus Angelorum, n. 183 ad 189. Quoniam homines non ſciverunt, quod ſimiles facies telluris dentur in utroque Mundo, Naturali et Spirituali, ideo non perceperunt aliter, cum legerunt Verbum, quam quod per Cœlum et Terram ibi, intelligatur Cœlum coram oculis noſtris aſpectabile, et Terra ab hominibus habitabilis; inde orta eſt opinio de interitu Cœli et Terræ, et de creatione novi Cœli et novæ Terræ, die ultimi Judicii; cum tamen per Cœlum et per Terram ibi intelligitur Cœlum et Terra ubi Spiritus et Angeli, ac in ſenſu ſpirituali Eccleſia apud Angelos et apud homines, nam apud Angelos æque eſt Eccleſia ac apud homines, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 221 ad 227: in ſenſu ſpirituali dicitur, quia Angelus non eſt Angelus nec homo eſt homo ex forma humana quæ utrique, ſed ex Cœlo et Eccleſia apud illos; inde eſt quod per Cœlum et per terram, ubi habitant Angeli et homines, ſignificetur Eccleſia, per Cœlum Eccleſia interna, et quoque Eccleſia apud Angelos, et per Terram Eccleſia externa, et quoque Eccleſia apud homines. Sed quia ægre poteſt credi quod per terram in Verbo intelligatur Eccleſia, ex cauſa quia nondum notum eſt quod ſingulis Verbi inſit ſenſus ſpiritualis, unde materialis idea adhæret, et tenet cogitationem fixam in proxima vocis ſignificatione, velim per plura loca inde illuſtrare et confirmare: apud Eſajam, "*Ecce Jehovah evacuans Terram et exaniniens eam, et evertet facies ejus; evacuando evacuabitur Terra, et ſpoliando ſpoliabitur: lugebit et confundetur Terra habitabilis, confundetur Orbis: Terra prophanabitur ſub habitatoribus ſuis: propterea maledictio comedet Terram, et exurentur habitatores Terræ, et relictus erit homo rarus. Clamor ſuper vino in plateis, exulabit lætitia Terræ; erit in medio Terræ ſicut ſtrictura oleæ, ſicut racemationes quando conſummata eſt vindemia. Ab extremitate Terræ cantica audivimus, gloria juſto. Cataractæ ab alto apertæ ſunt, et commota ſunt fundamenta Terræ, confringendo confracta eſt Terra, diſrumpendo diſrupta eſt Terra; commovendo commota eſt Terra; titubando titubabit Terra ſicut ebrius; et hinc inde commovebitur ſicut tegillum: ſed erit in die illo viſitabit Jehovah ſuper exercitum altitudinis in altitudine, et ſuper reges Terræ qui ſuper Terra,*" xxiv. 1, 2, 4, 5, 6, 11, 13, 16, 19, 20, 21, 23; hic manifeſte patet, quod per terram non intelligatur terra ſed Eccleſia, percurrantur ſingula et expendantur; qui in ſpirituali idea eſt, cum nominatur terra, non cogitat de ipſa terra, ſed de gente ibi et de ejus quali, magis adhuc illi qui in Cœlo ſunt, hi quia ſpirituales ſunt percipiunt Eccleſiam; agitur ibi de illa deſtructa; deſtructio ejus quoad bonum amoris et verum fidei, quæ faciunt illam, deſcribitur per quod Jehovah evacuans terram et exaniniens eam, per quod terra evacuando evacuabitur, ſpoliando ſpoliabitur, lugebit et confundetur, per quod prophanabitur et maledictio comedet eam, per quod cataractæ ab alto apertæ ſint, et commota ſint fundamenta ejus, quod confracta ſit, diſrupta ſit, commota ſit, quod titubet ſicut ebrius: hæc non dici poſſunt neque de terra, neque de gente, ſed de Eccleſia. Apud Eundem, "*Ecce dies Jehovæ venit ad ponendum Terram in vaſtitatem, et peccatores perdat ex ea: commovebo Cælum, nam ſtellæ cælorum et ſidera eorum non lucent luce ſua, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, et luna non ſplendere facit lumen ſuum; rarum reddam hominem præ auro puro, propterea commovebo cælos; et concutietur Terra e loco ſuo,*" xiii. 9, 10, 12, 13; quod terra hic ſit Eccleſia, patet a ſingulis in ſenſu ſpirituali intellectis; agitur ibi de fine ejus, quando amplius non verum et bonum, ſeu non fides et charitas; per ſtellas enim et ſidera quæ non lucent, ſignificantur cognitiones veri et boni; per Solem qui obtenebratus eſt in ortu ſuo, ſignificatur amor; per Lunam quæ non lucere facit lumen ſuum, ſignificatur fides; per hominem qui reddetur rarus præ auro puro, ſignificatur intelligentia et ſapientia; inde conſtat, quid ſignificat ecce dies Jehovæ venit ad ponendum terram in vaſtitatem, commovebo cœlos et concutietur terra e loco ſuo, dies Jehovæ eſt ultimus finis Eccleſiæ quando judicium, terra eſt Eccleſia; quod ipſa terra non concutiatur e loco ſuo, conſtare poteſt, ſed quod Eccleſia removeatur ubi non amor et fides; concuti e loco ſignificat removeri a ſtatu priori. Apud Eundem, “*Ecce Dominus ſicut inundatio grandinis, procella cædis, ſicut inundatio aquarum validarum dejiciet in terram manu: conſummationem et deciſionem audivi a cum Domino Jehovah Zebaoth ſuper univerſam terram,*” xxviii. 2, 22; hæc de die judicii ſuper illos qui ab Eccleſia dicta ſunt; dies judicii quando finis Eccleſiæ intelligitur per conſummationem et deciſionem audivi a cum Domino Jehovah Zebaoth ſuper univerſam terram; quare dicitur quod ſicut inundatio grandinis, procella cædis, ſicut inundatio aquarum validarum dejiciet in terram manu, per grandinem et ejus inundationem ſignificantur falſa quæ deſtruunt vera Eccleſiæ; per cædem et ejus procellam ſignificantur mala quæ deſtruunt bona Eccleſiæ; per aquas validas ſignificantur falſa mali: quod per inundationem et diluvium ſignificetur immerſio in mala et falſa, et inde Eccleſiæ interitus, videatur n. 660, 705, 739, 756, 790, 5725, 6853; ſimile per dejectionem in terram ſeu depluitionem. Apud Eundem, “*Erit Terra in picem ardentem, a generatione in generationem vaſtata erit,*” xxxiv. 9, 10; per picem ardentem ſignificatur omne malum ſcaturiens ex amore ſui, per quod prorſus perit et vaſtatur Eccleſia, quare dicitur, erit terra in picem ardentem, a generatione in generationem vaſtata erit; quis non videt, quod talia non de ipſa terra dicantur. Apud Eundem, “*Luget, langueſcit terra, erubuit Libanus et emarcuit,*” xxxiii. 9; terra etiam ibi eſt Eccleſia, quæ lugere et langueſcere dicitur, quando falſa pro veris incipiunt apprehendi et agnoſci; quare dicitur erubuit Libanus et emarcuit, per Libanum ſignificatur ſimile quod per cedrum, nempe verum Eccleſiæ. Apud Jeremiam, “*Aſcendit Leo ex vepreto ſuo, et perditor gentium profectus e loco ſuo, ad redigendum Terram tuam in vaſtitatem; urbes tuæ deſtruentur. Vidi Terram, cum ecce vacuum et inane, et verſus cœlos cum ecce non lux eorum; vidi montes cum ecce commoventur, et omnes colles evertuntur: dixit Jehovah, vaſtitas erit tota Terra, propter hoc lugebit Terra, et atrati erunt Cœli deſuper,*” iv. 7, 23, 24, 27, 28; agitur etiam hic de vaſtatione Eccleſiæ, quæ eſt quando non amplius verum et bonum, ſed loco eorum falſum et malum; vaſtatio illa deſcribitur per leonem aſcendentem ex vepreto ſuo et perditorem gentium profectum ex loco ſuo, per leonem et per perditorem gentium ſignificatur falſum et malum vaſtans; per montes qui commoventur et per colles qui evertuntur, ſignificantur amor in Dominum et charitas erga proximum, quod hæc per montes et colles ſignificentur eſt quia ſuper montibus in Cœlo habitant qui in amore in Dominum ſunt et ſuper collibus qui in charitate erga proximum, ut in præmiſſis dictum videatur, et quoque in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 188, et in notis ibi litera (c); per cœlos ubi non lux, et qui atrati erunt, ſignificantur interiora hominum Eccleſiæ, quæ, cum non clauſa ſunt per mala et falſa, non admittunt lucem e Cœlo, ſed pro illa tenebras ex inferno; ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod leo et perditor gentium rediget terram in vaſtitatem, tum per vidi terram, et ecce vacuum et inane, ut et per vaſtitas erit tota terra, propter hoc lugebit terra, quod nempe ibi non intelligatur terra ſed Eccleſia. Apud Eundem, "*Quouſque lugebit Terra, et herba omnis agri, propter malitiam habitantium in ea conſumentur beſtiæ et avis; deſolata eſt tota Terra, quia non vir ponens ſuper cor; ſuper omnes colles in deſerto venerunt vaſtatores, quia gladius Jehovæ devorans a fine terræ ad finem terræ: fecerunt tritica et meſſuerunt ſpinas,*" xii. 4, 11, 12, 13; quod terra hic ſignificet Eccleſiam, patet ex eo quod dicatur, quod terra lugebit et herba omnis agri, et quod conſumentur beſtiæ et avis, propter malitiam habitantium in ea, et quia non vir ponens ſuper cor; per herbam omnis agri ſignificatur omne verum et bonum Eccleſiæ, et per beſtias et aves ſignificantur affectiones boni et veri; et quia Eccleſia per terram ſignificatur, et de illa vaſtata agitur, ideo dicitur ſupra omnes colles in deſerto venerunt vaſtatores, quia gladius Jehovæ devorans a fine terræ ad finem terræ, fecerunt tritica et ſpinas meſſuerunt; per colles in deſerto ſuper quos venerunt vaſtatores, ſignificantur illa quæ charitatis ſunt, deſertum eſt ubi non bonum quia non verum, per gladium Jehovæ ſignificatur falſum deſtruens verum, a fine terræ ad finem terræ ſignificat omne Eccleſiæ, per facere tritica et metere ſpinas ſignificatur ex Verbo deſumere vera boni et vertere illa in falſa mali; tritica ſunt vera boni et ſpinæ ſunt falſa mali. Apud Eſajam, "*Super Terra populi mei ſpina et ſentis aſcendet; palatium erit deſertum, multitudo urbis derelicta,*" xxxii. 13, 14; ſpina et ſentis quæ aſcendent ſuper terra, ſignificant falſum et malum; palatium quod erit deſertum, ſignificat ubi bonum habitat; et multitudo urbis quæ derelicta, ſignificat ubi vera, urbs enim ſignificat doctrinam veri. Apud Eundem, "*Senticetum et vepretum erit omnis Terra: viciſſim, omnes montes qui ſarculo ſarrientur, non veniet eo timor ſenticeti et vepreti, ſed erit miſſio bovis et calcatio ovis,*" vii. 24, 25; ſenticetum et vepretum ſignificant falſum et malum; inde patet quid ſignificat ſenticetum et vepretum erit omnis terra; per montes qui ſarculo ſarrientur, ſignificantur qui ex amore boni faciunt bona; quod apud illos non falſum et malum, ſed bonum tam naturale quam ſpirituale, ſignificatur per quod eo non veniet timor ſenticeti et vepreti, ſed erit miſſio bovis et calcatio ovis, ſeu eo mitttentur boves et ibi calcabunt oves; per bovem ſignificatur bonum naturale, et per ovem bonum ſpirituale. Apud Ezechielem, "*Mater veſtra leæna, inter leones cubuit; ſurrexit unus de catulis ejus, urbes devaſtabit; deſolata eſt Terra et plenitudo ejus a voce rugitus ejus,*" xix. 1, 7; per matrem ſignificatur Eccleſia; per leænam et leones potentia mali et falſi contra bonum et verum; per rugitum leonis ſignificatur cupido deſtruendi et deſolandi; per urbes quas devaſtavit, ſignificatur doctrina cum ejus veris; inde patet, quid ſignificatur per deſolata eſt Terra et plenitudo ejus, nempe tota Eccleſia. Apud Eundem, "*Panem ſuum cum ſollicitudine edent, et aquas ſuas cum ſtupore bibent, ut devaſtetur Terra a plenitudine ſua, ob violentiam omnium habitatorum in ea; et urbes habitatæ devaſtabuntur, et Terra deſolatio erit,*" xii. 19, 20; hic ſimilia per Terram et per urbes quæ devaſtabuntur et deſolatio erunt, ſignificantur quæ ſupra, nempe per Terram Eccleſia, et per urbes doctrina cum ejus veris, quare dicitur ob violentiam omnium habitatorum in ea; quia illa ſignificantur, ideo præmittitur quod panem ſuum cum ſollicitudine edent et aquas ſuas cum ſtupore bibent, per panem et aquam in Verbo ſignificatur omne bonum amoris et verum fidei, videatur n. 9329; et per edere et bibere ſignificatur inſtrui et appropriari, n. 3168, 3513, 3832, 9412. Apud Davidem, “ *Invocavi Jehovam, et ad Deum meum clamavi; unde commota eſt et contremuit Terra, et fundamenta montium trepidarunt et commoverunt ſe, quando exarſit Illi,*” Pſalm. xviii. 7, 8; terra hic pro Eccleſia, quæ commota eſſe et contremuiſſe dicitur quando pervertitur per quod falſificentur vera; et tunc fundamenta montium dicuntur trepidare et commovere ſe, nam bona amoris, quæ fundantur ſuper veris fidei, evaneſcunt, montes enim ſunt bona amoris, ut ſupra, ac fundamenta eorum ſunt vera fidei; inde quoque patet, quod Terra ſit Eccleſia. Apud Eundem, “ *Jehovæ Terra et plenitudo ejus, orbis et habitantes in eo, et Ille ſuper maria fundavit eum, ſuper flumina ſtabilivit eum,*” Pſalm. xxiv. 1, 2; Terra et orbis pro Eccleſia, et plenitudo pro omnibus ejus; maria ſuper quibus fundavit eum, ſunt cognitiones veri in communi; flumina ſunt doctrinalia; quia ſuper his et illis fundatur Eccleſia, ideo dicitur quod ſuper maria fundaverit eum, et ſuper flumina ſtabiliverit eum; quod hoc non dici queat de Terra et Orbe, cuivis patet. Apud Eundem, “ *Non timebimus cum mutabitur Terra, et cum commovebuntur montes in corde marium, cum tumultuabuntur, turbabuntur aquæ ejus; tumultuentur gentes, commoveant ſe regna, cum dederit vocem ſuam liqueſcet Terra,*” Pſalm. xlvi. 3, 4, 7, 9; quod per terram intelligatur Eccleſia, patet, quia dicitur mutari et liqueſcere, tum quod commovebuntur montes in corde marium ac turbabuntur aquæ ejus, et quod tumultuentur gentes et commoveant ſe regna, per montes ſignificantur bona amoris, ut ſupra, quæ commoveri dicuntur in corde marium quando cognitiones eſſentiales veri pervertuntur; per aquas ſignificantur vera Eccleſiæ, quæ turbari dicuntur cum falſificantur; per gentes ſignificantur bona Eccleſiæ et in oppoſito ſenſu mala ejus, et per regna vera Eccleſiæ et in oppoſito ſenſu falſa ejus, tum qui in his et illis ſunt. Apud Eundem, “ *Deus deſeruiſti nos, ſuccenſuiſti, reduc nobis quietem; tremefeciſti Terram, diffregiſti, ſana fracturas ejus, quia commota eſt,*” Pſalm. lx. 3, 4; quod hæc de Eccleſia et non de terra dicta ſint, conſtare poteſt, nam dicitur tremefeciſti terram, diffregiſti, ſana fracturas ejus, quia commota eſt; et quia per terram ſignificatur Eccleſia, hic Eccleſia vaſtata, ideo dicitur Deus deſeruiſti nos, ſuccenſuiſti, reduc nobis quietem. Apud Eundem, “ *Cum apprehendero tempus ſtatum, Ego rectitudinibus judicabo, liqueſcent Terra et omnes habitatores ejus, Ego firmabo columnas ejus,*” Pſalm. lxxv. 3, 4; ſimiliter hic Terra pro Eccleſia, quæ dicitur liqueſcere quando deficiunt vera per quæ bonum; vera quia ſuſtentant Eccleſiam, vocantur columnæ ejus quas Deus firmabit; quod non terræ columnæ firmentur, patet; quia reſtauratio Eccleſiæ hic deſcribitur, ideo dicitur cum apprehendero tempus ſtatum, Ego rectitudinibus judicabo: vera Eccleſiæ, quæ hic vocantur columnæ terræ, etiam vocantur *Baſes terræ*, 1 Sam. ii. 8: et Fundamenta terræ apud Eſajam, “ *Annon intelligitis,* *fundamenta Terræ; qui habitat ſuper circulo Terræ, qui dat principes in nihilum, et judices Terræ ſicut inane facit,"* xl. 21, 23; per principes qui dabuntur in nihilum et per judices terræ quos ſicut inane faciet, ſignificantur illa quæ ex propria intelligentia et ex proprio judicio ſunt. Apud Jeremiam, " *Venit tumultus uſque ad finem Terræ: ſic dixit Jehovah, ecce malum exibit a gente ad gentem, et procella magna excitabitur a lateribus Terræ, et erunt confoſſi Jehovæ in die illo a fine Terræ uſque ad finem ejus,"* xxv. 31, 32, 33; per finem terræ et per latera terræ ſignificatur ubi ultima Eccleſiæ ſunt, ac ubi mala et falſa incipiunt, et per a fine terræ ad finem ejus ſignificantur omnia Eccleſiæ; inde ſciri poteſt quid ſignificatur per quod tumultus veniat ad finem terræ, et quod procella magna excitabitur a lateribus terræ, et per quod confoſſi Jehovæ in die illo erunt a fine terræ ad finem ejus; per confoſſos ſignificantur illi apud quos vera et bona Eccleſiæ exſtincta ſunt, videatur n. 4503. Apud Eſajam, " *Viderunt inſulæ, timuerunt, fines Terræ trepidarunt, acceſſerunt et venerunt, ponam deſertum in ſtagnum aquarum, et Terram ſiccam in ſcaturiginem aquarum,"* xli. 5, 18; inſtauratio Eccleſiæ apud gentes ita deſcribitur; illæ ſignificantur per inſulas et per fines terræ, inſulæ enim et fines terræ in Verbo ſignificant illos qui longius diſtant a veris et bonis Eccleſiæ, quia non habent Verbum et inde in ignorantia ſunt; quod Eccleſia inſtaurabitur apud illos, ſignificatur per ponam deſertum in ſtagnum aquarum, et terram ſiccam in ſcaturiginem aquarum; deſertum dicitur ubi nondum bonum quia nondum verum, ex quo etiam vocatur terra ſicca; ſtagnum aquarum et ſcaturigo aquarum ſignificant bonum quia verum, omne enim bonum ſpirituale, quod eſt bonum Eccleſiæ, comparatur per vera. Apud Eundem, " *Væ terræ inumbratæ alis, quæ trans flumina Kuſchi: ite legati ad gentem conculcatam, cujus Terram deprædati ſunt fluvii,"* xviii. 1, 2; quid terra inumbrata alis, et terra quam deprædati ſunt fluvii, nemo ſcit niſi ſciat quod terra ſit Eccleſia, et quod fluvii ſint falſa; terra inumbrata alis eſt Eccleſia quæ in caligine eſt quoad Divina vera, hæc ſignificantur per alas, videatur ſupra n. 283; trans flumina Kuſchi ſignificat quoad ipſas cognitiones ex ſenſu literæ Verbi, qui falſificatæ; gens conculcata ad quam irent legati, cujus terram deprædati ſunt fluvii, ſignificat illos extra Eccleſiam qui in falſis ex ignorantia ſunt, fluvii ſunt vera doctrinæ et in oppoſito ſenſu falſa; quod legati irent ad illos, ſignificat quod invitarentur ut apud illos ſit Eccleſia. Apud Eundem, " *In excandeſcentia Jehovæ Zebaoth obſcurata eſt Terra,"* ix. 18; obſcurata terra ſignificat illa quæ Eccleſiæ ſunt in caligine ſeu in falſis, nam falſa mali dicuntur in caligine eſſe, vera autem in luce. Apud Eundem, " *Removebit Jehovah hominem, et multiplicabuntur deſerta in medio Terræ,"* vi. 12; homo quem Jehovah removebit, ſignificat ſapientem et abſtracte ſapientiam, videatur ſupra n. 280; multiplicata deſerta in medio terræ, ſignificant prorſus non aliquod bonum quia non aliquod verum, medium terræ eſt ubi verum eſt in ſumma luce, quare cum ibi non lux per totum eſt caligo, ita prorſus nullibi verum. Apud Eundem, " *Jehovah percutiet Terram virga oris ſui, et ſpiritu labiorum ſuorum occidet impium,"* xi. 4;

virga oris Jehovæ quæ percutiet terram ſignificat verum in ultimis, quod eſt verum ſenſus literæ Verbi; ſpiritus labiorum qui occidet impium, ſignificat verum in ſenſu ſpirituali Verbi; hæc dicuntur percutere terram et occidere impium, quando per illa damnantur, quiſque enim judicatur per vera et damnatur per illa. Apud Eundem, "*Quieſcit et quieta eſt Terra, Infernum excitavit propter te Rephaim, omnes potentes Terræ: videntes te dicent, num hic vir commovens Terram, tremefaciens regna, poſuit orbem in deſertum, et urbes ejus deſtruxit: Terram tuam perdidiſti, populum tuum occidiſti: parate filiis ejus mactationem, ut non reſurgant poſſideantque Terram, ac impleantur facies Terræ urbibus: frangam Aſchurem in Terra mea, et ſuper montibus meis conculcabo eum,*" xiv. 7, 9, 16, 17, 20, 21, 25; dicta hæc ſunt de rege Babelis, per quem ſignificatur deſtructio veri per amorem imperandi ſuper cœlum et terram, cui inſerviunt vera Verbi ſeu illa quæ Eccleſiæ ſunt pro mediis; agitur ibi de eorum damnatione; Rephaim quos infernum excitavit ſunt qui in dira perſuaſione falſi ſunt, qui ex eo vocantur potentes terræ; commovere terram, tremefacere regna, ponere orbem in deſertum, et urbes ejus deſtruere, ſignificat pervertere omnia Eccleſiæ; terra et orbis ſunt Eccleſia, regna ſunt vera quæ faciunt eam, et urbes ſunt omnia doctrinæ; inde patet, quid ſignificatur per terram tuam perdidiſti, populum tuum occidiſti; per Aſchurem qui frangetur in terra, et ſuper montibus conculcabitur, ſignificatur ratiocinatio ex falſis contra vera, frangi eſt diſſipari, et conculcari eſt prorſus deſtrui; montes ſuper quibus ſignificant ubi regnat bonum amoris et charitatis, nam ibi ſeu apud illos diſſipatur ſeu deſtruitur omnis ratiocinatio ex falſis. Apud Eundem, "*Ejulate naves Tharſchiſchi, e Terra Chittim manifeſte veniet illis: tranſi Terram tuam ſicut fluvius filia Tharſchiſchi, non cingulum amplius: en Terra Chaldæorum, Aſchur fundavit eam in acervos: viſitabit Jehovah Tyrum, ut redeat ad mercedem meretriciam, et ſcortetur cum omnibus regnis Terræ ſuper faciebus orbis,*" xxiii. 1, 10, 13, 17; quod hic non intelligantur naves Tharſchiſchi, nec Tyrus, nec terra Chittæorum, nec terra Chaldæorum, nec Aſchur, conſtare poteſt ex ſingulis in eo Capite; ſed per naves Tharſchiſchi intelliguntur cognitiones veri et boni, ſimiliter per Tyrum, per terram Chittæorum idololatricum, per terram Chaldæorum prophanatio et deſtructio veri, et per Aſchurem ratiocinatio ex falſis; inde patet, quod ejulate naves Tharſchiſchi, quia devaſtata eſt Tyrus, ſignificet quod non amplius aliquæ cognitiones veri; quod e terra Chittim manifeſte veniet illis, ſignificet idololatricum quod inde; non cingulum amplius, ſignificat quod nulla amplius cohærentia veri cum bono; en terra Chaldæorum, ſignificat quod ſic prophanatio et deſtructio veri; Aſchur fundavit eam in acervos, ſignificat quod ratiocinatio ex falſis deſtruxerit; redire ad mercedem meretriciam, et ſcortari cum omnibus regnis ſuper faciebus orbis, ſignificat falſificationem omnium veritatum totius Eccleſiæ. Apud Eundem, "*Rex Aſchuris ibit per Jehudam, inundabit et tranſibit, uſque ad collum pertinget; et erunt motitationes latitudinis ejus plenitudo latitudinis Terræ tuæ, Immanuel,*" viii. 8; rex Aſchuris etiam hic ſignificat ratiocinationem ex falſis contra vera; ibit per Jehudam, inundabit et tranſibit, ſignificat quod deſtruet bonum Eccleſiæ; inundare dicitur de falſis quia aquæ ſignificant illa; uſque ad collum pertinget, ſignificat ſic amplius nullam communicationem boni et veri; et erunt motitationes latitudinis ejus plenitudo latitudinis terræ tuæ, Immanuel, ſignificat quod falſa erunt contra omnia vera Eccleſiæ Domini; quod latitudo terræ ſignificet vera Eccleſiæ, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 197, et inde in oppoſito ſenſu falſa, quare motitationes latitudinis ejus ſignificant ratiocinationes ex falſis contra vera; plenitudo ſignificat omnia, ita plenitudo latitudinis terræ omnia vera Eccleſiæ. Apud Eundem, "*In die illo erit germen Jehovæ in decus et gloriam, et fructus terræ in magnificentiam et ornatum reliquiis Iſraelis,*" iv. 2; germen Jehovæ quod erit in decus et in gloriam, ſignificat verum Eccleſiæ; et fructus terræ qui erit in magnificentiam et ornatum, ſignificat bonum Eccleſiæ; Iſrael ſignificat Eccleſiam ſpiritualem; quod non germen et fructus terræ erunt in decus, gloriam, magnificentiam et ornatum, patet, ſed quod verum et bonum Eccleſiæ: cum dicitur verum et bonum Eccleſiæ, intelligitur verum fidei et bonum amoris, nam omne verum eſt fidei et omne bonum eſt amoris. Apud Eundem, "*Addidiſti genti Jehovah, glorificatus es, removiſti omnes extremitates Terræ,*" xxvi. 15; gens, cui Jehovah addidit, ſignificat illos qui in bono amoris ſunt, quos ſibi addixit; extremitates terræ quas removit, ſignificant falſa et mala quæ infeſtant Eccleſiam, a quibus purificavit eos. Apud Eundem, "*Regem in pulchritudine ſua videbunt oculi tui, ſpectabunt Terram longinquitatum,*" xxxiii. 17; Regem in pulchritudine ſua videre eſt genuinum verum quod a Solo Domino; ſpectare terram longinquitatum, ſignificat extenſionem intelligentiæ et ſapientiæ. Apud Eundem, "*Dedi Te in fœdus populi ad reſtituendum Terram, cantate cœli et exulta Terra, et perſonate montes cantu,*" xlix. 8, 13; agitur ibi de Domino et de Ipſius adventu; inſtauratio Eccleſiæ ab Ipſo deſcribitur per dedi Te in fœdus populi ad reſtituendum terram, reſtituere terram eſt reſtaurare Eccleſiam; quod Dominus non reſtituerit terram populo Judaico, notum eſt, ſed quod inſtituerit Eccleſiam apud gentes; gaudium inde deſcribitur per cantate cœli, exulta terra, et perſonate montes cantu, per cœlos intelliguntur cœli ubi angeli qui in interioribus veris Eccleſiæ ſunt, per terram intelligitur Eccleſia apud homines, et per montes illi qui in bono amoris in Dominum ſunt. Apud Jeremiam, "*Adulteris plena eſt Terra, quia propter maledictionem luget Terra; exaruerunt paſcua deſerti,*" xxiii. 10; adulteri ſignificant illos qui adulterant bona Eccleſiæ, quare dicitur adulteris plena eſt terra, et propter maledictionem luget terra; paſcua deſerti quæ exaruerunt, ſignificant nutritionem ſpiritualem nullam in tali Eccleſia, deſertum dicitur ubi non bonum quia non verum. Apud Eundem, "*Siccitas ſuper aquas ejus ut exareſcant, quia Terra ſculptilium illa,*" l. 38; ſiccitas ſuper aquas ut exareſcant, ſignificat quod non vera amplius, aquæ ſunt vera; quia terra ſculptilium illa, ſignificat Eccleſiam deſtructam per falſa quæ ex propria intelligentia, quæ dicunt eſſe vera, ſculptilia ſignificant illa falſa. Apud Ezechielem, "*Finis venit ſuper quatuor plagas Terræ; Terra plena eſt judicio ſanguinum,* *et urbs plena eſt violentia,*" vii. 2, 23; finis venit ſuper quatuor plagas terræ, ſignificat ultimum tempus et ultimum ſtatum Eccleſiæ quando ejus finis, quatuor plagæ ſunt omnia vera et bona ejus, et in oppoſito ſenſu omnia falſa et mala ejus, ita omnia Eccleſiæ; terra plena judicio ſanguinum, ſignificat quod referta malis omnis generis, ſanguines ſunt mala quæ violentiam inferunt bonis amoris et charitatis, et ea prorſus deſtruunt; urbs plena violentia, ſignificat doctrinam illius Eccleſiæ ſimiliter. Apud Eundem, "*Omnia luminaria lucis in Cœlo atrabo ſuper te, et dabo tenebras ſuper Terra tua,*" xxxii. 8; per luminaria lucis in cœlis intelliguntur ſol, luna et ſtellæ, et per ſolem ſignificatur amor, per lunam fides inde, et per ſtellas cognitiones boni et veri, inde patet quid ſignificatur per atrabo illa ſuper te, nempe quod non amplius exiſtant; inde etiam patet, quid ſignificatur per dabo tenebras ſuper terra tua, quod nempe falſa in Eccleſia, tenebræ ſunt falſa, et terra eſt Eccleſia. Apud Eundem, "*Propheta de Terra Iſraelis, et dic montibus et collibus et rivis et vallibus, ecce ego apud vos, et reſpiciam ad vos, ut excolamini et conſeramini,*" xxxvi. 6, 9; per terram Iſraelis intelligitur Eccleſia; montes, colles, rivi et valles, ſignificant omnia Eccleſiæ a primis ejus ad ultima, montes ſunt bona amoris in Dominum, colles ſunt bona charitatis erga proximum, hæc ſunt prima Eccleſiæ; rivi et valles ſunt vera et bona quæ ultima Eccleſiæ; quod illa ſignificentur, conſtare poteſt ex illis quæ in hoc articulo præmiſſa ſunt, quod nempe ſuper montibus in Cœlo habitent qui in bono amoris in Dominum ſunt, ſuper collibus qui in charitate erga proximum, et in planitiebus et vallibus qui in bonis et veris in ultimo cœlo, rivi ſunt vera doctrinæ ibi; illa inſeminare, ſignificatur per reſpiciam ad vos ut excolamini et conſeramini. Apud Hoſcheam, "*In die illo exaudiam cœlos, et hi exaudient Terram, et Terra exaudiet frumentum et muſtum et oleum, et hæc exaudient Iſraelem, et ſeminabo eum Mihi in Terra,*" ii. 21, 22, 23; quod hæc ſpiritualiter intelligenda ſint et non naturaliter ſecundum ſenſum literæ, patet, nam dicitur quod hæc exaudient Iſraelem, et ſeminabo eum Mihi in terra; quare per Cœlos intelliguntur Cœli ubi Dominus, et per terram Eccleſia ubi etiam Dominus; per frumentum, muſtum et oleum ſignificantur omnia nutritionis ſpiritualis, quæ ſunt bona amoris et charitatis ac vera fidei. Apud Malachiam, "*Non corrumpet vobis fructum terræ, neque orba erit vobis vitis in agro: prædicabunt vos beatos omnes gentes, et eritis vos Terra beneplaciti,*" iii. 11, 12; hæc dicuntur de illis apud quos et in quibus Eccleſia; et quia per fructum terræ et vitem in agro ſignificantur bona et vera Eccleſiæ, per fructum bona et per vitem vera ejus, ideo vocantur terra beneplaciti. Apud Davidem, "*Spiritus tuus bonus ducat me in Terram rectitudinis, propter Nomen tuum Jehovah vivifica me,*" Pſalm. cxliii. 10; terra rectitudinis pro Eccleſia in qua rectum et verum; et quia Spiritus Jehovæ ſignificat Divinum Verum, et quiſque vitam ſpiritualem per id accipit, quare dicitur, Spiritus tuus bonus ducat me, et Jehovah vivifica me. Quia Terra ſignificat Eccleſiam, et ubi Eccleſia ibi Cœlum, ideo hoc dicitur Terra viventium et Terra vitæ; Terra viventium apud Eſajam, "*Dixeram non videbo Jah in Terra viventium,*" xxxviii. 11: et apud Ezechielem, "*Qui dederunt terrorem in Terra viventium,*" xxxii. 23, 24, 25, 26, 27: Terra vitæ, apud Davidem, "*Niſi crederem videre bonum in Terra vitæ,*" Pſalm. xxvii. 13. Apud Moſen, "*Lapis integer et juſtus erit, Epha integra et juſta erit, ut prolongentur dies tui ſuper Terra,*" Deut. xxv. 10; prolongari dies ſuper terra non ſignificat diuturnitatem vitæ in mundo, ſed ſtatum vitæ in Eccleſia, ita in cœlo; prolongari enim prædicatur de bono et ejus augmento, et dies ſignificat ſtatum vitæ; et quia lapis integer et juſtus qui erat pondus, ac epha integra et juſta quæ erat menſura, ſignificant verum ac bonum et quale eorum, et utrumque ſimul juſtitiam, lapis verum et menſura bonum, ac non fallere per pondus et per menſuram eſt juſtum, ideo illis erit vita Eccleſiæ, ac poſtea vita in Cœlo, quod intelligitur per quod prolongarentur dies illorum ſuper terra. Simile ſignificatur in præcepto Decalogi, "*Honora patrem tuum et matrem tuam, ut prolongentur dies tui ſuper Terra,*" Exod. xx. 12; quod Cœlum et felicitas ibi illis qui honorant patrem et matrem, eſt quia in Cœlo non ſcitur alius Pater quam Dominus, ab Ipſo enim omnes, qui ibi, generati ſunt e novo, et in Cœlo per Matrem intelligitur Eccleſia, in genere Regnum Domini, quod illi qui colunt Dominum et quærunt Regnum Ipſius, vitam in Cœlo habituri ſint, patet; tum quod multi ex illis qui honorant patrem et matrem in mundo, non diu ibi vivant. Apud Matthæum, "*Beati mites, quia hæreditatem accipient Terræ,*" v. 5; hæreditas terræ non ſignificat poſſeſſionem terræ, ſed poſſeſſionem cœli et beatitudinem ibi; mites ſignificant qui in bono charitatis ſunt. Apud Eſajam, "*Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabit Nomen Ipſius, Deus nobiſcum; butyrum et mel comedet, ut ſciat reprobare malum et eligere bonum: nam antequam ſcit Puer reprobare malum et eligere bonum, deſeretur Terra, quam tu faſtidis coram duobus regibus ejus. Fiet in die illo præ multitudine faciendi lac comedet butyrum, nam butyrum et mel comedet omnis reſiduus in medio Terræ,*" vii. 14, 15, 16, 22; quod hæc de Domino et Ipſius adventu dicta ſint, notum eſt; butyrum et mel quæ comedet, ſignificant bona amoris, butyrum bonum amoris cœleſtis et ſpiritualis, mel bonum amoris naturalis; per hæc intelligitur, quod appropriaret Sibi Divinum etiam quoad Humanum, edere ſignificat appropriare; quod deſeretur terra antequam ſcit reprobare malum et eligere bonum, ſignificat quod non aliquid Eccleſiæ in terrarum orbe reſiduum eſſet cum naſceretur, et quia illi, ubi erat Eccleſia, rejecerunt omne Divinum Verum, ac omnia Verbi perverterunt, et ad ſui ſavorem explicuerunt, ideo dicitur de terra, hoc eſt, Eccleſia, quam tu faſtidis coram duobus regibus ejus, reges ſignificant Cœli et Eccleſiæ vera, duo reges verum Verbi in ſenſu interno ſeu ſpirituali et verum Verbi in ſenſu externo ſeu naturali; lac ſignificat verum per quod bonum, et quia butyrum ſignificat bonum inde, ideo præ multitudine faciendi lac comedet butyrum omnis reſiduus in medio terræ, ſignificat quod omne verum erit boni. Apud Matthæum, "*In conſummatione ſæculi plangent omnes tribus Terræ,*" xxiv. 30; conſummatio ſæculi, de qua in eo Capite agitur, eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quando judicium; omnes tribus terræ, ſignificant omnia vera et bona Eccleſiæ, quæ plangere dicuntur quando non amplius ſunt. Apud Lucam, "*Tunc erunt ſigna in ſole, luna et aſtris, et ſuper Terra anguſtia gentium, reſonante mari et ſalo. Exanimatis hominibus præ metu et exſpectatione ſupervenientium in terrarum orbem, nam poteſtates cœlorum concutientur. Dies iſte ſicut laqueus veniet ſuper omnes qui ſedent ſuper facie Terræ totius,*" xxi. 25, 26, 35; agitur etiam ibi de ultimo tempore Eccleſiæ quando judicium, et per terram et orbem ibi intelligitur Eccleſia; anguſtia gentium ſuper terra, metus et exſpectatio ſupervenientium in terrarum orbem, ac ſuper omnes qui ſedent ſuper facie terræ totius, non ſignificat quod ſuper illos qui in terris in mundo naturali ſunt, ſed ſuper illos qui in mundo ſpirituali; quod etiam ibi terræ ſint, videatur in præmiſſis hujus Articuli, et quod ibi peractum ſit Ultimum Judicium, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO; quid ſol, luna, et aſtra, in quibus ſigna, ſupra dictum eſt, quod nempe ſol ſignificet amorem, luna fidem inde, et aſtra cognitiones boni et veri; reſonante mari et ſalo ſignificat ratiocinationes et impugnationes veri ex ſenſu literæ Verbi ſiniſtre et perverſe applicato; poteſtates cœlorum quæ concutientur ſignificant Verbum in ſenſu literæ, quoniam hic ſenſus eſt fundamentum veritatum ſpiritualium quæ ſunt in cœlis; videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, in Articulo ubi agitur de conjunctione cœli cum homine per Verbum, n. 303 ad 310. Apud Eſajam, "*Cantate Cœli, jubilate inferiora Terræ, perſonate montes cantu, ſylva et omnis arbor in ea, quia redemit Jehovah Jacobum: Ego Jehovah faciens omnia, expandens Cœlos Solus, extendens Terram a Me Ipſo,*" xliv. 23, 24; cantate cœli, jubilate inferiora terræ, perſonate montes cantu, ſylva et omnis arbor in ea, ſignificant omnia Cœli et Eccleſiæ tam interna quam externa, quæ omnia ſe referunt ad bonum et ad verum; interna ſignificantur per Cœlos, externa per inferiora terræ, montes ſunt bona amoris, ſylva eſt verum naturale, et arbores ibi ſunt cognitiones veri; quoniam talia ſignificantur, dicitur, quia redemit Jehovah Jacobum, per Jacobum in Verbo ſignificatur Eccleſia externa, et per Iſraelem Eccleſia interna; expendere cœlos et extendere terram ſignificat Eccleſiam utrobivis, quæ expanditur et extenditur per multiplicationem veri et fructificationem boni apud illos qui ab Eccleſia ſunt. Apud Sachariam, "*Jehovah extendens cœlos, et fundans Terram, et formans ſpiritum hominis in medio ejus,*" xii. 1; ſimiliter hic per cœlos et per terram ſignificatur Eccleſia utrobivis, ita quoad interiora et quoad exteriora ejus; quare etiam dicitur, formans ſpiritum hominis in medio ejus. Apud Jeremiam, "*Dii qui Cœlum et Terram non fecerunt, pereant de Terra et de ſub Cœlis: Jehovah faciens Terram per virtutem ſuam, præparans orbem per ſapientiam ſuam, et per intelligentiam ſuam extendens cœlos; ad vocem, quam dat Ille, multitudo aquarum in Cœlis, et aſcendere facit vapores a fine Terræ,*" x. 11, 12, 13. Cap. li. 15; quia Cœli et Terra ſignificant Eccleſiam, ut ſupra, ideo dicitur, Jehovah faciens terram per virtutem ſuam, præparans orbem per ſapientiam ſuam, et extendens cœlos per intelligentiam ſuam; et quoque ideo dicitur, ad vocem quam dat Ille multitudo aquarum in cœlis, et aſcendere facit vapores a fine terræ; per vocem quam Jehovah dat, ſignificatur Divinum Verum procedens ab Ipſo; per multitudinem aquarum in cœlis ſignificantur vera in copia, aquæ enim ſignificant vera; et per vapores quos aſcendere facit a fine terræ ſignificantur vera ultima Eccleſiæ, vapores ſunt illa vera, et finis terræ eſt ultimum Eccleſiæ: et quia dii ſignificant falſa doctrinæ et cultus, quæ deſtruunt Eccleſiam, ideo dicitur dii qui non fecerunt cœlum et terram pereant de terra et de ſub cœlis. Apud Davidem, "*Jehovah qui facit Cœlos per intelligentiam, et expandit Terram ſuper aquas,*" Pſalm. cxxxvi. 5, 6; quia per cœlum et terram ſignificatur Eccleſia, et Eccleſia formatur per vera, et vera Eccleſiæ faciunt intelligentiam, ideo dicitur Jehovah facit cœlos per intelligentiam, et expandit terram ſuper aquas, aquæ ſunt vera Eccleſiæ. Apud Eſajam, "*Sic dixit Deus Jehovah, creans cœlos et expandens illos, extendens Terram et producta ejus, dans animam populo ſuper ea, et ſpiritum ambulantibus in ea,*" xlii. 5; per creare cœlos et extendere Terram et producta ejus, ſignificatur formare Eccleſiam et reformare illos qui ibi ſunt, producta ſunt omnia Eccleſiæ; quare dicitur dans animam populo ſuper ea et ſpiritum ambulantibus in ea; quod creare ſit reformare, videatur ſupra n. 294. Apud Eundem, "*Stillate cœli deſuper, et nubes defluant juſtitia; aperiat ſe Terra, et fructificet ſalutem: Ego feci Terram, et hominem ſuper ea creavi. Sic dixit Jehovah, creans cœlos, Ille Deus, formans Terram et faciens illam, et præparans illam: non in occulto loquutus ſum, in loco Terræ tenebrarum,*" xlv. 8, 12, 18, 19; quod hic per cœlos et terram intelligantur omnia Eccleſiæ, tam interna quam externa ejus, patet, nam dicitur ſtillate cœli, et nubes defluant *juſtitia*, aperiat ſe terra, et *fructificet ſalutem;* quod per cœlos interiora Eccleſiæ ſignificentur, eſt quia interiora, quæ ſunt mentis ſpiritualis hominis, ſunt cœli apud illum; quod apud hominem, apud quem eſt Eccleſia, ſit cœlum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 30 et 57; per creare cœlos et formare terram ac facere et præparare eam, ſignificatur plene inſtituere Eccleſiam. Apud Eundem, "*Ecce Ego creans cœlos novos et Terram novam, nec commemorabuntur priora,*" lxv. 17; per creare Cœlos novos et terram novam ſignificatur inſtaurare novam Eccleſiam quoad interiora et exteriora ejus, tam in Cœlis quam in terris, ut ſupra. Apud Eundem, "*Quis audivit ſicut hoc, num parturiet Terra die uno, num generabitur gens vice una: quemadmodum Cœli novi et Terra nova, quæ Ego facturus, ſtabunt coram Me, ſic ſtabit ſemen veſtrum et nomen veſtrum,*" lxvi. 8, 22; quia per terram ſignificatur Eccleſia, ideo dicitur num parturiet terra die uno, num generabitur gens vice una, per parturire et partum ac per generare et generationem in Verbo ſignificantur partus et generatio ſpiritualis, quæ ſunt fidei et amoris, ita reformatio ac regeneratio; quid cœli novi et terra nova, ſupra dictum eſt. Apud Jeremiam, "*Ego feci Terram, hominem et beſtiam quæ ſuper faciebus Terræ; et do eam qui rectus in oculis meis,*" xxvii. 5; per hominem et beſtiam quæ ſuper faciebus terræ, ſignificantur affectiones veri et boni in ſpirituali et naturali homine, videatur n. 280; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4724, 7523, 7872; et quia illæ affectiones apud homines faciunt Eccleſiam apud illos, ideo dicitur feci terram, hominem et beſtiam quæ ſuper faciebus terræ, et do eam qui rectus in oculis meis; quod Deus non det terram ſolum illis qui recti ſunt in oculis Ipſius, ſed etiam illis qui non recti ſunt, notum eſt, non autem Eccleſiam niſi illis qui recti; rectum ſignificat verum et ejus affectionem. Apud Eſajam, "*Cæli ſicut fumus evaneſcent, et Terra ſicut veſtis veteraſcet, et habitatores ſicut ita morientur,*" li. 6; Cœli qui evaneſcent et terra quæ ſicut veſtis veteraſcet, ſignificant Eccleſiam, hæc ſucceſſive labitur, et tandem deſolatur, non autem Cœlum aſpectabile et terra habitabilis; quare dicitur et habitatores ſicut ita morientur, mori ſignificat ſpiritualiter mori. Simile ſignificatur per quod "*Cæli et Terra tranſibunt,*" Matth. xxiv. 35. Marc. xiii. 31. Luc. xvi. 17. In Apocalypſi, "*Quatuor Angeli ſtantes ſuper quatuor angulis Terræ, retinentes quatuor ventos Terræ, ut non flaret ventus ſuper Terram,*" vii. 2, 3; per quatuor angulos terræ, et per quatuor ventos terræ, ſignificantur omnia vera et bona Eccleſiæ in complexu; ſimilia enim per illos ſignificantur quæ per quatuor plagas cœli, quæ quod ſignificent illa, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, de quatuor Plagis in Cœlo, n. 141 ad 153; retinere illos ſignificat quod non influant quia non recipiuntur, quare dicitur ut non flaret ventus ſuper terram. Similiter Terra ſignificat Eccleſiam alibi in Apocalypſi, ut Cap. x. 2, 5, 6, 8. Cap. xii. 16. Cap. xiii. 13. Cap. xvi. 2, 14. Cap. xx. 8, 9, 11. Cap. xxi. 1: præter multis aliis in locis in Verbo, quæ propter multitudinem non adducuntur. Quia Terra ſignificabat Eccleſiam, et imprimis Terra Canaan, quoniam ibi erat Eccleſia, et quia Eccleſia, quæ ibi, erat Eccleſia repræſentativa, ideo omnia quæ ibi erant repræſentabant, et quæ ad illos a Domino dicta ſunt ſignificabant ſpiritualia ſeu interiora Eccleſiæ, et hoc uſque ad ipſam Terram et ad ejus producta; prout hæc apud Moſen, "*Si obſerves præcepta, Jehovah ducturus te in Terram bonam, in Terram fluviorum, aquæ, fontium, abyſſorum exeuntium ex valle et monte; Terram tritici, hordei, vitis, ficus, malogranati; Terram olivæ, olei, mellis; Terram ubi non cum defectu edes panem, nihil deficiet; Terram ubi lapides ferrum, et ex montibus effoditur cuprum; et comedes et ſatiaberis in Terra hac bona,*" Deut. viii. 1, 7, 8, 9, 10; per hæc deſcribuntur omnia Eccleſiæ, tam interiora quam exteriora ejus; ſed exponere quid ſingula ſignificant, prolixum foret, nec hujus loci eſt. Quia Terra ſignificabat Eccleſiam, ideo inter benedictiones fuit, "*Quod, ſi viverent ſecundum præcepta, Terra daret proventum, ceſſarent feræ malæ e Terra, nec gladius pertranſiret Terram,*" Levit. xxvi. 4, 5, 7; quod terra daret proventum, ſignificat quod in Eccleſia eſſet bonum et verum; quod ceſſarent feræ malæ, ſignificat quod affectiones malæ et concupiſcentiæ, quæ illam deſtruunt, non eſſent; quod gladius non pertranſiret terram, ſignificat quod non falſum ejiceret verum. Quia Terra ſignificabat Eccleſiam, etiam ſtatutum erat, "*quod ſeptimus annus eſſet Sabbathum Terræ, et non labor ſuper illa,*" Levit. xxv. 1 ad 8; et quoque ideo dicitur, "*Terra polluta propter mala, et quod propter abominationes exſpueret illos,*" Levit. xviii. 1 ad 18. Et quia Terra ſignificabat Eccleſiam, "*ideo Dominus exſpuit in Terram, et fecit lutum ex ſputo, et inunxit ſuper oculos cæci, et dixit, abi lava te in lacu Siloah,*" Joh. ix. 6, 7, 11, 15: et ideo "*Dominus, cum Scribæ et Phariſæi quærebant Ipſum de muliere in adulterio deprehenſa, deorſum ſe incurvans ſcribebat in Terra bis,*" Joh. viii. 6, 8; per quod ſignificatur quod Eccleſia plena eſſet adulteriis, hoc eſt, plena adulteratione boni et falſificatione veri; quare etiam Dominus dixit illis, "*Qui veſtrum immunis eſt a peccato primus in eam jaciat lapidem; ſed unus poſt alium exibant, initio facto a ſenioribus uſque ad ultimos,*" Verſ. 7, 9. Quoniam pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habent, ita quoque Terra, quæ in eo ſenſu ſignificat Eccleſiam vaſtatam, quæ eſt quando non amplius bonum amoris et verum fidei, ſed loco illorum malum et falſum; hæc quia damnant hominem, per Terram in eo ſenſu etiam ſignificatur damnatio, ut in ſequentibus his locis; Eſaj. Cap. xiv. 12. Cap. xxi. 9. Cap. xxv. 12. Cap. xxvi. 19, 21. Cap. xxix. 4. Cap. xlvii. 1. Cap. lxiii. 6. Thren. Cap. ii. 2, 10. Ezech. Cap. xxvi. 20. Cap. xxxii. 24. Num. xvi. 29 ad 33. Cap. xxvi. 10: et alibi.

305. Verſ. 4, 5. *Et ego flebam multum, quod nemo dignus inventus aperire et legere librum, nec inſpicere eum. Et unus ex Senioribus dicit mihi, ne fleto, ecce vicit Leo, qui eſt ex tribu Jehudæ, radix Davidis, aperire librum et ſolvere ſeptem ſigilla ejus.* Et ego flebam multum, quod nemo dignus inventus aperire et legere librum nec inſpicere eum, ſignificat dolorem cordis ob inordinationem et interitum omnium, ſi nemo poſſet omnes et omnia eorum ſcire, cognoſcere et explorare: et unus ex Senioribus, ſignificat ſocietatem cœli quæ præ reliquis in ſapientia: dicit mihi ne fleto, ſignificat ne ſit dolor inde: ecce vicit Leo, ſignificat Dominum quod ex propria potentia ſubjugaverit inferna, et redegerit omnia in cœlis in ordinem: ex tribu Jehudæ, radix Davidis, ſignificat per Divinum Bonum unitum Divino Vero in ſuo Humano: aperire librum, et ſolvere ſeptem ſigilla ejus, ſignificat quod ſciat et cognoſcat omnes et ſingulos, et occultiſſima cujuſvis.

306. Et ego flebam multum, quod nemo dignus inventus aperire et legere librum nec inſpicere eum, quod ſignificet dolorem cordis ob inordinationem et interitum omnium ſi nemo poſſet omnes et omnia eorum ſcire, cognoſcere et explorare, conſtat ex ſignificatione flere quod ſit dolere, inde flere multum eſt dolere ex corde ſeu dolor cordis; quod ſit ob inordinationem et interitum omnium, ſequitur; et ex ſignificatione quod nemo dignus inventus aperire et legere librum nec inſpicere eum, quod ſit quod nemo talis ſit ut ſcire poſſit ſtatus vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari, de qua ſupra n. 303, 304; ſeu quod idem, quod nemo talis ſit ut poſſit omnes et omnia eorum ſcire, cognoſcere et explorare. Quod attinet dolorem cordis, qui ſignificatur per flebam multum, ob inordinationem et interitum omnium, ſi nemo talis ſit, ut poſſit omnes et omnia eorum ſcire, cognoſcere et explorare, velim paucis exponere: ut Cœlum Angelicum exiſtat et ſubſiſtat, erunt omnia ibi in ordine, illud enim, niſi in ordine foret, diſſiparetur; Cœlum nam-

que Angelicum diſtinctum eſt in Societates, et Societates ordinatæ ſunt ſecundum affectiones veri et boni, et hæ ſunt multiplices et innumeræ; hæc ordinatio unice dependet ex Infinita Sapientia Unius, qui ſcit omnia, cognoſcit omnia et explorat omnia, et inde diſponit et ordinat omnia: Hic Unus eſt Solus Dominus, quapropter in Verbo dicitur, quod Ipſi judicium, quodque Ipſi poteſtas in Cœlis et in terris, et hic, quod Ipſe acceperit librum et ſolverit ſigilla ejus: præterea, niſi Cœlum in ordine foret, non potuiſſet Mundus, hoc eſt, homines in terris, exiſtere et ſubſiſtere, nam Mundus dependet a Cœlo et ejus influxu in ſpiritualia et rationalia hominum, verbo, interirent omnia; ſed hæc melius comprehendi poſſunt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, et quoque in Opuſculo de Ultimo Judicio, oſtenſa ſunt, et quidem ex ſingulis ibi, ſi cum attentione legantur. Quod dicatur ſcire, cognoſcere et explorare, eſt quia illa ſignificantur per librum aperire, legere et inſpicere, per librum enim ſignificantur omnia quæ ſunt apud hominem, ſpiritum et angelum, ſeu omnes ſtatus vitæ eorum quoad amorem et fidem, quare per aperire librum ſignificatur ſcire illa, per legere librum ſignificatur cognoſcere illa, et per inſpicere librum ſignificatur explorare illa.

307. Et unus ex Senioribus, quod ſignificet ſocietatem cœli quæ præ reliquis in ſapientia, conſtat ex ſignificatione Seniorum, quod ſint qui in veris ex bono ſunt, et abſtracte vera ex bono, de qua ſupra n. 271, ita qui in intelligentia et ſapientia præ reliquis, nam omnis intelligentia eſt ex bono per vera ſeu per vera ex bono, et non aliunde ulli: quod per unum ex Senioribus ſignificetur ſocietas Cœli, eſt quia per Angelum in Verbo non intelligitur unus Angelus, ſed integra Societas, videatur ſupra n. 90, 302; ita quoque per unum ex Senioribus: quod intelligatur Societas quæ præ reliquis in ſapientia, eſt quia docuit quod Dominus Solus ſit, Qui quoad Humanum ſibi comparavit Divinam Sapientiam, ut ſciat, cognoſcat et exploret unumquemvis, ac ſtatus vitæ omnium in communi et ſingulorum in particulari, quæ ſignificantur per illa quæ dixit, nempe ne fleto, ecce vicit Leo qui eſt ex tribu Jehudæ radix Davidis aperire librum et ſolvere ſeptem ſigilla ejus; hoc enim ſcire, nempe quod Dominus Solus ſit Qui talis, eſt ſapientiæ Angelorum Cœli, et hoc ſciunt ex perceptione ſeu ex influxu a Domino Societates Angelicæ in Tertio ſeu Intimo Cœlo; reliquæ etiam ſciunt, ſed non ex perceptione verum ex illuſtratione intellectus; perceptio eſt Angelis tertii ſeu intimi Cœli, illuſtratio intellectus eſt Angelis ſecundi et ultimi Cœli, diſtinguuntur per id, quod perceptio ſit confirmatio plena ex influxu a Domino, illuſtratio autem intellectus eſt viſus ſpiritualis, hic eſt illis qui in charitate erga proximum et inde fide ſunt, illa autem nempe perceptio eſt illis qui in amore in Dominum ſunt: porro quid Perceptio, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 135 et 140.

308. Dicit mihi ne fleto, quod ſignificet ne ſit dolor inde, conſtat ex ſignificatione flere, quod ſit dolor cordis, ut ſupra n. 306; ob quam cauſam, videatur etiam ibi.

309. Ecce vicit Leo, quod ſignificet Dominum quod ex propria potentia

ſubjugaverit inferna, et redegerit omnia ibi et in Cœlis in ordinem, conſtat ex ſignificatione vincere, cum de Domino, quod, cum in mundo fuit, ſubjugaverit inferna, ac redegerit ibi et in cœlis omnia in ordinem, et hoc per tentationes in Humanum ſuum admiſſas et per continuas tunc victorias, de qua re videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 301, 302; hoc itaque ſignificatur per Vincere, cum de Domino: et quia Dominus illa fecerat ex propria potentia, dicitur Leo, nam Leo ſignificat potentiam, videatur ſupra n. 278: quod Dominus illa fecerit ex propria potentia, notum eſt ex Verbo, ſed quia pauci id ſciunt, velim aliquid de eo dicere: fecit id Dominus ex Divino, quod in Ipſo ex conceptione erat, quod erat Ipſi ſicut anima eſt homini ex patre, et anima cujuſvis operatur per corpus, corpus enim eſt ejus obedientia: Divinum, quod Ipſi inerat ex conceptione, erat ſuum Divinum, quod in Fide Athanaſiana dicitur æquale Divino, quod ibi Pater vocatur; dicitur enim, quod ſicut Pater etiam Filius, Infinitus, Increatus, Æternus, Omnipotens, Deus, Dominus, et quod nemo eorum Maximus et Minimus, nec Primus et Ultimus, ſed prorſus æquales; et quoque dicitur, quod Divinum et Humanum Domini non ſint duo, ſed unica Perſona, et quod ſicut anima et corpus faciunt unum hominem, ita Divinum et Humanum eſt unus Chriſtus; inde ſciri poteſt, etiam ab illis qui fidem habent Athanaſio, quod Dominus ex propria potentia, quia ex ſuo Divino, illa fecerit: ex his manifeſte conſtare poteſt, quomodo intelligenda ſunt quæ Dominus dicit apud Johannem, "*Pater, Qui in Me manet, Ipſe facit opera; credite Mihi quod Ego in Patre, et Pater in Me,*" xiv. 10, 11: et alibi apud Eundem, "*Amen dico vobis, non poteſt Filius facere quicquam a Seipſo, niſi quid viderit Patrem facientem; quæ namque Ipſe facit, hoc etiam Filius ſimiliter facit: quemadmodum Pater ſuſcitat mortuos et vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat; quemadmodum Pater habet vitam in Seipſo, ita etiam dedit Filio vitam habere in Seipſo,*" v. 19, 21, 26; quia Divinum, quod Dominus vocat Patrem, fuit Suum Divinum, et non aliud Divinum, inde conſtare poteſt, quod quicquid ex Patre fecerat ex Se fecerit, et quoque quicquid ex Humano, quod vocat Filium; et ſic quod omnia, quia ex Suo, ex propria potentia fecerit.

310. Ex tribu Jehudæ, radix Davidis, quod ſignificet per Divinum Bonum unitum Divino Vero in ſuo Humano, conſtat ex ſignificatione Tribus Jehudæ, quod ſint omnia bona in complexu, omnes enim Tribus Iſraelis ſignificabant omnia vera et bona Cœli et Eccleſiæ, de quo ſupra n. 39, et Jehudah ſeu Tribus ejus ſignificabat bonum amoris cœleſtis, de quo etiam ſupra n. 119, et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3654, 3881, 5583, 5603, 5782, 6363; inde in ſupremo ſenſu, in quo de Domino, per Tribum Jehudæ ſignificatur Divinum Bonum; et ex ſignificatione radicis Davidis, quod ſit Divinum Verum, per Davidem enim in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, videatur ſupra n. 205; inde eſt, quod per ex tribu Jehudæ radix Davidis, intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum unitum Divino Vero in Humano Ipſius; in Verbo in ſenſu ejus literæ utplurimum dicuntur duo, quorum unum involvit bonum, alterum autem verum, ſed duo illa conjunguntur in unum in ſenſu interno ſeu ſpirituali ejus, et hoc ob conjugium,

gium boni et veri in ſingulis Verbi, de quo videatur ſupra n. 238 f. 288; cauſa eſt, quia bonum et verum in Cœlo non ſunt duo ſed unum, omne enim verum ibi eſt bonum. Dominus quoad Humanum dicitur radix Davidis, ex eo quia omne Divinum Verum ab Ipſo eſt, ſicut etiam omnia exiſtunt et ſubſiſtunt ex radice ſua: inde etiam eſt, quod dicatur radix Jiſhaji apud Eſajam, "*Fiet in die illo radicem Jiſhaji, quæ ſtans in ſignum populorum, gentes quærent, et erit quies Ipſius gloria,*" xi. 10; Jiſhajus pro Davide, quia erat pater ejus.

311. Aperire librum et ſolvere ſeptem ſigilla ejus, quod ſignificet quod ſciat et cognoſcat omnes et ſingulos, et occultiſſima cujuſvis, conſtat ex illis quæ ſupra n. 299, 303, 304, oſtenſa ſunt, ubi ſimilia.

312. Verſ. 6, 7. *Et vidi et ecce in medio Throni, et quatuor Animalium, et in medio Seniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem et oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Dei ſpiritus emiſſi in omnem terram. Et venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper Throno.* Et vidi et ecce in medio Throni, et quatuor Animalium, et in medio Seniorum, ſignificat in toto cœlo, ac in ſpecie in Cœlis intimis: Agnum ſtantem, ſignificat Dominum quoad Divinum Humanum: tanquam occiſum, ſignificat a paucis adhuc agnitum: habentem cornua ſeptem, ſignificat Cui Omnipotentia: et oculos ſeptem, ſignificat et Cui Omniſcientia: qui ſunt ſeptem Dei Spiritus emiſſi in omnem terram, ſignificat inde omnis ſapientia et intelligentia in Cœlo et in Eccleſia: et venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper Throno, ſignificat quod ex Divino Humano Ipſius ſint illa.

313. Et vidi et ecce in medio Throni, et quatuor Animalium, et in medio Seniorum, quod ſignificet in toto Cœlo, et in ſpecie in Cœlis intimis, conſtat ex ſignificatione in medio, quod ſit intimum, et inde quoque totum, de qua ſequitur; ex ſignificatione Throni, quod ſit Cœlum in toto complexu, de qua ſupra n. 253; ex ſignificatione quatuor Animalium, quod ſint Providentia et Cuſtodia Domini, ne adeatur niſi quam per bonum amoris, de qua ſupra n. 277; et quia cuſtodia illa eſt imprimis in Tertio ſeu Intimo Cœlo, ex cauſa, quia omnes, qui ibi ſunt, in bono Amoris in Dominum a Domino ſunt, ideo id Cœlum per quatuor Animalia in ſpecie ſignificatur, quod adhuc melius conſtabit ex ſequentibus hujus Capitis; et ex ſignificatione Seniorum, quod ſint qui in veris ex bono, de qua etiam ſupra n. 271; hic ergo illi qui in Medio ſeu Secundo Cœlo, quoniam omnes ibi in veris ex bono ſunt; ſunt enim illi bini Cœli, Tertium et Secundum, diſtincti inter ſe per id, quod qui in Tertio Cœlo ſunt, in amore in Dominum ſint, et qui in Secundo in charitate erga proximum, illi qui in charitate erga proximum ſunt, in veris ex bono ſunt; inde conſtare poteſt, quid in ſpecie ſignificatur per quatuor Animalia, et per Seniores: at in genere per quatuor Animalia ſignificatur omne Divinum Bonum in univerſo Cœlo quod cuſtodit, et in genere per Seniores omne Divinum Verum procedens ex Divino Bono etiam in univerſo Cœlo, utrumque cuſtodit, quia unita ſunt; ita per quatuor Animalia et Seniores ſimul ſignificatur Divinum Bonum unitum Divino Vero procedens a Domino, et inde totum Cœlum Angelicum, at in ſpecie bini Cœli intimi; quod hoc, eſt cauſa quia Angeli non ſunt Angeli ex

proprio illorum, ſed ex Divino Bono et Divino Vero, quæ recipiunt; Divinum enim apud illos, ſeu receptum ab illis, facit ut ſint Angeli, et facit ut Cœlum ex illis dicatur Cœlum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 2 ad 12, et 51 ad 86. Quod Medium aut in Medio ſignificet Intimum et inde Totum, conſtat ex pluribus locis in Verbo; ſed primum aliquid dicetur, unde eſt quod medium quia ſignificat intimum etiam ſignificet totum; hoc illuſtrari poteſt per comparationem cum luce, cum ſole, cum ordinatione omnium in cœlis, et quoque omnium qui ab Eccleſia in terris; per comparationem cum Luce, lux in medio ſe propagat circumcirca ſeu a centro in peripherias undequaque, et quia ex intimo propagatur et implet ſpatia circum, inde per in medio ſignificatur etiam totum: per comparationem cum Sole, ſol eſt in medio quia eſt centrum ſui univerſi, ex illo quia eſt calor et lux in mundo ejus, ideo per ſolem in medio ſignificatur præſentia ejus undequaque ſeu per totum: per comparationem cum Ordinatione omnium in Cœlis, tres Cœli ſunt, ac intimum eorum eſt Cœlum tertium, id influit in binos cœlos inferiores, et facit ut unum ſecum ſint per communicationem, quæ fit per influxum ex intimo: in omni ſocietate Cœlorum etiam Intimum eſt perfectiſſimum, inde illi qui circumcirca in ea ſocietate ſunt, in luce et intelligentia ſunt ſecundum gradus diſtantiæ ab intimo, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 43, 50, 189: per comparationem cum illis qui ab Eccleſia in terris; Eccleſia Domini eſt per univerſum terrarum orbem diffuſa, ſed Intimum ejus eſt ubi Dominus notus eſt et agnoſcitur, et ubi Verbum eſt, ex illo intimo lux et intelligentia propagatur ad omnes qui circum ſunt et ab Eccleſia ſunt, ſed hæc propagatio lucis ſeu intelligentiæ fit in Cœlo, de qua re videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 308. Ex his conſtare poteſt, quod medium ſeu in medio, quia ſignificat intimum, etiam ſignificet totum: inde patet, quid intelligitur per vidi et ecce in medio Throni et quatuor Animalium et in medio Seniorum Agnum ſtantem, quod nempe Dominum quoad Divinum Humanum in toto Cœlo et in ſpecie in Cœlis intimis. Medium etiam ſignificat intimum et inde totum in pluribus locis in Verbo, ut in ſequentibus; apud Eſajam, "*Exclama et jubila habitatrix Zionis, quia magnus in Medio tui Sanctus Iſraelis,*" xii. 6; per habitatricem Zionis ſimile ſignificatur quod per filiam Zionis, nempe Eccleſia cœleſtis, ſeu Eccleſia quæ in bono amoris in Dominum eſt; magnus in Medio tui Sanctus Iſraelis, ſignificat Dominum quod ubivis et per totum ibi. Apud Davidem, "*Conſideravimus, Deus, Miſericordiam tuam in Medio Templi tui, quemadmodum Nomen tuum, ſic laus tua ad fines terræ,*" Pſalm. xlviii. 10, 11; per Templum ſignificatur Eccleſia quæ in veris ex bono eſt, quæ vocatur Eccleſia ſpiritualis; in medio ejus eſt in intimo ejus et inde in toto ejus; quare dicitur quemadmodum Nomen tuum ita laus tua ad fines terræ, ad fines terræ eſt uſque ad ultima Eccleſiæ, terra eſt Eccleſia. Apud Eundem, "*Deus Rex meus ab Antiquo, operans ſalutes in Medio terræ,*" Pſalm. lxxiv. 12; operans ſalutes in medio terræ, ſignificat undequaque. Apud Eundem, "*Deus conſtitit in cœtu Dei, in Medio Deorum judicabit,*" Pſalm. lxxxii. 1; Cœtus Dei ſignificat Cœlum; in medio Dei, ſignificat apud omnes angelos ibi, ita in toto cœlo; Angeli enim dicuntur dii ex Divino Vero quod recipiunt

piunt a Domino, nam Deus in Verbo ſignificat Dominum quoad Divinum Verum quod procedit ab Ipſo, et quod facit Cœlum, videatur ſupra n. 24, 130, 220, 222, 302. Apud Moſen, “ *Ecce mitto Angelum coram te; caveto tibi a faciebus Ipſius, quoniam Nomen meum in Medio Ipſius,*” Exod. xxiii. 20, 21; per Angelum hic in ſupremo ſenſu intelligitur Dominus; per Nomen meum in Medio Ipſius, intelligitur quod omne Divinum Bonum et Divinum Verum in Ipſo, videatur ſupra n. 102, 135, 224. Apud Lucam, “ *Jeſus de ultimis temporibus dixit; tunc qui in Judæa fugiunto ſuper montes, et qui in Medio ejus exeunto,*” xxi. 21; agitur ibi de Conſummatione ſæculi, per quam ſignificatur ultimum tempus Eccleſiæ quando judicium; per Judæam non intelligitur Judæa ſed Eccleſia, et per montes non intelliguntur montes, ſed bonum amoris in Dominum; et quia de fine Eccleſiæ hæc dicta ſunt, patet quid ſignificatur per qui in Judæa fugiunto ſuper montes, et qui in medio ejus exeunto, quod nempe, cum judicium, omnes illi ab Eccleſia ſalvi erunt qui in bono amoris in Dominum ſunt. Apud Eſajam, “ *In die illo erit Iſrael tertia Ægypto et Aſchuri, benedictio in Medio terræ, cui benedicet Jehovah, dicendo, benedictus populus meus Ægyptus, et opus manuum mearum Aſchur, et hæreditas mea Iſrael,*” xix. 24, 25; per Iſraelem intelligitur ſpirituale Eccleſiæ, per Aſchurem rationale hominum ejus, et per Ægyptum cognitiones et ſcientifica; inde conſtare poteſt quid ſignificatur per quod Iſrael erit tertia Ægypto et Aſchuri benedictio in medio terræ, quod nempe ſpirituale erit omne ibi, tam rationale quam cognitivum et ſcientificum; quando enim intimum eſt ſpirituale, quod eſt verum ex bono, tunc quoque rationale, quod inde eſt, etiam ſpirituale eſt, ut et cognitivum et ſcientificum, utrumque enim formatur ex intimo quod eſt verum ex bono ſeu ſpirituale. Apud Jeremiam, “ *Fractum eſt cor meum in Medio mei; quaſſata ſunt omnia oſſa mea,*” xxiii. 9; fractum cor in medio mei ſignificat dolorem ab intimis ad ultima ſeu per totum; quare etiam dicitur, quaſſata ſunt omnia oſſa mea, oſſa ſignificant ultima. In ſequentibus etiam in Medio ſignificat in toto ſeu per totum; apud Eſajam, “ *Erit in Medio terræ, in Medio populorum, ſicut ſtrictura oleæ, ſicut racemationes quando conſummata eſt vindemia,*” xxiv. 13; hæc dicta ſunt de Eccleſia vaſtata quoad bonum et quoad verum, et in qua non niſi quam malum et falſum eſt; in medio terræ eſt quod per totum Eccleſiæ ſit malum, et in medio populorum eſt quod per totum ejus ſit falſum; quare comparatur cum ſtrictura oleæ, et cum racemationibus relictis quando conſummata eſt vindemia, olea ſignificat bonum Eccleſiæ, vindemia verum ejus, ſtrictura et racemationes relicta earum ſignificant vaſtationem. Apud Davidem, “ *Inveſtigant perverſitates, nam Medium Viri atque cor profundum,*” Pſalm. liv. 7; Medium Viri eſt intellectuale ubi eſſet verum, et cor voluntarium ubi eſſet bonum, hic utrumque perverſum, hoc in malum et illud in falſum. Apud Eundem, “ *Non in ore cujuſvis certum, Medium eorum perditiones,*” Pſalm. v. 10. Apud Eundem, “ *Ore ſui benedicunt, ſed in Medio ſui maledicunt,*” Pſalm. lxii. 5. Apud Eundem, “ *Dictum prævaricationis impio: in Medio cordis mei non pavor Dei coram oculis ejus,*” Pſalm. xxxvi. 2. Apud

Jeremiam, "*Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, habitare eorum eſt in medio doli, ob dolum renuerunt cognoſcere Me,*" ix. 4, 5; etiam in his, præter in aliis locis, in medio ſignificat in toto quia in intimo; quale enim eſt intimum tale eſt totum, nam ex intimo omnia reliqua producuntur et derivantur, ſicut corpus ex ſua anima, intimum cujuſvis rei eſt quoque quod vocatur anima; ſit pro exemplo, intimum hominis eſt ejus voluntas et inde intellectus, et qualis eſt voluntas et inde intellectus, talis eſt totus homo; ac intimum hominis eſt ejus amor et inde fides, et qualis eſt ejus amor et inde fides, talis eſt totus. Quod talis ſit totus homo, qualis eſt medium ſeu intimum ejus, etiam intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "*Lucerna corporis eſt oculus, ſi oculus bonus, totum corpus eſt lucidum, ſi oculus malus totum corpus obtenebratum eſt,*" vi. 22, 23; per oculum ſignificatur intellectus hominis, videatur ſupra n. 37 et 152, qui ſi bonus, hoc eſt, ſi ex veris quæ ex bono, tunc totus homo talis eſt, quod ſignificatur per quod totum corpus tunc lucidum; viciſſim autem, ſi intellectus ſit ex falſis mali, quod totus homo talis ſit ſignificatur per quod tunc totum corpus obtenebratum: oculus bonus dicitur, ſed in Lingua originali dicitur Oculus ſimplex, et ſimplex ſignificat quod unum eſt, et tunc unum eſt quando verum ex bono eſt, ſeu intellectus ex voluntate; etiam per oculum dextrum ſignificatur intellectus boni, et per oculum ſiniſtrum intellectus veri, qui ſi unum faciunt eſt oculus ſimplex, ita oculus bonus.

314. Agnum ſtantem, quod ſignificet Dominum quoad Divinum Humanum, conſtat ex ſignificatione Agni, cum de Domino, quod ſit Ipſe quoad Divinum Humanum: quod Dominus quoad Illud Agnus dicatur, eſt quia Agnus ſignificat Bonum innocentiæ, ac Bonum innocentiæ eſt ipſum Bonum Cœli quod procedit a Domino; et quantum Angeli hoc Bonum recipiunt, tantum Angeli ſunt: hoc Bonum regnat apud Angelos qui in Tertio ſeu Intimo Cœlo ſunt, quapropter illi, qui ibi, apparent ſicut Infantes coram oculis aliorum Angelorum: quid Bonum innocentiæ, et quod in illo Bono ſint Angeli Cœli, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, in Articulo ubi agitur de ſtatu Innocentiæ Angelorum Cœli, n. 276 ad 283, tum n. 285, 288, 341, 382. Creditur in Mundo, quod Dominus dicatur Agnus ex eo, quod Holocauſtum juge, ſeu quod quovis die veſpere et mane fiebat, eſſet ex Agnis, ac imprimis diebus Paſchatis, quando etiam comedebatur Agnus, et quod Dominus ſe ſacrificari paſſus ſit: ſed hæc cauſa denominationis ſit pro illis in mundo, qui non ultra ſenſum literæ Verbi cogitant; verum in Cœlo nihil tale per Agnum, cum de Domino, percipitur, ſed cum nominatur ſeu legitur Agnus in Verbo, tunc Angeli, quia eorum omnes in ſenſu ſpirituali Verbi ſunt, percipiunt Bonum Innocentiæ, et cum Dominus ita vocatur, percipiunt Divinum Humanum Ipſius, et ſimul Bonum innocentiæ quod ab Ipſo; ſcio, quod ægre credatur quod ita ſit, ſed uſque eſt Verum. Quod Agnus in Verbo ſignificet Bonum innocentiæ, et ubi de Domino, ſignificet Divinum Humanum Ipſius, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Ecce Dominus Jehovih in forti venit, ſicut Paſtor*

gregem ſuum paſcet, in brachium colliget Agnos, in gremio portabit, lactentes leniter ducet," xl. 11; hæc de adventu Domini; per gregem quem ſicut paſtor paſcet, ſignificantur qui in bono charitatis ſunt; et per agnos quos in brachium ſuum colliget, ſignificantur qui in amore in Ipſum ſunt, hic amor eſt qui in ſe ſpectatus eſt innocentia, quare omnes qui in illo ſunt in cœlo innocentiæ ſunt, quod eſt Cœlum Tertium; et quia ille amor per Agnos ſignificatur, ideo etiam dicitur, lactentes leniter ducet, per lactentes et infantes in Verbo intelliguntur qui in innocentia ſunt, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 277, 280, 329 ad 345. Apud Eundem, "*Commorabitur lupus cum agno, et pardus cum hædo cubabit, vitulus et leo juvenis et ſaginatum una; puerque parvus ducet eos; vitula et urſus paſcent, una cubabunt fœtus eorum; ludet lactens ſuper foramine viperæ, et ſuper ſpeluncam baſiliſci ablactatus manum impellet,*" xi. 6, 7, 8; hæc dicta ſunt de Domini adventu deque Ipſius Regno, ac de illis ibi qui in bono innocentiæ ſunt, quod nihil ab infernis et malis inde timebunt, quia tuti a Domino: Regnum Domini deſcribitur hic per innocentias varii generis, ac per illarum oppoſita a quibus tuti erunt; Agnus eſt innocentia intimi gradus, ejus oppoſitum eſt lupus; hœdus eſt innocentia ſecundi gradus, cujus oppoſitum eſt pardus; vitulus eſt innocentia ultimi gradus, cujus oppoſitum eſt leo juvenis; quod Agnus, aries ſeu ovis, et vitulus ſignificent tres gradus innocentiæ, videatur n. 10132: innocentia intimi gradus eſt qualis eſt illis qui in tertio ſeu intimo Cœlo, et ejus bonum vocatur bonum cœleſte; innocentia ſecundi gradus eſt qualis eſt illis qui in ſecundo ſeu medio Cœlo, et ejus bonum vocatur bonum ſpirituale; et innocentia ultimi gradus eſt qualis eſt illis qui in primo ſeu ultimo Cœlo, et ejus bonum vocatur bonum naturale ſpirituale; quod omnes qui in cœlis ſunt, in aliquo bono innocentiæ ſint, videatur n. 4797: quia bona innocentiæ per illa deſcribuntur, ideo etiam dicitur, et puer parvus ducet eos, tum ludet lactens ſuper foramine viperæ, et ablactatus manum impellet ſuper ſpeluncam baſiliſci; per puerum, lactentem et ablactatum ſimiliter illi innocentiæ gradus ſignificantur; quod puer, videatur n. 430, 5236: quod lactens ſeu infans primæ ætatis, et ablactatus ſeu infans ſecundæ, n. 3183, 4563, 5608, 6740, 6745. Quia Agnus ſignificat innocentiam, ſeu illos qui innocentes ſunt, ac lupus illos qui contra innocentiam, ideo ſimiliter dicitur alibi apud Eundem Prophetam, "*Lupus et Agnus paſcent ſimul, non malum facient in toto monte ſanctitatis,*" lxv. 25; mons ſanctitatis eſt Cœlum, in ſpecie Cœlum intimum: et ideo Dominus dicit ad ſeptuaginta quos emiſit, "*Ego mitto vos ſicut agnos in medium luporum,*" Luc. x. 3. Quia Agni ſignificant illos qui in amore in Dominum ſunt, qui amor unum eſt cum innocentia, et quia Oves ſignificant illos qui in amore erga proximum ſunt, qui amor eſt charitas, ideo Dominus dixit ad Petrum, "*Simon Jona amaſne Me, dicit Ipſi, imo Domine, Tu ſcis quod amem Te, dicit illi, paſce agnos meos, et poſtea paſce oves meas,*" Joh. xxi. 15, 16, 17; quod hæc ad Petrum dicta ſint, erat quia per illum intelligebatur Verum ex bono, ſeu fides ex charitate, ac verum ex bono docet, paſcere eſt docere. Apud Ezechielem, "*Arabia et omnes principes Kedar, hi negotiatores manus tuæ per Agnos, arietes et hircos,*" xxvi. 21; hæc de Tyro, per quam intelliguntur illi qui in cognitionibus veri et boni ſunt; per Arabiam et principes Kedar, qui negotiatores manus ejus, ſignificantur qui in veris et bonis ex cognitionibus ſunt; et per negotiatores ſignificantur qui illa communicant et docent; per agnos, arietes, hircos ſignificantur tres gradus boni innocentiæ, ſimiliter ac per agnos, arietes et vitulos; quod per hos ſignificentur tres gradus boni innocentiæ, videatur n. 10042, 10132. Similiter apud Moſen, "*Equitare fecit eum ſuper excelſis terræ, et cibavit proventu agrorum, ſugere fecit eum mel e rupe, et oleum e ſaxo petræ; butyrum armenti et lac gregis, cum adipe agnorum, arietum Baſchanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et ſanguinem uvæ bibis merum,*" Deut. xxxii. 13, 14; hæc dicta ſunt de inſtauratione Eccleſiæ Antiquæ, quæ fuit Eccleſia prima poſt diluvium, et per illa omnia deſcribuntur ejus varia genera boni; ſed quia abſque explicatione vix aliquis illa intellecturus eſt, velim paucis dicere: equitare ſuper excelſis terræ, ſignificat intelligentiam eorum qui ab illa Eccleſia, quod eſſet interior; cibavit proventu agrorum, ſignificat quod inſtructi omni vero et bono; ſugere fecit mel e rupe, ſignificat quod eis bonum naturale per vera; oleum e ſaxo petræ, ſignificat quod eis bonum ſpirituale etiam per vera, mel et oleum ſignificant illa bona, ac rupes, petra, ſaxum, ſignificant vera; butyrum armenti et lac gregis ſignificant bonum veri externum et internum; adeps agnorum, arietum Baſchanis et hircorum, ſignificat bona innocentiæ trium graduum, ut ſupra; adeps renum tritici et ſanguis uvæ, ſignificat ſic genuinum bonum et genuinum verum. Apud Eſajam, "*Gladius Jehovæ implebitur ſanguine, pinguefiet adipe, ſanguine agnorum et hircorum, et adipe renum arietum,*" xxxiv. 6; etiam ibi per Agnos, arietes et hircos, ſignificantur tres gradus boni innocentiæ, de quibus ſupra; ſed hic agitur de deſtructione eorum per falſa mali; gladius enim ſignificat falſum deſtruens verum et bonum, ſanguis quo implebitur ſignificat deſtructionem. Quoniam per Agnum ſignificatur Innocentia, quæ in ſe ſpectata eſt Amor in Dominum, ideo per Agnum in ſupremo ſenſu ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum, nam Dominus quoad illud erat ipſa Innocentia; ut in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Exactionem ſuſtinuit, et afflictus eſt, non tamen aperuit os ſuum, ſicut Agnus ad mactationem ducitur,*" iii. 7: apud Eundem, "*Mittite Agnum Dominatoris terræ de petra verſus deſertum, ad montem filiæ Zionis,*" xvi. 1. Apud Johannem, "*Johannes vidit Jeſum venientem ad illum, et dicit, ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi: et poſtea vidit Jeſum ambulantem, dixit, ecce Agnus Dei,*" i. 29, 36, 37: in Apocalypſi, "*Agnus in medio terræ paſcet eos, et deducet ad vivos fontes aquarum,*" vii. 17: et alibi, "*Vicerunt per ſanguinem Agni et Verbum Teſtimonii,*" xii. 11: præter etiam alibi in Apocalypſi, ut Cap. xiii. 8. Cap. xiv. 1, 4. Cap. xvii. 14. Cap. xix. 7, 9. Cap. xxi. 22, 23. Cap. xxii. 1, 3. Quoniam Holocauſta et Sacrificia ſignificabant omnem cultum repræſentativum ex bono amoris et ex veris inde, holocauſta ex bono amoris et ſacrificia in ſpecie ex veris inde, ideo "*quovis die, veſpere et mane, fiebat holocauſtum ex Agnis,*" Exod. xxix. 38 ad 43. Num. xxviii. 1 ad 9. "*Quovis Sabbatho ex binis Agnis, præter holocauſtum juge ex illis,*" Num. xxviii. 9, 10. "*In initiis Menſium ex ſeptem agnis,*" Num. xxviii. 11 ad 15: Similiter "*die primitiarum,*" Num. xxviii. 26 ad fin: Similiter "*menſe ſeptimo, quando Convocatio ſancta,*" Num. xxix. 1 ad 7: Similiter, nempe "*ex ſeptem Agnis ſingulis diebus Paſchatis, præter ex duobus vitulis, ariete uno, et hirco uno,*" Num. xxviii. 16 ad 24; quod ex ſeptem agnis, erat cauſa quia per ſeptem ſignificatur omne et plenum, ac prædicatur de ſancto, et quia per holocauſta in communi ſignificabatur cultus Domini ex bono amoris, et bonum amoris in Dominum a Domino eſt ipſum bonum innocentiæ, ac per Agnum in ſupremo ſenſu ſignificabatur Dominus quoad Divinum Humanum: quod Holocauſta ſignificaverint omnem cultum ex bono amoris a Domino in Dominum, videatur n. 923, 6905, 8680, 8936, 10042. "*Ob illam repræſentationem etiam inſtituta eſt Cœna Paſchatis ex Agnis aut Hædis,*" Exod. xii. 1 ad 29; per feſtum Paſchatis enim repræſentabatur Glorificatio Humani Domini, videatur n. 10655. Quia per Infantes ſignificabatur Innocentia, ideo etiam mandatum eſt, ut "*poſt partum die purgationis ſacrificarent Agnum, pullum columbarum et turturem; aut loco Agni duos pullos columbarum aut duos turtures,*" Lev. xii. 6, 7; per pullos columbarum et per turtures ſimile ſignificatur quod per agnos, nempe Innocentia.

315. Tanquam occiſum, quod ſignificet a paucis adhuc agnitum, conſtat ex ſignificatione occiſi, cum de Domino, quod ſit quod non ſit agnitus, hic quod Humanum Ipſius ſit Divinum a paucis agnitum, nam dicitur Agnus ſtans *tanquam* occiſus, et per Agnum ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum, ut mox ſupra n. 314 oſtenſum eſt: hoc ſimile eſt cum eo quod de Domino dictum eſt ſupra Cap. i. Verſ. 18, *et factus ſum mortuus*, per quod ſignificatur quod rejectus, de quo videatur ſupra n. 83. Per occidi in ſenſu ſpirituali ſeu interno non intelligitur occidi quoad corpus ſed quoad animam, et occiditur homo quoad animam, quando non amplius in aliquo bono fidei eſt, tunc enim nulla ei vita ſpiritualis eſt, ſed pro illa mors, quæ mors ſpiritualis vocatur; at vero cum de Domino dicitur Occiſus, non ſignificatur illud, quia Dominus eſt ipſa vita, et dat cuivis vitam ſpiritualem, ſed ſignificatur quod vel rejectus, vel quod non agnitus ſit, eſt enim ſicut nullus apud illos qui non agnoſcunt, et magis apud illos qui negant. Ipſe Dominus quidem agnoſcitur in Eccleſia, et quoque Divinum Ipſius, ſed quoad Humanum ſicut ſolus homo, et non ſicut Deus, inde eſt quod non agnoſcatur Divinum Humanum Ipſius; hoc itaque eſt, quod intelligitur per Agnum ſtantem ſicut Occiſum: ſed quod Dominus etiam quoad Humanum Deus ſit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 280 ad 310, et videbitur ad finem hujus Operis, ubi id manifeſte demonſtrabitur. Illi, qui ex ſenſu literæ Verbi ſolum cogitant, et non ſimul ex Doctrina genuini veri, non aliter ſciunt, quam quod per occidi in Verbo intelligatur occidi quoad corpus; ſed quod intelligatur occidi quoad animam, conſtabit ex locis quæ inde mox adducentur; in confeſſo enim eſt, quod Verbum in

ſuo ſinu ſit ſpirituale, tametſi in ſenſu literæ eſt naturale, ac ſpiritualiter occidi eſt perire quoad animam, quod fit apud eos, qui non recipiunt vitam cœli, quæ vocatur vita æterna, et quoque ſimpliciter vita, et ſic quibus loco ejus eſt mors quæ eſt damnatio; et quia hoc in confeſſo eſt, ſequitur quod per occidi in Verbo intelligatur perire ex falſis et malis: Dominus autem ſpiritualiter dicitur occiſus, quando negatur verum et rejicitur bonum quæ ab Ipſo; apud hos etiam nec agnoſcitur, nam qui negat et rejicit illa quæ ab Ipſo, etiam negat et rejicit Ipſum, Dominus enim eſt apud hominem in ſuis veris et bonis. Sed hic agitur de Divino Humano Ipſius; quod hoc non adhuc agnoſcatur, notum eſt; cauſas dicam, una eſt, quia Gens Pontificia omnem Divinam Poteſtatem, quæ eſt Domino etiam quoad Humanum, in Primatem ſuum tranſtulerunt, nolentes audire quod Divinum fuerit, quia ex Humano Ipſius: altera eſt, quia illi, qui non ex illa gente ſunt, fidem ſolam fecerunt unicum ſalutis medium, et charitatis vitam nullum; et qui hoc faciunt, non percipere poſſunt Humanum Domini aliter ac humanum alterius hominis, quapropter etiam cæce manent in doctrina Trinitatis ex fide Athanaſii, nec poſſunt illuſtrari. Quod occidi in Verbo ſignificet ſpiritualiter occidi, conſtare poteſt ex ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Tu ſicut ſurculus abominabilis, veſtimentum occiſorum, confoſſi gladio; nam terram tuam perdidiſti, populum tuum occidiſti; parate filiis ejus mactationem,*" xiv. 19, 20, 21; hæc de Babele, per quam ſignificatur prophanatio boni et veri et inde deſtructio Eccleſiæ; comparatur illa veſtimento occiſorum qui confoſſi gladio, quia veſtimentum occiſorum ſignificat abominandum falſum conſpurcans et deſtruens illa quæ Eccleſiæ ſunt, qui ideo dicuntur confoſſi gladio, quia gladius ſignificat falſum deſtruens verum; inde dicitur, terram tuam perdidiſti, populum tuum occidiſti, per terram intelligitur Eccleſia, et per populum illi ibi qui in veris ſunt, quos occidere eſt deſtruere per falſa; parate filiis ejus mactationem, ſignificat quod perdenda ſint eorum falſa, filii ejus ſunt falſa. Apud Jeremiam, "*Erunt confoſſi Jehovæ in die illo a fine terræ ad finem terræ,*" xxv. 35; per confoſſos Jehovæ a fine terræ ad finem terræ, ſignificantur illi apud quos deſtructa ſunt omnia vera Eccleſiæ per falſa; confoſſi Jehovæ ſignificant illos apud quos deſtructa ſunt, et a fine terræ ad finem terræ ſignificat omnia Eccleſiæ. Apud Eundem, "*Propterea da filios eorum fami, et defluere fac illos ſuper manus gladii, ut homines rari fiant, occiſi morte, juvenes eorum percuſſi gladio in bello,*" xviii. 21; filios dare fami, et defluere facere ſuper manus gladii, ſignificat exſtinguere vera Eccleſiæ per defectum cognitionum veri, et per falſa, filii ſunt vera, fames eſt defectus cognitionum, et gladius eſt falſum deſtruens verum; ut homines rari fiant, occiſi morte, ſignificat quod affectio veri et inde ſapientia nulla, homines ſignificant affectionem veri et inde ſapientiam, videatur ſupra n. 280; juvenes eorum percuſſi gladio in bello, ſignificat quia vera ſunt deſtructa per impugnationes falſi, juvenes ſunt vera, gladius eſt falſum deſtruens, et bellum eſt impugnatio ejus. Apud Ezechielem, "*Tranſite per Hieroſolymam, et percutite, nec parcat oculus veſter, ſenem, juvenem, et virginem, et infantem, occidite* *ad perditionem; ſed contra ullum virum, ſuper quo ſignum, ne appropinquate,"* ix. 5, 6; hæc dicta ſunt a viro induto linteis ſeu ab angelo ad alios angelos, ac audita a Propheta, per quæ non intellectum eſt ut tranſirent per Hieroſolymam et percuterent et occiderent ſenes, juvenes, virgines et infantes ad perditionem, ſed per Hieroſolymam intelligitur Eccleſia quoad doctrinam, et quod prorſus vaſtata ſit quoad omnia bona et vera quæ faciunt illam; per ſenem intelligitur ſapientia quæ eſt boni, per juvenem intelligentia quæ eſt veri, per virginem affectio eorum, et per infantem omne bonum et verum naſcens, in ſpecie bonum innocentiæ, per quod omnia Eccleſiæ apud hominem naſcuntur; per virum ſuper quo ſignum ad quem non appropinquarent, ſignificatur verum ex bono. Apud Eundem, " *Ut lapident eos lapide, diſcindant eos gladiis, filios eorum et filias eorum occidant, et domos eorum igne comburant,"* xxiii. 47; hæc dicta ſunt de Samaria et de Hieroſolyma, quæ ibi vocantur Ohola et Oholiba, per quas ſignificantur binæ Eccleſiæ, nempe ſpiritualis et cœleſtis, hic illæ Eccleſiæ per falſa et mala devaſtatæ; lapidare lapide, et diſcindere gladiis, ſignificat deſtructionem veri per falſa, lapidatio enim ſignificabat pœnam et mortem propter violentiam illatam Divino Vero, ſimiliter diſciſſio per gladios; filios et filias occidere, ſignificat deſtruere omnia vera et bona, filii ſunt vera et filiæ bona; et domos igne comburere, ſignificat omnia quæ ſunt amoris et charitatis deſtruere per mala amoris ſui et mundi, domus ſunt interiora hominis, ita quæ ejus amoris ſunt, hic quod deſtructa, ignis eſt amor in utroque ſenſu. Apud Jeremiam, " *Jacuerunt in terra, plateis puer et ſenex, virgines meæ et juvenes mei ceciderunt gladio; occidiſti in die iræ tuæ, non pepercisti,"* Thren. ii. 21; agitur etiam ibi de Eccleſia devaſtata; jacere in terra et in plateis, ſignificat a malis et a falſis deſtructos; puer et ſenex, virgines et juvenes ceciderunt gladio, ſignificat, hic ut ſupra, omnia bona et vera cum intelligentia et ſapientia; exſtinctio eorum ſignificatur per occidiſti in die iræ tuæ, non pepercisti, dies iræ ſignificat ultimum ſtatum Eccleſiæ, quando judicium; tribuitur Jehovæ quod occiderit, hoc eſt, exſtinxerit illa, ſed eſt ipſe homo; ſenſus literæ eſt talis, ut tribuatur Jehovæ quod eſt ipſius hominis, videatur n. 2447, 5798, 6073, 6992, 6997, 7533, 7632, 7643, 7677, 7679, 7710, 7926, 8227, 8282, 8483, 8632, 9009, 9128, 9306, 10431. Apud Amos, " *Exſcindam judicem e medio Moabi, et omnes principes ejus occidam cum illo,"* ii. 3; per Moabum in Verbo intelliguntur qui adulterant bona Eccleſiæ; per judicem qui exſcindetur, et per principes qui occidentur, ſignificatur bonum quod adulteratur et vera quæ inde falſificantur, judex eſt bonum et princeps eſt verum. Apud Sachariam, " *Vox ejulatus paſtorum, quod devaſtata ſit magnificentia eorum; Sic dixit Jehovah Deus meus, paſce oves occiſionis, quas poſſeſſores earum occidunt: pavi oves occiſionis propter vos miſeri gregis,"* xi. 3, 4, 5, 7; per oves occiſionis quas poſſeſſores earum occidunt, ſignificantur qui in bono ſunt et per falſa doctrinæ ſeducuntur; oves dicuntur qui in bono charitatis ſunt; paſtores ſunt qui docent vera et per illa ducunt ad bonum. Apud Davidem, " *Occiſi ſumus omni die, reputati ſumus ſicut grex mactationis, evigila Domine, ne deſere in perpetuum,"* Pſalm. xliv. 23, 24; occiſi ſumus omni die, ſignificat quod ex nobis ſemper labamur in falſa et ſeducamur per illa, cumprimis tempore cum falſa regnant; inde patet quid ſignificat grex mactationis; ut elevemur ex illis a Domino, ſignificatur per evigila Domine, ne deſere nos in perpetuum. Apud Ezechielem, "*Evaginabunt gladios ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, et prophanabunt ſplendorem tuum, in foveam demittent, et morieris morte confoſſorum,*" xxviii. 7, 8; hæc de principe Tyri, per quem ſignificatur intelligentia quæ ex cognitionibus veri, hic illa exſtincta per falſa; evaginare gladios ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, ſignificat exſtinctionem ejus per falſa; demittere in foveam, ſignificat immerſionem in illa; et mori morte confoſſorum, ſignificat interitum et damnationem; confoſſi ſignificant illos apud quos omne verum eſt exſtinctum, videatur n. 4503, 9262, et mors ſignificat damnationem. Apud Eſajam, "*Num juxta plagam percutientis illum, percuſſit eum; num juxta cædem occiſorum ejus occiſus eſt,*" xxvii. 7; hæc de Jacobo et Iſraele, per quos ſignificatur Eccleſia, per Jacobum Eccleſia externa, et per Iſraelem interna; tentationes illorum qui ab Eccleſia ita deſcribuntur, quæ ſignificantur per num juxta plagam percutientis illum percuſſit eum; et quod in tentationibus non ſuccubuerint et ſic perierint, ſignificatur per num juxta cædem occiſorum occiſus eſt, cædes occiſorum ſignificat perditionem per falſa. Cædes ſignificat perditionem et damnationem etiam alibi apud Eundem, "*In die Cædis magnæ cadent turres,*" xxx. 25; dies Cædis magnæ ſignificat ultimum judicium, quando damnantur et pereunt impii; turres ſignificant doctrinas falſi. Apud Eundem, "*Occidam fame radicem tuam, et reſiduos tuos occidet,*" xv. 30; hæc de Philiſthæa, per quam ſignificatur verum abſque bono, ſeu fides abſque charitate; occidere fame radicem ſignificat perire prorſus ex non bono, radix eſt omne ex quo vivit; quare etiam dicitur, reſiduos tuos occidet, per reſiduos ſignificantur omnia reliqua Eccleſiæ. Apud Jeremiam, "*Audivi vocem filiæ Zionis, ſuſpirat et expandit manus, quia delaſſata eſt anima mea ab occiſoribus,*" iv. 31; ita deſcribitur dolor Eccleſiæ labentis a veris in falſa; filia Zionis eſt Eccleſia; ſuſpirat et expandit manus ſignificat dolorem; quia delaſſata eſt anima mea ab occiſoribus, ſignificat a falſis quæ exſtinguunt vitam ſpiritualem, occiſores ſunt illa falſa. Apud Eſajam, "*Ecce Jehovah exiens e loco ſuo ad viſitandum iniquitatem terræ; tunc revelabit terra ſanguines ſuos, et non celabit amplius occiſos ſuos,*" xxvi. 21; hæc de die viſitationis ſeu judicii, quando omnium iniquitates retegentur, quod intelligitur per tunc revelabit terra ſanguines ſuos, et non celabit amplius occiſos ſuos, terra ſignificat Eccleſiam, hic malos ibi, ſanguines ſunt mala quæ deſtruxerunt bona ejus, et occiſi ſunt falſa quæ deſtruxerunt vera ejus; ſive dicas quod occiſi ſignificent falſa ſive illos qui in falſis ſunt, perinde eſt, quoniam illi in falſis ſunt et falſa in illis, ac falſa in illis deſtruunt. Simile per occiſos ſignificatur alibi apud Eſajam, "*Quid facietis die viſitationis et devaſtationis, infra occiſos cadent,*" x. 3, 4: tum in Apocalypſi, "*Sanguis prophetarum et ſanctorum inventus eſt in Babylone, et omnium qui occiſi ſunt in terra,*" xviii. 24; quid per hæc ſignificatur, videbitur in ſequentibus. Apud Eſajam, " *Viſitabo ſuper orbem malitiam, omnis inventus confodietur, et omnis congregatus cadet gladio,*" xiii. 11, 15; etiam hæc de Babylone; quod omnis inventus confodietur, ſignificat quod perituri ex malo; et quod omnis congregatus cadet gladio, ſignificat quod ex falſo. Apud Matthæum, " *In conſummatione ſæculi tradent vos in afflictionem, et occident vos,*" xxiv. 9: apud Johannem, " *Abalienabunt vos a ſynagogis; imo venit hora, ut omnis qui occiderit vos, putabit cultum ſacrum offerre Deo,*" xvi. 2, 3; hæc ad diſcipulos dicta ſunt, et per diſcipulos in ſenſu ſpirituali repræſentativo intelliguntur omnia vera et bona Eccleſiæ, inde patet quid in eo ſenſu intelligitur per quod occident eos, quod nempe tunc deſtruent Eccleſiæ vera et bona. Apud Marcum, " *In conſummatione ſæculi tradet frater fratrem in mortem, pater liberos, conſurgent liberi contra parentes, et occident eos,*" xiii. 12; conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quando falſa deſtruent vera et mala deſtruent bona; per fratrem, patrem et liberos, non intelliguntur ibi frater, pater et liberi, ſed falſum et verum ac bonum et malum; quod frater tradet fratrem in mortem, ſignificat quod falſum deſtruet bonum, in ſpecie ſola fides charitatem, nam fides in Verbo dicitur frater charitatis; quod pater tradet liberos in mortem, ſignificat quod bonum Eccleſiæ periturum per falſa mali, pater eſt bonum Eccleſiæ, et liberi ſunt falſa mali; quod conſurgent liberi contra parentes et occident illos, ſignificat quod falſa mali impugnabunt bona et vera Eccleſiæ, et deſtruent illa. Apud Lucam, " *Homo, qui plantavit vineam, miſit ſervum ut de fructu vineæ darent illi, ſed coloni percuſſerunt eum, et emiſerunt vacuum; addidit mittere alium, et hunc etiam percutientes emiſerunt vacuum; addidit mittere tertium, et hunc vulnerantes ejecerunt: tunc Dominus vineæ dixit, quid faciam, mittam Filium meum dilectum; ſed dixerunt, Hic eſt Hæres, venite occidamus Ipſum, et ejicientes Ipſum extra vineam occiderunt,*" xx. 10 ad 16. Marc. xii. 2 ad 9; hæc de Eccleſia apud Judæos inſtituta dicta ſunt, ac per illa deſcribitur perverſio et falſificatio omnis veri, quod illis ex Verbo, per traditiones et per applicationes ad ſe; ſingula ibi ſenſum ſpiritualem continent, nam quicquid Dominus loquutus eſt, ſpiritualiter etiam loquutus eſt quia ex Divino; per vineam quam homo plantavit, ſignificatur Eccleſia quæ in Veris; per ſervos quos ter miſit, intelligitur Verbum per Moſen et Prophetas illis datum; ter dicitur, quia tria ſignificant plenum et completum; quod percuſſerint eos, vulneraverint, et emiſerint vacuos extra vineam, ſignificat quod falſificaverint et perverterint vera quæ ibi, emittere vacuos extra vineam ſignificat quod deprivaverint Verbum ſuis bonis et veris; per Filium dilectum intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, Qui inde etiam vocatur Verbum; quod ejecerint Illum extra Vineam et occiderint, ſignificat quod non modo Ipſum, ſed etiam omne Divinum Verum quod ab Ipſo; videatur etiam ſupra n. 83. Apud Danielem, " *Poſt ſeptimanas ſexaginta duas excidetur Meſſias, ſed non ſibi;*" ix. 26; per Meſſiam etiam intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, videatur n. 3008, 3009; quod Ille excidetur ſignificat non ſolum quod Ipſe, ſed etiam omne Divinum Verum apud illum populum; ſed non ſibi, ſignificat quod revicturum ſit apud illos qui in nova Eccleſia, ſimile quod ſupra Capite Primo Apocalypſeos, "*Et qui vivens, et factus ſum mortuus, et ecce vivens ſum in ſæcula ſæculorum,*" Verſ. 18.

316. Habentem cornua ſeptem, quod ſignificet Cui Omnipotentia, conſtat ex ſignificatione Cornu, quod ſit potentia veri contra falſum, at cum de Domino, quod ſit omnis potentia ſeu Omnipotentia; quod Agnus viſus ſit habere cornua numero ſeptem, erat quia per ſeptem ſignificantur omnia, et prædicantur de ſancto, videatur ſupra n. 257: quod Cornu et Cornua ſignificent potentiam, eſt quia potentia animalium cornutorum, ut boum, arietum, hircorum, et aliorum, in cornubus conſiſtit. Quod Cornu ſeu Cornua ſignificent potentiam veri contra falſum, ac in ſupremo ſenſu, ubi de Domino, Omnipotentiam, ac in oppoſito ſenſu potentiam falſi contra verum, conſtat ex pluribus locis in Verbo; et quia inde patet, quid ſignificant cornua in Verbo, quorum mentio toties fit apud Danielem, et quoque in Apocalypſi, et quia adhuc in uſu ſunt in coronatione Regum, velim illa in medium afferre; apud Ezechielem, "*In die illo creſcere faciam Cornu domui Iſraelis, et tibi dabo apertionem oris in medio eorum, ut cognoſcant quod Ego Jehovah,*" xxix. 21; creſcere faciam cornu domui Iſraelis, ſignificat verum in abundantia, domus Iſraelis eſt Eccleſia; quia id ſignificatur per cornu et ejus creſcentiam, ideo etiam dicitur, et tibi dabo apertionem oris, per quod intelligitur prædicatio veri. In Libro 1 Samuelis, "*Exaltavit ſe Cornu in Jehovah, dilatatum eſt os meum contra inimicos meos, quia lætata ſum in ſalute tua. Dabit robur Uncto ſuo, et exaltabit Cornu Uncti ſui,*" ii. 1, 10; propheticum Cannæ; per exaltavit ſe cornu in Jehovah, ſignificatur quod illam impleverit Divinum Verum, et id potens reddiderit contra falſa; et quia id ſignificatur, ideo dicitur dilatatum eſt os meum contra inimicos meos, dilatatio oris eſt prædicatio veri cum potentia, et inimici ſunt falſa quæ Divinum Verum diſpergunt; per dabit robur Uncto ſuo, et exaltabit Cornu Uncti ſui, ſignificatur Omnipotentia Domini ex Divino Bono per Divinum Verum, nam robur in Verbo dicitur de potentia boni, et cornu de potentia veri, et Unctus Jehovæ eſt Dominus quoad Divinum Humanum, Cui Omnipotentia; videatur n. 3008, 3009, 9954. Apud Davidem, "*Jehovah exaltavit Cornu populi ſui, laudem omnibus ſanctis ſuis, filiis Iſraelis, populo propinquo ſuo,*" Pſalm. cxlviii. 14; per exaltavit cornu populi ſui, ſignificatur quod impleverit Divinis veris; quare dicitur, laudem ſanctis ſuis, filiis Iſraelis, et populo propinquo ſuo, ſancti enim dicuntur qui in Divinis veris ſunt, quoniam Divinum Verum eſt quod vocatur ſanctum, videatur ſupra n. 204, Iſrael eſt Eccleſia quæ in veris, filii ejus ſunt vera, ac populus etiam prædicatur de illis qui in veris ſunt, et propinquus dicitur qui per illa conjunctus eſt Domino. Apud Eundem, "*Jehovah Deus Zebaoth decus fortitudinis eorum Tu, et per beneplacitum tuum exaltabis Cornu noſtrum,*" Pſalm. lxxxix. 18; exaltare cornu etiam hic ſignificat implere Divino Vero et per id potentia facere contra falſa; quare dicitur Jehovah Deus Zebaoth decus fortitudinis eorum Tu, decus etiam in Verbo dicitur de Eccleſia et de doctrina veri ibi. Apud Eundem, "*Bonus vir miſerans et mutuo dans, juſtitia ejus ſtat in perpetuum, Cornu ejus exaltabitur cum gloria,*" Pſalm.

cxii. 5, 9; quod cornu ſignificet Divinum Verum, patet ex eo, quod dicatur juſtitia ejus ſtat in perpetuum et cornu ejus exaltabitur cum gloria, juſtitia in Verbo dicitur de bono, quare cornu de vero, nam in ſingulis Verbi eſt conjugium boni et veri; etiam gloria ſignificat Divinum Verum. Apud Habakuk, "*Splendor Jehovæ Dei ſicut lux erit, Cornua e manu Ipſius Ipſi, et ibi occultatio roboris Ipſius,*" iii. 4; quia cornua ſignificant Divinum Verum cum potentia, ideo dicitur ſplendor Jehovæ Dei ſicut lux, et in cornibus occultatio roboris Ipſius, per ſplendorem Jehovæ et lucem ſignificatur Divinum Verum; et per occultationem roboris Ipſius in cornibus, ſignificatur Omnipotentia Divini Boni per Divinum Verum, nam omnis potentia boni eſt per verum, et in Divino Vero latet Omnipotentia quæ eſt Divini Boni. Apud Davidem, "*Inveni Davidem ſervum meum, oleo ſanctitatis unxi eum, cum quo manus mea firma erit, et brachium meum corroborabit eum: veritas et miſericordia mea cum illo, et in Nomine meo exaltabitur Cornu ejus,*" Pſalm. lxxxix. 21, 22, 25; per Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, videatur ſupra n. 205; et per exaltabitur Cornu Ipſius, intelligitur Ipſius Divina Potentia quæ Ipſi eſt per Divinum Verum ex Divino Bono; quare dicitur Veritas et Miſericordia mea cum Illo, Miſericordia in Verbo, cum de Jehovah ſeu Domino, ſignificat Divinum Bonum Divini Amoris: quia per Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum procedens ex Divino Humano Ipſius, ideo dicitur David ſervus meus, per ſervum in Verbo non intelligitur ſervus in communi ſenſu, ſed quicquid inſervit, ac prædicatur de Vero quia inſervit bono ad uſum, hic ad potentiam. Apud Eundem, "*Germinare faciam Cornu Davidi, diſponam lucernam Uncto meo,*" Pſalm. cxxxii. 17; etiam hic per Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, et quoque per Unctum; per germinare facere Cornu Ipſi, ſignificatur multiplicatio Divini Veri in cœlis et in terris ab Ipſo; quapropter etiam dicitur, diſponam lucernam Uncto meo, per quod ſimile intelligitur; quod Dominus quoad Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipſius dicatur Lucerna, videatur ſupra n. 62. Apud Eundem, *Jehovah robur meum, petra mea, propugnaculum meum, Deus rupes mea in qua confido, ſcutum meum et Cornu ſalutis meæ,*" Pſalm. xviii. 2, 3. II Sam. xxii. 3; robur et petra, cum de Jehovah ſeu Domino, ut hic, ſignificant Omnipotentiam; propugnaculum et rupes in qua confidit, ſignificant tutelam; ſcutum et cornu ſalutis ſignificant ſalvationem inde; robur, propugnaculum et ſcutum in Verbo prædicantur de Divino Bono; petra, rupes et cornu prædicantur de Divino Vero, inde per illa ſignificatur Omnipotentia, tutela et ſalvatio quæ ſunt Divino Bono per Divinum Verum. Apud Lucam, "*Benedictus Dominus Deus Iſraelis, quod inviſerit et redemerit populum ſuum, et erexerit Cornu ſalutis in domo Davidis, ut ſervaret nos ex inimicis noſtris;*" i. 68, 69, 70; Propheticum Zachariæ de Domino et Ipſius adventu; Cornu ſalutis in domo Davidis ſignificat Omnipotentiam ſalvandi per Divinum Verum ex Divino Bono, Cornu eſt illa Omnipotentia, domus Davidis eſt Eccleſia Domini; inimici ex quibus ſervaret ſunt falſa mali, ſunt enim hæc inimici ex quibus Dominus ſervat illos qui Ipſum recipiunt, quod non alii inimici fuerint a quibus Dominus ſervavit illos qui ibi intelliguntur per populum Ipſius, notum eſt. Apud Micham, " *Surge et tritura filia Zionis, quia Cornu tuum faciam ferrum, et ungulas tuas faciam æs, ut comminuas populos multos,*" iv. 13; ſurge et tritura filia Zionis, ſignificat diſſipationem mali apud illos qui ab Eccleſia, triturare eſt diſſipare, et filia Zionis eſt Eccleſia quæ in affectione boni; cornu tuum faciam ferrum, ſignificat Divinum Verum validum et potens; ſimile ſignificat ungulas tuas faciam æs, ungulæ ſunt vera in ultimis; ut comminuas populos multos, ſignificat ut diſpergas falſa, populi enim prædicantur de veris, et in oppoſito ſenſu de falſis. Apud Sachariam, " *Vidi et ecce quatuor Cornua quæ diſperſerunt Judam, Iſraelem et Hieroſolymam: oſtendit mihi quatuor fabros, et dixit, iſta cornua quæ diſperſerunt Jehudam, ſicut vir non tollit caput ſuum, venerunt hi ad terrendum illos, ad dejiciendum cornua gentium, attollentium cornu contra terram Jehudæ, ad diſpergendum eam,*" ii. 1, 2, 3, 4; deſcribitur per illa vaſtatio Eccleſiæ, et dein reſtauratio ejus; per Jehudam, Iſraelem et Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia et ejus doctrina; cornua quæ diſperſerunt illos, ſignificant falſa mali quæ Eccleſiam vaſtarunt; fabri ſignificant ſimilia quæ ferrum, nempe verum in ultimis quod validum et potens, ita ſimilia quæ Cornu ferreum; quare dicitur de illis, venerunt hi ad dejiciendum cornua gentium attollentium cornu contra terram Jehudæ, cornua gentium ſunt falſa mali quæ vaſtarunt Eccleſiam, quæ diſſipanda ſunt ut reſtauretur. In Threnis, " *Dominus deſtruxit in excandeſcentia ſua munimenta filiæ Jehudæ, projecit in terram, profanavit regnum et principes ejus, abſcidit in excandeſcentia iræ omne cornu Iſraelis,*" ii. 3; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ totali; ultimum tempus quando devaſtata eſt, ſignificatur per excandeſcentiam iræ Domini; et vaſtatio ejus totalis deſcribitur per quod deſtruxerit munimenta filiæ Jehudæ, projecerit in terram, profanaverit regnum et principes ejus, filia Jehudæ eſt Eccleſia, munimenta ejus ſunt vera ex bono, regnum et principes ſunt vera doctrinæ ejus; inde patet, quid ſignificatur per abſcidit omne Cornu Iſraelis, quod nempe omnem potentiam veri Eccleſiæ reſiſtendi contra falſa mali. Apud Danielem, " *Danieli viſæ in ſomnio quatuor beſtiæ aſcendentes ex mari; quarta robuſta valde, cui dentes ferri, comedit et contrivit, et decem Cornua illi: et attendi, et ecce aliud Cornu parvum aſcendit inter ea, et tria de Cornubus prioribus eradicata ſunt coram eo; oculi ſicut oculi hominis in cornu hoc, et os loquens magna: vidi quod Cornu hoc faceret bellum cum ſanctis, et prævaluiſſet eis, et quod verba contra Altiſſimum loqueretur: quoad Cornua decem, ſunt decem reges, et tres reges humiliabit,*" vii. 3, 7, 8, 20, 21, 23, 24; quod per cornua hic intelligantur falſa quæ deſtruunt vera Eccleſiæ, ſeu potentia falſorum contra vera, patet; per beſtiam aſcendentem ex mari ſignificatur amor ſui, ex quo omnia mala, hic, amor imperandi ſuper cœlum et terram, cui inſerviunt Sancta pro mediis, qualis Amor eſt qui intelligitur per Babylonem in Apocalypſi; quod ex mari viſa ſit aſcendere, eſt quia per Mare ſignificatur Naturalis homo ſeparatus a ſpirituali, ille enim tunc talis eſt ut nihil plus cupiat quam imperare omnibus, et imperium confirmare ex ſenſu literæ Verbi; decem cornua ſignificant falſa omnis generis, nam decem ſunt omnia; quare etiam dicitur, quod decem Cornua decem reges ſint, reges enim ſignificant vera, et in oppoſito ſenſu, ut hic, falſa; cornu parvum quod aſcendit inter ea, coram quo tria de cornibus prioribus eradicata ſunt, ſignificat plenariam perverſionem Verbi per applicationem ſenſus literæ ejus ad confirmandum amorem dominii; hoc cornu dicitur parvum, quia non apparet quod pervertatur Verbum, et quod non apparet coram viſu ſpiritus hominis ſeu coram intellectu ejus, hoc animadvertitur vel ſicut nullum vel ſicut parvum, in mundo ſpirituali talis apparentia eſt non apprehenſibilium niſi a paucis; Cornua tria quæ coram illo eradicata ſunt, ſignificant vera Verbi ibi, quæ ſic per falſificationes deſtructa ſunt; illa vera etiam ſignificantur per tres reges quos humiliavit, per tria non ſignificantur tria ſed plenarium, ita quod vera plane deſtructa ſint; quia Cornu illud ſignificat perverſionem Verbi quoad ſenſum literæ ejus, et hic ſenſus apparet coram oculis hominum ſicut ita et non aliter intelligendus, ita a nemine contradicendus, ideo dicitur de Cornu hoc, quod oculi ſicut oculi hominis in illo, et os loquens magna, oculi ſignificant intellectum, et oculi ſicut oculi hominis intellectum ſicut veri, et os ſignificat inde cogitationem et loquelam: ex his nunc videri poteſt, quid per omnia et ſingula ibi intelligitur, ut quid per quod beſtia aſcendens ex mari, cui decem cornua et dentes ferri, comederit et contriverit, per quod Cornu parvum aſcenderit inter illa, coram quo tria de cornubus eradicata ſunt, in quo oculi ſicut oculi hominis, et os loquens magna, et per quod faceret bellum cum ſanctis et prævaluiſſet eis, et quod loqueretur verba contra Altiſſimum, et quod cornua totidem eſſent reges. Apud Eundem, "*Vidi in viſione Arietem unum, cui duo Cornua, et Cornua alta, unum tamen altius altero, ſed altum aſcenderat poſterius; feriebat verſus occidentem, ſeptentrionem et meridiem. Tunc ecce Hircus caprarum venit ab occidente ſuper facies omnis terræ, huic cornu aſpectus inter oculos ejus: hic cucurrit cum Ariete in furore roboris ſui, et fregit duo Cornua ejus, et projecit eum in terram, et conculcavit eum: ſed fractum eſt Cornu magnum Hirci, et aſcenderunt quatuor loco ejus, juxta quatuor ventos cælorum: mox ex uno de illis exivit cornu unum de exiguo, et crevit valde verſus meridiem, et verſus ortum et verſus decus, et crevit uſque ad exercitum cælorum, et dejecit in terram de exercitu, et conculcavit ea, imo uſque ad Principem exercitus ſe extulit; et projectum eſt Habitaculum ſanctuarii ejus, quia projecit veritatem in terram,*" viii. 3, 4, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 21, 25; hic deſcribitur alterum quod vaſtat Eccleſiam, nempe ſola fides; per Arietem ſignificatur bonum charitatis et inde fides, et per Hircum fides ſeparata a charitate, ſeu ſola fides, ſeu quod idem, illi qui in eis ſunt; per cornua eorum ſignificantur vera ex bono et falſa ex malo, pugnantia, vera ex bono per cornua arietis et falſa ex malo per cornua hirci; per quod Arieti fuerint duo cornua alta, unum altius altero, et altius aſcendens poſterius, ſignificatur verum fidei ex bono charitatis; et hoc viſum eſt ſecundum influxum boni et veri apud hominem et ſpiritum, omne enim bonum recipitur poſterius, et omne verum anterius, quoniam Cerebellum formatum eſt ad recipiendum bonum quod voluntatis, ac Cerebrum ad recipiendum verum quod intellectus; per occidentem, ſeptentrionem et meridiem quo feriebat, ſignificantur bona et vera quæ recipiunt illi qui in charitate et inde fide ſunt, per quæ diſpergunt mala et falſa: per Hircum caprarum, quod venerit ſuper facies omnis terræ, ſignificatur fides ſeparata a charitate oriunda a malo vitæ, hircus caprarum eſt illa fides, occidens eſt malum vitæ, et terra eſt Eccleſia; quod ei cornu aſpectus inter oculos, ſignificat quod ex propria intelligentia; quod cucurrerit cum ariete in furore roboris ſui, et fregerit duo cornua ejus, et projecerit eum in terram, et conculcaverit eum, ſignificat quod prorſus deſtruxerit charitatem et inde fidem, deſtructa enim charitate etiam deſtruitur fides, quoniam hæc ex illa eſt; quod fractum ſit cornu magnum hirci, et quod aſcenderint quatuor loco ejus, juxta quatuor ventos cœlorum, ſignificat omnia falſa conjuncta malis inde, cornua ſignificant falſa mali, quatuor conjunctionem illorum, et quatuor venti cœlorum omnia tam falſa quam mala; quod ex uno de illis exiverit Cornu unum de exiguo, ſignificat juſtificationem per illam, hæc enim naſcitur a principio de ſola fide, de exiguo dicitur quia hoc non apparet ſicut falſum; quod hoc Cornu creverit valde verſus meridiem, et verſus ortum et verſus decus, et creverit uſque ad exercitum cœlorum, et dejecerit in terram de exercitu, et conculcaverit ea, ſignificat quod deſtruxerit omnia vera et bona Eccleſiæ, meridies eſt ubi verum eſt in luce, ortus et decus ſunt ubi bonum eſt in claro per verum, exercitus cœlorum ſunt omnia vera et bona Cœli et Eccleſiæ, dejicere exercitum in terram, et conculcare ea, ſignificat prorſus deſtruere; quod uſque ad Principem exercitus ſe extulerit, et quod projectum ſit habitaculum ſanctuarii ejus, ſignificat negationem Divini Humani Domini, et inde Eccleſiæ vaſtationem; Princeps exercitus eſt Dominus quoad Divinum Humanum, quia ex Illo procedunt omnia vera et bona quæ faciunt Eccleſiam, habitaculum ſanctuarii eſt Eccleſia ubi illa ſunt; quod ſint vera, quæ intelliguntur, deſtructa a falſis, patet, nam dicitur projecit veritatem in terram. Quod talia ſignificentur per Arietem er Hircum et per eorum Cornua, patet manifeſte ex Apparentiis in Mundo ſpirituali; nam quando tales ibi qui ſe confirmaverunt in Doctrina de Sola fide, et de Juſtificatione per illam, diſceptant cum illis qui in Doctrina de Charitate et inde fide ſunt, tunc ab aliis qui e longinquo ſtant apparent Hirci aut Hircus cum ſimilibus cornibus, et cum ſimili inſultu et furore contra arietes ſeu arietem, et quoque apparet quod ſtellas ſub pedibus ſuis conculcet; hæc viſa quoque mihi ſunt, et ſimul aſtantibus, qui inde confirmati ſunt, quod talia intelligantur apud Danielem; et quoque quod ſimilia intelligantur per Oves a dextris et per Hircos a ſiniſtris, Matth. xxv. 32 ad fin. nempe per Oves illi qui in bono charitatis ſunt, et per Hircos qui in ſola fide. Ab his quæ ex Daniele allata ſunt, aliquatenus conſtare poteſt quid ſignificatur in Apocalypſi, per "*quod Draco viſus ſit habere Cornua decem,*" xii. 3: "*quod beſtia e mari aſcendens viſa ſit quoque habere Cornua decem,*" xiii. 1; et "*quod viſa ſit Mulier inſidens beſtiæ coccineæ habenti capita ſeptem et Cornua decem; de qua dixit Angelus, decem Cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt,*" xvi. 3, 7, 12; ſed de his in explicatione eorum in ſequentibus. Quod potentia falſi contra verum ſignificetur per Cornu et Cornua, etiam patet a ſequentibus his locis; apud Jeremiam, "*Exciſum eſt Cornu Moabi, et brachium ejus fractum eſt,*" xlviii. 25; per Moabum ſignificantur qui in bonis ſpuriis et inde in veris falſificatis, quæ in ſe ſunt falſa; deſtructio horum falſorum ſignificatur per exciſum eſt cornu Moabi, et deſtructio illorum malorum per brachium ejus eſt fractum. In Threnis, "*Jehovah lætificavit ſuper te hoſtem, exaltavit Cornu inimicorum tuorum,*" ii. 13; per hoſtem intelligitur malum, et per inimicos falſa mali; exaltare cornu inimicorum eſt ut falſa valeant ſuper vera, et deſtruant ea. Apud Ezechielem, "*Latere et humero impellitis, et Cornibus veſtris feritis omnes oves infirmatas, donec diſperſeritis eas foras,*" xxxiv. 21; latere et humero impellere, eſt omni vi et conatu; cornibus ferire oves infirmatas donec diſperſeritis eas foras, ſignificat per falſa deſtruere probos qui nondum in veris ex bono ſunt, at uſque deſiderant eſſe. Apud Amos, "*Die quo viſitaturus ſum prævaricationes Iſraelis ſuper illum, viſitabo ſuper altaria Bethelis, ut exſcindantur Cornua altaris, et cadant in terram,*" iii. 14; per Altaria Bethelis ſignificatur cultus ex malo, et per cornua altaris ſignificantur falſa ejus mali; quæ quod deſtruenda ſignificatur per quod cornua exſcindentur, et cadent in terram. Apud Eundem, "*Qui lætantur ſuper non re, qui dicunt nonne per fortitudinem noſtram ſumſimus nos cornua,*" vi. 13; per fortitudinem noſtram ſumere cornua, ſignificat per vires propriæ intelligentiæ aſſumere falſa per quæ deſtruentur vera. Apud Davidem, "*Dixi gloriabundis ne gloriemini, et impiis ne attollite in altum Cornu veſtrum, ne loquimini collo duro; omnia cornua impiorum amputabo; exaltabuntur Cornua juſti,*" Pſalm. lxxv. 5, 6, 11; per attollere cornu in altum, ſignificatur fortiter defendere falſum contra verum; quare etiam dicitur, ne loquimini collo duro; per amputare cornua eorum, ſignificatur falſa eorum deſtruere; et per exaltare Cornua juſti, ſignificatur potentia et valida reddere vera boni. Quia per alta reddere et per exaltare cornua ſignificatur implere veris, et ea potentia et valida reddere contra falſa, ideo etiam illa vera vocata ſunt cornua monocerotis, ex cauſa quia hæc alta ſunt; ut apud Moſen, "*Primogenito bovis ejus honor illi, et Cornua Monocerotis Cornua ejus, his populos feriet una ad fines terræ; et hi myriades Ephraimi et Chiliades Menaſcheh,*" Deut. xxxiii. 17; hæc de Joſepho, per quem in ſupremo ſenſu repræſentatur Dominus quoad Divinum ſpirituale, ſeu quoad Divinum Verum in Cœlo, inde per Joſephum etiam ſignificantur qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417; primogenitum bovis honor illi, ſignificat bonum amoris ſpiritualis; cornua Monocerotis cornua ejus, ſignificant vera in ſua plenitudine et in ſua potentia inde; ferire populos ad fines terræ, ſignificat inſtruere veris omnes qui ab Eccleſia, et per illa diſſipare falſa; per myriades Ephraimi et Chiliades Menaſcheh, ſignificatur copia et abundantia veri ac inde ſapientiæ, et copia et abundantia boni et inde amoris; Ephraim in Verbo ſignificat intellectuale Eccleſiæ quod eſt veri, et Menaſcheh ſignificat voluntarium Eccleſiæ, quod eſt boni, videatur n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296, et per myriades et chiliades ſignificantur plurima, ita copia et abundantia.

Apud Davidem, “ *Serva me ex ore leonis, et ex cornibus monocerotum exaudi me,*” Pſalm. xxii. 22; per leonem ſignificatur falſum fortiter deſtruens verum; et per cornua monocerotum ſignificantur vera quæ prævalent contra falſa. Apud Eundem, “ *Sicut monocerotis cornu meum,*” Pſalm. xcii. 11; ſicut monocerotis cornu ſignificat verum quoad plenitudinem et potentiam. In Apocalypſi, “ *Et ſextus Angelus clanxit, et audivi vocem ex quatuor cornubus altaris aurei, quod eſt in conſpectu Dei,*” ix. 13; Altare ſuffitus, quod etiam vocabatur Altare aureum, erat repræſentativum auditionis et receptionis omnium cultus, quæ ex amore et charitate a Domino, ita repræſentativum talium cultus quæ elevantur a Domino; cornua altaris repræſentabant vera procedentia ex bono amoris; inde patet, cur audita eſt vox ex quatuor cornubus altaris, vera enim ſunt per quæ bonum agit et loquitur. Quoniam Altaria repræſentabant Cultum Domini ex bono amoris, et omnis cultus, qui vere cultus, fit ex bono amoris per vera, ideo Altaribus erant Cornua; quod Altari ſuffitus, conſtat apud Moſen, “ *Facies quatuor cornua ſuper Altari ſuffitus, ex illo erunt, et obduces illa auro,*” Exod. xxx. 2, 3, 10. Cap. xxxvii. 25, 26: et quod Altari holocauſti, alibi apud Eundem, “ *Facies Cornua ſuper quatuor Angulis Altaris holocauſti, ex ipſo erunt Cornua ejus,*” Exod. xxvii. 2. Cap. xxxviii. 2; quod Cornua ex ipſo Altari eſſent, ſignificabat quod vera, quæ cornua repræſentabant, procedent ex bono amoris quod ipſum Altare repræſentabat, omne enim verum eſt ex bono; quod eſſent quatuor et in ſingulis Angulis, ſignificabat quod eſſent pro quatuor plagis in Cœlo, per quas ſignificantur omnia veri ex bono. Quoniam omnes expiationes et purificationes fiunt per vera ex bono, ideo expiabatur ſuper cornubus Altarium; “ *ſuper Cornubus Altaris ſuffimenti,*” Exod. xxx. 10. Levit. iv. 7: et “ *ſuper Cornubus Altaris holocauſti,*” Levit. iv. 25, 30, 34. Cap. viii. 15. Cap. ix. 9. Cap. xvi. 18. Et quia omnis Divina Tutela eſt per vera ex bono, ideo etiam “ *qui fecerunt mala, et timuerunt mortem, apprehenderunt cornua altaris, et ſervati ſunt,*” 1 Reg. i. 50, 51, 53: ſed “ *qui meditato et ex voluntate malum fecerunt, non ſervati ſunt,*” 1 Reg. ii. 28 ad 31. Porro quia Cornua ſignificabant vera ex bono, ideo etiam, cum ungebantur Reges, fiebat hoc per oleum ex Cornu; “ *quod ita Unctus ſit David,*” videatur 1 Sam. xvi. 1, 13: et “ *quod ita Salomo,*” 1 Reg. i. 39; oleum ſignificabat bonum amoris. Ex hac ſignificatione Cornuum, quam Antiqui noverunt, receptum fuit facere cornua germinantia et fragrantia, inde vox Cornucopia.

317. Et oculos ſeptem, quod ſignificet et Cui Omniſcientia, conſtat ex ſignificatione Oculorum ſeptem, cum de Domino, quod ſint Omniſcientia; per oculos enim, cum de homine, ſignificatur intellectus, quare, cum de Domino, ſignificatur Omniſcientia: quod Oculi, cum de homine, ſignificent intellectum, et, cum de Domino, Providentiam, ut et Divinam Sapientiam et Intelligentiam, quæ eſt Omniſcientia, videatur ſupra n. 152: ſeptem oculi dicuntur, quia ſeptem ſignificant omnia, et prædicantur de Sancto, ut ſupra.

318. Qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei emiſſi in omnem terram, quod ſig-

nificet inde omnis ſapientia et intelligentia in Cœlo et in Eccleſia, conſtat ex ſignificatione ſeptem ſpirituum Dei, quod ſit Divinum Verum procedens a Domino, de qua ſupra n. 183; et quia ſignificant Divinum Verum procedens a Domino, etiam ſignificant Divinam Sapientiam ſeu Omniſcientiam; et ex ſignificatione emiſſi in omnem terram, quod ſit unde omnis ſapientia et intelligentia in Cœlo et in Eccleſia, per emitti ſignificatur communicari, et per omnem terram ſignificatur Eccleſia tam in Cœlis quam in terris, videatur ſupra n. 304: inde patet, cur dicitur, quod ſeptem Oculi Agni dicantur eſſe ſeptem Spiritus Dei emiſſi in omnem terram, per ſeptem oculos enim ſignificatur Omniſcientia quæ Domino ex Divino Bono per Divinum Verum. Quod inde ſit omnis ſapientia et intelligentia, eſt quia homo non poteſt intelligere verum et ſapere bonum a ſe ſed a Domino, et omnis ſapientia et intelligentia eſt veri ex bono; niſi ſapientia et intelligentia ex illo formata ſit, non eſt ſapientia et intelligentia, ſed eſt ſtultitia et inſania, quæ apparent coram inſciis et coram malis ſicut ſapientia et intelligentia, ex eo quod loqui et ratiocinari poſſint ex memoria; proprium enim hominis non eſt niſi quam malum et falſum, proprium ejus voluntarium eſt malum, et proprium ejus intellectuale inde eſt falſum, quapropter quicquid ex proprio eſt, contra ſapientiam et intelligentiam eſt, et quod contra ſapientiam eſt ſtultitia eſt, et quod contra intelligentiam inſania eſt: inde conſtare poteſt, quod niſi homo elevetur a ſuo proprio a Domino, quod fit cum recipit Divinum Verum non ſolum memoria ſed etiam vita, prorſus non ſapere et intelligere poſſit; ſed elevatio illa a proprio a Domino, non apparet homini nec percipitur ab illo quamdiu in mundo eſt, ſed tunc primum quando in ſpiritum ſuum venit, quod fit poſt ſeparationem corporis materialis ab illo, verum enim vero tunc ab illis ſolum qui in Cœlum veniunt. Quod dicatur ſapientia et intelligentia, eſt quia ſapientia eſt veri ex bono, tunc enim homo ſapit in vero bonum, at intelligentia eſt veri per quod bonum, tunc enim homo nondum ſapit in vero bonum, ſed afficitur vero quia eſt verum; in ſapientia ſunt qui in Regno Cœleſti Domini ſunt, quia illi in veris ex bono ſunt, in intelligentia autem qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, quoniam hi in veris per quæ bonum ſunt: ſed de illis qui in veris per quæ bonum ſunt, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 23: et de illis qui in veris ex bono ſunt, n. 24 ibi: et de Regno cœleſti et de Regno ſpirituali, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28.

319. Et venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper Throno, quod ſignificet quod ex Divino Humano Ipſius ſint illa, conſtat ex ſignificatione Agni, qui accepit librum e dextra Sedentis ſuper throno, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, de qua ſupra n. 381; quod per dextram Sedentis ſuper throno intelligatur Dominus quoad Omnipotentiam et Omniſcientiam, videatur etiam ſupra n. 297, 298; inde eſt, quod per venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper throno ſignificetur quod ex Divino Humano ſint illa; quod ſit Omnipotentia et Omniſcientia, eſt quoque quia de eo agitur, ut patet a præcedentibus, ubi

dicitur quod Agno fuerint ſeptem cornua et ſeptem oculi, per ſeptem cornua ſignificatur Omnipotentia, et per ſeptem oculos Omniſcientia, videatur mox ſupra n. 316, 317; et per Agnum Divinum Humanum, n. 381: quod Omnipotentia et Omniſcientia ſit Divino Humano Domini, conſtare poteſt ex illis, quæ ſupra n. 10, 26, 32, 49, 52, 63, 77, 82, 97, 113, 114, 135, 137, 151, 178, 200, 205 f. 209, 254, 297, 309, dicta et oſtenſa ſunt.

320. Verſ. 8, 9, 10. *Et cum accepiſſet librum, quatuor Animalia et viginti quatuor ſeniores prociderunt coram Agno, habentes unuſquiſque citharas et phialas aureas plenas ſuffitibus, quæ ſunt preces ſanctorum. Et canebant canticum novum, dicentes, dignus es accipere librum, et aperire ſigilla ejus, quia occiſus es, et redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et gente: et feciſti nos Deo noſtro reges et ſacerdotes, et regnabimus ſuper terra.* Et cum accepiſſet librum, ſignificat poſt agnitionem quod Humanum Domini ſit Divinum, et Illi omnipotentia et omniſcientia: quatuor Animalia et viginti quatuor Seniores prociderunt coram Agno, ſignificat agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis ſuperiorum Cœlorum: habentes unuſquiſque citharas, ſignificat confeſſionem ex veris ſpiritualibus: et phialas aureas plenas ſuffitibus, ſignificat confeſſionem ex bonis ſpiritualibus: quæ ſunt preces ſanctorum, ſignificat ex quibus cultus: et canebant Canticum novum, ſignificat agnitionem et confeſſionem ex gaudio cordis: dicentes, dignus es aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, ſignificat quod Domino ex Divino Humano ſit omnipotentia et omniſcientia: quia occiſus es, et redemſti Deo nos in ſanguine tuo, ſignificat ſeparationem omnium a Divino, et conjunctionem cum Divino per agnitionem Ipſius et per receptionem Divini Veri ab Ipſo: ex omni tribu et lingua, ſignificat ab omnibus qui in veris quoad doctrinam et quoad vitam ſunt: et populo et gente, ſignificat qui ab Eccleſia Domini ſpirituali et ab Eccleſia Ipſius cœleſti: et feciſti nos Deo noſtro reges et ſacerdotes, ſignificat quod illi a Domino ſint in veris et bonis Eccleſiæ et Cœli: et regnabimus ſuper terra, ſignificat Potentiam quæ Soli Domino per Divinum Verum unitum Divino Bono, et inde potentiam et ſapientiam illis qui e Regno Domini ſpirituali et cœleſti ſunt.

321. Et cum accepiſſet librum, quod ſignificet poſt agnitionem quod Humanum Domini ſit Divinum, et Illi Omnipotentia et Omniſcientia, conſtat ex ſerie in ſenſu interno, in mox præcedentibus enim de eo actum eſt, videatur n. 316, 317, 318, 319, et in nunc ſequentibus agnoſcitur id, et propterea celebratur et glorificatur Dominus; et quia celebratio et glorificatio hæc eſt agnitio viva quod Humanum Domini ſit Divinum et Illi Omnipotentia et Omniſcientia, et illa agnitio nunc ſequitur, ideo per cum accepiſſet librum, id ſignificatur. Glorificatio Domini in nunc ſequentibus hoc ordine fit; primum ab Angelis ſuperiorum Cœlorum; dein ab Angelis inferiorum Cœlorum; et poſtea ab illis qui ſub Cœlis ſunt; glorificatio Domini ab Angelis ſuperiorum Cœlorum continetur in Verſibus 8, 9, 10; glorificatio Domini ab Angelis inferiorum

Cœlorum, in Verſibus 11, 12; et glorificatio ab illis qui ſub Cœlis ſunt, in Verſu 13: ſed de his in ſpecie in ſequentibus.

322. Quatuor Animalia et viginti quatuor Seniores prociderunt coram Agno, quod ſignificet agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis ſuperiorum Cœlorum, conſtat ex ſignificatione quatuor Animalium et viginti quatuor Seniorum, quod ſint in genere totum Cœlum, in ſpecie autem intimi Cœli, proinde Angeli ſuperiorum Cœlorum, de qua ſupra n. 313: hic in ſpecie illorum Cœlorum Angeli, quia in ſequentibus fit glorificatio ab angelis inferiorum Cœlorum; et ex ſignificatione prociderunt coram Agno, quod ſit agnitio ex humili corde; quod procidere ſignificet humiliationem, et tunc receptionem et agnitionem corde, videatur ſupra n. 290; quod intelligatur Agnitio Divini Humani Domini, patet, nam Id per Agnum ſignificatur, videatur ſupra n. 381. Paucis etiam hic dicetur, quinam ſunt Cœli ſuperiores et quinam Cœli inferiores; ſunt Cœli tres, Tertium ſeu Intimum Cœlum eſt ubi Angeli qui in cœleſti amore ſunt, Secundum ſeu Medium Cœlum eſt ubi Angeli qui in ſpirituali amore, Primum ſeu Ultimum Cœlum eſt ubi Angeli qui in ſpirituali naturali amore: Tertium ſeu Intimum Cœlum conjungitur cum Secundo ſeu Medio per Angelos intermedios, qui vocantur Angeli cœleſtes ſpirituales et ſpirituales cœleſtes, hi una cum Angelis Tertii ſeu Intimi Cœlo conſtituunt Superiores Cœlos, at reliqui in Secundo ſeu Medio Cœlo una cum illis qui in Primo ſeu Ultimo Cœlo conſtituunt Inferiores Cœlos: quatuor Animalia ſignificant in ſpecie Tertium ſeu Intimum Cœlum, et viginti quatuor Seniores Secundum ſeu Medium Cœlum quod conjunctum eſt Tertio ſeu Intimo, ita ſimul ſuperiores cœlos: de Angelis intermediis, qui vocantur cœleſtes ſpirituales et ſpirituales cœleſtes, et de Conjunctione Tertii Cœli cum Secundo per illos, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1577, 1824, 2184, 4047, 4286, 4585, 4592, 4594, 6435, 6526, 8787, 8881, 9671.

323. Habentes unuſquiſque citharas, quod ſignificet confeſſionem ex veris ſpiritualibus, conſtat ex ſignificatione citharæ, quod ſit confeſſio ex veris ſpiritualibus; quod per citharas id ſignificetur, eſt quia cithara erat inſtrumentum chordaceum, et per illa inſtrumenta ſignificantur ſpiritualia, ſeu quæ veri ſunt, at per inſtrumenta inflatoria ſignificantur cœleſtia, ſeu illa quæ boni ſunt: quod talia per inſtrumenta Muſica ſignificentur, eſt ex ſonis, nam ſonus correſpondet affectionibus, etiam in Cœlo percipiuntur affectiones ex ſonis; et quia variæ affectiones ſunt, et varii ſoni eduntur per inſtrumenta muſica, ideo hæc ex correſpondentia et inde concordantia ſignificant illas; in genere ſignificant inſtrumenta chordacia talia quæ ſunt affectionum veri, et inſtrumenta inflatoria talia quæ ſunt affectionum boni; ſeu quod idem, quædam inſtrumenta pertinent ad claſſem ſpiritualem, quædam autem ad claſſem cœleſtem: quod Soni correſpondeant affectionibus, ex multa experientia mihi patuit, et quoque quod Soni Muſici, et quod ſecundum ſonos et eorum varietates afficiantur Angeli; ſed omnem illam experientiam in medium afferre, prolixum foret; id modo, quod in

genere obſervatum eſt, memorare velim, quod nempe ſoni diſcreti excitent affectiones veri, ſeu quod illis afficiantur qui in affectionibus veri ſunt, et quod ſoni continui excitent affectiones boni, ſeu quod illis afficiantur qui in affectionibus boni ſunt; ſive dicas affectiones veri ſive ſpiritualia, idem eſt, ut et ſive dicas affectiones boni ſive cœleſtia, etiam idem eſt; ſed hæc melius comprehendi poſſunt ex illis quæ de ſonis et de correſpondentia eorum cum affectionibus ab experientia tradita ſunt in Opere de Cœlo et Inferno, n. 241. Ex his nunc conſtare poteſt, cur in Verbo, et præcipue apud Davidem, tot genera Inſtrumentorum Muſicorum nominantur, ut Nablia, Citharæ, Fiſtulæ, Cymbala, Tympana, Buccinæ, Organa, et alia, quod nempe propter correſpondentiam cum affectionibus, et ſimul cum articulationibus, quæ ſunt voces quæ continent res et inde fluunt. Quod Citharæ imprimis ſignificent affectiones veri, quia excitant illas, proinde etiam confeſſionem, quæ fit ex veris ſpiritualibus hilari corde, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Lugebit muſtum, langueſcet vitis, gement omnes læti corde, ceſſabit gaudium tympanorum, ceſſabit tumultus hilarium; ceſſabit gaudium citharæ, cum cantu non bibent vinum,*" xxiv. 7, 8, 9; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ ſpiritualis, ſeu ejus boni et veri, bonum ſpirituale quod ceſſaturum ſignificatur per quod lugebit muſtum et ceſſabit gaudium tympanorum, et quod verum ejus ceſſaturum ſignificatur per langueſcet vitis et ceſſabit gaudium citharæ; per muſtum enim ſignificatur bonum ſpirituale, ejus gaudium per tympanum; et per vitem ſignificatur verum ſpirituale, et ejus gaudium per citharam; quia affectio illorum eſt quæ ceſſatura, ideo dicitur, gement omnes læti corde et ceſſabit tumultus hilarium, per lætitias et hilaritates in Verbo ſignificantur lætitiæ et hilaritates ſpirituales, quæ omnes ſunt ex affectionibus veri et boni; adjicitur cum cantu non bibent vinum, quia per cantum ſignificatur teſtificatio lætitiæ ex affectione veri, et per vinum ſignificatur verum. Apud Davidem, "*Confitemini Jehovæ in cithara, in nablio decachordii pſallite Ipſi; cantate Ipſi Canticum novum, reddite egregie pulſare cum clangore, quia rectum eſt Verbum Jehovæ, et opus Ipſius in veritate,*" Pſalm. xxxiii. 2, 3, 4, 5; quia cithara ſignificat confeſſionem ex veris ſpiritualibus, ideo dicitur confitemini Jehovæ in cithara; nablium decachordii ſignificat bonum ſpirituale correſpondens, ideo dicitur in nablio decachordii pſallite Ipſi, ac ideo quoque dicitur quia rectum eſt Verbum Jehovæ, et omne opus Ipſius in veritate, verum boni ſignificatur per rectum eſt Verbum Jehovæ, et bonum veri per opus Ipſius in veritate; verum boni eſt verum quod procedit ex bono, et bonum veri eſt bonum quod producitur per verum. Apud Eundem, "*Mitte lucem tuam et veritatem tuam, hæ ducant me, deducant ad montem ſanctitatis et ad habitacula tua, ut confitear Tibi in cithara, Deus Deus mi,*" Pſalm. xliii. 3, 4; quod cithara ſignificet confeſſionem ex veris ſpiritualibus, patet, nam dicitur ut confitear Tibi in cithara, Deus Deus mi; et quoque præmittitur, mitte lucem tuam et veritatem tuam, hæ ducant me. Apud Eundem, "*Confitebor Tibi inſtrumento nablii, veritatem tuam Deus mi, canam Tibi in cithara Sancte Iſraelis,*" Pſalm. lxxi. 22; quia per nablium ſignificatur bonum ſpirituale ſeu bonum veri, et per citharam verum ſpirituale ſeu verum boni, et ex utroque fit confeſſio, ideo dicitur, confitebor Tibi inſtrumento nablii, et canam Tibi cithara. Apud Eundem, "*Cantabo et pſallam, excita me gloria mea, excita me nablium et cithara, confitebor Tibi inter gentes Domine, pſallam Te inter populos,*" Pſalm. lvii. 8, 9, 10. Pſalm. cviii. 2, 3, 4; confeſſio et glorificatio ex bono veri ſeu ex bono ſpirituali et ex vero boni ſeu ex vero ſpirituali exprimuntur in ſingulis ibi, bonum veri exprimitur per cantare, excitari nablio, et confiteri inter gentes; et verum boni per pſallere, excitari cithara, et pſallere inter populos, per gentes enim in Verbo intelliguntur qui in bono ſunt, et per populos qui in vero ſunt, hic in vero ſpirituali: quod ita dicatur, eſt quia in Verbo ubi dicitur de bono etiam dicitur de vero, et hoc propter conjugium illorum in ſingulis ibi, de quo videatur ſupra n. 238 f. 288. Apud Eundem, "*Reſpondete Jehovæ per confeſſionem, pſallite Deo noſtro in cithara,*" Pſalm. cxxxvii. 1, 2; etiam hic confeſſio ex bono ſpirituali et ex vero ſpirituali exprimitur per reſpondete Jehovæ per confeſſionem, et pſallite Deo noſtro in cithara, ex bono ſpirituali per reſpondere Jehovæ, et ex vero ſpirituali per pſallere Deo in cithara; Jehovah etiam dicitur ubi agitur de bono, ac Deus ubi agitur de vero, videatur n. 709, 732, 2586, 2769, 2807, 2822, 3921, 4283, 4402, 7010, 9167. Apud Ezechielem, "*Ceſſare faciam ſtrepitum Canticorum tuorum, et vox cithararum tuarum non audietur amplius, dabo te in ariditatem petræ,*" xxvi. 13, 14; hæc de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones boni et veri, vaſtatio ejus deſcribitur per illa verba, vaſtatio quoad cognitiones boni per ceſſare faciam ſtrepitum canticorum tuorum, et vaſtatio quoad cognitiones veri per quod vox cithararum non audietur amplius; deſolatio omnis veri per dabo te in ariditatem petræ, petra ſignificat verum, et ariditas ejus deſolationem. Apud Davidem, "*Clangite Jehovæ omnis terra, perſonate, jubilate et cantate, cantate Jehovæ cithara, cithara et voce cantus, tubis et voce buccinæ, clangite coram Rege Jehovah,*" Pſalm. xcviii. 4, 5, 6; varia genera affectionum ex quibus confeſſio et glorificatio Domini, hic exprimuntur per varia genera ſonarum et inſtrumentorum, per varia genera ſonorum per clangere, perſonare, jubilare et cantare, et per varia genera inſtrumentorum per citharas, tubas et buccinas, ſed ſignificationes ſingulorum exponere, non hujus loci eſt, ſolum quid cithara; cantare Jehovæ cithara, cithara et voce cantus, ſignificat confeſſionem ex affectione boni et veri ſpiritualis; omnis enim affectio, quia eſt amoris, cum cadit in ſonum, ſonat ſibi convenienter, unde etiam ex ſono, qui in loquela, et in quo voces loquelæ quaſi fluunt, auditur alterius affectio, quæ etiam inde noſcitur a ſocio, et manifeſte in mundo ſpirituali, ubi omnes ſoni loquelæ manifeſtant affectiones. Similiter alibi apud Davidem, ut in his ſequentibus, "*Jubilate Deo robori noſtro; acclamate Deo Jacobi; extollite cantum, et date tympanum, citharam jucundam cum nablio, clangite in menſe buccina,*" Pſalm. lxxxi. 2, 3, 4. "*Bonum confiteri Jehovæ, et canere Nomini Tuo, Altiſſime, ſuper Decachordio, et ſuper Nablio, et ſuper Higgajon in Cithara,*" Pſalm. xcii. 2, 3, 4. "*Filii Zionis exultent in Rege ſuo, laudent Nomen Ipſius in Chorea, cum Tympano et Cithara pſallant Ipſi,*" Pſalm. cxlix. 2, 3. "*Laudate Deum cum clangore Buccinæ; laudate Ipſum in Nablio et Cithara, laudate Ipſum cum Tympano et Chorea; laudate Ipſum cum Fidibus et Organo; laudate Ipſum cum Cymbalis ſoni, laudate Ipſum cum Cymbalis clangoris,*" Pſalm. cl. 3, 4 5. Quia Inſtrumenta Muſica et quoque Choreæ ſignificabant gaudia et lætitias quæ reſultant ex affectionibus, et quoque ipſas affectiones mentis quas ſoni illorum in ſimplici et in compoſito producunt, ideo "*David et univerſa Domus Iſraelis ludebant coram Jehovah ſuper omnis generis lignis, et ſuper Citharis et cum Nabliis, et cum Tympanis et cum Dulceariis et cum Cymbalis,*" 1 Sam. vi. 5. Quoniam Cithara ſignificat confeſſionem ex veris ſpiritualibus, ac vera ſpiritualia ſunt quibus afficiuntur Angeli qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, et quæ falſa mali diſſipant, et cum illis ipſos ſpiritus qui in iis ſunt, ideo, "*cum Malus ſpiritus erat ſuper Saule, David ſumſit Citharam et pulſavit manu ſua, et ſic quies data Sauli, et receſſit ab eo malus ſpiritus,*" 1 Sam. xvi. 14, 15, 16, 23; hoc factum eſt, quia Reges repræſentabant Dominum quoad Regnum Spirituale, et inde ſignificabant vera ſpiritualia, videatur ſupra n. 31; at Saul tunc falſa veris illis oppoſita, quæ per ſonum citharæ diſſipabantur, quia cithara ſignificabat affectionem veri ſpiritualem: ſed tunc ita factum eſt, quia apud filios Iſraelis omnia erant repræſentativa et inde ſignificativa; aliter hodie. Ex illis locis quæ nunc adducta ſunt, conſtare poteſt quid Cithara ſignificat, præter etiam in aliis locis, ut Eſaj. xxx. 31, 32. Pſalm. xlv. 4, 5. Pſalm. cxxxvii. 1, 2. 1 Sam. x. 5. Apoc. xiv. 2. Cap. xviii. 22. Hiob. xxx. 31. Quoniam pleraque in Verbo etiam oppoſita ſignificant, ita etiam Inſtrumenta Muſica, in quo ſenſu ſignificant lætitias et gaudia reſultantia ex affectionibus falſi et mali, ita quoque cithara confeſſionem falſi, et inde exultationem ſuper deſtructionem veri; ut apud Eſajam, "*A fine ſeptuaginta annorum erit Canticum Tyri juxta Canticum meretricis; accipe Citharam, ambula in urbe meretrix oblivioni tradita, eleganter pulſa, multiplica cantum,*" xxiii. 15, 16; per Tyrum ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri et boni ſpiritualis, ut ſupra, hic Eccleſia in qua illæ falſificatæ ſunt; meretrix ſignificat falſificationem veri, videatur ſupra n. 141; et per accipere citharam, ambulare in urbe, eleganter pulſare, et multiplicare cantum, ſignificatur exultatio et gloriatio falſi ſuper deſtructionem veri. Et apud Eundem, "*Væ ſurgentibus mane ſub auroram ſiceram proſequuntur, commorantibus in crepuſculum, vinum incendat eum, eſtque Cithara et Nablium et Tympanum et Fiſtula, et vinum, convivia eorum; opus autem Jehovæ non introſpiciunt, et factum manuum Ipſius non vident,*" v. 11, 12; cithara, nablium, tympanum, fiſtula, et quoque vinum in oppoſito ſenſu, in quo per illa ſignificantur exultationes et gloriationes ex falſis mali; quod talia ſignificentur, patet, nam dicitur, væ illis, opus Jehovæ non introſpiciunt, et factum manuum Ipſius non vident.

324. Et phialas aureas plenas ſuffitibus, quod ſignificet confeſſionem ex bonis ſpiritualibus, conſtat ex ſignificatione phialarum aurearum, quæ etiam thuribula et acerræ vocantur, quod ſint vera ex bono, phialæ enim ſicut omnia vaſa continentia ſignificant vera, et aurum, ex quo, ſignificat

bonum, inde phialæ aureæ ſunt vera ex bono; quod vaſa ſignificent vera, quoniam inſerviunt bono pro vaſis recipientibus et continentibus, videatur n. 3068, 3079, 3316, 3318; et quoque vaſa altarium, holocauſti et ſuffitus, n. 9723, 9724; et quod aurum ſignificet bonum, ſupra n. 242; et ex ſignificatione ſuffituum, quod ſint illa cultus quæ fiunt ex bono ſpirituali ſeu ex bono charitatis, et inde grate percipiuntur; cauſa quod illa per ſuffitus ſignificentur, eſt quia omnia quæ apud gentem Iſraeliticam inſtituta fuerunt, repræſentativa cœleſtium et ſpiritualium erant, inde quoque illa quæ erant odoris, quæ grati odoris erant, repræſentabant perceptionem gratam, at quæ ingrati odoris perceptionem ingratam; unde erat, quod ſuffimentum factum ſit ex aromatibus fragrantibus, ſtacte, onyche, galbano, et thure: præterea correſpondentia odoris eſt cum perceptione, quod conſtare poteſt ex eo, quod in Mundo ſpirituali, ubi omnia quæ appercipiuntur ſenſibus correſpondent, perceptivum boni et veri ſentiatur ſicut fragrans ex gratis odoribus, et vice verſa, de qua re ab experientia videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1514, 1517, 1518, 1519, 1631, 4626, 4628, 4630, 4631, 5711 ad 5717: inde eſt, quod odorari ſignificet percipere, etiam in communi ſermone apud homines, talia enim in ſermonem humanum venerunt ex correſpondentia, ut multa alia, ſpiritus enim hominis eſt actualiter in mundo ſpirituali, tametſi homo id neſcit: etiam perceptivum, quod eſt apud hominem, producit ſenſum odoratus in ejus corpore, et hoc quoque ex correſpondentia; ſed hoc arcanum eſt, quod ægre creditur, quia hactenus ignotum eſt. Sciendum eſt, quod bonum amoris et charitatis producat illam ſuaveolentiam ſeu fragrantiam, ſed per verum, non autem ex ſe abſque vero, minus verum quod vocatur fidei abſque bono, nam bonum abſque vero non habet aliquod perceptivum, nec verum abſque bono. Quod Suffitus ſignificent illa cultus quæ fiunt ex bono ſpirituali, eſt quia bonum ſpirituale trahit originem et exiſtentiam ex bono cœleſti, et hoc bonum eſt bonum amoris in Dominum a Domino, et inde eſt ipſum bonum Cœli, eſt enim id bonum immediate ex Domino, et eſt Dominus in illo bono ut in ſuo apud Angelos, uſque adeo, ut ſive dicas Dominum eſſe in illis et illos in Domino, aut ſi dicas Dominum eſſe apud illos in eo bono, et illos in Domino cum in illo bono, idem ſit: bonum ſpirituale, quod trahit originem et exiſtentiam ex bono cœleſti, eſt bonum charitatis erga proximum; cultus ex hoc bono eſt qui ſignificatur per ſuffitum. Quia omnis cultus Domini fit ex bono, tametſi per vera, et duo Bona univerſalia ſunt quæ faciunt Cœlos, et diſtinguunt illos in duo Regna, nempe Bonum Cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, et Bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum, ideo duo Altaria apud filios Iſraelis erant, unum pro holocauſtis, alterum pro ſuffitionibus, et per Altare holocauſti ſignificabatur cultus ex bono amoris cœleſtis, et per Altare ſuffitus cultus ex bono amoris ſpiritualis; inde patet, quid per ſuffitus repræſentabatur. Quod ita ſit, conſtare poteſt ex locis in Verbo, ubi memorantur; ut apud Moſen, "*Facies Altare ſuffitionis ſuffimenti, et obduces illud auro puro, et dabis illud ante Velum quod ſuper arca Teſtimonii ante Propitiatorium: et ſuffiet ſuper illo Aharon ſuffimentum*"

mentum aromatum quovis mane, in adornando lucernas ſuffiet illud; et in aſcendere faciendo lucernas inter veſperas ſuffiet illud; ſuffimentum juge coram Jehovah in generationes veſtras: nec aſcendere facietis ſuffimentum alienum et holocauſtum et mincham et libamen ſuper eo," Exod. xxx. 1 ad 10; quod per hoc Altare et per ſuffitiones ſuper eo ſignificatus ſit cultus qui ex bono ſpirituali, conſtare poteſt ex eo quod hoc poſitum fuerit in Tentorio Conventus extra Velum, ubi etiam Lucernæ, et per Tentorium ſignificatum eſt Regnum ſpirituale Domini, at per illam partem Tentorii quæ erat intra Velum ſignificatum eſt Regnum cœleſte Domini, ut conſtare poteſt ex illis quæ de Tentorio, ubi Menſa ſuper qua Panes facierum, ac ubi Altare ſuffitus, ac ubi Candelabrum erant, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9457, 9481, 9485, oſtenſa ſunt; et ex illis quæ de Arca, in qua Teſtimonium, et ſuper qua Propitiatorium, n. 9457, 9481, 9485, 10545; inde patet, quod per illa quæ in Tentorio extra Velum erant, quæ fuerunt Candelabrum, Altare ſuffitus, et Menſa pro panibus, ſignificata ſint talia quæ Regni ſpiritualis ſunt, quæ omnia ſe referunt ad bonum ſpirituale et ad verum ejus; per Menſam, ſuper qua Panes facierum, ſignificata eſt receptio boni cœleſtis in bono ſpirituali, videatur n. 9527; per Candelabrum cum lucernis ſignificatum eſt ipſum Spirituale illius Regni, n. 9548, 9551, 9558, 9561, 9572, 9783; et per Altare ſuffitus ſignificatus eſt cultus ex bono ſpirituali; et quia cultus ex bono ſpirituali per ſuffitionem ſuper illo Altari ſignificatus eſt, et per Candelabrum ipſum Spirituale, ideo mandatum eſt ut Aharon quovis mane et veſpere, quando adornaret lucernas, etiam ſuper illo ſuffiret; ſed hæc plenius explicata ſunt in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10176 ad 10213, ubi de ſingulis actum eſt. Et quia Bonum ſpirituale ſuam originem et exiſtentiam trahit ex Bono cœleſti, ut ſupra dictum eſt, ideo Altare illud non modo poſitum erat juxta Velum quod ſuper Arcam, ſed etiam mandatum eſt, ut cum Aharon expiaret pro ſe et pro ſua domo inferret ſuffimentum intra Velum, per quod ſignificatur influxus, communicatio et conjunctio Boni cœleſtis et Boni ſpiritualis; de qua re ita apud Moſen, "*Cum Aharon expiabit pro ſe et pro ſua domo, mactabit juvencum peccati, et accipiet plenitudinem Thuribuli, prunas ignis deſuper Altari coram Jehovah, et plenitudinem pugnorum ſuorum ſuffimentum aromatum, et inferet intra velum, ita ut det ſuffimentum ſuper ignem coram Jehovah; et tegat nubes ſuffimenti Propitiatorium quod ſuper Teſtimonio, ut non moriatur,*" Levit. xvi. 11, 12, 13; quod acciperet ignem deſuper Altari holocauſti, ſuper quem daret ſuffimentum, etiam ſignificabat quod Bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis, exiſtat et procedat ex Bono Cœleſti, quod eſt bonum amoris in Dominum: quod ignis Altaris id bonum ſignificaverit, videatur n. 4489, 6314, 6832, 9714, et alibi; inde erat quod ignis pro ſuffitione non aliunde quam ex Altari holocauſti deſumptus ſit: quod Aharon, cum expiaret pro ſe et ſua domo ſuffiret intra velum, erat cauſa quia Aharon ut Summus Sacerdos repræſentabat Dominum quoad bonum amoris, et per functiones repræſentabat illa quæ ex bono illo procedunt, quæ omnia ſe referunt ad bonum ſpirituale; bonum ſpirituale niſi ſit ex bono cœleſti, non eſt bonum, quapropter nec functio ejus fuiſſet ex Divino, ſeu aliquid Divini repræſentaviſſet, ideo denuntiata eſt illi mors niſi ita feciſſet. Inde quoque eſt, quod Nadab et Abihu, filii Aharonis, igne e cœlo conſumpti fuerint, quia ſuffiverunt ex alio igne, quam ex igne Altaris holocauſti, ita cultum fecerunt ex alio amore quam ex amore in Dominum; de qua re ita apud Moſen, "*Sumſerunt filii Aharonis Nadab et Abihu quiſque thuribulum ſuum, ác dederunt in eo ignem alienum, ſuper quem dederunt ſuffimentum, ideo exivit ignis a coram Jehovah, et comedit illos, et mortui; ac dein elati extra caſtra,*" Levit. x. 1 ad 5; quod extra caſtra elati fuerint, ſignificabat quod cultus eorum non e cœlo eſſet, quia non ex amore in Dominum, nam per caſtra filiorum Iſraelis repræſentabatur Cœlum et Eccleſia, videatur n. 4236, 10038. Quod Korach, Dathan et Abiram cum concione illorum abſorpti fuerint a terra, tametſi ſumſerunt ignem ex Altari et ſuffiverunt, erat cauſa, quia per murmurationem eorum contra Moſen et Aharonem ſignificabatur prophanatio boni amoris cœleſtis, per Moſen enim et Aharonem repræſentabatur Dominus; nam murmurare, hoc eſt, rebellare contra Dominum, et ſancta obire, eſt prophanatio; ſed quia ignem ſumſerunt ex Altari, ignis ille ejectus eſt, et thuribula eorum facta ſunt in tegumentum Altari; de qua re ita apud Moſen, "*Dixit illis Moſes ut ſumerent ignem, et mitterent in thuribula ſua; quod etiam factum eſt, ſed abſorpti ſunt,*" Num. xvi. 1 ad fin: ſed poſtea mandatum eſt, "*ut colligerent acerras, et ſpargerent ignem horſum, et ex acerris, quæ erant ex ære, facerent expanſiones laminarum, tegumentum altari, quia ſanctificatæ ſunt,*" Num. xvii. 7 ad 15; ſanctificatæ erant per ignem altaris, qui ſignificabat Divinum cœleſtem amorem. Quoniam Bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum, trahit eſſentiam ſuam et animam ex bono cœleſti, quod eſt bonum amoris in Dominum, ideo etiam Thus, per quod ſignificatur Bonum ſpirituale, dabatur ſuper Panes facierum, per quos ſignificabatur Bonum cœleſte; ut conſtare poteſt ex his apud Moſen, "*Dabitur etiam Thus ſuper Panes facierum, qui ſuper menſa in Tentorio conventus, ut ſit Panis in memoriale,*" Levit. xxiv. 7; ut ſit panis in memoriale, ſignificat ut recipiatur et audiatur a Domino; omnis enim cultus Domini, qui vere cultus, fit ex bono cœleſti per bonum ſpirituale; bonum enim ſpirituale, quod eſt charitas erga proximum, eſt effectus boni cœleſtis, nam charitas erga proximum eſt uſus præſtare ac moralem vitam agere ex origine cœleſti, de qua re videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 390, 484, 529, 530 ad 535; et in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 84 ad 107; hoc itaque eſt bonum ſpirituale; et Bonum Cœleſte eſt ſpectare ad Dominum, et quod ab Ipſo ſit omne bonum et verum, et quod ab homine ſeu ejus proprio nihil niſi quam malum. Quod ſuffitum fuerit non ex alio igne, quam ex igne Altaris holocauſti, per quem ſignificatum eſt bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, conſtat etiam ex aliis locis, ut apud Moſen, "*Cum murmuravit concio contra Moſen et Aharonem, et plaga affecti ſunt, tunc ſumſit Aharon ignem ex altari, et in acerram, et poſuit in ea ſuffimentum, et cucurrit inter eos, et coercita eſt plaga,*" Num. xvii. 7 ad 15: et præterea in Apocalypſi, Cap. viii. 3, 4, 5. Quod Suffimentum et Thus ſignificent Bonum ſpirituale, ac ſuffitio cultum ex illo bono gratum, ac ideo auditionem et receptionem a Domino, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Turma Camelorum obteget Te, dromades Midianis et Ephæ, omnes e Scheba venient, Aurum et Thus portabunt, et laudes Jehovæ annuntiabunt,*" lx. 6; agitur ibi de adventu Domini, per turmam Camelorum et dromades Midianis et Ephæ ſignificantur cognitiones veri et boni in copia; quod omnes e Scheba venient, ſignificat quod ex cognitionibus genuini veri et boni; quod Scheba illas ſignificet, videatur n. 1171, 3240; per aurum et thus quæ portabunt, ſignificatur cultus ex bono ſpirituali quod ex bono cœleſti, aurum ſignificat bonum cœleſte et thus bonum ſpirituale; quia cultus ex illis ſignificatur, ideo dicitur, et laudes Jehovæ annuntiabunt, per laudes Jehovæ annuntiare ſignificatur Evangelizatio de Domino, et cultus Ipſius. Apud Matthæum, "*Sapientes ex oriente aperuerunt theſauros ſuos, et obtulerunt Domino recens nato munera Aurum, Thus, et Myrrham,*" ii. 11; per ſapientes ex oriente etiam ſignificantur illi qui in cognitionibus veri et boni ſunt; cultus eorum ex Bono cœleſti, Bono ſpirituali et Bono naturali, ſignificatur per quod obtulerint aurum, thus et myrrham, per aurum enim ſignificatur bonum cœleſte, per thus bonum ſpirituale, et per myrrham bonum naturale; quod talia ſignificentur per illa, notum adhuc erat pluribus in Oriente, unde etiam dicti ſunt filii Orientis, per quos in Verbo intelliguntur illi qui in cognitionibus veri et boni ſunt, videatur n. 3249, 3762; ſcientia enim correſpondentiarum adhuc remanſerat apud illos, quare ut teſtarentur gaudium cordis ſui, obtulerunt talia quæ ſignificabant omne bonum a primo ad ultimum; et hoc eſt quod prædictum apud Eſajam, quod e Scheba venturi, et aurum et thus portabunt, et laudes Jehovæ annuntiabunt, de quo mox ſupra. Apud Malachiam, "*Ab ortu Solis uſque ad occaſum, magnum erit Nomen meum inter Gentes, et in omni loco ſuffitus allatus Nomini meo, et Minchah munda,*" i. 11; ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum erit Nomen meum inter gentes, ſignificat quod Eccleſia et cultus Domini erit ubivis apud illos qui in bono ſunt, ab ortu ſolis ad occaſum ſignificat ubivis ubi bonum, Nomen meum quod erit magnum ſignificat agnitionem et cultum Domini, et gentes ſignificant illos qui in bono ſunt; ſuffitus allatus Nomini meo et Minchah munda, ſignificat cultum Domini ex bono ſpirituali, quod eſt bonum charitatis erga proximum, et ex bono cœleſti, quod eſt bonum amoris in Dominum, cultus ex bono ſpirituali ſignificatur per ſuffitum, et ex bono cœleſti per mincham: quod Minchah id bonum ſignificet, videatur n. 4581, 10079, 10137. Per ſuffitum et per mincham ſimile ſignificatur apud Davidem, "*Attende aurem ad vocem meam, quando clamo ad Te, acceptæ ſunt preces meæ, ſuffimentum coram Te, ſublatio manuum mearum Minchah veſperæ,*" Pſalm. cxli. 1, 2: et apud Eſajam, "*Non adduxiſti Mihi pecudem holocauſtorum tuorum, et ſacrificiis tuis non honoraſti Me; non ſervire te feci per Mincham, nec defatigavi per Thus,*" xliii. 23; quia omnis cultus Domini fit ex bono ſpirituali quod ex bono cœleſti, ideo utrumque, minchah et thus, nominatur, in litera ſeorſim, quæ tamen in ſenſu interno ſeu ſpirituali intelliguntur conjunctim, ſed unum ab altero: ſimiliter apud Jeremiam, "*Venient ex urbibus Jehudæ et ex circuitibus Hieroſolymæ, adferentes holocauſtum et ſacrificium, et mincham et thus,*" xvii. 26; per Jehudam et Hieroſolymam hic non intelligitur Jehuda et Hieroſolyma, ſed Eccleſia Domini quæ eſt in bono amoris et inde in doctrina charitatis; cultus ex illis ſignificatur per holocauſtum et ſacrificium, tum per mincham et thus. Quoniam Minchah ſignificabat bonum amoris cœleſtis et thus bonum amoris ſpiritualis, ideo ſuper mincham ex ſimilagine dabatur oleum et thus, ut conſtat apud Moſen, "*Quando anima offerre voluerit munus minchæ Jehovæ, ſimilago erit munus ejus, ſuper quam effundet oleum, et dabit ſuper illam thus; et ſacerdos accipiet plenitudine pugilli de ſimilagine ejus, et de oleo ejus una cum omni thure ejus, et adolebit in memoriale ſuper altari,*" Levit. ii. 1, 2; quod hæc Minchah inſtituta ſit, erat quia ſimilago ſignificabat genuinum verum, videatur n. 9995, hoc quia ex bono eſt, nempe ex bono cœleſti et inde ex bono ſpirituali, ideo dabatur ſuper illam oleum et thus, oleum ſignificat bonum amoris cœleſtis, et thus bonum amoris ſpiritualis, in ſenſu interno unum ab altero: erant etiam aliæ ſpecies minchæ, quæ confectæ per oleum, per quas ſimile ſignificabatur. Apud Ezechielem, "*Sumſiſti veſtes acupicti tui, et texiſti imagines maris cum quibus ſcortabaris, et oleum meum et ſuffimentum meum dediſti coram illis,*" xvi. 18, 19; hæc de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, hic quoad doctrinam prorſus perverſam; imagines maris quas veſtibus acupicti ſui texit, et cum quibus ſcortabatur, ſignificat falſa quæ fecerunt per interpretationes perverſas apparere ſicut vera, ita falſificata vera, veſtes acupicti ſunt cognitiones veri ex Verbo, et ſcortari eſt falſificare; oleum et ſuffimentum meum dare coram illis, ſignificat adulterare tam bonum amoris cœleſtis quam bonum amoris ſpiritualis, quæ adulterantur cum Verbum applicatur amoribus ſui et mundi. Apud Moſen, "*Docebunt judicia tua Jacobum, et legem tuam Iſraelem, ponent ſuffitum in naſum tuum, et holocauſtum ſuper Altare tuum,*" Deut. xxxiii. 10; Propheticum Moſis de Levi, per quem ſignificatur ſacerdotium; et quia ſacerdotium erat repræſentativum Domini quoad Bonum amoris tam cœleſtis quam ſpiritualis, ideo dicitur quod ponent ſuffitum in naſum tuum, et holocauſtum ſuper Altare tuum, et per ſuffitum ſignificatur cultus ex bono ſpirituali, et per holocauſtum ſuper altare ſignificatur cultus ex bono cœleſti, in naſum ſignificat ad perceptionem. Apud Davidem, "*Veniam in Domum tuam cum holocauſtis, reddam Tibi vota mea, holocauſta pinguium offeram Tibi, cum ſuffimento arietes,*" Pſalm. lxvi. 13, 15; offerre holocauſta pinguium ſignificat cultum ex bono amoris cœleſtis; offerre cum ſuffimento arietes ſignificat cultum ex bono amoris ſpiritualis, ſuffimentum et quoque aries ſignificant id bonum. In Apocalypſi, "*Alius Angelus venit, et ſtetit ad Altare, habens thuribulum aureum, et dati ſunt ei ſuffitus multi, ut offerret cum precibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum quod ante Thronum, et aſcendit fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum e manu Angeli ad conſpectum Dei; deinde accepit Angelus thuribulum, et implevit illud ex igne altaris, et projecit in terram,*"

viii. 3, 4, 5; quid hæc ſignificant, dicetur in explicatione illorum verborum in ſequentibus, hic ſolum quod ſuffitus ſignificent cultum ex bono ſpirituali, quod eſt bonum charitatis erga proximum; ille cultus etiam ſignificatur per preces ſanctorum, quare dicitur quod dati ſint ei ſuffitus multi ut offerret cum precibus ſanctorum; et dein, aſcendit fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum in conſpectum Dei; quod preces ſanctorum ſignificent cultum ex bono ſpirituali, videbitur in articulo mox ſequente, tum etiam ibi quid intelligitur per cultum ex bono ſpirituali ſeu ex bono charitatis. Apud Eſajam, “ *Populus qui ad iram provocant Me coram faciebus meis jugiter, qui ſacrificant in hortis, et ſuffiunt ſuper lateribus,*” lxv. 3; hic per ſacrificare et ſuffire ſignificantur oppoſita, nempe cultus ex falſis doctrinæ quæ ex propria intelligentia; horti ſignificant intelligentiam, hic propriam, et lateres ſignificant falſa inde; ac ſacrificare et ſuffire ſignificant cultum: quod Antiqui Cultum Divinum habuerint in hortis et lucis ſecundum arborum ſignificationes ibi, ſed quod id apud Gentem Iſraeliticam prohibitum fuerit, ne fingerent ſibi cultum ex proprio, videatur n. 2722, 4552. Apud Hoſcheam, “ *Super verticibus montium ſacrificant, et ſuper collibus ſuffiunt, ſub quercu et populo et robore, quia bona umbra ejus; propterea ſcortantur filiæ veſtræ, nurus veſtræ adulterantur,*” iv. 13; per hæc deſcribitur cultus ex amore ſui et ex amore mundi, ac inde ex falſis doctrinæ; cultus ex amore ſui per ſacrificare ſuper verticibus montium, cultus ex amore mundi per ſuffire ſuper collibus, et cultus ex falſis doctrinæ per ſacrificare et ſuffire ſub quercu, populo et robore, vertex montium ſignificat amorem cœleſtem, hic amorem ſui, colles ſignificant amorem ſpiritualem, hic amorem mundi, nam amor ſui eſt oppoſitus amori cœleſti, et amor mundi eſt oppoſitus amori ſpirituali; quercus, populus et robur ſignificant bona veri et vera boni naturalis hominis infima, hic mala falſi et falſa mali ejus; quia bona umbra ejus ſignificat complacentiam; falſificationes boni ſpiritualis inde, ſignificatur per quod propterea ſcortentur filiæ veſtræ, et adulterationes boni cœleſtis per quod propterea nurus veſtræ adulterentur. Apud Jeremiam, “ *Numerus urbium tuarum fuerunt dii tui, Jehuda, et juxta numerum Hieroſolymæ poſuiſtis altaria, altaria ad ſuffiendum Baali,*” xi. 13, 17; per urbes hic non ſignificantur urbes, nec per deos dii, neque per plateas Hieroſolymæ plateæ ibi, ſed per urbes ſignificantur doctrinalia falſi, per deos ipſa falſa, et per plateas Hieroſolymæ falſa doctrinæ Eccleſiæ; per ponere altaria, altaria ad ſuffiendum Baali, ſignificatur cultus ex amore ſui et ex amore mundi, ut ſupra: gens illa ponebat altaria, et ſuffiebat Baali, ſed quia omnia cultus eorum erant repræſentativa, illa quæ fiebant ſecundum ſtatuta erant repræſentativa cœleſtium et ſpiritualium, quare illa quæ fiebant contra ſtatuta, erant repræſentativa infernalium, ideo per altaria poſita diis, et per ſuffitus datos Baali ſignificantur oppoſita. Apud Eundem, “ *Loquar judicia cum illis ſuper omni malitia eorum, quod deſeruerint Me, et ſuffiverint diis aliis, et incurvaverint ſe operibus manuum ſuarum,*” i. 16; ſuffire diis aliis, et incurvare ſe operibus manuum ſuarum, ſignificat cultum ex falſis, quæ ex propria intelligentia, dii alii ſunt falſa, et opera manuum ſunt quæ ex propria intelligentia. Simile *per ſuffire diis* ſignificatur apud Jeremiam, Cap. xi. 12. Cap. xliv. 3, 5, 8, 15, 18: ſimile *per ſuffire ſculptilibus*, apud Hoſcheam, Cap. xi. 2: ſimile *per ſuffire vanitati*, apud Jeremiam, Cap. xviii. 15: ſimile etiam quod ſupra *per ſuffire Baali*, apud Jeremiam, Cap. vii. 9: et apud Hoſcheam, Cap. ii. 13: et ſimile per *ſuffire Melechetb ſeu reginæ cælorum*, apud Jeremiam, Cap. xliv. 17, 18, 19, 21, 25; Melecheth cœlorum ſignificat falſa in omni complexu. Porro, quod ſuffitio ſignificet illa cultus quæ grate percipiuntur, et quod ſuffimentum bonum ſpirituale, eſt cauſa, quia omnia, quæ apud gentem Iſraeliticam inſtituta fuerunt, erant repræſentativa cœleſtium et ſpiritualium; Eccleſia enim apud illos non erat ſicut Eccleſia hodie, quæ eſt Interna, ſed erat Externa, et Externa repræſentabant et inde ſignificabant Interna Eccleſiæ, qualia in Verbo Novi Teſtamenti a Domino detecta fuerunt; inde Eccleſia illorum dicta eſt Eccleſia Repræſentativa; Externa Eccleſiæ hujus conſtabant ex talibus in Mundo naturæ, quæ correſpondebant affectionibus boni et veri in Mundo ſpirituali; inde erat, quod cum illi, qui ab Eccleſia, in Externis quoad cultum erant, illi, qui in ſpirituali Mundo ſeu in Cœlo, in Internis eſſent, et ſe conjungerent cum illis qui in Externis; hoc modo eo tempore Cœlum cum hominibus terræ unum fecit: ex his conſtare poteſt, quare in Tentorio conventus fuit Menſa pro Panibus, fuit Candelabrum cum lucernis, et fuit Altare ſuffitus; Panes enim repræſentabant et inde ſignificabant bonum amoris procedens a Domino, ſeu Bonum Cœleſte; Candelabrum cum lucernis repræſentabat et inde ſignificabat Bonum et Verum ſpirituale; et Suffitus repræſentabat et inde ſignificabat cultum, et quia omnis Cultus Divinus, qui grate percipitur, eſt ex bono ſpirituali, ideo per ſuffimentum ſignificabatur illud bonum; ut gratum repræſentaretur, factum eſt ſuffimentum ex aromatibus fragrantibus, et hoc quoque ex correſpondentia; odores enim fragrantes correſpondent amœnitatibus et delitiis, quæ inſunt cogitationibus et perceptionibus ex jucundo amoris ſpiritualis, proinde correſpondebat ſuffitus talibus quæ grate recipiuntur a Domino, et quæ grate recipiuntur ab Angelis: hoc gratum unice eſt ex bono ſpirituali ſeu ex bono charitatis erga proximum, hoc enim bonum eſt bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, in effectu, nam bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, ſiſtitur unice in effectum per bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum, quapropter in hoc bono eſſe et id exercere, eſt amare et colere Dominum; quid charitas erga proximum, et quid ejus exercitium, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 84 ad 107. Quoniam Oleum, per quod Unctiones fiebant, ſignificabat Bonum cœleſte ſeu bonum amoris in Dominum, ac ſuffimentum ſignificabat Bonum ſpirituale ſeu bonum charitatis erga proximum, et quia hoc eſt ex illo, ut ſupra dictum eſt, ideo in Exodo, Capite xxx. agitur primum de præparatione Olei unctionis, et mox dein de præparatione ſuffimenti; de præparatione Olei unctionis a Verſu 23 ad 33, et de præparatione ſuffimenti a Verſu 34 ad 38: et quia de ſuffitu hic agitur, velim hic adducere quid de præparatione ſuffimenti ibi mandatum eſt, nempe, "*Accipe tibi Aromata fragrantia, ſtacten, onychen et galbanum, fragrantia, et Thus purum, tantum in tanto erit;*

erit; et ſacies illud ſuffimentum, unguentum opus unguentarii, ſalitum, purum, ſanctum, et tundes ex illo minutim; et dabis de illo ante Teſtimonium in Tabernaculo Conventus, quo conveniam te ili, ſanctum ſanctorum erit vobis. Et ſuffimentum quod facis in qualitate ejus, non facietis vobis, ſanctum erit tibi Jehovæ: vir qui fecerit ſicut illud ad faciendum odorem eo, exſcindetur e populis ſuis," Exod. xxx. 34 ad 38; ſed quid ſingula hæc ſignificant, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10289 ad 10310, ubi illa ordine explicata ſunt; hic tantum, quod Thus fuerit primarium, et tria reliqua adjecta odoris gratia, quare de Thure dicitur quod tantum in tanto erit, ſeu quantum ab uno tantum ab altero; ſimiliter ut cum oleo unctionis, in quo Oleum olivæ erat primarium, et reliqua in illo ſignificantia Exod. xxx. 23 ad 33: inde patet, cur Thus ſimile ſignificet cum ſuffimento in compoſito, nempe Bonum ſpirituale. Quoniam fragrantia quæ ſunt Odoris correſpondent amœnis ſpiritualibus ſeu amœnis oriundis ex Bono ſpirituali, ideo quoque receptio gratiſſima a Domino vocatur Odor quietis, Exod. xxix. 10, 25, 41. Levit. i. 9, 13, 17. Cap. ii. 2. 9, 12. Cap. iii. 5. Cap. iv. 31. Cap. vi. 8, 14. Cap. viii. 28. Cap. xxiii. 8, 14, 18. Numer. Cap. vi. 6, 8, 13. Cap. xv. 5. Cap. xxix. 2, 6, 8, 13, 36: et apud Ezechielem, "*Per Odorem quietis placabor vobis,*" xx. 41: apud Moſen, "*Si non ambulaveritis in præceptis meis, ſed iveritis Mecum in adverſum, non odorabor odorem quietis veſtrum,*" Levit. xxvi. 31: et apud Hoſcheam, "*Ibunt rami ejus, et erit ſicut honor olivæ, et Odor illi ſicut Libani,*" xiv. 7; hæc de Iſraele, honor olivæ ſignificat bonum cœleſte, et odor Libani bonum ſpirituale, ex gratitudine: quod honor dicatur de bono cœleſti, videatur ſupra n. 288: quod olea etiam id bonum ſignificet, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9277, 10261: quod odor ſignificet perceptivum grati ſecundum quale amoris et fidei, n. 1514 ad 1519, 3577, 4624 ad 4634, 4748, 5021, 10292: quod odor quietis ſignificet perceptivum pacis, n. 925, 10054: quid perceptivum pacis, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 284 ad 290.

325. Quæ ſunt preces ſanctorum, quod ſignificet ex quibus cultus, conſtat ex ſignificatione precum ſanctorum, quod ſint cultus ex bono ſpirituali; per preces in ſenſu interno intelliguntur omnia cultus, et per ſanctos ſpiritualia; ſancti enim in Verbo dicuntur qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, juſti autem qui in Regno cœleſti Ipſius, videatur ſupra n. 204; ſed in ſenſu interno Verbi per ſanctos non intelliguntur ſancti ſed ſancta, nam ſancti involvunt perſonas, et in ſenſu interno exuitur omne perſonæ, ſolæ enim res faciunt illum, de qua re videatur ſupra n. 270; et quod Angeli, quia ſpirituales, cogitent abſtracte a perſonis, etiam ſupra n. 99, 100; in hoc diſtinguitur ſenſus internus Verbi a ſenſu externo ejus, qui eſt ſenſus literæ; et quia ſic per ſanctos intelliguntur ſancta, et per ſanctum in Verbo intelligitur Divinum Verum quod procedit a Domino, et facit Regnum ſpirituale Ipſius, videatur ſupra n. 204, ideo per ſancta intelliguntur ſpiritualia, et per preces ſanctorum cultus ex bono ſpirituali: quod cultus ex hoc bono per preces ſanctorum intelligatur, conſtat ex eo, quod dicatur quod habuerint phialas aureas plenas

ſuffitibus, quæ ſunt preces ſanctorum, et per ſuffitus ſignificantur omnia cultus quæ ex bono ſpirituali, ut in Articulo mox præcedente oſtenſum eſt, inde ſequitur quod per preces ſanctorum ſimile ſignificetur; ut quoque apud Davidem, "*Attende aurem ad vocem meam quando clamo ad Te, receptæ ſunt preces meæ ſuffimentum coram Te, ſublatio manuum minchah veſperæ: cuſtodis januam labiorum meorum, ne declina cor meum ad malum, ad faciendum facinora in impietate, cum viris operantibus iniquitatem, quia adhuc preces meæ in malis illorum,*" Pſalm. cxli. 1, 2, 3, 4, 5; hic quoque preces vocantur ſuffimentum, et ſublatio manuum vocatur minchah, et hoc quia per preces ſimile ſignificatur quod per ſuffimentum, et per ſublationem manuum ſimile quod per mincham, per ſuffimentum ſignificatur bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum, et per mincham ſignificatur bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, ita per utrumque cultus; et quia preces non ſunt ex ore ſed ex corde per os, et omnis cultus qui eſt ex corde eſt ex bono amoris et charitatis, nam cor id ſignificat, ideo etiam dicitur, cuſtodis januam labiorum meorum, ne declina cor meum ad malum, ad faciendum facinora in impietate; et quia lamentatur David, quod mala contra illum adhuc valeant, ideo dicit, quia adhuc preces meæ in malis illorum. Quod preces ſimilia ſignificent cum ſuffitibus, etiam conſtat alibi in Apocalypſi, "*Alius Angelus venit, et ſtetit apud Altare, habens thuribulum aureum, et dati ei ſuffitus multi, cum precibus ſanctorum omnium, ſuper Altare aureum, et aſcendit fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum ad conſpectum Dei,*" viii. 3, 4; quia hic ſimilia ſignificantur per preces quæ per ſuffitus, nempe cultus ex bono ſpirituali, ideo dicitur, dati ei ſuffitus multi ut offerret cum precibus ſanctorum, tum aſcendit fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum ad conſpectum Dei. Quid intelligitur per cultum ex bono ſpirituali, primum dicetur, poſtea quod preces illum cultum ſignificent: Cultus non conſiſtit in precibus ac in devotione externa, ſed in vita charitatis, preces ſunt modo externa ejus, procedunt enim ex homine per os ejus, quapropter qualis eſt homo quoad vitam, tales ſunt preces ejus; non refert quod humiliter ſe gerat, ſuper genubus ſit et ſuſpiret, quando precatur, hæc externa ſunt, et niſi externa procedant ex internis, ſunt modo geſtus et ſoni abſque vita; eſt affectio in ſingulis quæ homo loquitur, et unuſquiſque homo, ſpiritus et angelus eſt ſua affectio, nam affectio eorum eſt vita eorum, ipſa affectio eſt quæ loquitur, et non homo abſque illa, quapropter qualis eſt affectio talis eſt precatio: affectio ſpiritualis eſt quæ vocatur charitas erga proximum, in illa eſſe eſt vere cultus, precatio eſt procedens; inde conſtare poteſt, quod eſſentiale cultus ſit vita charitatis, ac inſtrumentale ejus ſit geſtus et precatio, ſeu quod primarium cultus ſit vita charitatis et ſecundarium ejus ſit precatio: ex quo patet, quod qui omnem cultum Divinum ponunt in pietate orali et non in pietate actuali, valde errent; pietas actualis eſt in omni opere et in omni functione agere ex ſincero et recto, et ex juſto et æquo, et hoc quia præceptum eſt a Domino in Verbo, ita enim homo in omni opere ſuo ſpectat ad Cœlum et ad Dominum, cum Quo ſic conjungitur:

aſt agere ſincerum et rectum, juſtum et æquum ſolum ex timore legis, jacturæ famæ, ac honoris et lucri, et nihil cogitare de Lege Divina, de præceptis Verbi, et de Domino, et tamen devote precari in templis, eſt pietas externa, quæ qualitercunque ſancta apparet, uſque non eſt pietas, ſed eſt vel hypocriſis, vel eſt quoddam fictum ex habitu tractum, vel quoddam perſuaſivum ex falſo principio quod in eo ſolo conſiſtat Cultus Divinus, ſpectat enim non corde ad Cœlum et ad Dominum, ſed modo oculis, cor ſpectat ad ſemet et ad mundum, et os loquitur ex habitu ſolius corporis et ejus memoriæ; per id conjungitur ille homo mundo et non cœlo, ac ſibi et non Domino. Ex his conſtare poteſt quid pietas, tum quid cultus Divinus, et quod pietas actualis ſit ipſe cultus; de qua re etiam videantur quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 222, 224, 358, 359, 360, 528, 529, 530, dicta ſunt; et quæ in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 123 ad 129; ubi etiam hæc, "Pietas eſt pie cogitare et loqui, multum vacare precibus, humiliter ſe tunc gerere, frequentare Templa, et ibi prædicationes devote auſcultare, et ſæpe quotannis obire Sacramentum Cœnæ, et ſimiliter reliqua cultus ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Vita autem charitatis eſt bene velle et bene facere proximo, in omni Opere agere ex juſto et æquo, ex bono et vero, ſimiliter in omni functione; verbo, vita charitatis conſiſtit in uſibus præſtandis; in hac vita primario conſiſtit Cultus Divinus, in illa autem ſecundario; quapropter qui ſeparat unam ab altera, nempe qui vitam pietatis agit, et non ſimul vitam charitatis, non colit Deum: nam vita pietatis tantum valet, quantum ei conjuncta eſt vita charitatis, hæc enim primaria eſt, et qualis hæc talis illa," n. 124, 128. Quod Cœlum a Domino inſinuetur pietati actuali hominis, et non pietati orali ſeu externæ ſeparatæ ab illa, ex pluri experientia mihi teſtatum factum eſt; viſi enim ſunt multi, qui in pietate orali et externa poſuerunt omnem cultum, et præterea in ſua vita actuali nihil cogitaverunt de præceptis Domini in Verbo, ſeu quod ſincerum et rectum, juſtum et æquum ex religione, ita ex origine ſpirituali, faciendum ſit, ſed ſolum ex lege civili, tum ex lege morali, ut ſinceri et juſti apparerent propter famam, et hoc propter honorem aut lucrum, credentes ſic quod in Cœlum venturi præ aliis; quapropter ſecundum fidem ſuam elevati ſunt in Cœlum; ſed cum ab Angelis perceptum fuit, quod colerent Deum ſolum ore et non corde, et quod pietas eorum externa non procederet ex pietate actuali, quæ eſt vitæ, ab illis dejecti ſunt, et poſtea aſſociati illis qui in ſimili vita cum illis fuerunt, et ibi deprivati ſuo pio et ſancto, quoniam hoc interius conſpurcatum fuit malis vitæ: inde quoque patuit, quod Cultus Divinus primario conſiſtat in vita charitatis, et ſecundario in pietate externa. Quoniam ipſe Cultus Divinus primario conſiſtit in vita, et non in precibus, ideo dixit Dominus quod in precando non eſſent multiloqui et prolixi, his verbis, "*Orantes ne ſitis multiloqui, ſicut Ethnici, qui putant quod propter multiloquium exaudiantur; ne igitur reddimini illis ſimiles,*" Matth. vi. 7, 8. Quia nunc ipſe Cultus Divinus conſiſtit primario in vita charitatis, et ſecundario in precibus, ideo per preces in ſenſu ſpirituali Verbi intelligitur cultus ex bono ſpirituali, hoc eſt, ex vita charitatis, quod enim primarium eſt, hoc intelligitur in ſenſu ſpirituali, ſenſus literæ autem conſiſtit ex ſecundariis, quæ ſunt effectus et correſpondent. In Verbo etiam multis in locis nominantur preces, ſed quia preces procedunt ex corde, et cor hominis eſt qualis ejus vita amoris et charitatis eſt, ideo per preces in ſenſu ſpirituali intelligitur illa vita, et cultus ex illa; ut in his ſequentibus; apud Lucam, "*Vigilate omni tempore, precantes ut digni habeamini, ad fugiendum quæ futura ſunt, et ad ſtandum coram Filio hominis,*" xxi. 36. Marc. xiii. 13; per vigilare omni tempore ſignificatur vitam ſpiritualem ſibi comparare, videatur ſupra n. 187, quare etiam dicitur Precantes, quia precatio eſt effectus illius vitæ, ſeu externum ejus, quod tantum facit quantum ex vita procedit, ſunt enim unum ſicut anima et corpus, ac ſicut internum et externum. Apud Marcum, "*Jeſus dixit, omnia quæ precantes petitis, credite quod accepturi, tunc fiet vobis, cum vero ſteteritis orantes, remittite ſi quid habetis contra quenquam,*" xi. 24, 25; hic quoque per precari, petere et orare in ſenſu ſpirituali intelligitur vita amoris et charitatis, nam qui in vita amoris et charitatis ſunt, illis datur a Domino quid petituri ſunt, quare non aliud petunt quam quod bonum eſt, et id fit illis; et quia fides etiam eſt a Domino, ideo dicitur, credite quod accepturi; et quia preces ex vita charitatis procedunt, et ſunt ſecundum illam, ideo ut fiat ſecundum preces, etiam dicitur, cum ſteteritis orantes remittite ſi quid habetis contra quenquam. Quod per cum ſteteritis orantes ſignificetur cum in cultu Divino ſunt, patet etiam ex eo quod ſimile quod ibi dicitur de orantibus, etiam dicatur de offerentibus munus ſuper Altari, apud Matthæum, "*Si obtuleris munus ſuper altare, et recordatus quod frater tuus habeat aliquid contra te, relinque munus coram Altari, et prius reconciliare fratri, et tunc veniens offer munus,*" v. 33, 34; per munus offerre ſuper Altari, ſignificatur omnis Cultus Divinus, ex cauſa quia Cultus Divinus apud illam gentem principaliter conſtabat in offerendis holocauſtis et ſacrificiis, per quæ ideo ſignificabantur omnia cultus, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 214, 221; inde conſtare poteſt, quod ſimile ſignificetur per precari ſeu orare, quod per offerre munus ſuper Altari, nempe cultus ex bono amoris et charitatis. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, ſcriptum eſt, Domus mea Domus præcationum vocabitur, vos vero illam feciſtis ſpeluncam latronum,*" xxi. 13. Marc. xi. 17. Luc. xix. 46; per Domum Domini ſignificatur Eccleſia, et per precationes Cultus ibi; et per ſpeluncam latronum prophanatio Eccleſiæ et cultus; ex hoc oppoſito etiam patet, quod precationes ſignificent cultum ex bono amoris et charitatis. Apud Davidem, "*Ad Deum ore meo clamavi, iniquitatem ſi ſpectaſſem in corde meo, non audiet Dominus, atque audivit Deus, attendit ad vocem precum mearum,*" Pſalm. lxvi. 17, 18, 19; quia tales ſunt preces, quale eſt cor hominis, et ideo non ſunt preces quæ alicujus cultus ſi cor malum eſt, ideo dicitur, iniquitatem ſi ſpectaſſem in corde meo, non audiret Dominus, per quod ſignificatur non reciperet cultum; cor hominis eſt amor ejus, et amor hominis eſt ipſa vita ejus, inde tales ſunt preces hominis, qualis eſt ejus amor, ſeu qualis eſt ejus vita; inde ſequitur, quod preces ſignificent vitam amoris et charitatis ejus, ſeu quod hæc vita per preces in ſenſu ſpirituali intelligatur. Poſſunt plura loca adduci, ſed quia homo non ſcit, quod vita ejus et preces unum faciant, et inde non aliter percipit, quam quod intelligantur ſolæ preces, ubi in Verbo dicuntur, ideo ſuperſedentur. Præterea homo continue precatur, quando eſt in vita charitatis, tametſi non ore uſque corde, nam quod amoris eſt hoc in cogitatione eſt jugiter, etiam cum id neſcit, ſecundum illa quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 55, 56, 57, dicta ſunt; inde etiam patet, quod precatio in ſpirituali ſenſu ſit cultus ex amore. Sed hæc non ſapiunt illi, imo contra id cogitant, qui pietatem ponunt in precibus et non in vita; hi nec ſciunt quid Pietas actualis.

326. Et canebant Canticum novum, quod ſignificet agnitionem et confeſſionem ex gaudio cordis, conſtat ex ſignificatione Cantici, quod ſit agnitio et confeſſio ex gaudio cordis, hic agnitio et confeſſio quod Domino quoad Divinum Humanum ſit omnis poteſtas in Cœlis et in terris; quod de hoc ſit confeſſio, eſt quia de eo agitur. Quod canere Canticum ſignificet confeſſionem ex gaudio cordis, eſt quia gaudium cordis ſe exſerit per cantum, quando id in ſuo pleno eſt; cauſa quod per cantum, eſt quia cum cor plenum eſt gaudio, et inde quoque cogitatio, tunc effundit ſe per cantum, ipſum gaudium cordis per ſonum cantus, et inde gaudium cogitationis per canticum, quale gaudii cogitationis ſiſtitur per voces cantici conformes et convenientes rei quæ in cogitatione ex corde eſt, et quale gaudii cordis per harmoniam, et quantum gaudii ejus per elationem ſoni et in eo vocum; omnia illa fluunt ſicut ſponte ex ipſo gaudio, et hoc ex cauſa quia totum cœlum formatum eſt ſecundum affectiones boni et veri, Cœlum ſupremum ſecundum affectiones boni, et Cœlum medium ſecundum affectiones veri, ita quoque formatum eſt ad gaudia, nam omne gaudium eſt ex affectione ſeu ex amore: inde eſt, quod in omni loquela Angelica ſit quidam concentus; ſed hæc melius ſciri et concludi poſſunt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO dicta et oſtenſa ſunt, quod nempe Cogitationes et Affectiones angelorum vadant ſecundum formam Cœli, n. 200 ad 212, et 265 ad 275: et quod inde quidam Concentus ſit in loquela eorum, n. 242: tum quod ſonus loquelæ angelorum correſpondeat eorum affectionibus, et articulationes ſoni, quæ ſunt voces, correſpondeant ideis cogitationis quæ ex affectione, n. 236, 241: et præterea in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1648, 1649, 2595, 2596, 3350, 5182, 8115: inde patet, quod harmonicum cantus, et quoque quod Ars Muſica poſſit exprimere affectionum varia genera, et applicari rebus, ſit ex ſpirituali mundo, et non ex naturali, ut creditur, de qua re etiam videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 241. Ex hac cauſa eſt, quod plura inſtrumentorum Muſicorum genera apud gentem Judaicam et Iſraeliticam in cultu ſancto adhibita fuerint, quorum, quodlibet applicatum erat affectionibus boni cœleſtis, et affectionibus boni ſpiritualis, et inde gaudiis, de quibus evangelizabatur; inſtrumenta chordacea applicata erant affectionibus boni ſpiritualis, et inſtrumenta inflatoria affectionibus boni cœleſtis, quibus etiam adjungebatur cantus cum canticis, per quæ convenientiæ rerum cum ſonis affectionum formabantur: omnes Pſalmi

Davidis erant tales, quapropter dicuntur Pſalmi a pſallere, et quoque Cantica: ex his quoque conſtare poteſt, unde eſt quod dicatur quod quatuor Animalia et viginti quatuor Seniores habuerint citharas, et quoque cecinerint hoc Canticum. Quod Cantus et canere Canticum ſignificent agnitionem et confeſſionem ex gaudio cordis, conſtat ex his ſequentibus; apud Eſajam, "*Dices in die illo, confitemini Jehovæ, Deus ſalutis meæ, confidam, non timebo, quia robur meum, et Canticum Jah, Jehovah, fuit mihi in ſalutem; tunc haurietis aquas ex fontibus ſalutis; et dicetis in die illo, confitemini Jehovæ, invocate Nomen Ipſius, cantate Jehovæ, exclama et jubila habitatrix Zionis, quia magnus in medio tui Sanctus Iſraelis,*" xii. 1 ad 6; deſcribitur ita confeſſio ex gaudio cordis propter adventum Domini, et Divinam Ipſius potentiam ſalvandi genus humanum; quod confeſſio ſit patet, nam primo dicitur, confitebor Jehovæ, et quoque dein, confitemini Jehovæ; confeſſio quod Dominus ex Divina potentia ſalvaturus ſit genus humanum, deſcribitur per hæc, Deus ſalutis meæ, confidam, non timebo, quia robur meum, fuit mihi in ſalutem, tunc haurietis aquas ex fontibus ſalutis in die illo, magnus in medio tui Sanctus Iſraelis; in die illo eſt quando Dominus venturus, Sanctus Iſraelis eſt Dominus; gaudium inde, quod eſt gaudium confeſſionis, deſcribitur per cantate Jehovæ, exclama et jubila habitatrix Zionis, habitatrix et filia Zionis eſt Eccleſia ubi Dominus colitur; Canticum Jah ibi ſignificat celebrationem et glorificationem Domini. Apud Eundem, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, laudem Ipſius extremitas terræ, extollant vocem deſertum et urbes ejus, Cantent habitatores petræ, e capite montium clament,*" xlii. 10, 12; agitur etiam ibi de adventu Domini, ac de inſtauratione Eccleſiæ apud illos qui extra Eccleſiam fuerunt, ſeu apud illos ubi non Verbum fuit, et Dominus non prius notus; cantare Canticum novum, ſignificat confeſſionem ex gaudio cordis; cantare laudem extremitas terræ, ſignificat confeſſionem illorum qui remoti ab Eccleſia, extremitas terræ eſt ubi id quod Eccleſiæ eſt deſinit eſſe, terra eſt Eccleſia; deſertum et urbes ejus quæ extollent vocem, ſignificat illos apud quos non bonum quia non verum, quod tamen deſiderant; habitatores petræ ſignificant bonum fidei illis; caput montium ſignificat bonum amoris illis; cantare et clamare ſignificat inde confeſſionem ex gaudio animi et cordis. Apud Eundem, "*Conſolabitur Jehovah Zionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, et ponet deſertum ejus ſicut Eden, ſolitudinem ejus ſicut hortum Jehovæ, lætitia et gaudium invenietur in ea, confeſſio et vox cantus,*" li. 3. Cap. lii. 8, 9; etiam hæc de adventu Domini, et de inſtauratione Eccleſiæ quæ tunc vaſtata ſeu deperdita fuit; per Zionem ſignificatur Eccleſia ubi Dominus colendus eſt; per vaſtitates ejus ſignificantur defectus veri et boni ex non cognitionibus; per ponere deſertum ſicut Eden, et ſolitudinem ſicut hortum Jehovæ, ſignificatur quod verum et bonum illis erit in abundantia, deſertum dicitur ubi non bonum, et ſolitudo ubi non verum, Eden ſignificat bonum in abundantia, et hortus Jehovæ ſignificat verum in abundantia; quia cantus et canticum ſignificant confeſſionem ex gaudio cordis, ideo dicitur lætitia et gaudium in ea, confeſſio et vox cantus, vox cantus eſt canticum.

cum. In Threnis, "*Seniores a porta ceſſarunt, juvenes a cantu, ceſſavit gaudium cordis noſtri,*" v. 14, 15; Seniores a porta ceſſarunt, ſignificat quod illi qui in veris ex bono, ſeu abſtracte vera ex bono per quæ intromiſſio in Eccleſiam, non ſint; juvenes a cantu ceſſarunt, ſignificat quod ipſa vera deprivata ſint affectione ſua ſpirituali, et inde ſuo gaudio; et quia hoc ſignificatur, ideo dicitur ceſſavit gaudium cordis noſtri. Apud Ezechielem, "*Ceſſare faciam ſtrepitum Canticorum tuorum, et vox cithararum non audietur amplius,*" xxvi. 13; ſtrepitus Canticorum ſignificat confeſſionum gaudia; vox cithararum ſignificat lætitias ex veris et bonis ſpiritualibus. Apud Davidem, "*Jehovah robur meum, et adjuvor, exultat cor meum, et Cantico meo confitebor Ipſi,*" Pſalm. xxviii. 7; quia Canticum ſignificat confeſſionem ex gaudio cordis, ideo dicitur exultat cor meum, et Cantico meo confitebor Ipſi. Apud Eundem, "*Cantate juſti in Jehovah, confitemini Jehovæ in cithara, in nablio decachordii pſallite Ipſi, cantate Ipſi Canticum novum, reddite egregie pulſare cum clangore,*" Pſalm. xxxiii. 1, 2, 3; quoniam gaudium cordis eſt ex amore cœleſti et ex amore ſpirituali, ideo dicitur cantate juſti in Jehovah, confitemini Jehovæ in cithara, in nablio decachordii pſallite Ipſi, cantate juſti dicitur de illis qui in amore cœleſti ſunt, confitemini in cithara et pſallite in nablio de illis qui in amore ſpirituali; quod juſti dicantur qui in amore cœleſti ſunt, videatur ſupra n. 204, et quod cithara et nablium prædicentur de illis qui in bono ſpirituali, etiam ſupra n. 323; et quia Canticum eſt confeſſio ex gaudio oriundo ex illis amoribus, ideo dicitur confitemini Jehovæ, cantate Ipſi Canticum novum; exaltatio gaudii ex plenitudine ſignificatur per reddite egregie pulſare cum clangore. Apud Eundem, "*Laudabo Nomen Dei Cantico, et magnum faciam Ipſum confeſſione,*" Pſalm. lxix. 31; apud Eundem, "*Quando ivero cum illis ad Domum Dei, cum voce Cantus et confeſſionis multitudine feriante,*" Pſalm. xlii. 5: apud Eundem, "*Confitemini Jehovæ, invocate Nomen Ipſius, cantate Ipſi, pſallite Ipſi,*" Pſalm. cv. 1, 2. Pſalm. cxlix. 1: apud Eundem, "*Confitebor Jehovæ juxta juſtitiam Ipſius, et cantabo Nomen Jehovæ Altiſſimi,*" Pſalm. vii. 18: apud Eundem, "*Paratum eſt Cor meum, cantabo et pſallam, excita te gloria mea, excita te cithara et nablium, confitebor Tibi inter gentes, Domine, pſallam Tibi inter populos,*" Pſalm. lvii. 8, 9, 10; quia cantare Canticum ſignificat confeſſionem ex gaudio cordis, ideo in illis locis dicitur utrumque, confiteri et cantare, confeſſio et canticum, vox cantus et confeſſionis. Ubi agitur de adventu Domini, dicitur Canticum novum, et quod gauderent et exultarent terra, mare, ager, ſylva, arbores, Libanus, deſertum, et plura, ut in ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, clangite Jehovæ omnis terra, perſonate, jubilate et cantate cithara et voce cantus, tubis et voce buccinæ, clangite coram Rege Jehovah, ſonitum edat mare, et plenitudo ejus, Orbis et habitantes in eo, flumina plaudant manu, una montes jubilent,*" Pſalm. xcviii. 1, 4, 5, 6, 7, 8: apud Eundem, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, cantate Jehovæ omnis terra, cantate Jehovæ, benedicite Nomini Ipſius, evangelizate de die in diem ſalutem Ipſius; lætabuntur cœli et gaudebit terra, commovebit ſe mare et omnis plenitudo*

tudo ejus, exultabit ager, et omne quod in eo, tunc cantabunt omnes arbores ſylvæ," Pſalm. xcvi. 1, 2, 11, 12: apud Eundem, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, laudem Ipſius in cœtu ſanctorum; lætetur Iſrael in factoribus ſuis, filii Zionis in Rege ſuo, laudent Nomen Ipſius in chorea, cum tympano et cithara pſallant Ipſi,*" Pſalm. cxlix. 1, 2, 3: apud Eſajam, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, laudem Ipſius extremitas terræ, extollant vocem deſertum et urbes ejus,*" xlii. 10, 12: apud Eundem, "*Cantate Cœli quia fecit Jehovah, jubilate inferiora terræ, perſonate montes cantu, ſylva et omnis arbor in ea, quia redemit Jehovah Jacobum, et in Iſraele glorioſum ſe exhibuit,*" xliv. 23. Cap. xlix. 13; in illis locis agitur de Domino, Ipſius adventu, et de ſalvatione per Ipſum; et quia hæc ventura erant, ideo dicitur Canticum novum; gaudium ex eo deſcribitur non modo per cantare, pſallere, perſonare, jubilare, plaudere, ſed etiam per varia inſtrumenta Muſica, quæ ſono concordabant; tum etiam quod ſimul gauderent, exultarent, jubilarent, cantarent, plauderent, clamarent flumina, mare, ager, ſylvæ, arbores ibi, Libanus, deſertum, montes, et plura; quod de illis ſimilia dicantur, eſt quia illa ſignificant talia quæ Eccleſiæ ſunt, et ideo talia quæ apud hominem Eccleſiæ, flumina illa quæ intelligentiæ ſunt, mare illa quæ ſcientiæ concordantia cum veris et bonis, ager bonum Eccleſiæ, ſylvæ vera naturalis hominis, arbores cognitiones, Libanus verum et bonum ſpirituale, deſertum deſiderium veri ut inde bonum, montes bona amoris; hæc omnia dicuntur cantare, perſonare, jubilare, clamare et plaudere, quum illa e cœlo ſunt, tunc enim gaudium cœleſte in illis eſt, et per illa in homine; nam homo non in cœleſti gaudio eſt, niſi illa quæ apud illum, quæ ſunt vera et bona, ſint e cœlo, inde gaudium cordis quod vere gaudium, et gaudium hominis apud quem illa: inde conſtare poteſt, unde eſt quod de illis ſimile dicatur quod de homine, nempe quia in illis eſt gaudium et per illa apud hominem: tale gaudium eſt in omni bono ſpirituali et cœleſti, et inde apud illos apud quos illa bona ſunt; influit enim Cœlum cum ſuo gaudio, hoc eſt, Dominus per cœlum, in bona et inde vera quæ ab Ipſo apud hominem, et per illa in hominem, et non in hominem expertem illis aut vacuum; illa bona et inde vera ſunt quæ ex influxu e cœlo exultant, jubilant, perſonant, cantant, pſallunt, hoc eſt, gaudent, et inde cor hominis. Quoniam variæ affectiones boni et veri ſunt, et ſingulæ conveniente ſono ſe edunt, ideo in Verbo varia inſtrumentorum genera memorantur, imprimis apud Davidem, per quæ ſimiles affectiones ſignificantur; qui novit ſenſum internum Verbi, et ſimul inſtrumentorum ibi nominatorum ſonos, is ſcire poteſt quænam affectio ibi ſignificatur et deſcribitur; Angeli hoc ſciunt ex ſola nominatione illorum et ſimul ex re ſuis vocibus ibi deſcripta, cum homo legit Verbum; ut pro exemplo, apud Davidem, "*Omnes populi clangite manu, concinite Deo voce cantus; aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cum voce buccinæ; canite Deo, canite Regi noſtro, quia Rex omnis terræ Deus, canite maſkil,*" Pſalm. xlvii. 2, 6, 7, 8, 9: apud Eundem, "*Viderunt greſſus tuos, Deus, greſſus Dei mei, proceſſerunt cantantes, poſt pulſantes, in medio virginum tympanizantium,*" Pſalm. lxviii. 25, 26, 27: apud Eundem, "*Jubilate*

Deo robori noſtro, acclamate Deo Jocobi, extollite cantum, et date tympanum, citharam jucundam cum nablio, clangite in menſe buccina," Pſalm. lxxxi. 2, 3, 14: apud Eundem, "*Laudate Deum cum clangore buccinæ, cum nablio et cithara, cum tympano et chorea, cum fidibus et organo, cum cymbalis ſoni, cum cymbalis clangoris,*" Pſalm. cl. 3, 4, 5; omnia Inſtrumenta ibi nominata ſignificant affectiones, unumquodvis ſuam, et hoc ex concordantia ſoni illorum, ſunt enim affectiones quæ producunt varietates ſonorum apud homines, unde etiam ex ſonis affectiones cognoſcuntur, ut ſupra in hoc articulo dictum eſt: addam his arcanum, Angeli qui in cœlo conſtituunt Regnum cœleſte Domini, hauriunt ſenſum internum Verbi ex ſola affectione hominis cum legit Verbum, reſultante etiam ex ſono vocum in Lingua originali; Angeli autem qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, hauriunt ſenſum internum ex veris quæ continent voces; inde ex Regno cœleſti eſt gaudium cordis homini qui in affectione ſpirituali eſt, et ex Regno ſpirituali confeſſio ex illo gaudio; ſoni inſtrumentorum Muſicorum, quæ ibi nominata ſunt, elevant affectionem, et vera formant illam; quod ita ſit, etiam periti artis Muſici ſciunt: ob illam cauſam Pſalmi Davidis dicuntur Pſalmi a pſallere, et quoque Cantica a canere; pſallebantur enim et canebantur cum adjunctis ſonis variorum inſtrumentorum; quod Pſalmi ab Ipſo dicantur, notum eſt, quoniam plerique illa inſcripti ſunt; qui autem dicuntur CANTICA, ſunt ſequentes, Pſalm. xviii. 1. Pſalm. xxxiii. 1, 2. Pſalm. xlv. 1. Pſalm. xlvi. 1. Pſalm. xlviii. 1. Pſalm. lxv. 1. Pſalm. lxvi. 1. Pſalm. lxvii. 1. Pſalm. lxviii. 1. Pſalm. lxxv. 1. Pſalm. lxxxvi. 1. Pſalm. lxxxvii. 1. Pſalm. lxxxviii. 1. Pſalm. xcii. 1. Pſalm. xcvi. 1. Pſalm. xcviii. 1. Pſalm. cviii. 1. Pſalm. cxx. 1. Pſalm. cxxi. 1. Pſalm. cxxii. 1. Pſalm. cxxiii. 1. Pſalm. cxxiv. 1. Pſalm. cxxv. 1. Pſalm. cxxvi. 1. Pſalm. cxxvii. 1. Pſalm. cxxviii. 1. Pſalm. cxxix. 1. Pſalm. cxxx. 1. Pſalm. cxxxi. 1. Pſalm. cxxxii. 1. Pſalm. cxxxiii. 1. Pſalm. cxxxiv. 1. Plura de Cantu et de Cantico ex Verbo adduci poſſent, et oſtendi quod ſignificent confeſſiones ex gaudio cordis, ſed relinquuntur ob pluralitatem, ſufficiunt quæ adducta ſunt.

327. Dicentes, dignus es aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, quod ſignificet quod Domino ex Divino Humano ſit Omnipotentia et Omniſcientia, conſtat ex omnibus illis quæ præcedunt; actum enim huc uſque de eo, quod Domino ex Divino Humano ſit Omnipotentia et Omniſcientia, et inde quod Ipſi ſit Judicium; quod id intelligatur per dignus es aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, patet ex ſerie rerum explicatarum a principio hujus Capitis huc uſque, quæ velim ordine proferre; nempe quod per vidi in dextra Sedentis ſuper Throno, ſignificetur Dominus quoad Omnipotentiam et Omniſcientiam, n. 297: quod per librum ſcriptum intus et a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem, ſignificetur ſtatus vitæ omnium in Cœlo et in terra prorſus reconditus, n. 299, 300: quod per vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, quis eſt dignus aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, ſignificetur exploratio num ullus talis ſit ut ſciat et percipiat ſtatus vitæ omnium, n. 302, 303: quod per nemo potuit in Cœlo nec ſuper terra nec ſub terra aperire librum,

ſignificetur quod ne hilum aliquis ex ſe, n. 304: quod per ecce vicit Leo qui eſt ex tribu Jehudæ, radix Davidis, aperire librum et ſolvere ſigilla ejus, ſignificetur Dominus quod ex propria potentia ſubjugaverit Inferna, ac redegerit omnia in Cœlis in ordinem, et hoc per Divinum Bonum unitum Divino Vero in ſuo Humano, n. 309, 310: per quod vidi Agnum ſtantem, habentem cornua ſeptem et oculos ſeptem, ſignificetur Dominus quoad Divinum Humanum, quod Ipſi ex Eo ſit Omnipotentia et Omniſcientia, n. 314, 316, 317: et per quod venit et accepit librum e dextra Sedentis ſuper Throno, ſignificetur quod ex Divino Humano Ipſius ſint illa, n. 319: inde nunc patet, quod hic per dignus es accipere librum et ſolvere ſigilla ejus, ſignificetur quod Domino ex Divino Humano ſit Omnipotentia et Omniſcientia.

328. Quia occiſus es, et redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, quod ſignificet ſeparationem omnium a Divino, et conjunctionem cum Divino per agnitionem Ipſius et per receptionem Divini Veri ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione occiſi, cum de Domino, quod ſit ſeparatio omnium a Divino; per occidi enim in Verbo ſignificatur ſpiritualiter occidi, hoc eſt, perire ex malis et falſis, ut oſtenſum videatur ſupra n. 315; et quia Dominus etiam apud illos non eſt, negatur enim, ideo per occiſum, cum de Domino, ſignificatur non agnitus, ut ſupra n. 315, et quoque negatus, et cum negatur Dominus, eſt quaſi occiſus apud illos, et illi per id ſeparati a Divino, nam qui negant Dominum, hoc eſt, Divinum Ipſius, illi ſe prorſus ſeparant a Divino, Ipſe enim eſt Deus univerſi, et Ipſe eſt unum cum Patre, ac Pater in Ipſo et Ipſe in Patre, et nemo venit ad Patrem niſi per Ipſum, ut Ipſe Dominus docet, quapropter ſeparati ſunt prorſus a Divino illi in Eccleſia, qui non agnoſcunt Divinum Ipſius, et magis qui corde negant Illud; negare Illud hic intelligitur per occidere Ipſum apud ſe; hoc etiam in ſenſu interno Verbi intelligitur per quod crucifixerint Dominum, videatur ſupra n. 83, 195 f.; nam Judæi, apud quos tunc Eccleſia fuit, negaverunt Ipſum eſſe Chriſtum, et per id ſe ſeparaverunt a Divino, et ideo morti dederunt Ipſum ſeu crucifixerunt; etiam hodie illi id faciunt, qui Divinum Ipſius negant; unde communis Prædicatorum ſermo eſt, quod qui malam vitam agunt et blaſphemant Ipſum, crucifigant Ipſum apud ſe; hoc itaque eſt, quod hic ſignificatur per occiſus eſt; et ex ſignificatione redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, quod ſit quod conjunxerit nos Divino per agnitionem Ipſius, et per receptionem Divini Veri ab Ipſo, redimere enim ſignificat liberare ab Inferno, et per id illos Sibi appropriare, et ſic conjungere Divino, conſtabit ex locis in Verbo, ubi redimere et redemptio dicitur, quæ infra adducentur, et ſanguis Domini ſignificat Divinum Verum procedens ab Ipſo; et quia homo per receptionem Divini Veri a Domino, liberatur ab Inferno, et conjungitur Ipſi, ideo per redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, ſignificatur conjunctio cum Divino per receptionem Divini Veri ab Ipſo. Quod hic ſenſus in illis verbis lateat, nemo videre poteſt qui in ſolo ſenſu literæ manet, nam in eo ſenſu non aliud videri poteſt, quam quod per occiſus es intelligatur crucifixus, et per redemiſti nos in ſanguine tuo intelligatur quod

reconciliaverit nos Patri ſuo per Paſſionem crucis; et quia ille ſenſus eſt ſenſus literæ, et hactenus ignotum fuit quod ſingulis Verbi ſenſus internus, qui ſpiritualis, inſit, ideo ex illo ſenſu, nempe ſenſu literæ, doctrinam Eccleſiæ illam fecerunt, quod Ipſum Divinum, quod Patrem vocant, rejecerit a Se totum genus humanum, et quod Dominus per Paſſionem crucis reconciliaverit, et ſic quod ſalventur illi pro quibus intercedit; quis non, cui aliquis intellectus illuſtratus eſt, videre poteſt, quod hoc Doctrinale ſit contra Ipſum Divinum, Ipſum Divinum enim nuſquam rejicit aliquem hominem a Se, amat enim omnes, et inde vult omnium ſalutem; et quoque contra Ipſum Divinum eſt reconciliari per effuſionem ſanguinis, et in miſericordiam redigi per intuitionem Paſſionis crucis quam ſuſtinuit Ipſius Filius, et quod inde ſit Ipſi Miſericordia et non a Se Ipſo; et tametſi hoc eſt contra Eſſentiam Divinam, uſque id credere vocant ipſam fidem ſeu fidem juſtificantem. Quis etiam ex ratione illuſtrata cogitare poteſt, quod totius mundi peccata in Dominum tranſlata fuerint, et ab unoquovis, qui ſolum illam fidem habet, ablata ſint: ſed ſit, quod hæc Doctrina ſit apud illos, qui non ultra ſenſum literæ cogitant, at uſque Angeli, qui apud homines ſunt, non percipiunt illa ſecundum eum ſenſum, verum ſecundum ſenſum ſpiritualem, ſunt enim ſpirituales, et inde ſpiritualiter et non naturaliter cogitant, hi per redimere hominem in ſanguine ſuo, percipiunt liberare hominem ab Inferno, et ſic addicare et conjungere illum Sibi per agnitionem Ipſius et per receptionem Divini Veri ab Ipſo; quod ita ſit, etiam Eccleſia ſcire poteſt, nam ſcire poteſt quod nemo per ſanguinem conjungatur Divino, ſed per receptionem Divini Veri et applicationem ejus ad vitam. Quod Dominus liberaverit ab Inferno, factum eſt per quod aſſumſerit Humanum, et per Id ſubjugaverit Inferna, et omnia in Cœlis in ordinem redegerit, quod fieri nequaquam potuit quam ex Humano, nam Divinum operatur a Primis per Ultima, ita a Se per illa quæ a Se in ultimis ſunt, quæ ſunt in Humano; hæc eſt operatio Divinæ Potentiæ in Cœlo et in Mundo, ſed de hac re videantur aliqua ſupra n. 41: tum in Opere de Cœlo et Inferno, n. 315; et in Arcanis Cœlestibus, n. 5897, 6239, 6451, 6465, 8603, 9216, 9217, 9824, 9828, 9836, 10044, 10099, 10329, 10335, 10548: quod Dominus liberaverit ab Inferno, etiam factum eſt per quod Humanum ſuum glorificaverit, hoc eſt, Divinum fecerit, ſic enim non aliter poteſt Inferna in æternum ſubjugata tenere: et quia ſubjugatio Infernorum et glorificatio Humani Ipſius facta eſt per Tentationes in Humanum ſuum admiſſas, Paſſio crucis Ipſius fuit ultima Tentatio et plenaria Victoria. Per quod portaverit omnium peccata, ſignificatur quod admiſerit in Se omnia Inferna cum tentatus, inde enim omnia peccata ſeu mala aſcendunt, ac intrant et ſunt apud hominem, quare per quod portaverit illa ſignificatur quod admiſerit in Se inferna cum tentatus, et per quod ſuſtulerit peccata ſignificatur quod ſubjugaverit Inferna, ut inde mala non amplius poſſint aſſurgere apud illos qui agnoſcunt Dominum, ac recipiunt Ipſum, hoc eſt, Divinum Verum procedens ab Ipſo fide et vita, et ſic Domino conjuncti ſunt. Dicitur quod per redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, ſignificetur conjunctio cum Divino per agnitionem Ipſius et receptionem Divini Veri ab Ipſo, et quia ſuper hoc fundatur Eccleſia, volo paucis dicere, quomodo ſit conjunctio per illa; primarium eſt agnoſcere Dominum, Ipſius Divinum in Humano, ac Omnipotentiam Ipſius ſalvandi Genus humanum, per illam enim agnitionem conjungitur homo Divino, quoniam alibi Divinum non eſt, ibi enim eſt Pater, nam Pater eſt in Ipſo et Ipſe in Patre, ut Ipſe Dominus docet, quapropter qui aliud Divinum juxta Ipſum ſeu a latere ſpectant, ut ſolent illi qui orant Patrem ut miſereatur propter Filium, hi deflectunt a via, et adorant Divinum alibi quam in Ipſo, ac præterea tunc nihil cogitant de Divino Domini, ſed ſolum de Humano, quæ tamen non ſeparari poſſunt, eſt enim Divinum et Humanum non duo ſed unica Perſona, conjuncta ſicut Anima et Corpus, ſecundum Doctrinam ab Eccleſiis receptam ex Fide Athanaſiana: quare agnoſcere Divinum in Humano Domini ſeu Divinum Humanum eſt primarium Eccleſiæ, per quod conjunctio; et quia primarium, eſt etiam primum Eccleſiæ: quoniam hoc primum Eccleſiæ eſt, ideo Dominus, cum in Mundo fuit, toties dixit illis quos ſanavit, crediſne quod hoc poſſim facere, et cum reſponderunt quod crederent, dixit, fiat ſecundum fidem tuam; hoc toties dixit, ut primum crederent, quod Ipſi ex Divino Humano ſuo eſſet Divina Omnipotentia, nam abſque illa fide non inchoari potuit Eccleſia, et abſque illa fide non conjuncti Divino fuiſſent, ſed ſeparati ab illo, et ſic nihil boni ab Ipſo recipere potuiſſent. Poſtea docuit Dominus quomodo ſalvarentur, quod nempe reciperent Divinum Verum ab Ipſo, et hoc recipitur quando applicatur et implantatur vitæ per facere illud; ideo Dominus toties dixit, quod facerent verba Ipſius: ex his conſtare poteſt, quod duo illa, nempe credere in Dominum et facere verba Ipſius, unum faciant, et quod nullatenus ſeparari poſſint, nam qui non facit verba Domini is non credit in Ipſum, tum qui putat ſe credere in Ipſum et non facit verba Ipſius, nec credit in Ipſum, eſt enim Dominus in ſuis Verbis, hoc eſt, in ſuis Veris, et ex illis dat Dominus homini fidem. Ex his paucis ſciri poteſt, quod conjunctio cum Divino ſit per agnitionem Domini et per receptionem Divini Veri ab Ipſo: hoc itaque eſt, quod ſignificatur per quod Agnus redemerit Deo nos in ſanguine ſuo; quod per Agnus ſignificetur Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 314: plura de his videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293 ad 297: et ex ARCANIS CŒLESTIBUS ibi, n. 300 ad 306; ut et ad finem hujus Operis, ubi de Domino in ſpecie agetur. Quod Sanguis ſignificet Divinum Verum procedens a Domino, et quod ſalvatio per ſanguinem Ipſius ſignificet per receptionem Divini Veri ab Ipſo, in ſequente Articulo dicetur. Quod autem Redimere ſignificet vindicare et liberare, et cum de Domino, vindicare et liberare ab Inferno, et ſic addicare et conjungere ſibi, conſtare poteſt a locis ſequentibus; apud Eſajam, "*Quis venit ex Edom, incedens in multitudine roboris ſui, Ego qui loquor in Juſtitia, magnus ad ſalvandum, nam dies vindictæ in corde meo, et annus* REDEMPTORUM *meorum venit: in omni anguſtia eorum Ipſi anguſtia, et Angelus facierum Ipſius ſervavit eos,* *ob amorem ſuum et clementiam ſuam* Hic redemit *eos, et aſſumſit eos, et portabit eos omnibus diebus æternitatis,*" liii. 1, 4, 9; agitur ibi de Domino et de pugnis tentationum Ipſius, per quas ſubjugavit Inferna; per Edom ex quo venit, ſignificatur Humanum Ipſius, ſimiliter per Angelum facierum Ipſius; Ipſius Divina potentia ex qua pugnavit, ſignificatur per incedens in multitudine roboris ſui; dejectio eorum in infernum qui inſurgebant, et elevatio bonorum in Cœlum, intelligitur per Juſtitiam, ita per hæc verba, Ego qui loquor in Juſtitia, magnus ad ſalvandum, nam dies vindictæ in corde meo, et annus Redemptorum meorum venit; Divinus Ipſius Amor ex quo illa fecit, deſcribitur per in omni anguſtia eorum Ipſi anguſtia, et Angelus facierum Ipſius ſervavit eos, ob amorem ſuum et clementiam ſuam Hic redemit eos et aſſumſit eos, et portabit eos omnibus diebus æternitatis; inde patet, quod per Redemptos et per eos quos redemit, ſignificentur quos vindicavit a furore eorum qui ab Inferno et ſalvavit. Apud Eundem, "*Sic dixit Jehovah, Creator tuus Jacob, et Formator tuus Iſrael, nam Redemi te, vocavi nomine tuo Mihi tu,*" xliii. 1; quod per redimere ſignificetur liberare ab Inferno, et addicare ac conjungere ſibi ut Ipſius ſint, patet, nam dicitur redemi te, vocavi nomine tuo Mihi tu; quia hoc fit per reformationem et regenerationem a Domino, ideo dicitur Jehovah Creator tuus Jacob, et Formator tuus Iſrael, Creator vocatur quia per creare in Verbo ſignificatur regenerare, videatur ſupra n. 294; Jacob et Iſrael ſignificant illos qui ab Eccleſia, et in veris ex bono ſunt. Apud Eundem, "*Dicite filiæ Zionis, ecce ſalus tua venit, ecce merces Ipſius cum Illo, et pretium operæ coram Ipſo; et vocabunt illos, populus ſanctitatis, Redempti Jehovæ,*" lxii. 11, 12; hic etiam agitur de adventu Domini, et de inſtauratione Eccleſiæ ab Ipſo; filia Zionis ſignificat Eccleſiam quæ in Amore in Dominum eſt; adventus Ipſius intelligitur per ecce ſalus tua venit, ecce merces Ipſius cum Illo, et pretium operæ coram Ipſo; reformati et regenerati ab Ipſo intelliguntur per Redemptos Jehovæ, quod illi dicantur Redempti, eſt quia illi per regenerationem liberati ſunt a malis, et addicati ac conjuncti Domino. Apud Eundem, "*Non erit leo, et rapax ferarum non invenietur in ea, ſed ibunt* REDEMPTI; *ſic* REDEMPTI JEHOVÆ *revertentur et venient Zionem cum cantu, gaudium æternitatis ſuper capite eorum,*" xxxv. 9, 10; etiam ibi agitur de adventu Domini, et de ſalvatione illorum qui ſe a Domino regenerari patiuntur; quod non apud illos erit falſum deſtruens verum, ac malum deſtruens bonum, ſignificatur per quod non erit leo, et quod rapax ferarum non invenietur in ea; quod ſint vindicati a malis et liberati a falſis, ſignificatur per ibunt redempti, ſic redempti Jehovæ revertentur; felicitas æterna illis ſignificatur per venient Zionem cum cantu, et gaudium æternitatis ſuper capite eorum, Zion eſt Eccleſia, quid cantus ſignificat videatur mox ſupra n. 326: ſunt binæ voces in Lingua originali, per quas exprimitur redimere, una ſignificat vindicationem a malis, altera liberationem a falſis; hæc binæ voces ibi ſunt, unde dicitur, ibunt redempti, et redempti Jehovæ revertentur; ſimiliter illæ binæ voces apud Hoſcheam, Cap. xiii. 14. Apud Davidem, Pſalm. lxix. 19; et Pſalm. cvii. 7.

Quod redimere ſignificet vindicare a malis et liberare a falſis, et quoque vindicare et liberare ab Inferno, eſt quia ex Inferno omnia mala et falſa apud hominem exſurgunt; quæ quia per reformationem et regenerationem a Domino removentur, etiam reformatio et regeneratio per redimere ſeu per redemptionem ſignificatur, ut in ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Surge in auxilium nobis, et redime nos propter Miſericordiam tuam*," Pſalm. xliv. 27; redimere pro liberare et reformare: apud Eundem, "*Deus redemit animam meam e manu Inferni, et acceptabit me*," Pſalm. xlix. 16; redimere e manu Inferni pro liberare; acceptare me pro ſibi addicare et conjungere, ſeu facere ut Ipſius ſint, ſicut ſervi venditi et redempti. Apud Hoſcheam, "*E manu Inferni redimam eos, e morte redimam eos*," xiii. 14; redimere pro vindicare et liberare a damnatione. Apud Davidem, "*Benedic Anima mea Jehovæ, Qui redemit a fovea vitam tuam*," Pſalm. ciii. 1, 4; redimere a fovea, pro liberare a damnatione, fovea eſt damnatio. Apud Eundem, "*Appropinqua ad animam meam, redime eam, et propter inimicos redime me*," Pſalm. lxix. 19; appropinquare ad animam ſignificat conjungere illam ſibi; redimere eam ſignificat vindicare a malis; propter inimicos redime me ſignificat liberare a falſis, inimici ſunt falſa. Apud Eundem, "*Dicant redempti Jehovæ, quos ridemit e manu hoſtis anguſtantis*," Pſalm. cvii. 2; redempti Jehovæ pro illis qui vindicati a malis; quos redemit e manu hoſtis anguſtantis pro illos quos liberavit a falſis. Apud Jeremiam, "*Tecum Ego ad ſervandum te, et ad eripiendum te, et eripiam te e manu malorum, et redimam te e manu violentorum*," xv. 20, 21; redimere e manu violentorum, pro liberare ex falſis quæ violentiam inferunt bono charitatis, violenti ſignificant illa falſa, proinde etiam illos qui in iis ſunt. Apud Davidem, "*Speret Iſrael ſuper Jehovah, quia cum Jehovah miſericordia, et in Ipſo plurimum redemptionis, et Ille redimet Iſraelem ex omnibus iniquitatibus ejus*," Pſalm. cxxx. 7, 8; redemptio pro liberatione, Iſrael pro Eccleſia, reformare et liberare a falſis illos qui ab Eccleſia ſunt ſignificatur per Ille redimet Iſraelem ab omnibus iniquitatibus ejus. Apud Eundem, "*Integritas et rectitudo cuſtodiant me, quia exſpectavi Te, redime Deus Iſraelem ex omnibus anguſtiis ejus*," Pſalm. xxv. 22; redimere Iſraelem ex anguſtiis etiam hic pro liberare illos qui ab Eccleſia ex falſis quæ anguſtant. Apud Eſajam, "*Num abbreviata eſt manus mea, ut non ſit redemptio, aut num non in Me virtus ad eripiendum*," l. 2; quod redemptio ſit liberatio patet, nam dicitur etiam, num abbreviata eſt manus mea, aut num non in Me virtus ad eripiendum. Apud Davidem, "*Deus exaudi vocem meam, redimet cum pace animam meam*," Pſalm. lv. 18, 19; redimere pro liberare. Apud Eundem, "*Canam Tibi cithara, Sancte Iſraelis, laudabunt labia mea, et anima mea quam redemiſti*," Pſalm. lxxi. 23; redimere animam pro liberare a falſis, per animam enim in Verbo ſignificatur vita fidei, et per cor vita amoris, quare redimere animam ſignificat liberare a falſis et dare vitam fidei. Apud Eundem, "*Redime me ab oppreſſione hominis, ut cuſtodiam mandata tua*," Pſalm. cxix. 134; redimere ab oppreſſione hominis ſignificat liberare a falſis mali, homo enim ſignificat affectionem veri ſpiritualem et inde ſapientiam, et in oppoſito ſenſu, ut hic, cupidinem falſi et inde inſaniam, oppreſſio ejus ſignificat deſtructionem veri per falſa. Apud Eundem, “*In manum tuam commendabo ſpiritum meum, redimeras me Jehovah Deus veritatis,*” Pſalm. xxxi. 6; redimere pro liberare a falſis et reformare per vera; quia hoc per redimere ſignificatur, ideo etiam dicitur Jehovah Deus veritatis. Apud Eundem, “*In peccatorum manibus facinus, et dextra eorum plena eſt munere; ego vero in integritate mea incedo, redime et miſerere mei,*” Pſalm. xxvi. 10, 11; redimere pro liberare a falſis et reformare. Apud Eundem, “*A dolo et violentia redimet animam eorum, et pretioſus erit ſanguis eorum in oculis Ipſius, et vivet et dabit illi de auro Schebæ, et orabit pro illo jugiter, omni die benedicet illi,*” Pſalm. lxxii. 14, 15; agitur hic de egenis, per quos ſignificantur qui deſiderant vera ex affectione ſpirituali, de his dicitur quod a dolo et violentia redimet animam eorum, per quod ſignificatur liberatio a malis et falſis quæ deſtruunt bona amoris et vera fidei; receptio Divini Veri ab illis ſignificatur per pretioſus erit ſanguis eorum in oculis Ipſius; reformatio eorum deſcribitur per quod vivet et dabit illi de auro Schebæ, et orabit pro illo jugiter, omni die benedicet illi, aurum Schebæ eſt bonum charitatis, orare pro illo jugiter ſignificat quod continuo detinebuntur a falſis et tenebuntur in veris, et omni die benedicet illi ſignificat quod continuo erunt in bono charitatis et fidei, hoc enim eſt benedictio Divina, et illud eſt orare pro illo jugiter. Apud Eſajam, “*Sic dixit Jehovah, gratis venditi eſtis, et non per argentum redimemini; in Ægyptum deſcendit populus meus ad peregrinandum ibi, ſed Aſchur nihilo oppreſſit eos,*” lii. 3, 4; agitur hic de deſolatione veri per ſcientifica, et per ratiocinia naturalis hominis ex illis; nam quod per in Ægyptum deſcendit populus meus ad peregrinandum ibi ſignificatur inſtructio naturalis hominis per ſcientifica et per cognitiones veri, Ægyptus ſignificat ſcientifica et quoque cognitiones, ſed quales ſunt ex ſenſu literæ Verbi, et peregrinari ſignificat inſtrui; per quod Aſchur nihilo oppreſſit eos, ſignificatur falſificatio illarum per ratiocinia naturalis hominis, Aſchur ſignificat ratiocinia, et nihilo opprimere ſignificat falſificationem, falſa enim ſunt nihil quia nihil veri in illis, quod fit cum naturalis homo ſeparatus a ſpirituali concludit; inde eſt quod præmittatur, gratis venditi eſtis et non per argentum redimemini, gratis vendi ſignificat ex ſeipſo ſeu ex proprio abalienare ſe et abdicare falſis; et non per argentum redimi, ſignificat quod non per verum poſſint a falſis mali vindicari, argentum ſignificat verum, et redimi ſignificat vindicari a falſis mali et reformari. Apud Sachariam, “*Congregabo eos quia redimam eos, tunc multiplicabuntur, et ſeminabo eos in populis, et reducam eos e terra, et ex Aſſyria congregabo eos, et ad terram Gileadis, et ad Libanum adducam eos,*” x. 8, 9, 10; agitur hic de Eccleſiæ reſtauratione ac reformatione per vera ex bono, et per congregabo eos quia redimam eos ſignificatur diſſipatio falſorum, ac reformatio per vera; quare dicitur, multiplicabuntur et ſeminabo eos in populis, per quod ſignificatur multiplicatio et inſeminatio veri ex bono; reducere e terra Ægypti et ex Aſſyria congregare eos, ſignificat abduci a falſificatione veri quæ illis per ratiocinia ex ſcientificis, ut ſupra; adducere eos ad terram Gileadis et ad Libanum, ſignificat ad bonum Eccleſiæ quod eſt bonum charitatis, et ad bonum et verum fidei, hoc eſt Libanus et illud terra Gileadis. Ex his conſtare poteſt, quid in ſenſu ſpirituali ſignificatur per quod Jehovah eduxerit populum ex Ægypto ac redemerit eos, ut apud Moſen, "*Liberabo vos a ſervitute, et redimam vos brachio extenſo et judiciis magnis,*" Exod. vi. 6. "*Eduxi vos ex Ægypto brachio extenſo, et redemi vos e domo ſervorum,*" Deut. ix. 26, 27, 28, 29. Cap. xiii. 6. Cap. xv. 15. Cap. xxiv. 18. "*Duxiſti in Miſericordia populum tuum quem redemiſti, et deduxiſti in fortitudine manus tuæ ad Habitaculum ſanctitatis tuæ,*" Exod. xv. 13: et apud Micham, "*Aſcendere feci te e terra Ægypti, et e domo ſervitutis redemi te,*" vi. 14; in ſenſu literæ hic intelligitur, quod ex Divina potentia educti fuerint ex Ægypto, ubi ſervi facti, at in ſenſu interno ſeu ſpirituali non tale intelligitur, ſed quod illi qui ab Eccleſia ſunt, qui ſunt qui reformantur a Domino per vera et per vitam ſecundum illa, vindicati et liberati ſint ex malis et inde falſis, hæc enim ſunt quæ faciunt hominem ſervum; hic ſpiritualis illorum verborum ſenſus eſt, in quo ſunt Angeli quando homo eſt in ſenſu literæ. Angeli etiam per Redemptionem intelligunt vindicationem a malis et liberationem a falſis in his locis; apud Moſen, "*Ponam Redemptionem inter populum meum et inter populum Pharaonis,*" Exod. viii. 19: apud Davidem, "*Redemptionem miſit populo ſuo, præcepit in æternum fœdus ſuum, ſanctum et venerandum Nomen Ipſius,*" Pſalm. cxi. 9: apud Matthæum, "*Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucratus fuerit, Animæ autem jacturam fecerit, et quid dabit homo pretium ſufficiens Redemptionis animæ ſuæ,*" xvi. 26. Marc. viii. 37; redemptio pro liberatione a damnatione. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificat quod Dominus redemerit humanum genus, nempe quod vindicaverit et liberaverit illos ab Inferno, et malis et falſis quæ continue inde exſurgunt, ac hominem in damnationem ferunt, et quod continue vindicet illos et liberet illos; quod vindicaverit et liberaverit, factum eſt per quod ſubjugaverit Inferna; et quod continue vindicet et liberet, per quod Humanum ſuum glorificaverit, hoc eſt, Divinum fecerit, per id enim Inferna continuo ſubjugata tenet: hoc itaque eſt quod ſignificatur per quod redemerit hominem, et per quod in Verbo appelletur Redemptor, ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Ne timeto vermis Jacobi, moribundi Iſraelis, Ego adjuvo te et Redemptor tuus Sanctus Iſraelis,*" xli. 14: apud Eundem, "*Sic dixit Jehovah Redemptor Iſraelis Sanctus Ipſius, propter Jehovam qui fidelis, Sanctum Iſraelis qui elegit te,*" xlix. 7: apud Eundem, "*Redemptor noſter Jehovah Zebaoth, Nomen Ipſius Sanctus Iſraelis,*" xlvi. 14: apud Eundem, "*Sic dixit Jehovah Redemptor noſter Sanctus Iſraelis,*" xliii. 14: apud Eundem, "*Ut ſciant omnis caro quod Ego Jehovah, Salvator tuus, et Redemptor tuus fortis Jacobi,*" xlix. 26: apud Eundem, "*Ut ſcias quod Ego Jehovah, Salvator tuus, et Redemptor tuus potens Jacobi,*" lx. 16; per Sanctum Iſraelis et per fortem Jacobi, qui in illis locis vocatur Redemptor, intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, et per Jehovam ipſum Divinum Ipſius. Quod

Dominus quoad Divinum Humanum nominetur Sanctus Iſraelis, ac fortis et potens Jacobi, eſt quia per Iſraelem et Jacobum ſignificatur Eccleſia, ita illi qui regenerati et reformati, hoc eſt, redempti ſunt a Domino, nam hi ſolum ab Eccleſia ſunt, ſeu faciunt Eccleſiam Domini: quod Divinum Humanum Domini ſit quod vocatur Sanctum, patet apud Lucam, "*Angelus dixit Mariæ, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, et virtus Altiſſimi obumbrabit te, propterea quod naſcetur a te* SANCTUM, *vocabitur Filius Dei,*" i. 35: et quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit fortis et potens Jacobi, apud Eundem, "*Angelus dixit ad Mariam, ecce concipies in utero et paries Filium, Hic erit Magnus, et regnabit in domo* JACOBI *in æternum, et Regni Ipſius non erit finis,*" i. 31, 32, 33; per domum Jacobi intelligitur Eccleſia Domini; quod non Gens Judaica, patet. Quoniam Humanum Domini æque Divinum fuit, ac ipſum Divinum Ipſius quod aſſumſit Humanum, ideo etiam dicitur Jehovah Redemptor in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Sic dixit Jehovah Redemptor tuus Sanctus Iſraelis, Ego Jehovah Deus tuus,*" xlviii. 17: apud Eundem, "*Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius et Redemptor tuus Sanctus Iſraelis, Deus totius terræ vocabitur,*" liv. 5: apud Davidem, "*Jehovah petra noſtra et Redemptor mi,*" Pſalm. xv. 15: apud Jeremiam, "*Redemptor eorum fortis Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius,*" l. 34: apud Eſajam, "*Tu Jehovah Pater noſter, Redemptor noſter, a ſæculo Nomen Ipſius,*" lxiii. 13. Ex his nunc conſtare poteſt, quomodo intelligendum eſt quod Dominus dixit, "*Venit Filius hominis ut det animam Redemptionem pro multis,*" Matth. xx. 28. Marc. x. 45; quod nempe ut vindicentur et liberentur ab Inferno; Paſſio enim crucis fuit ultima pugna et plenaria victoria, qua ſubjugavit inferna et qua glorificavit Humanum ſuum, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293 ad 297, et 300 ad 306.

329. Quoniam dicitur redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, et hoc intra Eccleſiam intelligitur prorſus ſecundum ſenſum literæ, et non ſecundum aliquem ſenſum ſpiritualem, velim etiam oſtendere, quod per ſanguinem non intelligatur Sanguis ſeu paſſio crucis Domini, ſed Divinum Verum procedens a Domino, ac receptio ejus ab homine, ita quod per redemiſti nos in ſanguine tuo ſit quod vindicaverit et liberaverit ab Inferno illos qui agnoſcunt Ipſum et recipiunt Divinum Verum ab Ipſo, ut ſupra n. 328 dictum eſt. Ad illuſtrationem hujus rei velim adducere ſequentia. Quoniam in Eccleſia Iſraelitica omnia, quæ mandata ſunt, repræſentativa cœleſtium et ſpiritualium erant, et ne hilum quod non erat, ideo etiam mandatum eſt, cum primum inſtituebatur Cœna Paſchalis, "*quod ſumerent de ſanguine, et darent ſuper duos poſtes et ſuper ſuperliminare, ſuper domibus in quibus comederent pecudem Paſchalem: et exit ſanguis vobis in ſignum ſuper domibus, ubi vos; quumque videro ſanguinem, præteribo præter vos, nec erit in vobis plaga a perditore, quum percuſſero terram Ægypti.*" Et porro, "*Sumetis faſciculum hyſſopi, et intingetis in ſanguinem qui in pelvi, et attingere facietis ſuper ſuperliminare et duos poſtes de ſanguine qui in pelvi: vos autem non exibitis quiſquam extra oſtium domus ſuæ uſque mane; et tranſibit Jehovah ad percutiendum Ægyptum, cumque viderit Sanguinem ſuper ſuperliminari et ſuper*

duobus poſtibus, præteribit Jehovah præter oſtium, et non permittet percuſſori venire ad domos veſtras ad percutiendum," Exod. xii. 7, 13, 22, 23; qui non ſcit quod aliquis ſenſus ſpiritualis in Verbo ſit, credit quod per ſanguinem hic intelligatur ſanguis Domini ſuper cruce; ſed hoc prorſus non intelligitur in Cœlo; verum ibi angeli per Cœnam Paſchalem hic ſimile intelligunt quod per Sanctam Cœnam inſtitutam a Domino, in qua loco pecudis Paſchalis ſunt Panis et Vinum; et tunc dixit Dominus, quod Panis eſſet Caro Ipſius, et Vinum eſſet Sanguis Ipſius; et quiſque ſcit, aut ſcire poteſt, quod Panis et Vinum ſint quæ nutriunt corpus, Panis ut Cibus et Vinum ut Potus, et quod in Verbo, quod in ſuo ſinu eſt ſpirituale, etiam illa ſpiritualiter intelligenda ſint, ita Panis pro omni cibo ſpirituali, et Vinum pro omni potu ſpirituali; Cibus ſpiritualis eſt omne bonum quod communicatur et datur homini a Domino, ac Potus ſpiritualis eſt omne verum quod communicatur et datur homini a Domino; hæc duo, nempe Bonum et Verum, ſeu Amor et Fides, faciunt hominem ſpiritualem; ſeu amor et fides dicitur, quia omne bonum eſt amoris et omne verum eſt fidei; inde conſtare poteſt, quod per Panem intelligatur Divinum Bonum Divini Amoris Domini, et quoad hominem, id receptum ab illo, et quod per Vinum intelligatur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Domini, et quoad hominem, id receptum ab illo: quia Dominus dicit quod Caro Ipſius ſit Panis, et Sanguis Ipſius ſit Vinum, conſtare poteſt quod per Carnem Domini intelligatur Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, et per comedere illam intelligatur recipere id, appropriare ſibi, et ſic conjungi Domino, et quod per ſanguinem Domini intelligatur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Ipſius, et per bibere illum intelligatur recipere id, appropriare ſibi, et ſic conjungi Domino: etiam Nutritio ſpiritualis eſt ex Bono et Vero quæ procedunt a Domino, ſicut eſt nutritio omnis corporis ex cibo et potu; inde etiam eſt correſpondentia illorum, quæ talis eſt, ut ubi in Verbo nominatur aliquid cibi et quod inſervit pro cibo, intelligatur Bonum, et ubi nominatur aliquid potus et quod inſervit pro potu, intelligatur Verum. Ex his conſtare poteſt, quod per ſanguinem, quem Filii Iſraelis ex pecude Paſchali juſſi ſunt dare ſuper duos poſtes et ſuper ſuperliminare domuum illorum, intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, hoc etiam receptum fide et vita tutatur hominem contra mala quæ exſurgunt ex Inferno, nam Dominus in Divino ſuo Vero eſt apud hominem, eſt enim Ipſius Domini apud illum, imo Ipſe apud illum: quis non, qui ex ſana ratione cogitat, videre poteſt, quod Dominus non ſit in ſanguine ſuo apud aliquem, ſed in Divino ſuo, quod eſt Bonum amoris et Bonum fidei, quod recipitur ab homine. Quid autem ſingula ibi ſignificant, nempe quid duo poſtes et ſuperliminare, quid perditor et percuſſor, et quid Ægyptus, et quid plura in illo Capite, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, ubi illa explicata ſunt. Ex his nunc abſque ulteriore explicatione conſtat, quid ſignificatur per Domini verba cum inſtituit ſanctam Cœnam, "*Edentibus illis Jeſus accepit Panem, et benedixit, fregit et dedit diſcipulis, et dixit,* *accipite, comedite, hoc eſt Corpus meum: et accepit Poculum, et gratiis actis dedit eis, dicens, bibite ex eo omnes, hoc enim eſt Sanguis meus novi fœderis qui pro multis effunditur: dico vobis quod non bibiturus ſim a nunc ex hoc genimine vitis uſque ad diem illum quando hoc bibero vobiſcum in Regno Dei,"* Matth. xxvi. 26, 27, 28, 29. Marc. xiv. 22, 23, 24, 25. Luc. xxii. 15, 16, 17, 18, 19, 20; quia per Vinum intelligitur Divinum Verum nutriens ſpiritualem vitam, ideo Dominus illis dicit, " Dico vobis, quod non bibiturus ſim a nunc ex hoc genimine vitis uſque ad diem illum quando hoc bibero vobiſcum novum in Regno Dei;" inde patet, quod ſpirituale ſit quod intelligitur, dicit enim quod Ipſe bibiturus ſit cum illis, et quod in Regno Dei ſeu in Cœlo; et quod etiam eſurus cum illis de pecude Paſchali ibi, Luc. xxii. 16. Ex illis quæ ſupra dicta ſunt, etiam conſtat, quid ſignificatur per hæc Domini verba, " *Panis, quem Ego dabo, Caro mea eſt; amen amen dico vobis, niſi comederitis Carnem Filii hominis, et biberitis Ipſius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui comedit meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et Ego reſuſcitabo illum extremo die; nam Caro mea eſt vere Cibus, et Sanguis meus eſt vere Potus: qui comedit meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in Me manet et Ego in illo: hic Panis eſt qui e Cœlo deſcendit,"* Joh. vi. 50 ad 58: quod Caro Domini ſit Divinum Bonum et Sanguis Divinum Verum, utrumque ab Ipſo, conſtare poteſt ex eo, quod illa ſint quæ nutriunt animam; inde dicitur, Caro mea eſt vere cibus et Sanguis meus eſt vere potus; et quia homo per Divinum Bonum et Verum conjungitur Domino, ideo etiam dicitur, qui comedit Carnem meam et bibit Sanguinem meum, habebit vitam æternam, et quoque, in Me manet et Ego in illo. Quod Dominus ita loquutus ſit, nempe quod dixerit Carnem ſuam et Sanguinem ſuum, et non Divinum Bonum ſuum ac Divinum Verum ſuum, eſt ut ſenſus literæ Verbi eſſet ex talibus quæ correſpondent ſpiritualibus, in quibus ſunt Angeli; inde conjunctio hominum Eccleſiæ per Verbum cum illis, quæ alioquin non foret; videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 252, 258 ad 262: et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 303 ad 310. Quoniam Sanguis ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, et per receptionem ejus ab homine ſit conjunctio cum Domino, ideo ſanguis vocatur Sanguis fœderis, fœdus enim ſignificat conjunctionem; ſanguis vocatur Sanguis fœderis a Domino cum inſtituit Sanctam Cœnam; dixit enim, " *Bibite ex eo omnes, hoc enim eſt Sanguis meus Novi Fœderis ſeu Teſtamenti,"* Matth. xxvi. 28. Marc. xiv. 24. Luc. xxii. 20: vocatur etiam Sanguis fœderis apud Moſen, ubi hæc, " *Venit Moſes ex Monte Sinai, et renuntiavit populo omnia verba Jehovæ, et omnia judicia: et ſcripſit Moſes omnia verba Jehovæ, et ſurrexit mane in matutino, et ædificavit Altare ſub monte, et miſit pueros filiorum Iſraelis, et obtulerunt holocauſta et ſacrificaverunt ſacrificia pacifica Jehovæ juvencos, et accepit Moſes dimidium ſanguinis et poſuit in crateribus, et dimidium ſanguinis ſparſit ſuper Altare, et accepit* LIBRUM FŒDERIS, *et legit in auribus populi; et dixerunt, omnia quæ loquutus Jehovah faciemus et audiemus; et accepit ſanguinem et ſparſit ſuper populum, et dixit, ecce* SANGUIS FŒDERIS, *quod pepigit Jehovah cum vobis ſuper omnia verba hæc. Et viderunt*

runt Deum Iſraelis, et ſub pedibus Ipſius ſicut opus lapidis ſapphiri, et ſicut ſubſtantia Cæli quoad munditiem," Exod. xxiv. 3 ad 11; quod ſanguis hic ſignificet Divinum Verum procedens a Domino, ac receptum ab homine, et inde conjunctionem, patet, nam dimidium ejus ſpargebatur ſuper Altare, et dimidium ſuper populum; per Altare enim ſignificabatur omnis cultus qui ex bono amoris, et per populum illi qui faciunt cultum, ac recipiunt bonum amoris per vera, omnis enim receptio Divini boni fit per vera facta vitæ, et conjunctio inde eſt per bonum in illis veris; quod per bonum in illis veris ſeu per vera facta vitæ ſit conjunctio, et quod ſanguis fuerit repræſentativum ejus, conſtat evidenter ex verbis ibi; factum enim hoc eſt, quando Moſes deſcendit e monte Sinai, unde promulgata fuit Lex, et quoque ſtatuta et judicia quæ obſervaturi, ac dicitur quod Moſes ſcripſerit omnia verba illa Jehovæ, et legerit in auribus populi, qui dixerunt, *omnia quæ dixit Jehovah faciemus et audiemus*, quæ bis dixerunt, videatur ibi Verſu 3 et 7, verba ſeu vera per facere fiunt vitæ; et quia ſcripſit Moſes verba illa, vocavit illa LIBRUM FŒDERIS, per quod ſignificatur quod per illa fit conjunctio: per Legem a Jehovah promulgatam e monte Sinai, et per ſtatuta et judicia quæ etiam tunc mandata fuerunt, ſignificatur omne Divinum Verum, ſeu Divinum Verum in toto complexu, inde eſt quod hæc vocentur LIBER FŒDERIS, et Arca in qua ille Liber erat, ARCA FŒDERIS, fœdus ſignificat conjunctionem. Quia Divinum Verum, per quod Conjunctio, procedit a Domino, ideo etiam Dominus illis viſus eſt ſub pedibus ſicut opus lapidis ſapphiri, quod viſus ſic ſub pedibus, ſignificat quod Divinum Verum tale ſit in ultimis; Divinum Verum in ultimis eſt Divinum Verum in ſenſu literæ Verbi; opus lapidis ſapphiri ſignificat tranſlucentiam ejus a Divino Vero in ſenſu interno ſeu ſpirituali, Deus Iſraelis eſt Dominus: quod lapis ſapphiri ſignificet tranſlucentiam a veris internis, videatur n. 9407; et quod Deus Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 328. Inde nunc patet, quod per Divinum Verum factum ſit fœdus ſeu conjunctio, et quod Sanguis ſparſus ſuper Altare et dimidium ejus ſuper populum fuerit repræſentativum ejus, quoniam Sanguis ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, et receptum ab homine, ut ſupra dictum eſt. Quod fœdus ſignificet conjunctionem, videatur n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632. Quod Lex in ſtricto ſenſu ſignificet decem præcepta decalogi, et in lato ſenſu totum Verbum, ita omne Divinum Verum, n. 2606, 3382, 6752, 7462, 9417: quod inde Mons Sinai ſignificet Cœlum ubi Dominus ex Quo Divinum Verum, ſeu ex Quo Lex in ſenſu ſtricto et in ſenſu lato, n. 8399, 8753, 8793, 8805, 9420: et quod Altare fuerit principale Repræſentativum Domini et Cultus Ipſius ex bono amoris, n. 921, 2777, 2811, 4489, 4541, 8935, 8940, 9388, 9389, 9714, 9963, 9964, 10123, 10151, 10242, 10245, 10642. Quoniam Sanguis ſignificat Divinum Verum procedens a Domino, ac receptum ab homine, unde conjunctio, ideo omnia, quæ repræſentativa eſſent Divinorum procedentium a Domino, quæ vocantur cœleſtia et ſpiritualia, inaugurabantur per Oleum et per Sanguinem, et tunc dicta ſunt Sancta; quod inaugurarentur per Oleum et per Sanguinem ut repræſentarent, erat cauſa, quia per Oleum ſignificabatur Divinum Bonum Divini Amoris, et per Sanguinem Divinum Verum inde procedens, Verum enim procedit ex Bono: quod per Oleum inaugurationes et ſanctificationes factæ fuerint, videbitur in ſequentibus in ſuo Articulo, hic ſolum memoranda ſunt quæ per Sanguinem; ut "*cum ſanctificarentur Aharon et filii ejus, quod ſpargeretur ſanguis ſuper cornua Altaris, et circumcirca Altare; et ſuper Aharonem et filios ejus, ſuperque veſtes eorum,*" Exod. xxix. 12, 16, 20, 21. Levit. viii. 24. "*Quod ſpargeretur Sanguis ſeptem vicibus ante velum quod ſuper Arca, et ſuper cornua Altaris ſuffitus,*" Levit. iv. 6, 7, 17, 18. "*Quod antequam intraret Aharon intra Velum ad Propitiatorium, ſacrificaret et ſuffiret, et ſanguinem digito ſpargeret ad Propitiatorium ſepties verſus Orientem,*" Levit. xvi. 12, 13, 14, 15. "*Quod Sanguis holocauſti et ſacrificii ſpargeretur ſuper Altare, circum Altare, et ad fundamentum Altaris,*" Levit. i. 5, 11, 15. Cap. iii. 2, 8, 13. Cap. iv. 25, 30, 34. Cap. v. 9. Cap. viii. 15, 24. Cap. xvii. 6. Num. xviii. 18. Deut. xii. 27. "*Quod Sanguis ſpargeretur ſuper Cornua Altaris, et ſic Altare expiaretur,*" Exod. xxx. 10. Levit. xvi. 18, 19: quod ſanguis ex holocauſtis et ſacrificiis ſuper altare, circum altare aut ad fundamentum ejus ſparſus et effuſus fuerit, erat quia Altare cum holocauſtis et ſacrificiis ſuper eo repræſentavit et inde ſignificavit omnem cultum ex bono amoris et inde veris, et quia vera procedunt ex bono, ideo ſanguis circum altare ſparſus et effuſus eſt, circum enim ſignificat procedens: Sed illa melius conſtare poteſt ex iis quæ de Holocauſtis et Sacrificiis in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt, ut ex ſequentibus; Quod Holocauſta et Sacrificia ſignificaverint omnia cultus ex bono amoris et inde veris, n. 923, 6905, 8680, 8936, 10042. Quod ideo Holocauſta et Sacrificia dicta fuerint Panis, n. 2165; ex cauſa quia Panis ſignificat omne quod nutrit ſpiritualem vitam, n. 2165, 3478, 4976, 5147, 5915, 6118, 8410, 8418, 9323, 10686. Quod Holocauſta et Sacrificia ſignificaverint Divina cœleſtia et ſpiritualia, quæ ſunt interna Eccleſiæ, ex quibus omnia cultus, n. 2180, 2805, 2807, 2830, 3519: cum variatione ſecundum varia cultus, n. 2805, 6905, 8936: quod ideo plura genera holocauſtorum et ſacrificiorum fuerint, et in illis varii proceſſus, et quoque variæ beſtiæ ex quibus, n. 2830, 9939, 9990. Quod varia quæ in ſpecie ſignificaverunt, ſciri poſſint ex ſingulis proceſſus evolutis per ſenſum internum, n. 10042. Quod in ritualibus et proceſſualibus Sacrificiorum contineantur Arcana Cœli, n. 10057: quod in genere contineantur Arcana glorificationis Humani Domini, et in ſenſu reſpectivo Arcana regenerationis hominis ac purificationis ejus a malis et falſis, n. 9990, 10022, 10042, 10053, 10057. Quid ſignificabatur per Minchas, quæ erant Panes et placentæ, quæ etiam ſacrificabantur, n. 10079. Quid per Libamen quod erat vinum, n. 4581, 10137. Ex his intellectis ſciri poteſt, quod per ſanguinem Sacrificii etiam alibi in Verbo ſignificetur Divinum Verum; ut apud Ezechielem, "*Dic avi omnis alæ et beſtiæ agri, congregamini et venite, congregate vos a circuitu ſuper Sacrificium meum quod ſacrifico vobis, Sacri-*

ficium magnum ſuper montibus Iſraelis, ut comedatis carnem et bibatis ſanguinem, carnem fortium comedetis, et ſanguinem principum terræ bibetis, et comedetis pinguedinem ad ſaturitatem, et bibetis ſanguinem uſque ad ebrietatem de Sacrificio meo quod ſacrifico vobis: et ſatiabimini ſuper menſa mea equo, curru, omni viro belli: ſic dabo gloriam meam inter gentes," xxxix. 17, 18, 19, 20, 21; agitur ibi de reſtauratione Eccleſiæ, et per Iſraelem et Jacobum intelliguntur omnes qui ab Eccleſia, de quibus ideo hæc dicuntur; per Sacrificium magnum ſuper montibus Iſraelis, ſignificantur omnia cultus eorum; per carnem et per adipem ſignificatur bonum amoris, et per ſanguinem verum ex illo bono, ex quibus cultus; abundantia utriuſque deſcribitur per quod comederent carnem et pinguedinem ad ſaturitatem, et quod biberent ſanguinem uſque ad ebrietatem, et hoc ex ſacrificio; quare etiam dicitur, quod ſatiarentur ſuper menſa mea equo, curru, et omni viro belli, per equum enim ſignificatur intellectus veri, per currum doctrina, et per virum belli verum pugnans contra falſum et deſtruens illud; quis non videre poteſt, quod per ſanguinem hic non intelligatur ſanguis, ut quod ſanguinem principum terræ biberent, et quod ſanguinem biberent uſque ad ebrietatem ex ſacrificio, principes terræ ſignificant principalia vera Eccleſiæ, inde eorum ſanguis ſignificat nutritionem ſpiritualem ex illis veris: quia talia ſignificantur, ideo in eo Capite etiam ultimo dicitur de Iſraele, per quem ſignificatur Eccleſia, " *Tunc non abſcondam amplius facies meas ab iis, quia effundam ſpiritum meum ſupra Iſraelem,"* Verſ. 29: quod dicatur " dic avi omnis alæ et beſtiæ agri," eſt quia per avem omnis alæ ſignificatur ſpirituale verum in omni complexu, et per beſtiam agri affectio boni; quod per aves in Verbo ſignificentur ſpiritualia, videatur n. 745, 776, 866, 988, 993, 3219, 5149, 7441: ſimiliter per alas, n. 8764, 9514: quod per beſtias ſignificentur affectiones, et per beſtias agri affectiones boni, n. 2180, 3218, 3519, 5198, 9090, 9280, 10609: et quod inde et aves et beſtiæ in ſacrificiis adhibitæ fuerint, n. 1823, 3519, 7523, 9280; ad confirmationem quod beſtia agri et avis talia ſignificent, velim hic modo unum locum ex Verbo adducere, " *Feriam illis fœdus in die illo cum beſtia agri, et cum ave cælorum, et reptili terræ; et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et deſponſabo te Mihi in æternum, et deſponſabo te Mihi in juſtitia et in judicio, et in miſericordia et in miſerationibus, et deſponſabo te Mihi in veritate,"* Hoſch. ii. 18, 19; per ferire fœdus cum beſtia agri et cum ave cœlorum, ſignificatur cum affectionibus boni et cum veris ſpiritualibus, cum his enim conjungitur Dominus homini, eſt enim Dominus in iis apud illum, quare dicitur cum illis fœdus, fœdus eſt conjunctio: quod beſtiæ ſignificent affectiones boni, et aves ſpiritualia, in ſequentibus in ſuis Articulis plene oſtendetur. Quoniam Adeps in Sacrificiis ſignificabat Divinum Bonum et Sanguis Divinum Verum, utrumque a Domino, ac utrumque receptum ab homine faciebat conjunctionem, ideo prohibitum fuit poſteris Jacobi, ſeu Judæis et Iſraelitis, comedere ullum adipem et ullum ſanguinem, videatur Levit. Cap. iii. 17. Cap. vii. 23 ad 27. Cap. xvii. 11, 12, 13, 14. Deut. xii. 17, 23, 24, 25. Cap. xv. 23; cauſa erat, quia Gens illa non in aliquo bono amoris, nec in aliquo vero boni fuit, ſed in falſis mali; et adipem et ſanguinem comedere apud illos ſignificaret commixtionem veri ex bono cum falſo ex malo, quod eſt prophanatio; inde quoque conſtare poteſt quod per ſanguinem ſignificetur Divinum Verum: quod Adeps ſeu pinguedo in Verbo ſignificet bonum amoris, videatur n. 353, 5943, 6409, 10033; et quod Judæi et Iſraelitæ ſolum in externis et non in internis fuerint, et inde non in veris et bonis ſpiritualibus, ſed in falſis mali, et quod omnia cultus eorum fuerint externa ſeparata ab internis, et quod uſque per externa repræſentare potuerint interna cultus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 284. Quoniam Sanguis in Sacrificiis ſignificabat Divinum Verum, ideo etiam vetitum illis fuit, “ *Sacrificare ſuper fermentato ſanguinem ſacrificii*,” Exod. xxiii. 18. Cap. xxxiv. 25; per fermentum enim ſignificatur falſum, et per fermentatum verum falſificatum, videatur n. 2342, 7906, 8051, 9992. Cauſa quod Caro Domini ſignificet Divinum Bonum Divini Amoris, et quod Sanguis Ipſius ſignificet Divinum Verum procedens ex illo Bono, eſt quia duo ſunt quæ procedunt ex Divino Humano Domini, nempe Divinum Bonum et Divinum Verum, Hoc inde eſt Sanguis Ipſius et Illud eſt Caro Ipſius: id quod procedit eſt Divinum Cœleſte et Divinum Spirituale, quæ faciunt Cœlos in communi et in particulari: ſed hæc melius conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO in ſequentibus Articulis oſtenſa ſunt, nempe quod Divinum Domini faciat Cœlum, n. 7 ad 12: quod Divinum Domini in Cœlo ſit Amor in Ipſum et Charitas erga proximum, n. 13 ad 19: quod inde totum Cœlum in toto et in parte referat unum Hominem, n. 59 ad 77: quod Hoc ſit ex Divino Humano Domini, n. 78 ad 87: et porro ex illis quæ de Sole in Cœlo, et de Luce et Calore inde, et quod Calor ſit Divinum Bonum, et Lux Divinum Verum, utrumque procedens a Domino, n. 116 ad 140: ex illis omnibus aliquatenus comprehendi poteſt, unde eſt quod Divinum procedens intelligatur per Carnem et Sanguinem, nempe Divinum Bonum per Carnem, et Divinum Verum per Sanguinem. Sunt etiam duo apud hominem quæ faciunt ejus vitam ſpiritualem, nempe bonum amoris et verum fidei, Voluntas eſt receptaculum boni amoris apud eum, et Intellectus eſt receptaculum veri fidei apud eum; omnia quæ mentis ſunt, hoc eſt, quæ voluntatis et intellectus, correſpondentiam habent cum omnibus quæ corporis, quapropter moventur hæc ad nutum illius; correſpondentia voluntatis eſt in genere cum Carne, et correſpondentia intellectus eſt cum ſanguine; inde eſt quod proprium voluntarium hominis in Verbo intelligatur per carnem, et proprium intellectuale per ſanguinem, ut apud Matthæum, “ *Jeſus dixit Simoni, beatus quia Caro et Sanguis non revelavit tibi*,” xvi. 17; hæc allata ſunt, ut ſciatur quod in Verbo voluntaria et intellectualia, ita ſpiritualia intelligantur per Carnem et Sanguinem ubi de homine, et quod Divina ubi de Domino: ſed hæc ſint pro illis, quorum mens poteſt elevari ſupra naturales ideas et videre cauſas. Hoc etiam eſt quod ſignificatur per Sanguinem et Aquam quæ exivit ex Pectore Domini, de quo ita apud Johannem, “ *Quidam ex militibus latus Ipſius fodit, et ſtatim exivit Sanguis et Aqua: et qui vidit teſtatur,* *et firmum eſt teſtimonium ejus, ille ſcit ſe vera dicere ut et vos credatis*," xix. 34, 35; hæc facta ſunt, ut ſignificarent conjunctionem Domini cum humano genere per Divinum Verum procedens ex Divino Bono amoris Ipſius; Pectus ſignificat Divinum Amorem; Sanguis et Aqua ſignificant Divinum Verum procedens, Sanguis Divinum Verum quod pro ſpirituali homine, et Aqua Divinum Verum quod pro naturali; omnia enim quæ de Paſſione Domini in Verbo memorantur, etiam ſignificant, videatur ſupra n. 83, 195 f: et quia illa ſignificant Amorem Ipſius, et ſalvationem hominis per Divinum Verum procedens ab Ipſo, ideo etiam Evangeliſta dicit, "qui vidit teſtatur, et firmum eſt teſtimonium ejus, ille ſcit ſe vera dicere ut et vos credatis." Ad illa quæ nunc adducta ſunt, velim adjicere ſequentia e Verbo; apud Sachariam, "*Exulta valde filia Zionis, clange filia Hieroſolymæ, ecce Rex tuus venit, et loquetur pacem gentibus; et dominari Ipſius a mari uſque ad mare, et a flumine uſque ad fines terræ: etiam te, per* SANGUINEM FŒDERIS *tui emittam vinctos tuos e fovea in qua non aqua*," ix. 9, 10, 11; hæc de Domino, et de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes ab Ipſo; per ſanguinem fœderis hic intelligitur Divinum Verum, per quod conjunctio Domini cum illis qui ab Eccleſia Ipſius erunt, ut ſupra, quare etiam dicitur, emittam vinctos tuos e fovea in qua non aqua, et per illos ſignificantur gentes quæ in falſis ex ignorantia ſunt, fovea in qua non aqua ſignificat ubi non verum, et emittere illos inde ſignificat liberare ex illis; quod per aquam ſignificetur verum Eccleſiæ, videatur ſupra n. 71; et quod per vinctos in fovea ſignificentur qui in falſis ex ignorantia, et tamen in deſiderio ſciendi vera, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4728, 4744, 5038, 6854, 7950. Apud Davidem, "*Deus animas egenorum ſervabit, a dolo et violentia redimet animam eorum, et pretioſus erit Sanguis illorum in oculis Ipſius; et vivet et dabit illi de auro Schebæ, et orabit pro illo jugiter, omni die benedicet illi, in capite montium agitabitur fructus eorum*," Pſalm. lxxii. 13, 14, 15, 16; agitur hic de egenis, per quos ſignificantur qui deſiderant vera ex affectione ſpirituali; de his dicitur quod a dolo et violentia redimet animam eorum, per quod ſignificatur liberatio a malis et falſis quæ deſtruunt bona amoris et vera fidei; receptio Divini Veri ab illis, quod accepta et grata, ſignificatur per quod pretioſus erit ſanguis illorum in oculis Ipſius; ſanguis ibi eſt Divinum Verum receptum; reformatio eorum deſcribitur per quod vivet et dabit illi de auro Schebæ, et orabit pro illo jugiter, omni die benedicet illi, aurum Schebæ eſt bonum charitatis, orare pro illis jugiter ſignificat quod continue detinebuntur a falſis et tenebuntur in veris, et benedicet illi ſignificat quod continue erunt in bono charitatis et fidei; quare etiam dicitur, in capite montium agitabitur fructus ejus, caput montium ſignificat cœlum unde a Domino illis bonum amoris, quod eſt fructus. Apud Moſen, "*Non recedet ſceptrum de Jehudah, nec Legiſlator ab inter pedes ejus, uſque dum venit Schiloh; qui ligabit ad vitem aſininum pullum ſuum, et ad vitem nobilem filium aſinæ ſuæ, dum laverit in Vino indumentum ſuum, et in* SANGUINE UVARUM *velamen ſuum*," Geneſ. xlix. 10, 11; agitur in eo Prophetico de Domino, de quo dicitur, ligabit ad vitem aſininum pullum ſuum, et ad vitem nobilem filium aſinæ ſuæ, et quod lavabit in vino indumentum ſuum, et in ſanguine uvarum velamen ſuum, et per vitem ſignificatur Eccleſia, ac per vinum et ſanguinem uvarum ſignificatur Divinum Verum; quid per reliqua videatur in explicatione ſuper illa verba in ARCANIS CŒLESTIBUS. Simile per SANGUINEM UVÆ intelligitur in Deutr. xxxii. 14, ubi agitur de Eccleſia Antiqua reformata per Divinum Verum. Ex his quæ in hoc Articulo et in præcedente oſtenſa ſunt, conſtare poteſt illis qui agnoſcunt ſpiritualem ſenſum Verbi, quod per REDEMISTI DEO NOS IN SANGUINE SUO intelligatur conjunctio cum Divino per agnitionem Domini et per receptionem Divini Veri ab Ipſo: et quod ſimile per ſanguinem intelligatur in Libro hoc Prophetico in Capite xii. ubi dicitur, "*Quod Michael et Angeli ejus vicerint draconem per Sanguinem Agni et per verbum Teſtimonii Ipſius,*" Verſ. 11: ſanguis Agni et verbum Teſtimonii dicitur, quia Sanguis Agni ſignificat receptionem Divini Veri a Domino, et verbum Teſtimonii agnitionem Divini Humani Ipſius. Quod Sanguis ſignificet Divinum Verum, adhuc conſtare poteſt ex ſenſu oppoſito ejus, in quo ſanguis ſignificat violentiam Divino Vero illatam per falſa mali, et per illa deſtructionem ejus; et quia oppoſita etiam manifeſtant quid ſignificatur in ſenſu genuino, ideo velim aliqua loca adducere, in quibus ſanguis et ſanguines id ſignificant: ſciendum eſt, quod pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habeant, et quod ex illo ſenſu ſciri poſſit quid ſignificatur in ſenſu genuino: ſint itaque hæc pro illuſtratione; in Apocalypſi, "*Secundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, et factum eſt quaſi ſanguis mortui; et omne animal vivens in mari mortuum eſt. Et tertius Angelus effudit phialam ſuam in flumina et in fontes aquarum, et factæ ſunt ſanguis,*" xvi. 3, 4: et alibi, "*Duo teſtes poteſtatem habent ſuper aquas, convertendi eas in ſanguinem,*" Apoc. xi. 6: apud Eſajam, "*Aquæ Nimrim deſolationes erunt, et aquæ Dimonis plenæ ſunt ſanguine,*" xv. 6, 9: apud Davidem, "*Miſit tenebras et obtenebravit, vertit aquas eorum in ſanguinem, et occidit piſcem eorum,*" Pſalm. cv. 23, 28, 29; ex his locis ex oppoſito apparet quid ſignificat Sanguis; ſanguis enim in genuino ſenſu ſignificat Divinum Verum, et apud recipientes verum ex bono, inde in oppoſito ſenſu ſignificat violentiam illatam Divino Vero, ac apud illos qui id faciunt falſum ex malo; hoc oppoſitum apparet ex eo, quod dicantur Aquæ maris, fluminum et fontium verſæ in ſanguinem, per aquas enim ſignificantur vera, quare per ſanguinem ibi falſa, quæ deſtruunt vera; per animal vivens in mari et per piſcem ſignificantur vera ſcientifica, ita per illa ex ſanguine mortua et occiſa ſignificantur illa vera etiam deſtructa; quod per aquas ſignificentur vera, videatur ſupra n. 71; et quod per piſces vera ſcientifica quæ naturalis hominis, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 40, 991. Porro in Apocalypſi, "*Aſpexi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, et ecce terræ motus magnus factus eſt, et Sol factus eſt niger ut ſaccus, et Luna tota facta eſt ſanguis,*" vi. 12. Apud Joelem, "*Dabo prodigia in Cælis et in terra, ſanguinem, et ignem et columnas fumi; Sol vertetur in caliginem, et Luna in ſanguinem, antequam venit dies Jehovæ magnus,*" iii. 3, 4; etiam hic ex oppoſito cognoſcitur, quod ſanguis ſignificet violentiam illatam Divino Vero; per Solem enim in Verbo ſignificatur Divinum Cœleſte, quod eſt Divinum Bonum, et per Lunam ſignificatur Divinum Spirituale, quod eſt Divinum Verum, ideo dicitur quod Luna vertetur in ſanguinem, quod Luna id ſignificet, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 118, 119. Apud Eſajam, “*Qui ambulat in juſtitiis, et loquitur rectitudines, obturat aurem ſuam ne audiat ſanguines, et occludit oculos ſuos ne videant malum,*” xxxiii. 15; quod obturare aurem ne audiat ſanguines, ſit ne audiat falſa ex malo, patet. Apud Davidem, “*Perdes loquentes mendacium, virum ſanguinum et doli abominatur Jehovah,*” Pſalm. v. 7; vir ſanguinum et doli pro illis qui in falſis ex malo ſunt; quare dicitur, perdes loquentes mendacia, mendacia in Verbo ſignificant falſa. Apud Eſajam, “*Fiet relictus in Zione et reſiduus in Hieroſolyma, ſanctus dicetur Ipſi; omnis ſcriptus ad vitam in Hieroſolyma, cum laverit Dominus excrementum filiarum Zionis, et ſanguines Hieroſolymæ abluerit e medio ejus per ſpiritum judicii et per ſpiritum expurgationis,*” iii. 3, 4; quia per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, ideo dicitur, cum ſanguines ejus abluerit e medio ejus, per quos ideo ſignificantur falſa mali; per ſpiritum judicii ſignificatur Divinum Verum, et quia hoc purificat dicitur per ſpiritum expurgationis. Apud Ezechielem, “*In die quo nata es, præterivi præter te, et vidi te conculcatam in ſanguinibus tuis, et dixi tibi in ſanguinibus tuis vive, et dixi tibi in ſanguinibus tuis vive. Lavi te et ablui ſanguines a ſuper te et unxi te oleo,*” xvi. 5, 6, 9, 22, 36, 38; agitur etiam hic de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam veri; primum hic de falſis mali in quibus fuit antequam reformata, et dein de ejus reformatione; falſa mali ſignificantur per quod viſa ſit conculcata in ſanguinibus; et reformatio ejus per quod laverit et abluerit ſanguines, et unxerit oleo; lavare ſignificat purificare per vera, abluere ſanguines ſignificat removere falſa mali, et ungere oleo ſignificat donare bono amoris. In Threnis, “*Ob peccata prophetarum Hieroſolymæ, iniquitates ſacerdotum ejus, effundentium in medio ejus ſanguinem juſtorum; errarunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine, ea quæ non poſſunt, tangunt veſtimentis ſuis,*” iv. 13, 14; per prophetas Hieroſolymæ ſignificantur illi qui docebunt vera doctrinæ, et per ſacerdotes qui ducent per vera ad bonum, hic in oppoſito, quia dicitur ob peccata illorum; per effundere ſanguinem juſtorum ſignificatur falſificare vera et adulterare bona; quare dicitur errarunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine, ea quæ non poſſunt tangunt veſtimentis ſuis, errare cæci in plateis ſignificat prorſus non videre vera, plateæ ſunt vera, polluti ſanguine ſignificat prorſus in falſis; ea quæ non poſſunt tangunt veſtimentis, ſignificat quod quæ non poſſunt pervertere uſque falſificent, veſtimenta ſunt vera quæ inveſtiunt interiora, quæ vera ſunt vera ſenſus literæ Verbi. Apud Eſajam, “*Omnis turba conturbabitur terræ motu, et veſtis eſt polluta ſanguinibus,*” ix. 4; terræ motus ſignificat perverſionem Eccleſiæ per falſificationem veri; et veſtis polluta ſanguinibus ſignificat falſificationem ſenſus literæ Verbi. Apud Jeremiam, “*Malitias docuiſti vias tuas, etiam in alis inventi ſunt ſanguis animarum innocentium, non in perfoſſione inveni eos, ſed in omnibus illis,*” ii. 33, 34; ſimile hic ſignificatur per ſanguinem inventum in alis, quod ſupra per quæ non poſſunt tangunt veſtimentis ſuis, alæ ſunt veſtimenta; quod non in perfoſſione invenerit eos, ſed in omnibus illis, ſignificat quod ipſa vera non auſi fuerint deſtruere, ſed quod vera ſenſus literæ falſificaverint, alæ ſignificant illa vera. Apud Eſajam, “*Manus veſtræ ſanguinibus plenæ ſunt,*” i. 15: apud Eundem, “*Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, et digiti veſtri iniquitate; labia veſtra loquuta ſunt mendacia, et lingua veſtra perverſitatem meditata eſt; pedes eorum ad malum currunt, et feſtinant ad effundendum ſanguinem innocentem, cogitationes eorum cogitationes iniquitatis,*” lix. 3, 7; manus pollutæ ſanguine et digiti iniquitate, ſignificat quod in omnibus eorum ſit falſum et malum falſi; manus et digiti ſignificant potentiam, et inde omnia apud illos quæ poſſunt; quia hæc ſignificantur, ideo etiam dicitur, labia veſtra loquuta ſunt mendacia, et lingua veſtra perverſitatem meditata eſt, mendacia ſunt falſa, et perverſitas eſt malum falſi; quod pedes eorum feſtinent ad effundendum ſanguinem innocentem, ſignificat ad deſtruendum bonum amoris et charitatis, hoc ſignificatur per effundere ſanguinem innocentem; bonum innocentiæ eſt ex quo omne bonum et verum Cœli et Eccleſiæ, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 276 ad 283. Ex his conſtare poteſt, quid in communi ſenſu per ſanguines in plurali ſignificatur, quod nempe violentia illata tam veris quam bonis Verbi et Eccleſiæ. Quoniam per effundere ſanguinem innocentem ſignificatur deſtruere bonum amoris et charitatis, ideo omnibus modis præcautum fuit ne ſanguis innocens effunderetur, et ſi effunderetur quod terra expiaretur, Deut. xix. 10, 13. Cap. xxi. 1 ad 9; terra enim ſignificat Eccleſiam. Apud Eſajam, “*Jehovah exiens e loco ſuo ad viſitandum iniquitatem terræ; tunc revelabit terra ſanguines ſuos, et non celabit amplius occiſos ſuos,*” xxvi. 20; per ſanguines quos terra revelabit ſignificantur omnia falſa et mala quæ deſtruxerunt vera et bona Eccleſiæ, terra eſt Eccleſia ubi illa; per occiſos ſignificantur qui per illa perierunt; quod occiſi ſignificent illos qui per falſa et mala perierunt, videatur ſupra n. 315. In Apocalypſi, “*In Babylonia ſanguis prophetarum et ſanctorum inventus eſt, et omnium qui occiſi ſunt ſuper terra,*” xvi. 24; ſanguis prophetarum et ſanctorum pro exſtinctis veris et bonis; et occiſi pro illis qui per falſa et mala perierunt, ut mox ſupra. Simile intelligitur per “*Sanguinem Prophetarum qui effuſus ſuper terram, a ſanguine Abelis juſti uſque ad ſanguinem Sachariæ filii Barachiæ, quem occiderunt inter Templum et Altare,*” Matth. xxiii. 30, 34, 35. Luc. xi. 50, 51; in ſenſu ſpirituali per Abelem intelliguntur illi qui in bono charitatis ſunt, et abſtracte a perſona ipſum illud bonum, et per Cainum illi qui ſolam fidem faciunt unicum ſalutis medium, et bonum charitatis nihili, et inde id rejiciunt et occidunt; et per Sachariam intelliguntur illi qui in veris doctrinæ ſunt, et abſtracte a perſona ipſum verum doctrinæ; inde per utriuſque ſanguinem ſignificatur exſtinctio omnis boni et veri; per quod occiderint illum inter Templum et Altare ſignificatur in ſenſu ſpirituali omnimoda rejectio Domini, nam Templum ſignificat Dominum quoad

Divinum Verum, et Altare Ipſum quoad Divinum Bonum, et inter illa ſignificatur utrumque ſimul: Quod Abel in ſenſu repræſentativo ſit bonum charitatis, videatur n. 342, 374, 1179, 3325: et quod Cain ſit fides ſola ſeparata a charitate, n. 342, 374, 1179, 9325. Quod Propheta ſignificet doctrinam veri, n. 2534, 7269. Quod Templum ſignificet Dominum quoad Divinum Verum, ac Altare Ipſum quoad Divinum Bonum, et in ſenſu reſpectivo Regnum Domini et Eccleſiam quoad illa, n. 2777, 3720, 9714, 10642. Quod inter utrumque ſignificet ubi conjugium Divini Veri ac Divini Boni eſt, n. 10001, 10025. In Verbo pluries legitur de condemnatis ad mortem, *quod ſanguines illorum ſuper illis eſſent*, et per id in ſpirituali ſenſu intelligitur quod damnatio eſſet ſuper illis propter falſa et mala per quæ deſtruxerunt vera et bona Eccleſiæ, nam per ſanguines in genere ſignificantur omnia falſa doctrinæ, vitæ et cultus per quæ mala quæ deſtruunt Eccleſiam; hæc mala quoad partem recenſentur apud Ezechielem, Cap. xviii. 10, 11, 12, 13: hæc etiam ſignificantur per ſanguines apud Johannem, "*Quotquot Ipſum receperunt, dedit iis poteſtatem ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius, qui non ex ſanguinibus, neque e voluntate carnis neque e voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt,*" i. 12, 13; per Nomen Domini intelliguntur omnia vera et bona, per quæ colendus eſt; per ſanguines intelliguntur omnia falſa et mala quæ deſtruunt; per voluntatem carnis et per voluntatem viri ſignificantur omnia mala amoris et falſa fidei; caro enim ſignificat proprium hominis voluntarium ex quo omne malum, et vir ſignificat proprium hominis intellectuale ex quo omne falſum, voluntas eſt ubi illa; a Deo naſci eſt regenerari per vera fidei et per vitam ſecundum illa.

330. Ex omni tribu et lingua, quod ſignificet ab omnibus qui in veris quoad doctrinam et quoad vitam ſunt, conſtat ex ſignificatione tribus, quod ſint omnia vera et bona in complexu, de qua ſupra n. 39, illa enim per duodecim Tribus ſignificantur, et inde per unamquamvis Tribum aliquid veri et boni, quare per ex omni tribu ſignificatur ex omnibus qui in aliquo genere veri et boni ſunt; et ex ſignificatione linguæ, quod ſit doctrina vitæ et fidei. Quod Tribus ſignificent omnia vera et bona in complexu, in ſuo Articulo infra plenius oſtendetur; pariter quod lingua ſignificet doctrinam vitæ et fidei, ita religionem: hic ſolum adducentur quæ de ſignificatione Tribuum in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt; nempe quod duodecim Tribus Iſraelis repræſentaverint et inde ſignificaverint omnia vera et bona in complexu, n. 3858, 3926, 4060, 6335: quod ſimilia duodecim Apoſtoli Domini, n. 2129, 3354, 3488, 6397: Cauſa quod duodecim fuerint, eſt quia duodecim ſignificant omnia, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913. Quia duodecim Tribus repræſentaverunt et inde ſignificaverunt omnia vera et bona in complexu, quod inde repræſentaverint Cœlum et Eccleſiam, n. 6337, 6637, 7836, 7891, 7996. Quod duodecim Tribus varia ſignificent ſecundum ordinem in quo nominantur, ac ita quoque omnia Cœli et Eccleſiæ cum varietate, n. 3862, 3926, 3939, 4603, ſeq. 6337, 6640, 10335.

Quod ideo reſponſa dari potuerint et data ſint per Urim et Thumim, ubi Nomina duodecim Tribuum Iſraelis lapidibus pretioſis inſculpta fuerunt, n. 3858, 6335, 6640, 9863, 9865, 9873, 9874, 9905.

331. Et populo et gente, quod ſignificet qui ab Eccleſia Domini ſpirituali et ab Eccleſia Ipſius cœleſti, conſtat ex ſignificatione populi et gentis in Verbo, quod per populum ſignificentur qui in bono ſpirituali ſunt, et per gentem qui in bono cœleſti, ita qui ab Eccleſia Domini ſpirituali et ab Eccleſia Ipſius cœleſti ſunt: quod duo Regna ſint in quæ Cœli diſtincti ſunt, nempe Regnum cœleſte et Regnum ſpirituale, et quod in Regno cœleſti ſint qui in bono amoris in Dominum ſunt, et in Regno ſpirituali qui in bono charitatis erga proximum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28: at duo illa Regna non ſolum ſunt in Cœlis, ſed etiam in terris, et in terris vocantur Eccleſia cœleſtis et Eccleſia ſpiritualis. Pauci ſciunt quid in ſpecie per populum aut populos, et quid in ſpecie per gentem aut gentes in Verbo ſignificatur, ideo velim aliqua loca e Verbo adducere, ubi ſimul nominantur, ex quibus patebit quod diſtinctum quid per populum et diſtinctum quid per gentes ſignificetur, nam niſi diſtinctum quid ſignificaretur, non utrumque ſimul nominaretur; ut in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Honorabunt Te Populus validus, urbs Gentium robuſtarum timebunt Te; Jehovah abſorbebit in Monte hoc facies obvolutionis, obvolutionem ſuper omnes Populos, et velamen obvelatum ſuper omnes Gentes,*" xxv. 3, 7, 8; diſtinguitur hic inter populos et inter gentes, quia populi ſignificant illos qui e Regno ſpirituali Domini ſunt, et gentes illos qui e Regno cœleſti Ipſius; ita illos qui in Bono ſpirituali et qui in Bono cœleſti; Bonum ſpirituale eſt bonum charitatis erga proximum et inde bonum fidei, et Bonum cœleſte eſt bonum amoris in Dominum et inde bonum amoris mutui; verum hujus boni eſt quod intelligitur per urbem gentium robuſtarum, nam urbs ſignificat Doctrinam veri ſeu vera Doctrinæ; per abſorbere obvolutionem ſuper omnes populos et velamen obvelatum ſuper omnes gentes, ſignificatur quod diſcutietur umbra quæ obtexit intellectum ne videantur vera et percipiantur bona quæ Eccleſiæ et Cœli ſunt. Apud Eundem, "*Appropinquate Gentes ad audiendum, et Populi auſcultate; audiat terra et plenitudo ejus,*" xxxiv. 1; quia gentes ſignificant illos qui in bono amoris ſunt, et populi illos qui in bono charitatis et inde veris fidei, ideo dicitur de gentibus quod appropinquarent, et de populis quod auſcultarent, appropinquare ſignificat conjungi per amorem, et auſcultare ſignificat obedire et inſtrui; ac ideo dicitur, audiat terra et plenitudo ejus, per terram ſignificatur Eccleſia quoad bonum, et per plenitudinem eus ſignificantur vera. Apud Eundem, "*Ego Jehovah vocavi Te in juſtitia, et apprehendam manum tuam, et dabo Te in fœdus Populo, in lucem Gentium,*" xlii. 6: apud Eundem, "*Educ Populum cæcum cui oculi ſunt, et ſurdos quibus aures; omnes Gentes congregentur una, et conveniant Populi,*" xliii. 8, 9: apud Eundem, "*In teſtem Populis dedi Ipſum, principem et legiſlatorem Gentibus,*" liv. 4, 5: apud Eundem, "*Sic dixit Dominus Jehovih, ecce tollam erga Gentes manum meam, et erga Populos attollam ſignum meum,*" xlix. 22:

apud Eundem, "*Populi ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam: multiplicaſti Gentem, illi magnum reddidiſti gaudium,*" ix. 1, 2: et apud Eundem, "*Fiet in die illo, radicem Jiſchaji, quæ ſtans in ſignum Populorum, Gentes quærent, et tollet ſignum Gentibus, et congregabit expulſos Iſraelis,*" xi. 10, 12; hæc, quæ in his locis, de Domino dicta ſunt, ac per populos et gentes intelliguntur omnes qui ab Eccleſia Ipſius, nam omnes qui ab Eccleſia Domini ſunt, vel e Regno Ipſius cœleſte ſunt vel e Regno Ipſius ſpirituali; præter illos qui in duobus iſtis Regnis, nulli dantur qui ab Eccleſia: ſunt etiam duo quæ faciunt Eccleſiam, Bonum et Verum, utrumque a Domino, per Gentes intelliguntur illi qui in bono ſunt, et per Populos illi qui in vero, et abſtracte a perſonis, per gentes ſignificantur bona Eccleſiæ, et per Populos vera ejus: quod per Populos ſignificentur vera Eccleſiæ, eſt quia Bonum ſpirituale, ſeu Bonum charitatis erga proximum, in quo ſunt illi qui per Populos intelliguntur, in ſua eſſentia eſt verum, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 8042, 10296: cauſa quod ita ſit, n. 863, 875, 895, 927, 1023, 1043, 1044, 1555, 2256, 4328, 4493, 5113, 9596: quale inde diſcrimen inter illos qui e Regno cœleſti ſunt et illos qui e Regno ſpirituali, n. 2088, 2669, 2709, 2715, 3235, 3240, 4788, 7068, 8521, 9277, 10295. Apud Eundem, "*In tempore illo adducetur munus Jehovæ Zebaoth Populus diſtractus et expilatus, et Gens delineata et conculcata, cujus terram deprædati ſunt fluvii, ad locum Nominis Jehovæ, montem Zionis,*" xviii. 2, 7; agitur ibi de invitatione omnium ad Eccleſiam, quare etiam nominatur populus et gens; mons Zionis ſignificat Eccleſiam ad quam invitantur; per populum diſtractum et expilatum ſignificantur illi apud quos vera ab illis qui in falſis doctrinæ ſunt, ſublata, mutata aut perverſa ſunt; per gentem delineatam et conculcatam, cujus terram deprædati ſunt fluvii, ſignificantur illi apud quos bona ſimiliter, fluvii ſunt falſa et ratiocinationes ex illis. Apud Sachariam, "*Adhuc venient Populi, et habitatores urbium magnarum, ad deprecandum facies Jehovæ, et ſic venient Populi multi, et Gentes numeroſæ ad quærendum Jehovam Zebaoth in Hieroſolyma,*" viii. 21, 22; per populos et per gentes etiam ibi ſignificantur omnes qui ab Eccleſia Domini, per populos illi qui ab Eccleſia Ipſius ſpirituali, et per gentes illi qui ab Eccleſia Ipſius cœleſti, Hieroſolyma quo venient eſt Eccleſia. Apud Davidem, "*Pones Me in caput gentium, Populus quem non noveram, ſervient Mihi,*" Pſalm. xviii. 44: apud Eundem, "*Jehovah ſubjiciet Populos ſub nos, et Gentes ſub pedes noſtros: regnat Deus ſuper Gentes, ſpontanei Populorum congregati ſunt,*" Pſalm. xlvii. 9, 10: apud Eundem, "*Ad cognoſcendum in terra inter omnes Gentes ſalutem tuam, confitebuntur Tibi Populi Deus, lætabuntur et jubilabunt Gentes, eo quod judicaturus es Populos rectitudine, et Gentes in terram ducturus es,*" Pſalm. lxvii. 3, 4, 5: apud Eundem, "*Memento mei Jehovah in beneplacito Populi tui, ut læter in gaudio Gentium tuarum,*" Pſalm. cvi. 4, 5: apud Eundem, "*Confitebor Tibi inter Gentes Domine, pſallam Tibi inter Populos,*" Pſalm. lviii. 8, 9, 10. Pſalm. cviii. 2, 3, 4; in his locis etiam populi et gentes nominantur, per quos intelliguntur omnes qui in veris et bonis ſunt; ipſæ etiam voces quæ dicuntur de populis, ſunt voces quæ prædicantur de veris, et quæ de gentibus ſunt voces quæ prædicantur de bonis: quod non alii per Gentes intelligantur, etiam patet ex eo, quod a Davide illa dicta ſint, qui gentium Cananæarum hoſtis fuit. Apud Lucam, “*Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod præparaſti ante faciem omnium Populorum, lumen in revelationem Gentium,*” ii. 31, 32, 33. Apud Zephaniam, “*Reliquiæ Populi mei deprædabuntur eos, et reſidui Gentis meæ hæreditabunt eos,*” ii. 9. Apud Moſen, “*Cum duo filii in utero colliderent, abivit Rebecca ad quærendum Jehovam, cui dixit Jehovah, duæ Gentes in utero tuo, et duo Populi ex viſceribus tuis ſeparabuntur,*” Geneſ. xxv. 21, 22: et apud Eundem, “*Memento dierum ſæculi, quum hæreditatem daret Altiſſimus Gentibus, quum ſepararet filios hominis, conſtituit terminos Populorum juxta numerum filiorum Iſraelis,*” Deut. xxxii. 8; per filios hominis ſimile ſignificatur quod per populos, nempe qui in veris et bonis ſpiritualibus ſunt, quare de illis dicitur, quum ſepararet filios hominis, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſraelis, per filios Iſraelis ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, et per numerum eorum ſeu duodecim Tribuum ab illis nominatarum, ſignificantur omnia vera et bona ibi, videatur mox ſupra n. 390, ideo illi vocantur populi; ſeparare illos et conſtituere terminos illorum, ſignificat abalienare a falſis et donare veris; et hæreditatem dare gentibus ſignificat cœlum et conjunctionem cum illis qui in bono amoris ſunt. Apud Danielem, “*Omnes Populi, Gentes, et Linguæ Ipſum colent; Dominium Ipſius Dominium æternum quod non tranſibit, et Regnum Ipſius quod non peribit,*” vii. 14; hæc de Domino, et per populos et gentes intelliguntur omnes qui in veris et bonis ſunt; et per omnes linguas intelliguntur e quacunque doctrina ſeu religione, nam Eccleſia Domini eſt univerſalis, eſt enim apud omnes qui in bono vitæ ſunt, et ex doctrina ſua ſpectant ad cœlum, et per id ſe conjungunt Domino, de quibus videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 318 ad 328; quia gentes ſignificant illos qui in bono amoris ſunt, et per populos qui in bono charitatis et inde veris fidei, ideo dicitur Dominium Ipſius Dominium æternum, et Regnum Ipſius non præteribit, Dominium in Verbo dicitur de bono et Regnum de vero, quare Dominus dicitur Dominus ex Divino Bono, et Rex ex Divino Vero. Præter hæc loca etiam alia dantur, quæ adduci poſſent ad confirmandum quod populi ſignificent illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, et gentes illos qui ab Eccleſia cœleſti; ſed illa ſolum hic adducta ſunt, in quibus conjunctim nominantur populi et gentes; quibus aliqua adjicientur, in quibus ſolum gentes; apud Eſajam, “*Aperite portas ut ingrediatur Gens juſta cuſtodiens fidelitates, addidiſti genti Jehovah, addidiſti Genti, glorificatus es, removiſti omnes extremitates terræ,*” xxvi. 2, 15. Apud Davidem, “*Convertentur ad Jehovam omnes fines terræ, et adorabunt coram Te omnes familiæ Gentium, quia Jehovæ Regnum, et dominans inter Gentes,*” Pſalm. xxii. 28, 29. Apud Eſajam, “*Ambulabunt Gentes ad lucem tuam, et Reges ad ſplendorem ortus tui, dilatabit ſe cor tuum, quod convertatur ad Te multitudo maris, exercitus Gentium veniant ad Te,*” lx. 3, 5, 11. Apud Eundem, “*Videbunt omnes Gentes juſtitiam tuam, et omnes Reges gloriam tuam,*” lxii. 2; in his locis non conjunctim dicuntur Gentes et Populi, ſed uſque in binis ultimis Gentes et Reges, quia per Reges ſignificatur ſimile quod per Populos, nempe illi qui in veris ſunt, videatur ſupra n. 31; et quia per Gentes ſignificantur illi qui in bono ſunt, et per Reges illi qui in veris, ideo de Gentibus dicitur quod videbunt juſtitiam tuam, et de Regibus quod videbunt gloriam tuam, juſtitia in Verbo dicitur de bono, et gloria de vero: quod Juſtitia in Verbo dicatur de Divino Bono, videatur n. 2235, 9857: et quod Gloria de Divino Vero, n. 4809, 5292, 8267, 8427, 9429. Ex oppoſito ſenſu adhuc conſtare poteſt, quod Populi ſignificent illos qui in veris, ac Gentes illos qui in bono, nam in illo ſenſu Populi ſignificant illos qui in falſis, et Gentes illos qui in malis; ut in ſequentibus; apud Eſajam, "*Aſchur virga iræ meæ, contra Gentem hypocriticam mittam illum, et contra Populum excandeſcentiæ meæ mandabo illum,*" x. 5, 6. Apud Eundem, "*Vox multitudinis in montibus, vox tumultus regnorum Gentium congregatarum; veniunt e terra longinquitatis, ab extremitate cœlorum, Jehovah cum vaſis iræ ſuæ ad perdendum omnem terram,*" xxx. 4, 5. Apud Eundem, "*Jehovah percutiens Populos plaga non curabili, dominans cum ira Gentibus,*" xiv. 6. Apud Eundem, "*A voce tumultus divagentur Populi, et præ celſitudine tua diſpergantur Gentes,*" xxxiii. 3. Apud Jeremiam, "*Ecce Populus venit e terra ſeptentrionis, et Gens magna excitabitur ex lateribus terræ, arcum et haſtam prehendunt, crudelis illa, nec miſerantur,*" vi. 22, 23. Apud Ezechielem, "*Non audire te faciam amplius calumniam Gentium, et opprobrium Populorum non portabis amplius,*" xxxvi. 15. Apud Davidem, "*Ponis nos proverbium inter Gentes, motionem Capitis inter Populos,*" Pſalm. xliv. 15: et apud Eundem, "*Jehovah irritum reddit conſilium Gentium, ſubvertit cogitationes Populorum,*" Pſalm. xxxiii. 10; in his locis Populi pro illis qui contra vera Eccleſiæ ſpiritualis ſunt, ita qui in falſis, et Gentes pro illis qui contra bona Eccleſiæ cœleſtis ſunt, ita qui in malis. Hæc quoque ſignificantur per Populos et Gentes qui expulſi e terra Canaane ſunt. Addantur his quæ ſupra n. 275.

332. Et feciſti nos Deo noſtro Reges et Sacerdotes, quod ſignificet quod illi a Domino ſint in veris et bonis Eccleſiæ et Cœli, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra n. 31 oſtenſa ſunt, ubi ſimilia verba.

333. Et regnabimus ſuper terra, quod ſignificet potentiam quæ Soli Domino per Divinum Verum unitum Divino Bono, ac inde potentiam et ſapientiam illis qui e Regno Domini ſpirituali et cœleſti ſunt, conſtat ex ſignificatione regnare, quod ſit in veris et bonis eſſe, et inde a Domino in potentia reſiſtendi malis et falſis quæ ab Inferno; et quia vera et bona ſunt a Solo Domino, et omnis potentia eſt veris ex bono, quare per regnare ſignificatur potentia quæ Soli Domino per Divinum Verum unitum Divino Bono, et inde illis potentia qui in Regno Domini ſpirituali et cœleſti ſunt: qui non Verbum in ſenſu ſpirituali rite intelligit, putabit quod ſicut reges et ſacerdotes futuri ſint, et cum Domino regnaturi, ſed in ſenſu ſpirituali per reges intelliguntur vera et per ſacerdotes bona abſtracte a perſonis, ſeu in perſonis a Domino, inde ſequitur quod vera ex bono regnatura ſint, ita Solus Dominus a Quo illa; Angeli quidem in

magna potentia ſunt, ſed uſque nullus a ſe, imo qui in Cœlo credit quod in potentia ſit a ſe, momento deprivatur illa, et tunc prorſus nihil valet: quod in ſenſu literæ dicatur quod regnaturi ſint, eſt quia ſenſus literæ eſt perſonalis, quare cum in eo dicitur quod futuri ſint reges et ſacerdotes, etiam dicitur quod regnaturi, at in ſenſu ſpirituali exuitur omne perſonæ, et inde quoque omne dominii quod illis, et relinquitur Soli Domino: hæc ſimiliter ſe habent, prout illa quæ Dominus ad ſuos Diſcipulos dixit, "*quod ſeſſuri ſuper duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Iſraelis,*" Matth. xix. 28. Luc. xxii. 30: tum quæ Dominus dixit ad Petrum, "*quod ei eſſent claves Regni cœlorum,*" Matth. xvi. 19; per quæ non intelligitur quod Diſcipuli et quod Petrus illam poteſtatem habituri ſint, ſed quod Solus Dominus, quoniam in ſenſu ſpirituali per duodecim Diſcipulos intelliguntur omnia vera et bona Eccleſiæ quæ a Domino, et per Petrum intelligitur Verum ex bono quod a Domino: quod per Diſcipulos intelligantur omnia vera et bona Eccleſiæ quæ a Domino, videatur ſupra n. 100, 122. Quod Petrus ſignificet verum ex bono quod a Domino, in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 57, et ſupra n. 9, 206, 209. Quod omnis potentia ſit vero ex bono quod a Domino, ita Soli Domino, et quod Angelis inde potentia, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 228 ad 233. Quod per regnabimus etiam ſignificetur quod illis ſapientia a Domino, eſt quia per reges et ſacerdotes ſignificantur vera et bona, et omnis ſapientia eſt ex veris quæ ex bono a Domino; dicitur quod regnaturi ſuper terra, quia per terram intelligitur Eccleſia Domini in Cœlis et in terris, videatur ſupra n. 304; etiam quod terra ibi non ſignificet terram, patet, ſicut quod nec futuri reges et ſacerdotes. Quod regnare ſignificet in veris ex bono eſſe, et inde in potentia et ſapientia a Domino, eſt quia Regnum ſignificat Cœlum et Eccleſiam quoad vera, et Rex verum ex bono; quod Regnum in Verbo ſignificet Cœlum et Eccleſiam quoad vera, videatur ſupra n. 48; et quod Rex verum ex bono, etiam ſupra n. 31: ſimile per regnare ſignificatur in ſequentibus, Cap. xx. 4, 6. Cap xxii. 5.

334. Verſ. 11. 12. *Et vidi et audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum et Animalia et Seniores, et erat numerus eorum Myriades myriadum et Chiliades chiliadum. Dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus accipere poteſtatem et divitias et ſapientiam, et honorem et gloriam, et benedictionem.* Et audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum, Animalia et Seniores, ſignificat agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis inferiorum Cœlorum; et erat numerus eorum myriades myriadum et chiliades chiliadum, ſignificat innumerabiles qui in veris et innumerabiles qui in bonis: dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus, ſignificat agnitionem corde, quod omne Divinum ſit ex Divino Humano Domini non agnito et a multis negato: accipere poteſtatem et divitias et ſapientiam, ſignificat quod Ipſi ſit Omnipotentia, Omniſcientia et Divina Providentia: et honorem et gloriam, ſignificat quod Ipſi ſit Divinum Bonum et Divinum Verum: et benedictionem, ſignificat agnitionem et glorificationem Domini propterea, et gratiarum actionem quod ab Ipſo

ſit omne bonum et verum, et inde cœlum et felicitas æterna illis qui recipiunt.

335. Et audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum, Animalia et Seniores, quod ſignificet agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis inferiorum Cœlorum, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra n. 322 dicta ſunt, quod nempe hoc ordine agnoverint et glorificaverint Dominum, primum Angeli ſuperiorum Cœlorum, dein Angeli inferiorum Cœlorum, et demum illi qui infra Cœlos; per quatuor Animalia enim et viginti quatuor Seniores, qui primum glorificarunt, ſignificantur Angeli ſuperiorum Cœlorum, videatur ſupra n. 322; per hos autem nunc qui circum Thronum et circum Animalia et Seniores, intelliguntur Angeli inferiorum Cœlorum; et per omne Creatum quod eſt in Cœlo et in terra, et ſub terra et in mari, de quibus mox infra Verſ. 13, intelliguntur qui infra Cœlos. Quod ſint Angeli inferiorum Cœlorum, qui hic intelliguntur, etiam patet ex eo, quod dicantur circum Thronum, Animalia et Seniores, et per circum in Verbo intelligitur quod in ulterioribus terminis, ita quod diſtat, ſed ubi agitur de Cœlo, intelligitur quod diſtat gradu intelligentiæ et ſapientiæ, ita quod infra eſt; Cœli enim ſunt ſuperiores et inferiores, diſtincti inter ſe ſecundum receptionem Divini Veri et Boni, ita ſecundum gradus intelligentiæ et ſapientiæ; ſed de gradibus, quibus inter ſe diſtant Cœli, proinde Angeli qui in illis, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 33, 34, 38, 39, 208, 209, 211, 425; infra ſecundum hos gradus eſt quod ſignificatur per circum; ſimile etiam alibi in Verbo ſignificatur per circum, circuitus, e longinquo, diſtans, extremitates, et ſimilia.

336. Et erat numerus eorum myriades myriadum et chiliades chiliadum, quod ſignificet innumerabiles qui in veris et innumerabiles qui in bonis, conſtat ex ſignificatione numeri, quod ſit quantum et quale, quantum in ſenſu naturali, et quale in ſenſu ſpirituali, numerus appoſitus determinat illa; ſed uſque per omnes numeros in Verbo ſignificatur aliquid rei, ſicut per duo, tria, quatuor, quinque, ſeptem, decem, et duodecim, ut in ſuis locis oſtenſum eſt; ſimilis res eſt cum Myriade et Chiliade, quæ hic nominantur: ſit pro exemplo numerus Septem, is non ſignificat ſeptem, ſed omnia, plenum et totum, videatur ſupra n. 257: quid autem myriades et chiliades ſignificant, nunc dicetur; myriades ſignificant innumerabilia, ſimiliter chiliades, ſed myriades dicuntur de veris, ac chiliades de bonis, inde eſt quod per myriades myriadum et chiliades chiliadum ſignificentur innumerabiles qui in veris et innumerabiles qui in bonis; illi qui in inferioribus Cœlis ſunt, de quibus hæc dicuntur, ſimiliter ac illi qui in ſuperioribus, de quibus ſupra actum eſt, ex duobus Regnis ſunt, nempe ex Regno ſpirituali et ex Regno cœleſti, qui ex Regno ſpirituali ſunt, illi intelliguntur per illos qui in veris, qui autem ex Regno cœleſti ſunt, illi intelliguntur per illos qui in bonis; innumerabilitas horum ſignificatur per chiliades chiliadum, et innumerabilitas illorum ſignificatur per myriades myriadum; in ſenſu autem abſtracto, qui eſt verus ſenſus ſpiritualis, ſignificantur innumerabilia vera et innumerabilia bona. Quod Myriades et Chiliades ſignificent

innumerabilia, eſt quia decem ſignificant multa, et inde quoque centum, mille et decem millia, nam Numeri per ſimilem numerum multiplicati ſignificant ſimile cum numeris ſimplicibus per quos multiplicati ſunt, videatur n. 5291, 5335, 5708, 7973; at cum innumerabilia, quæ infinite multa ſunt, exprimenda ſunt, dicuntur myriades myriadum et chiliades chiliadum: præterea cum duo Numeri multiplicati, unus major et unus minor, qui ſimile ſignificant, una dicuntur, ſicut cum decem et centum, aut centum et mille, tunc minor dicitur de bonis, et major de veris; cauſa eſt, quia unumquodvis bonum conſiſtit ex pluribus veris, formatur enim bonum ex veris, et inde producitur bonum per vera, ex eo eſt quod major numerus dicatur de veris et minor de bonis; ſimiliter hic myriades myriadum ac chiliades chiliadum; quod ita ſit, illuſtretur per hoc, unum jucundum affectionis ſiſti poteſt per plures ideas cogitationis, et exprimi per varia in loquela, jucundum affectionis eſt quod vocatur bonum, ac ideæ cogitationis et varia in loquela, quæ ex jucundo ſeu bono illo procedunt, ſunt quæ vocantur vera; ſimiliter ſe habet cum uno voluntatis ad multa intellectus ejus, et quoque cum uno amoris ad multa exprimentia illum; inde quoque eſt, quod multum et multitudo in Verbo dicatur de veris, ac magnum et magnitudo de bono, magnum enim in ſe multa continet: ſed hæc dicta ſunt illis, qui illuſtrari poſſunt per exempla, ut ſciant undenam eſt quod Chiliades ſignificent æque innumerabilia ac Myriades, at uſque quod Myriades dicantur de veris, et Chiliades de bonis. Quod hi numeri talia ſignificent, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Moſen, "*Primogenito bovis ejus honor illi, et cornua Monocerotis cornua ejus; his populos feriet una ad fines terræ, et hi Myriades Ephraimi et hi Chiliades Menaſcheh,*" Deut. xxxiii. 17; hæc dicta ſunt de Joſepho, per quem in ſenſu repræſentativo ſignificatur Dominus quoad Divinum Spirituale, et quoad Regnum Ipſius ſpirituale, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417; per binos ejus filios Ephraimum et Menaſchen, ſignificantur bina illius Regni, nempe Intellectuale verum et Voluntarium bonum, per Ephraimum Intellectuale Verum, et per Menaſchen Voluntarium Bonum, inde eſt quod dicatur Myriades Ephraimi et Chiliades Menaſcheh; quod illa per Ephraimum et Menaſchen ſignificentur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3969, 5351, 5353, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296: quid per primogenitum bovis et per cornua Monocerotis ibi ſignificatur, videatur ſupra n. 316. Apud Davidem, "*Currus Dei binæ Myriades, Chiliades Angelorum pacis, Dominus in illis, Sinai in Sanctuario,*" Pſalm. lxviii. 18; per Currus Dei ſignificantur vera doctrinæ, et per Angelos pacis ſignificantur bona ejus, quare de illis dicuntur myriades, et de his chiliades: quod currus ſignificent vera doctrinæ, videatur n. 2760, 5321, 8215; et quod pax ſignificet intimum boni, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 284 ad 290: et quia Dominus dicitur Dominus ex bono, et Sinai ſignificat Cœlum ubi et unde Divinum Verum, ideo dicitur Dominus in illis, Sinai in Sanctuario, Sanctuarium eſt Cœlum et Eccleſia ubi Divinum Verum; quod Dominus dicatur Dominus ex Divino Bono, ac Deus ex Divino Vero, videatur n. 4973, 9167, 9194; et quod Sinai significet Cœlum ubi Dominus ex Quo Divinum Verum, ſeu ex Quo Lex in ſenſu ſtricto et in ſenſu lato, n. 8399, 8753, 8793, 8805, 9420. Apud Eundem, "*Non timebis tibi a pavore noctis, a telo volat interdiu, a peſte in caligine ſerpit, a morte vaſtat in meridie; cadent a latere tuo Chilias, et Myrias a dextra tua,*" Pſalm. xci. 5, 6, 7; hæc dicta ſunt de falſis et malis quæ non ſciuntur eſſe falſa et mala, et de falſis et malis quæ ſciuntur eſſe falſa et mala, et uſque irrepunt in cogitationem et in voluntatem, ac homines perdunt; falſa quæ ſciuntur eſſe falſa intelliguntur per telum quod volat interdiu; et mala quæ ſciuntur eſſe mala et tamen intrant, intelliguntur per mortem quæ vaſtat in meridie; et falſa quæ non ſciuntur eſſe falſa, intelliguntur per pavorem noctis; et mala quæ non ſciuntur eſſe mala, per peſtem quæ in caligine ſerpit; deſtructio malorum horum ſignificatur per chiliadem quæ cadet a latere ejus; et deſtructio falſorum per myriadem quæ cadet a dextra ejus; etiam per latus a quo cadent ſignificatur bonum, et per dextram verum boni; quod chilias dicatur de malis, et myrias de falſis, eſt quia falſa ſunt oppoſita veris, et mala ſunt oppoſita bonis, ac oppoſita per ſimilia verba et per ſimiles numeros in Verbo exprimuntur. Apud Eundem, "*Horrea noſtra plena depromentia a cibo in cibum; greges noſtri chiliades, myriades in plateis noſtris,*" Pſalm. cxliv. 13; per horrea et per cibum ſignificantur bona et vera Eccleſiæ, nam cibi ſpirituales ſunt cognitiones veri et boni, per quas intelligentia; ſimilia, ſed interiora, ſignificantur per greges; quare bona Eccleſiæ intelliguntur per chiliades, et vera ejus per myriades; et quia vera intelliguntur per myriades, ideo dicitur myriades in plateis noſtris, per plateas enim urbis ſignificantur vera doctrinæ: quod cibus ſignificet et bonum et verum, videatur n. 3114, 4459, 4792, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656, 5576, 6277, 8418, 8562, 9003; inde quoque horrea quæ ſunt ſupellectualia illius; quod per greges ſignificentur interiora bona et vera, quæ vocantur ſpiritualia, n. 1565, 2566, 3767, 3768, 3772, 3783, 3795, 5913, 6044, 6048, 8937, 10609. Apud Micham, "*Num delectabitur Jehovah Chiliadibus arietum, Myriadibus rivorum olei,*" vi. 6; quia per Arietes ſignificantur bona ſpiritualia, et per rivos olei ſignificantur vera procedentia ex bono, ideo de his dicuntur myriades et de illis chiliades; quod per arietes ſignificentur bona ſpiritualia, videatur n. 2830, 4170; et quia per oleum ſignificatur bonum amoris, inde per rivos ejus ſignificantur procedentia ex illo, quæ ſunt vera. Apud Danielem, "*Videns fui uſque dum throni projecti ſunt, et Antiquus dierum ſedit, flumen ignis emanans et exiens a coram Ipſo; Chilias chiliadum miniſtrabant Ipſi, et Myrias myriadum coram Ipſo ſtabant,*" vii. 9, 10; agitur ibi de adventu Domini, et per thronos qui projecti ſignificantur falſa Eccleſiæ quæ deſtructa; per Antiquum dierum intelligitur Dominus ab Æterno; per flumen ignis emanans et exiens a coram Ipſo ſignificatur Divinum Bonum amoris et inde Divinum Verum, per flumen ignis emanans Divinum Bonum amoris, et per idem exiens Divinum Verum procedens; quia utrumque ſignificatur, ideo dicitur chilias chiliadum miniſtrabant Ipſi, et myrias myriadum ſtabant coram Ipſo, chilias de Divino Bono, et myrias de Divino Vero; miniſtrare etiam prædicatur de bono, videatur ſupra n. 155; et ſtare ſicut exire prædicatur de vero. Apud Moſen, “*Quando quieſcebat Arca, dixit Moſes, redi Jehovah, myriades chiliadum Iſraelis,*” Num. x. 36; quoniam per Arcam ſignificabatur Divinum Cœleſte procedens a Domino, ex Lege ſeu Teſtimonio quod in illa, et per Iſraelem ſignificabatur Eccleſia quoad receptionem Divini Boni et Divini Veri, ideo dicitur myriades chiliadum Iſraelis, per quæ ſignificantur vera ex bono quæ in Iſraele ſeu in Eccleſia. Quid autem Chilias ſeu Mille ſignificant, dum eis non adjunguntur decem millia ſeu Myrias, videbitur in ſuo Articulo in ſequentibus; pariter quid numerus.

337. Dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus, quod ſignificet agnitionem corde quod omne Divinum ſit ex Divino Humano Domini non agnito et a multis negato, conſtat ex ſignificatione dicere voce magna, quod ſit agnitio corde, de qua ſequitur; ex ſignificatione digni, cum de Domino, quod ſit meritum et juſtitia, de qua ſupra n. 293, 303; hic itaque quod omne Divinum Sibi ex propria potentia, ita ex merito, comparaverit, et ſic quod ex Juſtitia omne Divinum Ipſi ſit; quod hoc per *dignus eſt* intelligatur, conſtat ex illis quæ mox ſequuntur, nempe accipere poteſtatem et divitias et ſapientiam, et honorem et gloriam et benedictionem, per quæ in complexu ſignificatur omne Divinum; ex ſignificatione Agni, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, de qua etiam ſupra n. 314; et ex ſignificatione occiſi, quod ſit non agniti et a multis negati, de qua etiam ſupra n. 315, 328: ex his patet, quod per dicentes voce magna dignus eſt Agnus occiſus, ſignificetur agnitio corde quod omne Divinum ſit ex Divino Humano Domini non agnito et a multis negato. Quod omne Divinum ſit in Humano Domini et ex Illo in Cœlo et in terra, pluribus in locis eſt oſtenſum, et id confirmatum videbitur ad finem hujus Operis. Quod dicere voce magna ſit agnitio corde, hic quod ita ſit prout nunc dictum eſt, conſtare poteſt ab antecedentibus et ſequentibus in ſerie; præterea vox ſignificat omnia illa quæ poſtea dicuntur, et vox magna illa ex corde; ſunt binæ voces quæ ſæpius in Verbo occurrunt, nempe magnum et multum, ac magnum ibi prædicatur de bono, et multum de veris, unde id, videas mox ſupra n. 336; et quia quod procedit ex bono, hoc procedit ex corde, ideo hic per dicere voce magna ſignificatur agnitio corde; cor etiam ex correſpondentia ſignificat bonum amoris, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 95, 447; et ſupra n. 167.

338 Accipere poteſtatem et divitias et ſapientiam, quod ſignificet quod Ipſi ſit Omnipotentia, Omniſcientia et Divina Providentia, conſtat ex ſignificatione poteſtatis, cum de Domino, quod ſit Omnipotentia; ex ſignificatione divitiarum, cum de Domino, quod ſit Omniſcientia; et ex ſignificatione ſapientiæ, cum de Domino, quod ſit Divina Providentia; quod hæc ſignificentur, eſt quia de Domino non dici poteſt niſi quod

eſt ſupra omnia, quapropter cum dicitur quod Ipſi ſit poteſtas, intelligitur quod Ipſi ſit omnis poteſtas, quæ eſt Omnipotentia; et cum dicitur quod Ipſi ſint divitiæ, intelligitur quod Ipſi ſint omnes divitiæ ſpirituales, per quas ſignificatur intelligentia, proinde Omniſcientia; quod per divitias in Verbo ſignificentur cognitiones veri et boni, ac inde intelligentia, videatur ſupra n. 236; et cum dicitur quod Ipſi ſit ſapientia, intelligitur quod Ipſi ſit omnis ſapientia, quæ eſt Divina Providentia; vera ſapientia enim eſt videre quid conducit vitæ alicujus in æternum, et ſe ad id diſponere, quod fit quando homo non modo ſcit illa et intellectu percipit illa, ſed etiam cum vult et facit illa, Divina autem ſapientia eſt providere illa apud hominem, ita eſt Divina Providentia: porro quid Divina Providentia, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 267 ad 279.

339. Et honorem et gloriam, quod ſignificet quod Ipſi ſit Divinum Bonum et Divinum Verum, conſtat ex ſignificatione honoris et gloriæ, cum de Domino, quod ſit Divinum Bonum et Divinum Verum, de qua ſupra n. 288.

340. Et benedictionem, quod ſignificet agnitionem et glorificationem Domini propterea, ac gratiarum actionem quod ab Ipſo ſit omne bonum et verum, et inde Cœlum et felicitas æterna illis qui recipiunt, conſtat ex ſignificatione benedictionis, cum dicitur de Domino, quod ſit agnitio, hic agnitio quod Ipſi ſit Omnipotentia, Omniſcientia, Providentia, Divinum Bonum et Divinum Verum, quæ ſignificantur per dignus eſt accipere poteſtatem, divitias, ſapientiam, honorem et gloriam, et quoque glorificatio propterea; præterea Benedictio, cum de Domino, ſignificat gratiarum actionem quod ab Ipſo ſit omne bonum amoris et verum fidei, et inde Cœlum et felicitas æterna illis qui recipiunt. Quoniam agnitio et glorificatio propterea, et quoque gratiarum actio ſignificatur hic per benedictionem, ideo ultimo loco ſeu ut clauſula dicitur ab Angelis his qui glorificabant Dominum. Quod illa per benedictionem, cum de Domino, ſignificentur, eſt quia non aliud eſt benedictio, quam quod datur a Domino, hoc enim unice eſt Benedictum, quia eſt Divinum et Æternum, ac in ſe cœlum et felicitatem æternam habet; omnia alia quæ non Divinum et æternum in ſe habent, non ſunt benedictio, tametſi ita vocantur, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 269, 270. Quod Benedictio, ubi nominatur in Verbo, talia ſignificet, conſtare poteſt a locis ibi in ſenſu interno intellectis; at primum adducentur aliqua loca, ubi de Jehovah, hoc eſt, Domino, dicitur Benedictus et Benedictio, et ubi dicitur Benedicere Deo, ut videatur quod per illa ſignificetur agnitio, glorificatio et gratiarum actio quod ab Ipſo ſit omne bonum et verum, et inde cœlum et felicitas æterna illis qui recipiunt: apud Lucam, "*Apertum eſt os Sachariæ, et loquutus eſt Benedicens Deo; et dixit, Benedictus Dominus Deus Iſraelis quia viſitavit et fecit redemptionem populo ſuo,*" i. 64, 68; hoc dixit Sacharias cum impletus ſpiritu prophetavit de Domino, et per benedicens Deo et per benedictus Dominus Deus Iſraelis, ſignificatur glorificatio et gratiarum actio quod liberet et vindicet ab Inferno illos qui recipiunt

Ipſum, quare etiam dicitur, quia viſitavit et redemptionem fecit populo ſuo Iſraeli, per redemptionem ſignificatur liberatio ab Inferno, et per populum ſuum ſignificantur qui in veris ex bono ſunt, ita qui recipiunt; quod per redemptionem ſignificetur liberatio et vindicatio ab Inferno, videatur ſupra n. 328; et quod per populum ſignificentur qui in veris ex bono ſunt, etiam ſupra n. 331. Apud Eundem, "*Simeon ſuſcepit Jeſum infantem in ulnas ſuas, et benedixit Deo; et dixit, viderunt oculi mei ſalutem tuam, quam paraſti ante faciem omnium populorum,*" ii. 28, 30, 31; hic benedicere Deo manifeſte pro glorificare et gratias agere, quod Dominus in mundum venerit ſalvaturus omnes qui recipiunt Ipſum; quare Dominum vocat ſalutem quam oculi ſui videbant, quam parat omnibus populis; populi Ipſius dicuntur qui in veris ex bono ſunt, ita qui per illa recipiunt Ipſum, ut ſupra. Apud Davidem, "*Viderunt greſſus tuos, Deus; præceſſerunt cantantes poſt pulſantes, in medio virginum tympanizantium; in congregationibus Benedicite Deo, Domino e fonte ſalutis,*" Pſalm. lxviii. 25, 26, 27; in congregationibus benedicere Deo, Domino e fonte ſalutis, ſignificat glorificare Dominum ex veris ſpiritualibus, quæ ſunt vera ex bono, per congregationes in Verbo ſimile ſignificatur quod per populum, nempe illi qui in veris ſpiritualibus ſunt, et abſtracte ipſa illa vera; et per fontem ſalutis ſignificatur bonum ſpirituale quoniam per id eſt ſalus, bonum ſpirituale eſt bonum charitatis erga proximum, et verum ſpirituale eſt verum fidei ex illo bono; quod congregationes in Verbo dicantur de veris ſpiritualibus, videatur n. 6355, 7843; quia per benedicere in congregationibus ſignificatur glorificatio ex veris ſpiritualibus, et per benedicere e fonte ſalutis ſignificatur e bono ſpirituali, ideo dicitur Deus de illis, et Dominus de hoc, Deus enim in Verbo dicitur ubi agitur de veris, ac Jehovah et Dominus ubi agitur de bono: quod glorificatio ſit quæ intelligitur per benedicere, conſtat ex eo, quod hoc immediate ſequatur poſt hæc verba, "præceſſerunt cantantes poſt pulſantes, in medio virginum tympanizantium," per quæ quod ſignificetur glorificatio ex veris et bonis ſpiritualibus, videatur ſupra n. 323, 326. Apud Eundem, "*Cantate Jehovæ Canticum novum, cantate Jehovæ omnis terra, Benedicite Nomini Ipſius, evangelizate e die in diem ſalutem Ipſius, enumerate in gentibus gloriam Ipſius,*" Pſalm. xcvi. 1, 2, 3; quod benedicere Jehovæ hic ſit glorificare Ipſum et gratias agere Ipſi, patet; et quia omnis glorificatio Ipſius eſt ex veris ſpiritualibus et ex bono ſpirituali, ideo dicitur benedicite Nomini Ipſius, evangelizate e die in diem ſalutem Ipſius, etiam nomen dicitur de veris, et ſalus de bono; quod cantare canticum ſignificet glorificare ex illis veris et ex illo bono, videatur ſupra n. 323, 326. Apud Moſen, "*Jehovah elegit filios Levi ad miniſtrandum Ipſi, et ad benedicendum in Nomine Jehovæ,*" Deut. x. 8. Cap. xxi. 5; quia filii Levi præfecti erant Cultui Divino, et omnis cultus Divinus fit ex Bono ſpirituali et ex veris inde, ideo dicitur quod Jehovah elegerit illos ad miniſtrandum Ipſi et ad benedicendum in Nomine Ipſius, et per miniſtrare ſignificatur cultus ex bono ſpirituali, et per benedicere ſignificatur cultus ex veris ſpiritualibus; quod miniſtrare dicatur de cultu ex bono, videatur ſupra n. 155. Apud Davidem, "*Jehovah præveniſti Regem Benedictionibus boni, poſuiſti ſuper caput Illius coronam auri optimi, honorem et gloriam ponis ſuper Illum, quoniam ponis Illum Benedictiones in perpetuum,*" Pſalm. xxi. 4, 6, 7; per Regem ibi non intelligitur David, ſed Dominus, Qui vocatur Rex ex Divino ſpirituali quod procedit ex Divino Humano Ipſius; et quia Benedictio ſignificat agnitionem, glorificationem, et gratiarum actionem, quod omne bonum et verum ac inde Cœlum et felicitas æterna ſint ab Ipſo, inde patet quid ſignificatur per præveniſti Regem benedictionibus boni, et per ponis Illum benedictiones in perpetuum; benedictiones boni ſignificant vera ex bono; corona auri optimi ſignificat bonum ex quo illa; honor et gloria ſignificant Divinum Bonum et Divinum Verum: quod per Davidem in Verbo intelligatur Dominus, videatur ſupra n. 205; ſimiliter per Regem in Pſalmis, n. 31: quod per coronam Regum ſignificetur Divinum Bonum, n. 272: ſimiliter per aurum, n. 242: et quod per honorem et gloriam Divinum Bonum et Divinum Verum, n. 288. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificat Benedictus, cum de Domino, ut in ſequentibus his locis, "*Diſcipuli magna voce clamabant, Benedictus qui venit Rex in Nomine Domini,*" Luc. xix. 37, 38: "*Turba clamabat, Oſanna Filio Davidis, Benedictus qui venit in Nomine Domini,*" Matth. xxi. 9. Marc. xi. 9, 10. Joh. xii. 12, 13: "*Jeſus dixit, non Me videbitis poſthac, donec dicatis, Benedictus veniens in Nomine Domini,*" Matth. xxiii. 39. Luc. xiii. 35. "*Princeps ſacerdotum interrogavit Jeſum, Tune es Chriſtus Filius Benedicti,*" Marc. xiv. 61; Benedictus veniens in Nomine Domini, ſignificat glorificatus quia ab Ipſo omne Divinum Verum et Divinum Bonum, Nomen Domini ſignificat omne per quod colitur, et quia omne id ſe refert ad bonum amoris et ad verum fidei, ideo hæc per Nomen Domini ſignificantur; quod Nomen Domini ſignificet omne per quod colitur, videatur ſupra n. 102, 135, 148, 224; et quod Dominus dicatur Dominus ex Divino Bono, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4973, 9167, 9194. Apud Moſen, "*Melchizedech benedixit Abramo, et dixit, Benedictus Abramus Deo Altiſſimo, Poſſeſſori Cœli et Terræ; et Benedictus Deus Altiſſimus, Qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam,*" Geneſ. xiv. 18, 19, 20; hic dicitur Benedictus Deus Altiſſimus, qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam, et ſignificat quod glorificatio et gratiarum actio fit Ipſi propterea. Illi itaque qui recipiunt Divinum Bonum et Divinum Verum a Domino, vocantur *Benedicti*, Pſalm. xxxvii. 22. Pſalm. cxv. 15. Matth. xxv. 34. Quod per Benedictionem, cum de homine, non aliud intelligatur quam receptio Divini Veri et Divini Boni, ex cauſa quia in illis eſt Cœlum et felicitas æterna, conſtare poteſt a ſequentibus locis; apud Davidem, "*Mundus manibus et purus corde feret Benedictionem a coram Jehovah, ac juſtitiam a Deo ſalutis noſtræ,*" Pſalm. xxiv. 5; mundus manibus ſignificat illos qui in veris ex fide ſunt, et purus corde qui in bono ex amore; de his dicitur quod ferent benedictionem a coram Jehovah, et juſtitiam a Deo ſalutis, et per ferre benedictionem ſignificatur receptio Divini Veri, et per ferre juſtitiam receptio Divini Boni; quod juſtitia dicatur de bono, videatur ſupra n. 204; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2235, 9857. Apud Moſen, "*Sic benedicetis filiis Iſraelis; benedicat tibi Jehovah et cuſtodiat te; lucere faciat Jehovah facies ſuas ſuper te, et miſereatur tui; attollat Jehovah facies ſuas ſuper te, et ponat tibi pacem: ita ponent Nomen meum ſuper filios Iſraelis, et Ego benedicam illis,*" Num. vi. 23 ad 29; ex his per ſenſum internum evolutis patet, quid Benedictio in ſumma involvit, nempe quod Jehovah, hoc eſt, Dominus ex Divino Amore influat cum Divino Vero et cum Divino Bono apud illos qui recipiunt; Divinus Amor, ex quo Dominus influit, intelligitur per facies Jehovæ; Divinum Verum, cum quo Dominus influit, intelligitur per lucere faciat Jehovah facies ſuas ſuper te; et Divinum Bonum, cum quo influit, intelligitur per attollat Jehovah facies ſuas ſuper te; tutela a malis et falſis, quæ alioquin auferrent influxum, intelligitur per cuſtodiat te et miſereatur tui; cœlum et felicitas æterna, quæ Dominus per Divinum ſuum Verum ac Divinum ſuum Bonum donat, intelligitur per ponet tibi pacem; communicatio et conjunctio cum illis qui recipiunt, intelligitur per ita ponent Nomen meum ſuper filios Iſraelis, per Nomen Jehovæ ſignificatur Divinum procedens, quod in genere vocatur Divinum Verum ac Divinum Bonum, et per filios Iſraelis ſignificantur illi qui ab Eccleſia ſunt, ita qui recipiunt, de illis ideo dicitur, et Ego benedicam illis: quod hic ſenſus internus ſeu ſpiritualis illorum verborum ſit, conſtare poteſt ex eo, quod per facies Jehovæ ſignificetur Divinus Amor; per lucere facere illas ſignificatur influxus Divini Veri, et per attollere illas ſignificatur influxus Divini Boni: ut hæc melius intelligantur, dicetur unde hæ ſignificationes; Dominus apparet Angelis in Cœlo ut Sol, eſt enim Divinus Amor Ipſius qui ita apparet, hic itaque intelligitur per faciem Jehovæ; Lux quæ inde procedit eſt Divinum Verum, hoc itaque eſt quod intelligitur per lucere faciat facies ſuas; calor qui etiam inde procedit, eſt Divinum Bonum, hoc itaque intelligitur per attollat facies ſuas, per attollere enim ſignificatur ſe revelare, quod fit ex Divino Bono per Divinum Verum: quod Dominus appareat Angelis in Cœlo ut Sol, et quod illa apparentia ſit Divini Amoris Ipſius, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 125: et quod Lux inde ſit Divinum Verum, ac quod Calor inde ſit Divinum Bonum, n. 126 ad 140 ibi: quod Pax ſignificet jucundum cœleſte quod beatitudine intime afficit omne bonum, et quod inde ſignificet Cœlum et felicitatem æternam, videatur in eodem Opere, n. 284 ad 290: et quod filii Iſraelis ſignificent illos qui ab Eccleſia ſunt, ita Eccleſiam, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 6426, 8805, 9340. Apud Ezechielem, "*Dabo eos circuitus Collis mei Benedictionem, et demittam pluviam in tempore ſuo, pluviæ Benedictionis erunt, tunc dabit arbor fructum ſuum, terra dabit proventum ſuum,*" xxxiv. 26, 27; qui Verbum ſolum in ſenſu ejus naturali videt, is non aliter credit, quam quod talia, quæ in eo ſenſu dicuntur, intelligantur per Benedictionem, quod nempe pluvia daretur fœcundatura hortos et agros, et ſic quod arbor datura ſit fructum ſuum et terra proventum ſuum; ſed eſt Benedictio ſpiritualis quæ intelligitur, per pluviam enim ſignificatur omne Divinum quod e Cœlo a Domino influit apud hominem; quod vera productura ſint bonum, et quod bonum producturum ſit vera, ſignificatur per quod arbor dabit fructum ſuum, et terra proventum ſuum, terra eſt Eccleſia, et quoque hortus ubi arbores; per eos et per circuitus collis mei, quos dabit benedictionem, ſignificantur internum et externum apud homines Eccleſiæ, circuitus ſignificat id quod extra ſeu infra eſt, et collis ſignificat id quod intra ſeu ſupra eſt, in ſpecie ubi charitas, hæc enim intra eſt; quod collis ſignificet ubi charitas, videatur n. 6435, 10438. Apud Davidem, “*Beatus omnis timens Jehovæ, et ambulat in viis Ipſius; laborem manuum tuarum comedes; beatus tu, et bonum tibi; uxor tua ſicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ; filii tui ſicut plantæ olearum circumcirca menſas tuas: ecce ſic benedicetur viro timenti Jehovam; benedicet tibi Jehovah e Zione, ut videas bonum Hieroſolymæ omnibus diebus vitæ tuæ, pacem ſuper Iſraele,*” Pſalm. cxxviii. 1 ad 6; hic quoque per benedici non intelligitur benedici naturaliter, ut quod laborem manuum ſuarum comederet, quod uxor fœcunda eſſet, quod filii multi circum menſas ejus, et quod hoc in Zione et in Hieroſolyma, ſed intelligitur benedici ſpiritualiter; per timentes enim Jehovæ intelliguntur qui amant facere præcepta Ipſius, quare dicitur beatus timens Jehovæ qui ambulat in viis Ejus, ambulare in viis Ejus ſignificat facere præcepta; per laborem manuum quem comederet, ſignificatur ſtudium vitæ ſecundum illa; per uxorem in lateribus domus, ſignificatur affectio veri ſpiritualis in omnibus quæ cogitat et facit, quare etiam dicitur ſicut vitis fructifera, per vitem enim ſignificatur Eccleſia ſpiritualis ex affectione veri; per filios circum menſas ſignificantur vera boni inde, menſæ ſunt inſtructiones, quare etiam dicitur ſicut plantæ olearum, plantæ ſignificant vera et oleæ bona; per Zionem ſignificatur cœlum unde illa, et per Hieroſolymam doctrina; inde patet quid ſignificatur per benedicet tibi Jehovah e Zione, ut videas bonum Hieroſolymæ omnibus diebus vitæ tuæ; per pacem ſuper Iſraele ſignificatur omne bonum ſpirituale in genere et in ſpecie, Iſrael eſt Eccleſia. Apud Eundem, “*Sicut ros Chermonis, qui deſcendit ſuper montes Zionis; ibi enim præcepit Jehovah Benedictioni vitæ uſque in ſæculum,*” Pſalm. cxxxiii. 3; agitur ibi de conjugio boni et veri, et de eorum fructificatione et multiplicatione; hæc et illa ſignificantur per rorem Chermonis qui deſcendit ſuper montes Zionis, montes Zionis ſignificant ubi bona amoris cœleſtis; quare etiam dicitur ibi præcepit Jehovah benedictioni vitæ uſque in ſæculum. Apud Moſen, “*Si audiveritis judicia hæc, ut cuſtodiatis et faciatis ea, cuſtodiet Jehovah Deus tuus fœdus et miſericordiam, et amabit te et benedicet tibi, et benedicet fructui ventris tui, et terræ tuæ, frumento tuo, et muſto tuo, et oleo tuo, et fœtui boum tuorum et arietum gregis tui; Benedictus eris præ omnibus populis; non erit in te infœcundus et infœcunda, et in beſtia tua; removebit a te Jehovah omnem morbum, et omnes languores Ægypti malos, quos noſti, non ponet ſuper te, ſed dabit eos ſuper omnes oſores tuos, et conſumes omnes populos quos Jehovah Deus tuus traditurus tibi, non parcet oculus tuus eis,*” Deut. vii. 12, 13, 14, 15, 16;

per omnia hæc intelliguntur ſpiritualia, ita benedictiones ſpirituales, ſenſus literæ qui eſt naturalis, et pro iis qui in Mundo naturali et inde in idea naturali ſunt, illa involvit et ſignificat, quare ex ſpirituali ſenſu Verbi conſtare poteſt quid in genere et in ſpecie per Benedici intelligitur; per fructum ventris et per fructum terræ, per frumentum, muſtum et oleum, per fœtum boum et arietum gregis, intelliguntur multiplicationes veri et fructificationes boni, ita benedictiones ſpirituales; quid per ſingula in ſpecie ſignificatur, variis in locis in Arcanis Cœleſtibus, et in Explicationibus ſuper hunc Librum Propheticum, videri poteſt; non erit in te infœcundus et infœcunda, et in beſtia tua, ſignificat multiplicationem veri et fructificationem boni in Interno et Externo homine; et quod removebit Jehovah omnem morbum et omnes languores Ægypti malos, ſignificat remotionem omnium malorum et falſorum, languores Ægypti mali ſunt falſa oriunda ex malis in naturali homine; oſores ſuper quos Jehovah dabit illos ſunt qui contra vera ac bona Eccleſiæ ſunt; diſſipatio malorum et falſorum quæ contra vera et bona Eccleſiæ ſunt, ſignificatur per conſumes omnes populos quos Jehovah Deus traditurus tibi, et evitatio eorum continua per non parcet oculus tuus eis: quod per hæc benedicantur illi qui faciunt præcepta Domini, intelligitur per ſi audiveritis judicia hæc ut cuſtodiatis et faciatis ea, cuſtodiet Jehovah Deus tuus tibi fœdus et miſericordiam, amabit te et benedicet tibi, fœdus et miſericordia eſt conjunctio ex amore per illa, conjunctio per bonum intelligitur per fœdus et per amabit, et conjunctio per verum inde intelligitur per miſericordiam et per benedicet tibi. Apud Eundem, "*Benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi cubantis infra, benedictionibus uberum et uteri,*" Geneſ. xlix. 25; hæc de Joſepho, per quem ibi ſignificatur Regnum ſpirituale Domini; et per benedictiones Cœli deſuper intelliguntur multiplicationes veri ex bono in Interno ſeu ſpirituali homine; per benedictiones abyſſi cubantis infra intelliguntur multiplicationes veri ex bono in Externo ſeu naturali homine; et per benedictiones uberum et uteri ſignificantur bona ſpiritualia et cœleſtia. Apud Joelem, "*Quis ſcit, revertatur et pœnitebit Jehovam Deum, et relinquet poſt Se benedictionem, mincham et libamen Jehovæ Deo noſtro,*" ii. 14; quia per benedictionem ſignificatur benedictio ſpiritualis, quæ in genere ſe refert ad bonum et verum, quod procedit a Domino et datur homini, ideo dicitur, relinquet poſt ſe benedictionem, mincham et libamen a Deo noſtro, mincha quæ erat panis ſignificat bonum, et libamen quod erat vinum ſignificat verum, utrumque a Domino, nam dicitur a Deo noſtro. Apud Eſajam, "*In die illo erit ſemita ex Ægypto in Aſchurem, ut veniat Aſchur in Ægyptum, et Ægyptus in Aſchurem, ut ſerviant Ægyptii cum Aſchure: in die illo erit Iſrael trina Ægypto et Aſchuri, Benedictio in medio terræ, cui benedicet Jehovah dicendo, benedictus populus meus Ægyptus, et opus manuum mearum Aſchur, et hæreditas mea Iſrael,*" xix. 23, 24, 25; per Iſraelem, Aſchurem et Ægyptum ſignificantur tria quæ ſunt apud homines Eccleſiæ, nempe ſpirituale, rationale et ſcientificum, per Iſraelem ſpirituale, per Aſchurem rationale, et per Ægyptum ſcientificum; quia omne rationale hominis formatur per ſcientifica, et utrumque ex ſpirituali quod e cœlo a Domino, omnis enim intelligentia veri, et omnis applicatio ſcientiarum ad vera inde eſt, ideo dicitur quod ſemita erit ex Ægypto in Aſchurem, ut veniat Aſchur in Ægyptum et Ægyptus in Aſchurem; et ſerviant Ægyptii cum Aſchure; et dein, quod Iſrael erit trina Ægypto et Aſchuri, benedictio in medio terræ, medium ſignificat intimum a quo reliqua ſeu a quo totum, videatur ſupra n. 213, et terra Eccleſiam ubi illa; et quia ſpirituale eſt a quo rationale et ſcientificum applicantur genuinis veris, ideo Iſrael vocatur hæreditas ſeu hæres domi qui poſſidet omnia, et Aſchur opus manuum mearum quia inde formatur rationale, ac Ægyptus vocatur populus benedictus, quia in ſcientifico ut in ſuo ultimo ſunt omnia ſimul: ex his etiam patet, quod per Benedictionem in Verbo intelligatur Benedictio ſpiritualis. Apud Sachariam, “*Quemadmodum fuiſtis maledictio inter gentes, domus Jehudæ et domus Iſraelis, ſic liberabo vos, ut ſitis Benedictio,*” viii. 13; hæc dicta ſunt de Eccleſia devaſtata, et de Eccleſia inſtauranda a Domino; domus Jehudæ et domus Iſraelis ſignificant Eccleſiam, hic in utroque ſenſu; Eccleſia devaſtata dicitur maledictio, quia ibi malum et falſum, at Eccleſia inſtauranda dicitur benedictio, quia ibi bonum et verum. Apud Davidem, “*Jehovæ ſalus, ſuper populum tuum Benedictio tua,*” Pſalm. iii. 9; benedictio Jehovæ ſuper populum ſuum, ſignificat influxum et receptionem boni et veri; populus Jehovæ dicuntur qui in bono ſpirituali ſunt, videatur ſupra n. 331. Apud Moſen, “*Faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi, ut fias benedictio: etiam benedicam benedicentibus tibi, et maledicentibus tibi maledicam, et benedicentur in te omnes familiæ terræ,*” Geneſ. xii. 2, 3: apud Eundem, “*Benedicetur in illo omnibus gentibus terræ,*” Gen. xviii. 18; hæc de Abrahamo dicta ſunt, et per illum in ſupremo ſenſu intelligitur Dominus, et in ſenſu reſpectivo Regnum Domini cœleſte et Eccleſia cœleſtis; inde patet quid ſignificat, faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi ut fias benedictio, quod nempe ut ibi Divinum Bonum et Divinum Verum, gens magna dicitur de Divino Bono, videatur ſupra n. 331, et benedictio de Divino Vero; benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, ſignificat quod Divinum Verum erit illis qui recipiunt, et falſum mali illis qui non recipiunt; benedicentur in te omnes familiæ terræ, et benedicetur in illo omnibus gentibus terræ, ſignificat ex receptione Divini Veri et Divini Boni Cœlum et felicitas æterna illis, familiæ terræ ſignificant illos qui in veris ex bono ſunt, familiæ ſunt vera, gentes ſunt bona, benedictio ſignificat quod inde illis cœlum et felicitas æterna. Simile ſignificatur per benedictionem Iſraelis et Jacobi, apud Eundem, “*Benedicentes tibi benedictus, et maledicentes tibi maledictus,*” Num. xxiv. 9: et apud Eundem, “*Erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ, et expandet ſe verſus occidentem et verſus orientem et verſus ſeptentrionem et verſus meridiem; et benedicentur in te omnes familiæ terræ, et in ſemine tuo,*” Geneſ. xxviii. 14; per Iſraelem et Jacobum etiam in ſupremo ſenſu intelligitur Dominus, ac in ſenſu reſpectivo Regnum Domini ſpirituale, et Eccleſia ſpiritualis, per Iſraelem Eccleſia illa interna, per Jacobum externa; per ſemen quod erit ſicut pulvis terræ, et quod expandet ſe verſus occidentem, orientem, ſeptentrionem et meridiem, ſignificatur Divinum Verum procedens a Domino ac receptum ab iis qui ab Eccleſia illa ſunt; fructificatio boni inde ſignificatur per quod expandet ſe verſus occidentem et orientem, et multiplicatio veri inde ſignificatur per quod expandet ſe verſus ſeptentrionem et meridiem; quod illæ plagæ talia ſignificent, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 141 ad 153. "*Quod Dominus benedixerit Pani, Vino, Piſcibus, quæ dedit diſcipulis et populo,*" Matth. xiv. 15, 21, 22. Cap. xv. 32. Cap. xxvi. 26, 27. Marc. vi. 41. Cap. viii. 6, 7. Cap. xiv. 22, 23. Luc. ix. 16. Cap. xxii. 19. Cap. xxiv. 30, ſignificabat communicationem Divini ſui et ſic conjunctionem cum illis per bona et vera, quæ ſignificantur per panem et vinum, et quoque per piſces; panis et vinum ſignificant bona et vera in ſpirituali homine, et piſces bona et vera in naturali. Apud Eſajam, "*Servis ſuis vocabit nomen aliud; qui benedicit ſibi in terra, benedicet ſibi in Deo veritatis; et qui jurat in terra, juret in Deo veritatis, quia oblivioni tradentur anguſtiæ priores,*" lxvi. 15, 16; per benedicere ſibi ſignificatur ſe inſtruere in Divinis veris et illa applicare vitæ; et per jurare ſignificatur ſe inſtruere in Divinis bonis et illa applicare vitæ; quod per jurare hoc ſignificetur eſt quia juramentum in ſenſu interno ſignificat confirmationem apud hominem et convictionem quod ita ſit, et hoc fit ex bono per vera, aliunde quam ex bono non confirmantur et convincuntur vera apud hominem; agitur ibi de nova Eccleſia, et per vocare nomen aliud ſignificatur quale ejus quoad verum et bonum. Apud Jeremiam, "*Jura per vivum Jehovam in Veritate, in judicio et in juſtitia; benedicent ſibi in Eo gentes, et in Eo gloriabuntur,*" iv. 2; ſimile hic per jurare et benedicere ſibi ſignificatur; gentes quæ in Jehovah benedicent ſibi, ſignificant illos qui in bono ſunt. Per benedicere in oppoſito ſenſu ſignificatur amare malum et falſum, ac illud imbuere; ut apud Eſajam, "*Qui mactat bovem percutit virum, qui offert thus benedicit vanitati; etiam iſta elegerunt in viis ſuis,*" lxvi. 3; mactare ſeu ſacrificare bovem et percutere virum, ſignificat in externis colere Deum, et tamen rejicere omne verum; per ſacrificare bovem ſignificatur cultus ex illis quæ repræſentabant bonum naturale, bos enim eſt bonum naturale; et per percutere virum ſignificatur rejicere et negare verum, vir in Verbo eſt verum; offerre thus et benedicere vanitati, ſignificat colere Deum ex talibus quæ repræſentabant bonum ſpirituale, et tamen amare malum et falſum ac imbuere illa, oblatio thuris eſt cultus ex bono ſpirituali, et vanitas eſt malum et falſum mali.

341. Verſ. 13. *Et omne creatum quod eſt in Cælo et in Terra et ſub Terra, et in Mari quæ ſunt, et quæ in illis omnia, audivi dicentes; Sedenti ſuper Throno et Agno benedictio et honor et gloria et robur in ſæcula ſæculorum.* Et omne creatum quod eſt in Cœlo et in Terra et ſub terra, et in mari quæ ſunt, et quæ in illis omnia, audivi dicentes, ſignificat agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis qui in infimis Cœli: Sedenti ſuper Throno et Agno, ſignificat Dominum quoad Divinum

Bonum et quoad Divinum Verum: benedictionem, ſignificat agnitionem, glorificationem et gratiarum actionem quod omne bonum et verum et inde Cœlum et felicitas æterna ſit illis qui recipiunt: et honor et gloria, ſignificat quod Ipſi Soli ſit omne Divinum Bonum et Divinum Verum, et inde omne bonum amoris et verum fidei, ex quibus omnis ſapientia et intelligentia quæ eſt Angelis et hominibus: et robur, ſignificat quod Ipſi Soli ſit Omnipotentia, in æternum.

342. Et omne creatum quod eſt in cœlo et in terra et ſub terra, et in mari quæ ſunt et quæ in illis omnia, audivi dicentes, quod ſignificet agnitionem et inde glorificationem Domini ab Angelis qui in infimis cœli, conſtat ex ſignificatione omnis creati, quod ſint omnes qui ſunt reformati; quod creari ſignificet reformari et regenerari, videatur ſupra n. 294; inde creatum ſignificat quod reformatum et regeneratum eſt; ſed reſpective ad Angelos, de quibus hæc dicuntur, ſignificat illos qui in mundo reformati ſunt, hoc eſt, e novo creati, omnes enim illi in cœlo ſunt: ſimile quod hic per creatum intelligitur per Creaturam apud Marcum, "*Jeſus dixit diſcipulis, euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni Creaturæ,*" xvi. 15; per omnem Creaturam ibi intelliguntur omnes qui recipiunt evangelium, et per id reformari poſſunt; reliqui non intelliguntur per creaturas quia non recipiunt, ſed audiunt et rejiciunt. Ex his conſtare poteſt, quale eſt Verbum in ſenſu literæ, quod nempe dicatur Creatura, et quod dicatur omne Creatum quod in Cœlo et in terra et ſub terra, et quæ in mari ſunt et quæ in illis omnia; qui non ſcit quod ſenſus literæ ſit ex talibus quæ apparent coram oculis, et quod per illa intelligantur ſpiritualia, facile poteſt perduci ad credendum, quod per omne creatum quod eſt in Cœlo et in terra et ſub terra, et in mari quæ ſunt, et quæ in illis omnia, intelligantur aves quæ in cœlo volant, beſtiæ quæ ſuper terra gradiuntur, et piſces qui in mari ſunt; et hoc eo magis, quia in variis locis alibi in Verbo ſimilia dicuntur de avibus cœli, beſtiis terræ, tum etiam de balænis et piſcibus, ut Ezech. xxxix. 17. Pſalm. cxlviii. 7. Hiob. xii. 7, 8. Apocalypſ. xix. 17; et alibi: ſed uſque illi, quorum mens aliquantum elevari poteſt ſupra ſenſum literæ, interiori viſu illico percipiunt, quod per illa intelligantur Angeli et ſpiritus qui in Cœlo et ſub Cœlo ſunt, et quod illi ſint qui auditi Johanni cum in ſpiritu fuit, nam legitur, *audivi dicentes, Sedenti ſuper throno et Agno benedictio et honor et gloria et robur in ſæcula ſæculorum*, ex quibus conſtare poteſt, quod ſint Angeli in infimis Cœli, qui per omne creatum in illis intelliguntur; hoc ſequitur etiam ex eo, quod in Verſibus qui præcedunt actum ſit de Angelis ſuperiorum Cœlorum et de Angelis inferiorum Cœlorum, quod illi agnoverint et glorificaverint Dominum, videatur ſupra n. 322 et 355. Nunc dicetur, quinam per illos in Cœlo, quinam per illos in terra et ſub terra, et quinam per illos in mari intelliguntur; per omnes illos intelliguntur qui in ultimis Cœli ſunt, ſuperiores ibi per illos qui in Cœlo, inferiores ibi qui in terra et ſub terra, et infimi ibi qui in mari: ſunt tres Cœli, et quodlibet Cœlum diſtinctum eſt in tres gradus, ſimiliter Angeli qui in illis, quapropter in

quovis cœlo ſunt ſuperiores, medii et inferiores, hi tres gradus cœli ultimi intelliguntur per illos qui in cœlo, qui in terra, et qui in mari, de qua diſtinctione cœlorum et cujuſvis cœli, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4938, 4939, 9992, 10005, 10017, 10068; et de ultimo gradu, n. 3293, 3294, 3793, 4570, 5118, 5126, 5497, 5649, 9216: et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 29 ad 40. Sciendum eſt, quod in Mundo ſpirituali, ubi ſunt ſpiritus et Angeli, ſimilis facies ſit omnium, qualis eſt in Mundo naturali ubi ſunt homines, quod nempe ibi ſint montes, ſint colles, ſint terræ, et maria, videatur ſupra n. 304; ſuper montibus habitant Angeli qui in tertio ſeu intimo Cœlo, ſuper collibus ibi qui in ſecundo ſeu medio Cœlo, et ſuper terra ac ſub terra et in maribus illi qui in primo ſeu ultimo Cœlo; ſed maria in quibus infimi hujus Cœli habitant, non ſunt ſicut maria in quibus habitant mali, differunt undis, undæ marium in quibus ſunt probi qui in infimo Cœlo, ſunt tenues et puræ, ſed undæ marium in quibus ſunt mali, ſunt craſſæ et impuræ, ita prorſus alia maria: datum mihi aliquoties videre illa maria, et quoque loqui cum illis qui in illis ſunt, et compertum eſt quod eſſent ibi qui mere ſenſuales fuerunt in mundo, ſed uſque probi; et quia ſenſuales erant, non potuerunt intelligere quid eſſet ſpirituale, ſed ſolum quid naturale, nec percipere Verbum et doctrinam Eccleſiæ ex Verbo, niſi quam ſenſualiter: omnes illi apparent ſicut in mari; verum illi qui ibi ſunt non ſibi videntur in mari eſſe, ſed ſicut in ſimili athmoſphæra in quali dum vixerunt in mundo; quod in mari ſint, apparet ſolum coram illis qui ſupra ſunt: hodie eſt ibi ingens numerus, ex cauſa quia tam multi hodie ſunt ſenſuales: ultima hæc pars cœli correſpondet plantis pedum. Ex hoc eſt, quod toties in Verbo nominentur Maria, et quoque ibi Piſces, et per Maria ibi ſignificantur communia veri, quæ ſunt naturalis hominis, ac per Piſces ſcientifica ſenſualia, quæ ſunt infima naturalis hominis, proinde ſignificantur illi qui tales ſunt ſeu qui in illis ſunt: quid ſenſualia et quid ſenſuales, et quod ſint tam boni quam mali, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 50. Ex his nunc ſciri poteſt, quid intelligitur per omne Creatum, quod eſt in Cœlo, et in terra et ſub terra, et in mari quæ ſunt et in illis omnia. Similia per Maria et per illa quæ ibi, quæ vocantur piſces et balænæ, ſignificantur in ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Laudent Jehovam Cœlum et terra, Maria et omne repens in illis; quia Deus ſalvabit Zionem, et ædificabit urbes Jehudæ,*" Pſalm. lxix. 35, 36; dicitur etiam omne repens in illis, ac intelliguntur qui ſenſuales ſunt; per Zionem quem Deus ſalvabit, et per urbes Jehudæ quas ædificabit, intelligitur Eccleſia cœleſtis et doctrina ejus, per Zionem Eccleſia illa, et per urbes doctrina. Similia per hæc apud Davidem, "*Laudate Jehovam e terra, balænæ et omnes abyſſi,*" Pſalm. cxlviii. 7; iidem intelliguntur per balænas: inde etiam eſt, quod Ægyptus dicatur balæna, Ezech. xxix. 3; per Ægyptum enim ſignificatur ſcientificum quod in naturali homine, et per balænam ſcientificum in communi. Similia etiam per illa ſignificantur alibi apud Eundem, "*Dominari feciſti Eum ſuper opera manuum tuarum, omnia poſuiſti* *ſub pedes Ejus, gregem et armenta omnia, etiamque beſtias agri, avem Cœli, et piſces maris,*” Pſalm. viii. 7, 8, 9; agitur ibi de Domino, ac de Ipſius Divina poteſtate ſuper Cœlum et terram; et per gregem et armenta, beſtias agri, avem Cœli, et piſces maris, intelliguntur homines, ſpiritus et Angeli quoad ſpiritualia et naturalia eorum; ac per piſces maris illi qui in ultimis Cœli, ut ſupra. Apud Hiobum, “ *Quære quæſo beſtias et docebunt te, aut aves Cœli et annuntiabunt tibi, aut virgultum terræ et docebit te; et narrabunt tibi piſces maris: quis non novit ex his omnibus, quod manus Jehovæ faciat illud,*” xii. 7, 8, 9, 10. Apud Ezechielem, “ *Angelus reduxit me ad oſtium Domus, ubi ecce aquæ exilant de ſub limine Domus verſus orientem: tum dixit ad me, aquæ hæ exeuntes ad terminum orientalem, et deſcendunt in planitiem, ac veniunt verſus mare; in mare emiſſæ ut ſanentur aquæ; unde ſit, omnis anima vivens quæ reptat, quocunque veniunt fluvii, vivet; unde ſit piſcis multus valde, quia veniunt eo aquæ hæ, et ſanantur, ut vivat omne quo venerit fluvius; juxta ſpeciem erit piſcis, ſicut piſcis Maris magni, multus valde. Cœnoſa ejus et paludes ejus non ſanantur, in ſalem abeunt,*” xlvii. 8, 9, 10, 11; per aquas exeuntes de ſub limine Domus verſus orientem, ſignificantur vera ex origine cœleſti, aquæ ſunt vera, oriens eſt bonum amoris cœleſtis, et Domus eſt Cœlum et Eccleſia; planities in quam deſcendunt aquæ, et Mare in quod veniunt, ſignificant ultima Cœli et Eccleſiæ, proinde illos qui in ultimis ſunt, de quibus ſupra, nempe qui in ſolis cognitionibus veri ex ſenſu ultimo Verbi, et illas naturaliter ac ſenſualiter capiunt; hi, cum ſimplices boni ſunt, recipiunt influxum e cœlis ſuperioribus, unde eſt quod etiam recipiant ſpirituale in ſuis cognitionibus, et inde vitam aliquam ſpiritualem; hoc intelligitur per “ quod aquæ in mare emiſſæ ut ſanentur aquæ, unde fit omnis anima vivens quæ reptat, quocunque veniunt fluvii, vivet;” tum per hæc, “ unde fit piſcis multus valde, quia veniunt eo aquæ hæ, et ſanantur:” at illi qui tales ſunt, et non boni, intelliguntur per hæc, “ Cœnoſa ejus et paludes ejus, quæ non ſanantur, in ſalem abeunt;” in ſalem abire ſignificat non recipere vitam ſpiritualem, ſed manere in vita mere naturali, quæ ſeparata a vita ſpirituali eſt conſpurcata falſis et malis, quæ ſunt cœnoſa et paludes. Similia per Mare et piſces maris ſignificantur apud Eſajam, “ *En per increpationem meam exſicco Mare; pono fluvios in deſertum, putreſcet piſcis eorum eo quod non ſit aqua, et morietur ſiti,*” l. 2, 3; per increpationem ſignificatur deſolatio omnis veri; per Mare ſignificatur ubi verum in ſuo ultimo eſt; per aquam ſignificatur verum ex origine ſpirituali; per mori ſiti ſignificatur deſolatio ob defectum illius veri; per piſces marium ſignificantur qui in ultimis veri ſunt, quibus non aliqua vita ex origine ſpirituali. Similia per piſces marium ſignificantur apud Ezechielem, “ *In zelo meo, in igne indignationis meæ loquar, ut contremiſcant coram Me piſces maris, et avis cœlorum, et beſtia agri, et omne reptile repens ſuper terra,*” xxxviii. 19, 20. Apud Hoſcheam, “ *Latrocinantur, et ſanguines ſanguines attingunt; propterea lugebit terra, et contabeſcet omnis habitans in ea, quoad beſtiam agri, et quoad avem cœlorum, etiamque piſces maris colligentur,*” iv. 2, 3: et apud Zephaniam, “ *Conſu-*

mendo conſumam omnia deſuper faciebus terræ, conſumam hominem et beſtiam, conſumam avem cœlorum, et piſces maris," i. 2, 3; per hominem et beſtiam, cum una dicuntur, ſignificantur affectiones boni interiores et exteriores, videatur n. 4724, 7523, 7872; et per aves cœlorum et piſces maris, ſignificantur affectiones veri et cogitationes ſpirituales et naturales, ſed in allatis locis quod perituræ ſint. Quod Mare et piſces talia ſignificent eſt ex apparentia in ſpirituali Mundo; omnes ſocietates quæ ibi ſunt, apparent circumdatæ athmoſphæra correſpondente affectionibus et cogitationibus eorum; illæ quæ in tertio Cœlo ſunt, apparent in athmoſphæra pura ſicut ætherea; illæ quæ in ſecundo Cœlo ſunt, apparent in athmoſphæra minus pura, qualis aerea; ſocietates autem quæ in ultimo Cœli ſunt apparent circumdatæ athmoſphæra ſicut aquea: at illi qui in Infernis ſunt, apparent circumdati craſſis et impuris athmoſphæris, quidam ſicut in nigris aquis, et alii aliter; ſunt affectiones et inde cogitationes quæ producunt illa circum eos; ab omnibus enim exhalantur ſphæræ, et hæ ſphæræ vertuntur in tales apparentias; de ſphæris illis videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2489, 4464, 5179, 7454, 8630. Quod autem illi qui in ſpirituali affectione et inde cogitatione ſunt, ſignificentur per aves cœli, et illi qui in naturali affectione et inde cogitatione per piſces, eſt quoque ex apparentia in Mundo ſpirituali, apparent enim ibi tam aves quam piſces, ſupra terras aves, et in maribus piſces; ſunt affectiones et inde cogitationes eorum qui ibi ſunt quæ ita apparent; hoc ſciunt omnes qui in illo Mundo ſunt; et quoque tam aves quam piſces a me viſi ſunt pluries; illa apparentia eſt ex correſpondentia. Ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod Maria ſignificent communia veri, ac balænæ et piſces illorum affectiones et cogitationes qui in communibus veri ſunt: quod Maria ſignificent communia veri, oſtenſum videatur ſupra n. 275. Quales illi ſunt qui in aquea illa athmoſphæra, quæ intelligitur per Maria, in Mundo ſpirituali habitant, velim unico exemplo illuſtrare; illi dum legunt hæc apud Davidem, "*Omne quod vult Jehovah, facit in Cœlo et Terra, in Maribus et omnibus abyſſis,*" Pſalm. cxxxv. 6; non aliter ſciunt, quam quod per Cœlum intelligatur Cœlum aſpectabile coram oculis, et per Terram terra habitabilis, et per Maria et abyſſos maria et abyſſi, ita quod Jehovah faciat in illis quicquid vult, et non adduci poſſunt ad credendum, quod per Cœlum intelligatur Cœlum Angelicum, per Terram ibi illi qui infra ſunt, et per Maria et per abyſſos illi qui ibi in ultimis ſunt, hæc quia ſpiritualia ſunt, et ſupra ſenſum literæ, non volunt et ægre poſſunt percipere, ex cauſa quia omnia vident naturaliter et ſenſualiter: inde quoque eſt, quod per hæc verba in Apocalypſi, "*Vidi Cœlum novum et Terram novam, nam primum Cœlum et prima Terra abiit,*" xxi. 1, hactenus intellectum fuerit, quod Cœlum aſpectabile et Terra habitabilis peritura ſint, ac novum Cœlum et nova Terra exſtitura; quod per Cœlum ibi intelligatur Cœlum ubi Angeli, ac per Terram ibi intelligatur Eccleſia ubi homines, quod nova futura ſint, non volunt et inde non intelligunt illi qui mere naturaliter et ſenſualiter cogitant; non enim patiuntur ut mens eorum e luce naturali in lucem ſpiritualem elevetur; hoc enim ægrum illis eſt, uſque adeo ut vix ſuſtineant quod aliud intelligatur quam quod litera in ſuo ſenſu dictat, et naturalis homo capit: non ſunt diſſimiles illis avibus, quæ in obſcuris vident et cantant, et ad lucem diei nictant oculis et parum vident; boni ex iis ſunt illis ſimiles, et quoque piſcibus volantibus; at mali illius generis ſunt ſimiles noctuis et bubonibus, quæ prorſus fugiunt lucem diei, et ſunt ſimiles piſcibus, qui non elevari poſſunt in aerem quin exanimentur: cauſa eſt, quod apud bonos illius generis Internus ſpiritualis homo aliquantiſper recipiat influxum ſpiritualem e cœlo, et inde aliquam perceptionem quod ita ſit, tametſi non vident; apud malos autem illius generis Internus ſpiritualis homo prorſus occluſus eſt: eſt enim cuivis Homo internus et externus, ſeu ſpiritualis et naturalis; internus ſeu ſpiritualis homo videt ex luce Cœli, at externus ſeu naturalis homo videt ex luce mundi.

343. Sedenti ſuper throno et Agno, quod ſignificet quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 297, dicta et oſtenſa ſunt, nempe quod per thronum ſignificetur cœlum, per Sedentem ſuper throno Divinum Bonum procedens, et per Agnum Divinum Verum procedens, utrumque implens cœlos et faciens illos: quoniam Divinum Bonum procedens a Domino ut Sole recipitur ab Angelis in Cœleſti Regno Ipſius, ac Divinum Verum ab Angelis in ſpirituali Regno, ideo dicuntur duo, nempe Sedens ſuper throno et Agnus; at in ſenſu interno per utrumque intelligitur Divinum procedens ex Divino Humano Domini, quod eſt Divinum Bonum unitum Divino Vero, ſed diſtinguitur in duo in ſenſu literæ propter receptionem; Divinum quod facit Cœlum, ac dat Angelis et hominibus amorem, fidem, ſapientiam et intelligentiam, non procedit immediate ex Ipſo Divino Domini, ſed per Divinum Humanum Ipſius, et Hoc Divinum quod procedit eſt Spiritus Sanctus, videatur ſupra n. 183; ita intelligendum eſt, quod Doctrina Eccleſiæ docet, quod ex Patre procedat Filius, et per Filium Spiritus Sanctus, tum quod Divinum Domini ac Humanum Ipſius non ſint duo ſed unica Perſona ſeu unus Chriſtus: Divinum enim Domini eſt quod aſſumſit Humanum, et quod ideo Ipſe vocavit Patrem ſuum, ita non Patrem vocavit aliud Divinum, quod loco Ejus adoratur hodie pro Patre Ipſius, ac Divinum procedens eſt quod vocatur Spiritus ſanctus, ſpiritus Dei, ſpiritus veritatis et Paracletus, eſt enim ſanctum ſpiritus, ſeu ſanctum Divinum quod ſpiritus loquitur, et non aliud Divinum quod adoratur pro Tertia Perſona Divinitatis; quod ita ſit, intelligere poſſunt omnes qui in aliqua luce cœli ſunt; tametſi ex Doctrina Trinitatis, quæ data eſt ab Athanaſio, multis dicitur, quod tres unum ſint, exploret quiſque apud ſe, quum dicit ore unum eſſe Deum, annon cogitat tres, cum tamen eſt unus Deus, et tria Nomina Divini ſunt unius Dei; quæ quia Athanaſius non intellexit, credidit tria nomina eſſe tres Deos, ſed quoad eſſentiam unum; at uſque eſſe unum quoad eſſentiam, non dici poteſt, quando uni attribuitur aliud quam alteri, ſic enim dividitur eſſentia; inde cuivis eſſentiæ inditur nomen perſonæ: at una Eſſentia ſunt, quando tria unius Perſonæ ſunt, nempe Ipſum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, ac Divinum Procedens quod Spiritus Sanctus, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ,

LYMÆ, n. 280 ad 310. Hæc dicta ſunt, quod per Sedentem ſuper throno et Agnum, non intelligantur Duo ſed Unus, nempe Dominus quoad Divinum procedens.

344. Benedictio, quod ſignificet agnitionem, glorificationem et gratiarum actionem quod omne bonum et verum, ac inde Cœlum et felicitas æterna ſit illis qui recipiunt, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 340, dicta et oſtenſa ſunt.

345. Et honor et gloria, quod ſignificet quod Ipſi Soli ſit omne Divinum Bonum ac Divinum Verum, ac inde omne bonum amoris ac verum fidei, quæ Angelis et hominibus, conſtat ex ſignificatione honoris et gloriæ, cum de Domino, quod ſit Divinum Bonum ac Divinum Verum, de qua etiam ſupra n. 280; et quia per honorem et gloriam, cum de Domino, ſignificatur Divinum Bonum et Divinum Verum, inde, cum de homine, per honorem et gloriam ſignificatur omne bonum amoris et verum fidei, ex quibus omnis ſapientia et intelligentia eſt Angelis et hominibus. Hæc dicta ſunt ab illis, qui in ultimis cœli ſunt, qui ſciunt hoc, tametſi non vident et percipiunt; ſciunt enim omnes qui ab Eccleſia, quia ex doctrina eſt, quod omne bonum et verum ſit a Deo, et qui vitam bonam egerunt, illi retinent hoc et credunt, nec ſcrutantur quomodo hoc ſit, inde eſt quod illi etiam in Cœlo ſint, tametſi in ultimo ejus; at qui ſpirituales facti ſunt, illi non modo ſciunt ſed etiam vident et percipiunt quod ita ſit, inde hi ſunt in Cœlis ſuperioribus; hi cum in mundum ſpiritualem veniunt, vident vera et percipiunt illa in luce Cœli, nec admittunt normam in Mundo a multis receptam, quod intellectus erit ſub aliqua obedientia cæca fidei; aliter illi qui in ultimis cœli ſunt, quia non vident et percipiunt, manent in illa norma, ſed uſque inſtruuntur ac inſtructi ſciunt vera.

346. Et robur in ſæcula ſæculorum, quod ſignificet quod Ipſi Soli ſit Omnipotentia, in æternum, conſtat ex ſignificatione roboris, cum de Domino, quod ſit Omnipotentia: et quia Domino Omnipotentia eſt ex Divino Bono per Divinum Verum, ideo dicitur Honor et Gloria et Robur, per honorem enim et gloriam ſignificatur Divinum Bonum et Divinum Verum; quod omnis Potentia ſit Divino Bono per Divinum Verum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 231, 232, 539; et ſupra n. 209, 333. Robur ultimo hic dicitur, et ab Angelis Ultimi Cœli, quia Robur, ubi de Domino, dicitur de Divina Potentia in ſuo Pleno, ac in ſuo Pleno eſt in Ultimis: quod Divinum in Ultimis ſit in ſuo Pleno, ita in ſuo Robore, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 5897, 6451, 8603, 9828, 9836, 10099, 10548; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 315.

347. Verſ. 14. *Et quatuor Animalia dicebant Amen; et viginti quatuor Seniores prociderunt et adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum.* Et quatuor Animalia dicebant Amen, ſignificat confirmationem a Domino ex Cœlo intimo: et viginti quatuor Seniores prociderunt et adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum, ſignificat humiliationem et agnitionem ex corde omnium qui in veris ex bono ſunt, quod Dominus Solus vivat, et quod ab Ipſo Solo ſit vita æterna.

348. Et quatuor Animalia dicebant amen, quod ſignificet confirmationem a Domino e Cœlo intimo, conſtat ex ſignificatione quatuor Animalium ſeu Cheruborum, quod in ſupremo ſenſu ſint Dominus quoad Providentiam et Cuſtodiam ne adeatur niſi quam per bonum amoris, de qua ſupra n. 152 f. 277; et in ſenſu reſpectivo Cœlum intimum ſeu tertium, n. 313, 322; et ex ſignificatione amen, quod ſit confirmatio a Divino et Veritas, de qua etiam ſupra, n. 34, 228: ex his patet, quod per quatuor animalia dicebant amen, ſignificatur confirmatio a Domino ex Cœlo intimo. Quod illa quæ hactenus dicta ſunt ab Angelis trium Cœlorum, confirmata ſint a Domino, eſt quia omnia quæ dixerunt, non ab ipſis ſed a Domino erant; erat enim agnitio Ipſius Divini in Humano, glorificatio propterea, et gratiarum actio quod omne bonum et verum, et inde omnis ſapientia et intelligentia ſit ab Ipſo; hæc non dicere potuerunt Angeli a ſe, ſed a Domino per interius dictamen ſeu influxum; Angeli enim, ſicut homines, ne quidem nominare poſſunt Dominum a ſe, proinde nec agnoſcere et glorificare Ipſum a ſe; inde eſt, quod quæ dicta ſunt ab illis, confirmata ſint a Domino per amen, per quod ſignificatur veritas fidei, et ipſa fides: ſecundum Ordinem Divinum etiam eſt, quod Dominus confirmet vera, quæ Angelus et homo loquitur ſicut ex ſe, tametſi non ex ſe, ſed confirmat illa in corde ejus per affirmativum non manifeſte aſcendens in ejus cogitationem, ſed per plenam acquieſcentiam animi procedentem ex affectione interna, quæ eſt ex pace et ejus jucundo: hæc confirmatio eſt, quæ per hanc manifeſtam a Johanne auditam in genuino ſenſu interno intelligitur.

349. Et viginti quatuor ſeniores prociderunt et adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum, quod ſignificet humiliationem et agnitionem ex corde omnium qui in veris ex bono ſunt, quod Dominus Solus vivat, et quod ab Ipſo Solo ſit vita æterna, conſtat ex ſignificatione viginti quatuor ſeniorum, quod ſint omnes qui in veris ex bono ſunt, de qua ſupra n. 271; ex ſignificatione procidere et adorare, quod ſit humiliatio et agnitio corde, quod omne bonum et verum, quæ vitam in ſe habent, ſint a Domino, de qua etiam ſupra n. 290, 291; et ex ſignificatione Viventis, cum de Domino, quod ſit quod Solus vivat, et quod ex Ipſo ſit vita æterna, de qua etiam ſupra n. 82, 84, 186, 289, 291. Quoniam hodie in Mundo creditur, quod vita, quæ eſt cuique, ſit data ac indita, et ſic propria, et quod non influat continue, velim aliquid de eo dicere: quod credatur quod vita ſit in homine, adeo ut ſit hominis, eſt modo apparentia oriunda ex perpetua præſentia Domini, et ex Ipſius Divino Amore quod velit conjungi homini, et eſſe in illo, et dare ei ſuam vitam, talis enim eſt Divinus Amor; et quia hoc perpetuum et continuum eſt, putat homo quod vita inſit ei ut propria; notum tamen eſt, quod omne bonum et omne verum non ſit in homine, ſed quod veniat deſuper, ita quod influat; ſimiliter amor et fides, nam omne amoris hominis eſt ex bono, et omne fidei ejus eſt ex vero, quod enim homo amat hoc ei eſt bonum, et quod homo credit hoc ei eſt verum; inde primum patet, quod non bonum et non verum, ſicut nec amor et

fides, ſint in homine, ſed quod influant a Domino, in bono et vero eſt ipſa vita, et non alibi: receptaculum boni amoris apud hominem eſt voluntas, et receptaculum veri fidei apud illum eſt intellectus, et velle bonum non eſt hominis, nec credere verum, illæ binæ facultates ſunt, in quibus omnis vita hominis eſt, extra illas eſt nulla; inde etiam patet, quod vita illarum facultatum, proinde vita totius hominis, non ſit in homine ſed influat: quod autem malum et falſum, ſeu voluntas et amor mali ac intellectus et fides falſi ſint apud hominem, eſt quoque ex influxu, ſed is influxus eſt ex Inferno; homo enim tenetur in libero eligendi, hoc eſt, recipiendi bonum et verum a Domino, aut recipiendi malum et falſum ab Inferno, in hoc tenetur homo propter reformationem, tenetur enim inter Cœlum et Infernum, et inde in æquilibrio ſpirituali, quod eſt liberum; ipſum hoc Liberum nec eſt in homine, ſed eſt una cum vita quæ influit; de Libero hominis et ejus origine, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 293, 537, 540, 541, 546, 589 ad 596, 597 ad 603: et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ. Illi qui in Inferno ſunt, etiam vivunt ex influxu vitæ a Domino, influit enim apud illos ſimiliter bonum et verum, ſed bonum vertunt in malum ac verum in falſum, et hoc fit quia inverterunt ſuas formas recipientes interiores per vitam mali; et omnis influxus variatur ſecundum formas; ſimiliter ac cogitatio et voluntas hominis dum agunt in membra a nativitate contorta, aut in ſenſoria læſa; ac ſimiliter ac lux Cœli dum influit in objecta, quæ variantur quoad colores, ac calor Cœli in eadem quæ variantur quoad odores ſecundum formas interiores recipientes: at ſciendum eſt, quod non ipſa vita mutetur et varietur, ſed quod per illam ſiſtatur apparentia formæ recipientis, per quam et e qua vita tranſit; pæne ſicut quiſque apparet per eandem lucem in ſpeculo qualis eſt. Præterea omnes ſenſus hominis, nempe viſus, auditus, olfactus, guſtus et tactus, non ſunt in homine, ſed excitantur et producuntur ex influxu; in homine ſunt modo formæ organicæ quæ ſunt recipientes; hæ nullius ſenſus ſunt, priuſquam adæquatum ab extra influit; ſimile eſt cum ſenſoriis internis, quæ ſunt cogitationis et affectionis, quæ ex ſpirituali Mundo recipiunt influxum, ſicut cum ſenſoriis externis quæ e naturali Mundo. Quod unicus vitæ fons ſit, et omnis vita inde ſit, et continue influat, notiſſimum eſt in Cœlo, et a nullo Angelo in ſuperioribus Cœlis in dubium vocatur, percipiunt enim illi ipſum influxum. Quod omnes vitæ ſint ſicut rivi ex unico ac perenni fonte vitæ, ex pluri experientia etiam mihi teſtatum factum eſt, ac in Mundo ſpirituali viſum apud illos qui crediderunt ſe vivere ex ſe, ac non voluerunt credere quod a Domino, illi, quum eis ademptus eſt quoad aliquam partem influxus in cogitationem, jacuerunt ſicut exanimi, et mox accedente influxu, quaſi ex morte revixerunt, ac iidem dein confeſſi ſunt, quod vita non ſit illorum in illis, ſed influat continue in illos, et quod homines, ſpiritus et Angeli ſint modo formæ recipientes vitæ. Sapientes ibi concludunt quod ita ſit ex eo, quod nihil exiſtere et ſubſiſtere poſſit ex ſe, ſed a priori ſe, et inde quod nec prius a ſe, niſi in ordine ſucceſſivo a Primo, et quod ſic ipſa vita in ſe ſpectata non ſit niſi ab Ipſo Qui Solus eſt Vita in Se; inde etiam ſciunt, et quoque ex idea ſpirituali percipiunt, quod omne erit in nexu cum Primo ut ſit aliquid, et quod ſit ſicut eſt in nexu. Ex his patet, quam fatue cogitant, qui originem vitæ ducunt ex natura, et quod homo diſcat cogitare per influxum interioris naturæ et ejus ordinis, et non a Deo, Qui eſt Ipſum Eſſe vitæ, et ex Quo omnis Ordo utriuſque Mundi tam ſpiritualis quam naturalis, ſecundum quem influit vita, vita æterna apud illos qui diſponi poſſunt ad recipiendum vitam ſecundum Divinum Ordinem, at vita oppoſita, quæ vocatur mors ſpiritualis, apud illos qui non diſponi poſſunt, ita qui vivunt contra Divinum Ordinem: Divinum Bonum quod procedit a Domino eſt ex quo Ordo, ac Divina Vera ſunt leges Ordinis, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 278. Caveant ſibi ne credant, quod Divina Vita apud aliquem, ne quidem apud malos et in Inferno, mutetur, nam, ut ſupra dictum eſt, ipſa vita non mutatur aut variatur, ſed per illam ſiſtitur apparentia formæ recipientis per quam et e qua tranſit; pæne ſicut quiſque apparet in ſpeculo qualis eſt per lucem, quæ uſque manet in ſuo ſtatu, et modo producit formam ad viſum, et ſicut eadem vita ſe ſiſtit ſentiri ſecundum formam Organi corporis, ita aliter in oculo, aliter in auditu, et aliter in olfactu, guſtu et tactu; ſi credatur quod vita varietur et mutetur, eſt ex apparentia quæ eſt fallacia, ſimilis fallaciæ ex apparentia quod influxus phyſicus ſit, cum tamen eſt influxus ſpiritualis: Sed de hac re videantur plura in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 9; quibus adjiciantur quæ de Influxu vitæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ ex ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 277, 278, allata ſunt; et de influxu vitæ apud Animalia in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 5850, 6211; ac in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 39, 108, 110, 425, 567; tum in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 25. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod unica vita ſit, et quod ex illa, quotcunque vivunt, vivant: nunc oſtendetur, quod Dominus ſit ipſa illa Vita, ſeu quod Ipſe Solus vivat, quoniam hoc ſignificatur per Viventem in ſæcula ſæculorum. Quod unicum Divinum ſit, et Hoc non diſtinctum in tres Perſonas, ſecundum fidem Athanaſii, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra aliquoties dicta ſunt, et imprimis ex illis quæ ad finem hujus Operis in ſpecie de illa re dicentur: et quia Divinum Domini, quod eſt unicum Divinum, aſſumſit Humanum, et Hoc quoque Divinum fecit, ideo utrumque eſt Vita, ex qua vivunt omnes: quod ita ſit, ſciri poteſt ex Ipſius Domini verbis in his locis; apud Johannem, "*Quemadmodum Pater ſuſcitat mortuos et vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat: quemadmodum Pater habet Vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio Vitam habere in Se Ipſo,*" v. 26; per Patrem hic intelligitur Ipſum Divinum Domini quod aſſumſit Humanum, Hoc enim Divinum erat in Ipſo ex conceptione, et quia ex Illo conceptus fuit, ideo Hoc vocavit Patrem, et non aliud; per Filium intelligitur Divinum Humanum Domini, quod Hoc ſimiliter Ipſa Vita ſit, docet Dominus manifeſtis verbis, dicendo, quemadmodum Pater vivificat, etiam Filius quos vult vivificat; et quemadmodum Pater habet Vitam in Se

Ipſo, ita dedit Filio habere Vitam in Se Ipſo; vitam habere in Se Ipſo eſt eſſe Ipſa Vita; reliqui autem non ſunt Vita, ſed vitam inde habent. Apud Eundem, "*Ego ſum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem niſi per Me,*" xiv. 6; Ego ſum via, veritas et vita, dicta ſunt de Humano Domini, nam dicit etiam, nemo venit ad Patrem niſi per Me, Pater enim Ipſius erat Divinum in Ipſo, quod ſuum Divinum erat; unde patet, quod Dominus etiam quoad Humanum ſuum ſit Vita, conſequenter quod Illud ſimiliter Divinum ſit. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego ſum reſurrectio et vita, qui credit in Me etſi moriatur vivet; omnis qui vivit et credit in Me, non morietur in æternum,*" xi. 25, 26; hæc quoque Dominus de Humano ſuo dixit, et quia Ipſe eſt Vita, et omnes ex Ipſo habent vitam, et qui credunt in Ipſum vitam æternam, ideo dicit quod ſit reſurrectio et vita, et qui credit in Me non morietur in æternum, per credere in Dominum ſignificatur Ipſi conjungi amore et fide, et per non mori ſignificatur non mori ſpiritualiter, hoc eſt, damnari, nam vita damnatorum vocatur mors. Apud Eundem, "*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, in Ipſo vita erat, et vita erat lux hominum: et Verbum Caro factum eſt, et habitavit in nobis,*" i. 1, 4, 14; quod per Verbum intelligatur Dominus, notum eſt; quod Humanum Ipſius ſit Verbum, patet, nam dicitur quod Verbum Caro factum ſit et habitaverit in nobis; et quod Humanum Ipſius æque Divinum fuerit, ut Ipſum Divinum quod aſſumſit Humanum, patet ex eo quod diſtinguatur inter utrumque, et quod utrumque dicatur Deus, dicitur enim, Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et in Ipſo vita erat; quod omnes ex Ipſo vivant intelligitur per vita erat lux hominum; lux hominum eſt vita cogitationis et intellectus eorum; Divinum enim procedens, quod in ſpecie ibi intelligitur per Verbum, apparet in Cœlo ſicut Lux, quæ dat Angelis non ſolum videre, ſed etiam cogitare et intelligere, et ſecundum receptionem ſapere, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140; lux illa procedens a Domino eſt ipſa vita, quæ non modo illuminat intellectum, ſicut Sol mundi oculum, ſed etiam vivificat illum ſecundum receptionem; et cum lux illa recipitur vita, tunc vocatur Lux vitæ, apud Eundem, "*Jeſus dixit, Ego ſum Lux mundi, qui Me ſequitur non ambulat in tenebris, ſed habebit Lucem vitæ,*" viii. 12: et quoque vocatur Panis vitæ, apud Eundem, "*Panis Dei eſt qui deſcendit e Cœlo, et vitam dat mundo; Ego ſum Panis vitæ,*" vi. 33, 34, 47, 48, 51; panis Dei et panis vitæ eſt ex quo omnibus vita: quoniam vita, quæ vocatur intelligentia et ſapientia, eſt a Domino, ſequitur etiam quod vita in communi ſit ab Ipſo; nam ſingularia vitæ, quæ faciunt perfectionem ejus, ac inſinuantur homini ſecundum receptionem, omnia ſunt vitæ communis; hæc, quantum ex ea removentur mala, in quæ homo naſcitur, tantum perficitur. Quod illi qui per amorem et fidem conjunguntur Domino, vitam æternam accipiant, hoc eſt, vitam Cœli, quæ eſt ſalvatio, patet ex his locis; apud Johannem, "*Ego ſum Vitis et vos palmites; manens in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam: ſi non quis manſerit in Me, ejicitur foras, et ſicut palmes exareſcit,*"

xv. 5, 6: apud Eundem, “*Omnis qui credit in Me habet vitam æternam,*” iii. 14, 15, 16: apud Eundem, “*Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eo,*” iii. 36: apud Eundem, “*Quiſquis credit in Filium, habet vitam æternam, et ſuſcitabo illum extremo die,*” vi. 40, 47, 48: apud Eundem, “*Oves ſequuntur Me, et Ego vitam æternam do illis, nec peribunt in æternum,*” x. 27, 28: et apud Eundem, “*Scrutamini ſcripturas, illæ teſtantur de Me, ſed non vultis venire ad Me ut vitam habeatis,*” v. 39, 40: dicitur in Verbo credere in Deum et credere illa quæ a Deo, et credere in Deum eſt fides quæ ſalvat, at credere illa quæ a Deo, eſt fides hiſtorica, quæ abſque priore non ſalvat, quare non eſt vera fides; nam credere in Deum, eſt ſcire, velle et facere, at credere illa quæ a Deo, eſt ſcire, quæ dabilis eſt abſque velle et facere: qui vere Chriſtiani ſunt, illi ſciunt, volunt et faciunt; at qui non vere Chriſtiani ſunt, hi modo ſciunt, ſed hi a Domino vocantur ſtulti, illi vero prudentes, Matth. vii. 24, 26.

17
R. HINDMARSH,
Impreſſor.
85

APOCALYPSIS.

CAPUT SEXTUM.

1. ET vidi cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, et audivi unum ex quatuor Animalibus, dicens tanquam voce tonitrui, veni et aſpice.

2. Et vidi, et ecce Equus albus, et ſedens ſuper illo habens arcum, et data ei corona, et exivit vincens et ut vinceret.

3. Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, audivi ſecundum Animal dicens, veni et aſpice.

4. Et exivit alius Equus rufus, et ſedenti ſuper illo datum ei tollere pacem de terra, ut alii alios occiderent, et data ei machæra magna.

5. Et cum aperuiſſet tertium ſigillum, audivi tertium Animal dicens, veni et aſpice: et vidi, et ecce Equus niger; et ſedens ſuper illo habens ſtateram in manu ſua.

6. Et audivi vocem in medio quatuor Animalium dicentem, chænix tritici denario, et tres chænices hordei denario, et oleum et vinum ne læſeris.

7. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis dicentem, veni et aſpice.

8. Et vidi, et ecce Equus pallidus, et ſedens ſuper illo, nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo, et data illis poteſtas interficiendi ſuper quartem partem terræ in romphæa, et in fame, et in morte, et a beſtiis terræ.

9. Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſubter Altari animas occiſorum propter Verbum Dei, et propter teſtimonium quod habebant.

10. Et clamabant voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra.

11. Et datæ ſingulis ſtolæ albæ, et dictum eis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur et conſervi eorum et fratres eorum, qui futuri occidi ſicut et illi.

12. Et vidi, quum aperuiſſet ſigillum ſextum, et ecce terræ motus magnus factus eſt, et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta eſt tanquam ſanguis.

13. Et ſtellæ Cœli ceciderunt in terram, ſicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento concuſſa.

14. Et Cœlum abſceſſit tanquam liber convolutus; et omnis mons et inſula e locis ſuis emota ſunt.

15. Et reges terræ, et magnates, et divites, et chiliarchi, et potentes, et omnis ſervus et omnis liber, abſconderunt ſeipſos in ſpeluncis et in petris montium.

16. Et dicebant montibus et petris, cadite ſuper nos, et abſcondite nos a facie Sedentis ſuper Throno, et ab ira Agni.

17. Quia venit dies magnus iræ Ejus, et quis poteſt conſiſtere.

EXPLICATIO.

350. Verſ. 1, 2. *Et vidi, cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, et audivi unum ex quatuor Animalibus dicens tanquam voce tonitrui, veni et aſpice. Et vidi, et ecce Equus Albus, et ſedens ſuper illo habens arcum, et data ei corona, et exivit vincens et ut vinceret.* Et vidi, ſignificat manifeſtationem ſtatuum eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum: cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, ſignificat primam a Domino manifeſtationem: et audivi unum ex quatuor animalibus dicens tanquam voce tonitrui, ſignificat e Cœlo intimo a Domino: veni et aſpice, ſignificat attentionem et perceptionem: et vidi et ecce Equus Albus, ſignificat intellectum veri ex Verbo: et ſedens ſuper illo habens arcum, ſignificat doctrinam charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falſa, ac diſſipantur illa: et data eſt ei corona, ſignificat vitam æternam quæ victoriæ præmium: et exivit vincens et ut vinceret, ſignificat remotionem malorum et inde falſorum in fine vitæ, et poſtea in æternum.

351. Et vidi, quod ſignificet manifeſtationem ſtatuum eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum, conſtat ex viſis a Johanne, de quibus in hoc

Capite et in mox ſequentibus, quod ſint manifeſtationes ſtatus eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum; agitur enim de aperitione ſigillorum Libri qui in manu Domini, ac de illis quæ tunc viſa ſunt, quæ fuerunt quatuor Equi, unus Albus, alter Rufus, tertius Niger, et quartus Pallidus, ac poſtea animæ Occiſorum propter Verbum Dei, tum terræ motus, et tandem quatuor Angeli qui habebant ſeptem tubas, per quæ omnia ſignificantur manifeſtationes ſtatus eorum qui ab Eccleſia, ut conſtare poteſt a ſingulis in ſenſu interno ſpectatis. Eccleſia ubi Verbum dicitur, quia Domini Eccleſia eſt in univerſo terrarum orbe, ſed in ſpecie ubi Verbum, et per id Dominus notus; de ſtatu eorum qui ab hac Eccleſia, in Libro hoc Prophetico imprimis agitur, hic in genere, ſed poſtea in ſpecie: quod de hac Eccleſia imprimis agatur, eſt cauſa, quia præſentia Domini et inde Angelorum Cœli apud homines hujus Telluris eſt per Verbum, hoc enim conſcriptum eſt per meras Correſpondentias; inde fit ut quoque præſentia Domini et Angelorum Cœli ſit apud illos qui circumcirca ſeu extra eam ſunt, qui Gentes vocantur; ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO de conjunctione Cœli cum homine Eccleſiæ per Verbum, n. 114, 303 ad 310; et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 244, 246, 255 ad 266, dicta et oſtenſa ſunt. Eccleſia enim in univerſo terrarum Orbe eſt coram Domino ſicut unus Homo, unum enim facit cum Cœlo Angelico, quod id coram Domino ſit ſicut unus Homo, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 102; in hoc Homine eſt Eccleſia ubi Verbum et per id Dominus notus, ſicut Cor et ſicut Pulmo, Eccleſia apud illos qui in amore cœleſti ſunt ſicut Cor, et apud illos qui in amore ſpirituali ſunt ſicut Pulmo; quare ſicut omnia membra, viſcera et organa corporis vivunt ex Corde et ex Pulmone, et ex eorum influxu et inde præſentia, ita quoque omnes in univerſo terrarum Orbe, qui Eccleſiam univerſalem conſtituunt, ab Eccleſia ubi Verbum, influit enim inde Dominus cum amore et cum luce, ac vivificat et illuſtrat omnes qui in aliqua affectione veri ſpirituali ſunt, ubicunque ſunt; lux Cœli, ſeu lux in qua ſunt Angeli Cœli qui ab hac Tellure, eſt a Domino per Verbum, inde propagatur lux ut e medio in peripherias undequaque, ita ad illos qui ibi ſunt, qui, ut dictum eſt, ſunt gentes quæ extra noſtram Eccleſiam: ſed hæc propagatio lucis fit in Cœlo a Domino; et quod fit in Cœlo, hoc quoque influit in mentes hominum, nam mentes hominum unum faciunt cum mentibus ſpirituum et angelorum. Hæc nunc cauſa eſt, quod in hoc Libro Prophetico imprimis agatur de illis qui ſunt ab Eccleſia ubi Verbum; agitur etiam tunc de illis qui ab Eccleſia ubi non Verbum, tametſi non proxime; ſequitur enim diſpoſitio eorum qui circum ſunt ſecundum eum ordinem, in quo ſunt qui in medio.

352. Cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, quod ſignificet primam a Domino manifeſtationem, conſtat ex ſignificatione aperire ſigillum, quod ſit revelare abſcondita, quæ intus ſcripta ſunt, nam cum aperitur ſigillum, leguntur quæ inibi, hic abſcondita quæ nemo ſcire potuit quam Solus Dominus, ſunt enim ſtatus omnium in communi et in particulari;

quod nemo illos ſciat quam Solus Dominus, conſtat ex illis quæ de Libro illo et de aperitione ſigillorum ejus ſupra n. 199, 222, 299, 327, explicata ſunt: inde patet, quod per cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, ſignificetur prima a Domino manifeſtatio.

353. Et audivi unum ex quatuor Animalibus dicens tanquam voce tonitrui, quod ſignificet e Cœlo intimo a Domino, conſtat ex ſignificatione quatuor Animalium ſeu Cheruborum, quod in ſupremo ſenſu ſint Divina Providentia Domini, ac cuſtodia ne adeatur niſi quam per bonum amoris, de qua ſupra n. 152, 277; et in ſenſu reſpectivo intimum et tertium Cœlum, de qua etiam ſupra n. 313, 322; et ex ſignificatione vocis tonitrui, quod ſit inde manifeſtatio; quod per fulgura, tonitrua et voces in Verbo ſignificentur illuſtratio, intellectus, et perceptio, videatur ſupra n. 273, inde quoque manifeſtatio. Quod tonitrua ſignificent manifeſtationem e Cœlo intimo, eſt ex correſpondentia, nam voces quæ ex illo Cœlo delabuntur uſque in auditum hominis, non aliter audiuntur, implent enim totum Cerebrum, et inde ſe propagant verſus auditum, et ibi tali ſono appercipiuntur; aliter voces quæ delabuntur e Cœlo medio, hæ quia cum illuſtratione illabuntur, ideo modo ſonore, ſicut voces loquelæ, audiuntur; cauſa eſt, quia quæ e Cœlo intimo ſeu tertio delabuntur, intrant voluntarium hominis, et voluntarium ſe ſiſtit per ſonos; at quæ e Cœlo medio ſeu ſecundo delabuntur, intrant intellectuale hominis, ac intellectuale ſe ſiſtit per articulationes ſoni, formantur enim ſoni in intellectu, ac formati ſoni, quæ vocantur articulationes ejus, ſe ſiſtunt per ideas in cogitatione, ac per voces in auditu: inde eſt, quod quæ e Cœlo intimo ſeu tertio delabuntur, correſpondeant tonitrui, et quæ e Cœlo medio ſeu ſecundo, correſpondeant fulguri; et inde quoque eſt, quod in Verbo per fulgura et tonitrua ſignificentur illuſtratio, intellectus et perceptio. Hæc ſimilitudinem habent cum ſonis in mundo, quod creſcant cum augmento quum ex altis deſcendunt, ut dum ex montibus altis in valles, et quoque ut dum ex nubibus verſus terram, unde tonitrua; ita quoque voces e Cœlo tertio ſeu ſupremo, quæ cum verſus inferiora devolvuntur, tandem in infimis, in quibus eſt auditus humanus, audiuntur ſicut tonitrua, ſed modo apud illos, quibus interiora ſunt aperta, ut nunc Johanni.

354. Veni et aſpice, quod ſignificet attentionem et perceptionem, conſtat ex ſignificatione venire, cum aliquid ſiſtitur videndum, quod ſit attendere, nam per venire in ſpirituali ſenſu intelligitur appropinquare viſu, ita attendere; etiam omnis attentio eſt ex præſentia viſus in objecto; et ex ſignificatione aſpicere, quod ſit perceptio, nam per videre in Verbo ſignificatur intelligere, videatur ſupra n. 11, 260; hic percipere, quia e Cœlo intimo; quod enim e Cœlo intimo venit, hoc percipitur, quod autem e Cœlo medio, hoc intelligitur; cauſa eſt, quia Cœlum intimum eſt in bono amoris, at Cœlum medium eſt in veris inde, et omnis perceptio eſt ex bono, ac omnis intellectus eſt ex veris; de qua re videatur ſupra n. 307: quid perceptio, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 140.

355. Et vidi, et ecce Equus albus, quod ſignificet intellectum veri ex Verbo, conſtat ex ſignificatione Equi, quod ſit intellectuale; et ex ſignificatione albi, quod dicatur de vero: quod Equus ſignificet intellectuale, conſtare poteſt ex illis quæ allata et oſtenſa ſunt in Opuſculo de EQUO ALBO; et quod album dicatur de Vero, videatur ſupra n. 196. Dicitur quod Equus albus viſus ſit, quando Agnus aperuit primum ſigillum, et quod Equus rufus cum ſecundum, Equus niger cum tertium, et Equus pallidus cum quartum, et quia per Equum ſignificatur intellectuale, in ſpecie quoad Verbum, inde conſtare poteſt, quod intellectus veri ex Verbo, et ejus quale apud homines Eccleſiæ, per Equos hic deſcribatur; ſive dicas quod id deſcribatur, ſeu illi qui in eo ſunt, idem eſt, nam homines, ſpiritus et Angeli ſubjecta ſunt, in quibus id. Inde ſciri poteſt, quid in hoc Capite, et in proxime ſequentibus in ſenſu interno ſeu ſpirituali deſcribitur, quod nempe Verbum quoad intellectum; hoc quoque patet ex Verſu 9no hujus Capitis, ubi, poſtquam viſi ſunt quatuor illi Equi, et tunc apertum ſigillum quintum, dicitur, quod "*viderit animas occiſorum propter Verbum Dei:*" et quoque ex Capite xix. hujus Libri, ubi dicitur quod "*Nomen Ejus qui ſedit ſuper Equo Albo vocetur Verbum Dei,*" Verſ. 13. Quod intellectuale per Equum ſignificetur, et quod intellectus veri ex Verbo per Equum album, oſtenſum videatur in Opuſculo ſupra citato de EQUO ALBO; ſed quia ibi ſolum pauca loca ex Verbo adducta ſunt, confirmantia quod Equus ſignificet intellectuale, ideo velim hic plura adducere, ut plena ſit confirmatio; quæ ſunt ſequentia; apud Ezechielem, "*Congregate vos a circuitu ſuper ſacrificium meum quod ſacrifico vobis: ſatiabimini ſuper menſa mea, Equo et Curru, forti et omni viro belli: ſic dabo gloriam meam inter gentes,*" xxxix. 17, 20, 21; agitur ibi de convocatione omnium ad Regnum Domini, et in ſpecie de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes; agitur enim ibi de captivitate ſpirituali, in qua fuerunt gentes, et de liberatione ab illa; per ſacrificium quod ſacrificaretur, ſignificatur omnis cultus quo colitur Dominus; per ſatiari ſuper menſa mea, ſignificatur omni cibo ſpirituali, qui quia eſt intellectus veri ex Verbo et ex doctrina inde, dicitur equo et curru, per equum ſignificatur intellectus veri ex Verbo, et per currum ſignificatur doctrina inde; et quoque dicitur forti et omni viro belli, et per fortem ſignificatur verum ex bono quod deſtruit malum, et per virum belli ſignificatur verum ex bono quod deſtruit falſum; niſi talia ſignificarentur, quid foret quod ſatiarentur equo et curru, forti et omni viro belli. Similiter in Apocalypſi, "*Congregamini ad Cœnam magni Dei, ut comedatis carnes regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum et ſedentium ſuper illis,*" xix. 17, 18; agitur ibi in præcedentibus de Verbo et ejus ſenſu ſpirituali, hic nunc invitantur ad diſcendum vera et ad percipiendum bona; et per Cœnam magni Dei ſignificatur inſtructio in veris et inde perceptio boni a Domino; et per carnes regum, chiliarchorum, fortium, equorum et ſedentium ſuper illis ſignificantur omnis generis vera quæ ex bono, caro ſignificat bonum, reges Divina vera in genere, chiliarchi eadem in ſpecie, fortes vera naturalia, equi vera intellectualia, et ſedentes ſuper illis vera ſpiri-

tualia; quod ibi non intelligantur carnes regum, chiliarchorum, fortium, equorum et ſedentium ſuper illis, cuivis patet. Apud Habakuk, "*Num fluviis ſuccenſuit Jehovah, num contra fluvios ira tua, num contra mare excandeſcentia tua, quod equitas ſuper equis tuis, currus tui ſalus: calcaſti mare equis tuis, lutum aquarum multarum,*" iii. 8, 15; quis non videt, quod per equos hic non intelligantur equi, dicitur enim de Jehovah, quod equitet ſuper equis ſuis, et quod calcet mare equis ſuis, et quod currus Ipſius ſint ſalus, ſed hoc dicitur, quia per equitare ſuper equis ſignificatur quod Jehovah, hoc eſt, Dominus ſit in intellectu Verbi ſui in ſenſu ejus ſpirituali; et quia inde eſt doctrina veri, quæ docet viam ſalutis, additur currus tui ſalus, currus ſignificant doctrinam; et per calcare mare equis, ſignificatur quod Jehovah, hoc eſt, Dominus ſit in intellectu Verbi ſui in ſenſu naturali, nam mare ibi id ſignificat, in genere omnia quæ ſunt naturalis hominis et pro naturali homine; et quia ibi ſunt Divina Vera in ſuo ultimo, ideo additur lutum aquarum multarum, lutum ſignificat ultimum ex quo et in quo, et aquæ ſignificant vera. Apud Sachariam, "*Exſcindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hieroſolyma; et exſcindetur arcus belli; contra loquetur pacem gentibus,*" ix. 10; agitur ibi de adventu Domini, et de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes; quod tunc nihil Eccleſiæ reſiduum fuerit apud Judæos, deſcribitur per exſcindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hieroſolyma, et exſcindetur arcus belli, per quæ ſignificatur quod amplius non verum in doctrina, nec intellectus veri, et inde nulla pugna et reſiſtentia contra falſum; per Ephraimum ſignificatur Eccleſia quoad intellectum veri, et per Hieroſolymam Eccleſia quoad doctrinam veri, per currum ipſa doctrina, et per equum ipſe intellectus, ac per arcum belli pugna et reſiſtentia contra falſum; inſtauratio Eccleſiæ apud gentes, ſignificatur per quod loquetur pacem gentibus, per gentes ſignificantur omnes qui in bono amoris in Dominum ſunt, videatur ſupra n. 331; pax ſignificat id bonum, et inde omnia Eccleſiæ: quod Ephraim ſignificet Eccleſiam quoad intellectum veri, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296; et quod Hieroſolyma ſignificat Eccleſiam quoad doctrinam, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 6; et ſupra n. 223. Apud Eundem, "*In die illo percutiam omnem Equum ſtupore, et Equitem amentia; et ſuper domum Jehudæ aperiam oculum meum, omnem autem Equum populorum percutiam cæcitate,*" xii. 4; agitur ibi de devaſtatione Eccleſiæ prioris, et de inſtauratione novæ; devaſtatio Eccleſiæ prioris deſcribitur per in die illo percutiam omnem equum ſtupore, et equitem amentia, et omnem equum populorum percutiam cæcitate; quod per equum ibi ſignificetur intellectus veri apud homines Eccleſiæ, et per equitem affectio veri ſpiritualis unde intellectus, patet; quid alioquin foret, quod equus percuteretur ſtupore, et equus populorum cæcitate; ſtupor dicitur de intellectu quando nulla ei perceptio boni, ac cæcitas de illo quando ei nulla apperceptio veri; per domum Jehudæ ſignificatur Eccleſia apud illos qui in bono amoris in Dominum ſunt, et inde in doctrina veri ex Verbo, videatur ſupra n. 119, 211; quare dicitur, ſuper illam aperiam oculum meum, per quod ſignificatur illuſtrare ut videant vera. Apud Eundem, "*In die illo erit ſuper tintinnabulis Equorum ſanctitas Jehovæ,*" xiv. 20; agitur etiam ibi de adventu Domini, et de invitatione omnium ad Eccleſiam, ac per tintinnabula equorum ſignificantur ſcientifica et cognitiones ac inde prædicationes, quæ ſunt ex intellectu veri; et quia omnis intellectus veri eſt ex Domino, et inde ipſæ cognitiones et prædicationes, ideo dicitur quod ſuper tintinnabulis equorum erit ſanctitas Jehovæ: quia tintinnabula ſignificabant talia, ideo etiam tintinnabula auri erant ſuper fimbriis pallii Aharonis circumcirca, Exod. xxviii. 34, 35. Apud Moſen, "*Erit Dan ſerpens ſuper via, aſpis ſuper ſemita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorſum: ſalutem tuam exſpecto Jehovah,*" Geneſ. xlix. 17, 18; eſt propheticum Iſraelis patris de Tribu Danis, per quam tribum ſignificantur ultima Eccleſiæ, ita illi qui in ultimis veri et boni ſunt, qui dicuntur ſenſuales; ſunt enim in Eccleſia qui ſunt ſpirituales, et qui naturales, ac naturales ſunt interiores, medii et ultimi, ultimi ſunt ſenſuales, hi non ultra ſenſum literæ Verbi quoad cogitationem ſe elevant, hi per Danem intelliguntur; quales ſunt, deſcribitur per id propheticum, quod nempe Dan ſit ſerpens ſuper via, aſpis ſuper ſemita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorſum; per ſerpentem ſuper via et aſpidem ſuper ſemita, ſignificatur ſenſuale quoad verum et quoad bonum; per calcaneos equi ſignificantur ultima intellectus veri et boni, et per equitem ratiocinatio ex illis; et quia ſenſuale in ſe ſpectatum non videt vera quoniam non capit ſpiritualia, et inde facile in falſa labitur, niſi a Domino jugiter ab illis detineatur, ideo dicitur, et cadet eques ejus retrorſum, ſalutem tuam exſpecto Jehovah: quod per Danem ſignificentur ultima Eccleſiæ, videatur n. 1710, 6396, 10335: quod per ſerpentem ſignificetur ſenſuale, quod ultimum intellectus, n. 6398, 6949, 8624 f. 10313, et ſupra n. 70: quod per viam ſignificetur verum, n. 627, 2333, 10422, et ſupra n. 97: et quod per calcaneum ſignificetur ultimum naturale, ſeu naturale corporeum, n. 259, 4938, ſeq.: quid ſenſuale, et quales ſenſuales homines in utroque ſenſu, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 50. Apud Sachariam, "*Suſtuli oculos meos et vidi, cum ecce quatuor Currus exeuntes ab inter duos montes, et montes erant montes æris: ad Currum primum Equi rufi, ad Currum ſecundum Equi nigri, ad Currum tertium Equi albi, et ad Currum quartum Equi grandinati, robuſti: dixit Angelus, hi quatuor venti cælorum exeuntes a ſtando juxta Dominum totius terræ: in quo equi nigri, exeuntes in terram ſeptentrionis; et albi exiverunt poſt eos, et grandinati exiverunt in terram auſtri, et robuſti exiverunt et quæſiverunt ire ad peragrandum terram: et dixit, vide exeuntes ad terram ſeptentrionis, quieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra ſeptentrionis: et longinqui venient, et ædificabunt in Templo Jehovæ,*" vi. 1 ad 8, 15; hoc propheticum non intelligitur ab aliquo, niſi ſciatur quid ſignificant Currus et Equi, et quid rubrum, nigrum, album, grandinatum et robuſtum, tum quid terra ſeptentrionis et terra auſtri; agitur ibi de Eccleſia propaganda apud illos qui nondum in aliqua luce veri erant, quia non habuerunt Verbum; per ſeptentrionem intelligitur obſcurum veri quod illis, per auſtrum clarum veri, per Equos intelligitur intellectus eorum; per rubrum, nigrum, album et grandinatum, intelligitur quale ejus in principio et quale ejus poſtea; per rufum quale intellectus eorum quoad bonum in principio, per nigrum quale intellectus eorum quoad verum in principio, et per album quale intellectus eorum quoad verum poſtea, et per grandinatum quale ejus quoad verum et bonum tandem; per robuſtum intelligitur quale ejus quoad potentiam reſiſtendi malis et falſis; ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod Equi rufi exierint ad terram ſeptentrionis, et albi exierint poſt eos, et quod quieſcere fecerint ſpiritum meum in terra ſeptentrionis, quod nempe illi recipiant et intelligant qui ex bono vitæ in affectione ſciendi vera Eccleſiæ ſunt, nec alii illuſtrantur; illuſtratio et receptio ab illis intelligitur per quieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra ſeptentrionis: per quod grandinati exierint in terram auſtri, ac robuſti ad peragrandum terram, ſignificatur quod illi qui ex bono vitæ in affectione ſciendi vera Eccleſiæ ſunt, in lucem veniant, ac quod reſiſtant malis et falſis et faciant Eccleſiam; inde eſt, quod quatuor illi Equi dicantur quatuor venti cœlorum exeuntes a ſtando juxta Dominum totius terræ, venti ſignificant omnia Divina vera, et exeuntes a ſtando juxta Dominum totius terræ ſignificat quod ab Ipſo procedant, quod venti ſignificent omnia Divina vera, videatur n. 9642, et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 141 ad 153; et quod exire ſignificet procedere, in Arcanis Cœlestibus, n. 5337, 7124, 9303: per longinquos qui ædificabunt in Templo Jehovæ, ſignificatur qui prius remoti fuerunt a veris et bonis Eccleſiæ, quod accedent ad Eccleſiam; quod per longinquos illi ſignificentur, videatur n. 4723, 8910; et quod per Templum Jehovæ ſignificetur Eccleſia, n. 3720: porro, quod per ſeptentrionem ſignificetur obſcurum veri, et quod per auſtrum ſive meridiem clarum veri, ita quoque illi qui in obſcuro et in claro veri ſunt, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 148, 149, 150, 151: quid per rubrum et nigrum in utroque ſenſu ſignificatur, videbitur in explicationibus ad Verſus 4tum et 5tum hujus Capitis, et quid per album, videatur ſupra n. 196: per montes æris, inter quos currus et equi exiverunt, ſignificatur bonum amoris in naturali homine; hoc dicitur, quia gentes, de quibus hic agitur, non in bono ſpirituali ſed in bono naturali fuerunt, antequam illuſtrati ſunt; quod per montem ſignificetur bonum amoris, videatur n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438; et quod per æs bonum naturale, ſupra n. 70. Apud Hiobum, "*Obliviſci fecit illam Deus ſapientiam, nec impertitus eſt illi intelligentiam; quo tempore in altum ſe attollit, ridet Equum et Equitem ejus,*" xxxix. 17, 18; hæc dicuntur de ave, per quam ſignificatur intelligentia ex proprio, quæ in ſe nulla intelligentia eſt, nam homo ex proprio non videt niſi falſa, et non vera, et ex veris eſt intelligentia et non ex falſis; quare dicitur de illa, quod obliviſci fecerit illam Deus ſapientiam, nec impertitus eſt illi intelligentiam, et cum ſe in altum attollit, ridet equum et equitem ejus, hoc eſt, intellectum veri ac intelligentem. Apud Davidem, "*Præda facti ſunt fortes corde, dormitarunt ſomnum ſuum; præ increpatione tua, Deus Jacobi, obdormivit et Currus et Equus,*" Pſalm. lxxvi. 6, 7; per ſortes corde ſignificantur qui in veris ex bono ſunt; per quod præda facti ſint, et dormitaverint ſomnum ſuum, ſignificatur quod a malis in falſa lapſi ſint; per increpationem Dei Jacobi, ſignificatur inverſio ſtatus eorum ab Ipſis, et per obdormivit et currus et equus, ſignificatur quod intellectuale eorum ſopitum ſit, quia factum mere naturale; quod per vigilare ſignificetur vitam ſpiritualem ſibi comparare, et per dormire habere vitam naturalem abſque ſpirituali, videatur ſupra n. 61. Apud Ezechielem, “*Javan, Thubal et Meſchech cum anima hominis et vaſis æris dederunt negotiationem tuam: ex Bethogarma Equos, Equites et Mulos dederunt negotiationibus tuis,*” xxvii. 13, 14; agitur ibi de Tyro, per quam ſignificantur cognitiones veri et boni quæ Eccleſiæ externæ et internæ; per Javan, Thubal et Meſchech ſignificantur qui in cultu externo, et ii ex Bethogarma qui in cultu interno, quare dicitur quod hi dederint negotiationibus Tyri equos, equites et mulos, et quod illi dederint animam hominis et vaſa æris negotiationem, et per animam hominis ſignificatur verum fidei quoad cognitionem, et per vaſa æris ſignificantur vera boni naturalis; ac per equos, equites et mulos ſignificatur intellectus veri et boni, per equos intellectus veri, per equites intelligentia, et per mulos rationale; quod per mulum ſignificetur rationale, videatur n. 2781, 5741, 9212: quiſque videre poteſt, quod per negotiationes Tyri, quæ in illo Capite et alibi enumerantur, non intelligantur negotiationes cum talibus, ut cum vaſis æris, equis et mulis, et cum pluribus aliis, ſed quod intelligantur negotiationes ſpirituales, quæ fiunt per cognitiones veri et boni; Verbum enim eſt Divinum, et de Divinis agit, et non de terreſtribus, quare continet ſpiritualia, quæ ſunt Cœli et Eccleſiæ, quæ exprimuntur in ſenſu ultimo, qui eſt ſenſus literæ, per naturalia quæ correſpondent illis: quod negotiari et mercari in Verbo ſignificet cognitiones veri et boni comparare et communicare, videatur n. 2967, 4453; et quod ſimile edere et vendere, n. 2967, 4397, 4453, 5371, 5374, 5397, 5410, 5426, 5886, 6143, 7999, 9039. Apud Eſajam, “*Qui duxit eos per abyſſos, ſicut Equus in deſerto non offenderunt, ſicut beſtia in valle deſcendit, ſpiritus Jehovæ duxit eum,*” lxiii. 13, 14; agitur in eo Capite de Domino, et de Ipſius pugna cum infernis et ſubjugatione eorum; hic autem de ſalvatione eorum qui in amore et fide in Ipſum ſunt, hi comparantur equo in deſerto, et beſtiæ in valle, quia per equum ſignificatur intellectus veri, et per beſtiam affectio boni; omnes enim comparationes in Verbo ex correſpondentiis ſunt. In Apocalypſi, “*Vidi Cœlum apertum, et ecce Equus albus, et inſidens ei vocabatur Verbum Dei: et Exercitus qui in Cœlo ſequebantur Ipſum ſuper Equis albis,*” xix. 11 ad 16; quod per Equum album ſignificetur intellectus Verbi, ſimiliter per Equos albos, quibus inſidebant qui ſequebantur, conſtat, nam inſidens Equo albo erat Dominus quoad Verbum, dicitur enim et Sedens ſuper illo vocabatur Verbum Dei, et in Verſu 16 ibi, habebat ſuper veſtimento et ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum Dominus dominorum et Rex regum, Dominus vocatur Verbum, quia Verbum ſignificat Divinum Verum procedens ab Ipſo: ſed hæc in Apocalypſi plenius explicata videantur in

Opuſculo de Equo Albo, n. 1; et unde eſt quod Dominus dicatur Verbum, n. 14 ibi. Quoniam Currus et Equi ſignificant doctrinam ex Verbo et ejus intellectum, et omnis doctrina veri et ejus intellectus eſt e Cœlo a Domino, ideo dicitur de Ipſo, quod Equitet ſuper Verbo, ſuper nubibus, ſuper cœlo, ſuper cherubo, et quod faciat equitare, ut in ſequentibus his locis: apud Davidem, "*Accinge gladium tuum ſuper femur Potens in decore tuo, et in honore tuo conſcende, et Equite ſuper Verbo veritatis et manſuetudinis juſtitiæ,*" Pſalm. xlv. 5, 6; hæc dicta ſunt de Domino. Apud Eundem, "*Cantate Deo, laudate Nomen Ipſius, extollite Equitantem ſuper nubibus,*" Pſalm. lxviii. 5. Apud Eſajam, "*Ecce Jehovah Equitans ſuper nube, et venit in Ægyptum, et commovebuntur idola Ægypti coram Ipſo,*" xix. 1, 2. Apud Davidem, "*Pſallite Domino Equitanti ſuper Cœlo cœli antiquitatis,*" Pſalm. lxviii. 34. "*Deus Equitavit ſuper Cherubo, volavit, et vectus ſuper alis Venti,*" Pſalm. xviii. 11. Apud Habakuk, "*Jehovah Equitas ſuper Equis tuis, Currus tui ſalus; calcaſti mare Equis tuis,*" iii. 8, 15. Apud Eſajam, "*Tunc delitiaberis in Jehovah, et Equitare te faciam in excelſa terræ,*" lviii. 14. Apud Moſen, "*Jehovah ſolus duxit eum, et Equitare fecit eum ſuper excelſa terræ,*" Deut. xxxii. 12, 13. Et apud Hoſcheam, "*Equitare faciam Ephraimum,*" x. 11; in illis locis per equitare ſignificatur intelligentiam et ſapientiam dare, quia per currum ſignificatur doctrina veri, et per equos intellectus ejus. Apud Eſajam, "*Tunc adducent omnes fratres ejus ex omnibus gentibus munus Jehovæ ſuper Equis et ſuper Curru, et ſuper rhedis cameratis, ſuper mulis et ſuper veredariis, ad montem ſanctitatis meæ Hieroſolymam,*" lxvi. 20; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ Novæ a Domino; quare non intelligitur quod adducent fratres ſuos ſuper equis, ſuper curru, ſuper rhedis cameratis, ſuper mulis et ſuper veredariis, ad Hieroſolymam; ſed intelligitur quod omnes qui in bono ſunt, inſtruendi ſint in Divinis Veris, et per illa intelligentes et ſapientes facti introducendi ſint in Eccleſiam; per fratres enim ſignificantur omnes qui in bono ſunt, per equos ſignificatur intellectus veri, per currum doctrina veri, per rhedas cameratas cognitiones veri, per mulos rationale internum quod ſpirituale, et per veredarios rationale externum quod naturale; et per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia ubi doctrina Divini Veri, quæ mons ſanctitatis dicitur ex amore veri. Ex ſignificatione curruum et equorum conſtare poteſt, unde eſt quod "*Elias et Eliſæus dicti fuerint Currus Iſraelis et Equites ejus. Et quod puero Eliſæi viſus ſit Mons plenus Equis et Curribus igneis cricum Eliſæum,*" II Reg. ii. 11, 12. Cap. vi. 17. Cap. xiii. 14; cauſa eſt, quia uterque, tam Elias quam Eliſæus, repræſentarunt Dominum quoad Verbum, et per Currus ſignificatur doctrina e Verbo, et per Equites intelligentia: quod Elias et Eliſæus repræſentaverint Dominum quoad Verbum, videatur n. 7643, 8029, 9327. Quod Currus et Equi ſignificent Doctrinam et intellectum ejus, adhuc conſtare poteſt a ſenſu eorum oppoſito, in quo Currus et Equi ſignificant doctrinas falſi et ſcientifica falſa ex intellectuali perverſo: pleraque enim in Verbo oppoſitum ſenſum habent, ex quo videri poteſt quid eadem in genuino ſenſu ſignificant. Quod Currus et Equi in illo ſenſu talia ſignificent, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Ezechielem, "*Ecce adducturus contra Tyrum regem Babelis a ſeptentrione, cum Equo et cum Curru, et cum Equitibus, filias tuas in agro gladio occidet; præ abundantia Equorum ejus obteget te pulvis eorum, præ voce Equitis et rotæ et Currus commovebuntur muri tui, per Ungulas Equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas; populum gladio occidet*," xxvi. 7, 8, 10, 11; per Tyrum ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri; et per regem Babelis deſtructio veri per falſa et prophanatio; per ſeptentrionem a quo venturus, ſignificatur unde omne falſum, in ſpecie infernum ex quo exſurgit; per currum, equos et equites, ſignificantur doctrinalia falſi et ratiocinationes ex illis; per filias quas in agro gladio occidet, ſignificantur affectiones veri quas per falſa exſtinguet, filiæ enim ſunt affectiones veri, ager eſt Eccleſia ubi illæ, gladius eſt pugna falſi contra verum, et occidere eſt exſtinguere; inde patet quid ſignificatur per præ abundantia Equorum ejus obteget te pulvis eorum, pulvis eſt malum falſi; per muros qui præ voce equitis, rotæ et currus commovebuntur, ſignificantur vera tutantia, quæ in genere ſunt, quod Deus ſit, et quod Verbum ſit Divinum, et quod vita æterna ſit, hi muri ſeu hæc vera dicuntur commoveri præ voce equitis, rotæ et currus, quando in dubium veniunt per falſa doctrinæ et per ratiocinationes ex illis; per ungulas equorum per quas conculcabit omnes plateas, ſignificantur extrema naturalis hominis, quæ vocantur ſenſualia, ex quibus omnes falſitates, plateæ quas per illas conculcabit, ſunt vera doctrinæ Eccleſiæ, quæ prorſus deſtruet; per populum qui gladio cadet, ſignificantur omnes qui in veris ſunt, et abſtracte omnia vera. Apud Jeremiam, "*Gladie contra mendaces ut ſtulteſcant, gladie contra fortes ut conſternentur, gladie contra equos ejus et contra currus ejus, gladie contra theſauros ejus ut diripiantur; ſiccitas ſuper aquas ut exareſcant, quia terra ſculptilium illa*," l. 37, 38; per gladium ſignificatur pugna veri contra falſum ac falſi contra verum et inde vaſtatio, hic vaſtatio; per mendaces et per fortes ſignificantur falſa et ratiocinationes ex illis, ſimilia per equos et currus; per theſauros qui diripientur, ſignificantur omnia doctrinæ; per ſiccitatem ſuper aquas ut exareſcant, ſignificatur deſolatio veri, ſiccitas eſt deſolatio, et aquæ ſunt vera: et quia omnia falſa ex propria intelligentia ſunt, ideo dicitur, quia terra ſculptilium illa, terra ibi ſignificat hæreſin, et ſculptilia ſignificant quæ ex propria intelligentia; quod hæc per ſculptilia, fuſilia et idola ſignificentur, videatur n. 8869, 8941, 10406, 10503. Apud Eundem, "*Ecce ſicut nubes aſcendet, et ſicut procella currus ejus, celeres ſunt præ aquilis equi ejus; væ nobis quia devaſtati ſumus; ablue a malitia cor tuum, ut ſerveris; quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis. Vaſtitas erit tota terra, præ voce Equitis et Sagittariorum fugit tota urbs; intrarunt nubes, et in petras aſcenderunt, tota urbs deſerta*," iv. 13, 14, 27, 29; deſcribitur hic vaſtatio Eccleſiæ per falſa mali, falſa ſignificantur per nubem, et cupido ratiocinandi ex falſis contra vera, per equos qui præ aquilis veloces, ac doctrinalia falſi per currus qui ſicut procella; quod inde omne Eccleſiæ et omne doctrinæ ejus pereat, ſignificatur per quod vaſtitas erit tota terra, et præ voce equitis et ſagittariorum fugit tota urbs, terra eſt Eccleſia, et urbs eſt doctrina ejus, vox equitis et ſagittariorum eſt ratiocinatio ex illis et impugnatio, et fugere eſt perire; quod dein mere falſum ac fides falſi regnatura ſint, ſignificatur per intrarunt nubes ac in petras aſcenderunt, nubes ſunt falſa, ac petræ ſunt eorum fides; quod devaſtatio Eccleſiæ et ejus doctrinæ ita deſcribatur, patet, nam dicitur, væ nobis quia devaſtati ſumus, quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis, vaſtitas erit tota terra, tota urbs deſerta. Apud Eundem, "*Ecce populus veniens e terra ſeptentrionis, et gens magna excitabitur a lateribus terræ, vox eorum ſicut mare reſonat, et ſuper equis equitant*," vi. 22, 23. Cap. l. 43; ſimiliter hic deſcribitur devaſtatio Eccleſiæ per falſa mali; terra ſeptentrionis, et latera terræ ſunt unde illa, terra ſeptentrionis unde falſa, et latera terræ unde mala, per ſeptentrionem enim ſignificatur quod remotum a veris eſt, et per latera terræ quod remotum a bonis, quare dicitur gens de his et populus de illis, nam per gentem intelliguntur qui in malis, et per populum qui in falſis, videatur ſupra n. 331; ratiocinatio eorum ſignificatur per quod vox eorum ſicut mare reſonet, et quod ſuper equis equitent. Apud Ezechielem, "*Venies e loco tuo e lateribus ſeptentrionis, tu et populi multi tecum, equitantes equis omnes, et aſcendes contra populum meum Iſraelem, ſicut nubes ad obtegendum terram*," xxxviii. 15, 16; hæc de Gogo, per quem ſignificatur cultus externus abſque ullo interno; latera ſeptentrionis ſignificant hic ut ſupra remotum a bonis et veris, et ſic unde falſa mali; et quia inde ratiocinantur et impugnant vera Eccleſiæ, et exſtinguunt illa, dicitur equitantes equis omnes, et aſcendes contra populum meum Iſraelem, ſicut nubes ad obtegendum terram, equitantes equis ſunt ratiocinationes, aſcendere contra populum Iſraelem, et obtegere terram, ſignificat impugnare vera Eccleſiæ, et exſtinguere illa, nubes ſunt falſa mali. Apud Danielem, "*In tempore finis collidet rex meridiei cum rege ſeptentrionis, ideo quaſi procella irruet in illum rex ſeptentrionis, cum curru et cum equitibus, et cum navibus multis, et veniet in terras, et inundabit et penetrabit*," xi. 40; agitur in illo Capite de pugna regis ſeptentrionis cum rege meridiei, et per regem ſeptentrionis intelligitur falſum ex malo, ac per regem meridiei verum ex bono; quare patet, quod illa, quæ in eo Capite dicuntur, non dicta ſint de aliquo futuro bello inter duos reges, ſed de pugnis falſi ex malo contra verum ex bono; currus et equites cum quibus irruet rex ſeptentrionis, ſunt impugnationes veri ex falſis mali; naves multæ cum quibus etiam irruet, ſunt ſcientifica et doctrinalia falſi; deſtructio Eccleſiæ per illa, ſignificatur per veniet in terras, et inundabit et penetrabit: quod naves ſignificent ſcientifica et doctrinalia in utroque ſenſu, videatur n. 1977, 6385: et quod inundare ſignificet immerſionem in falſa et mala, n. 660, 705, 739, 756, 790, 5725, 6853. Apud Jeremiam, "*Diſpergam per te gentes, et perdam per te regna, et diſpergam per te Equum et Equitem ejus, et diſpergam per te currum et vectum in eo*," li. 20, 21: et apud Haggæum, "*Evertam thronum regnorum, et perdam robur regnorum gentium; et evertam currum et equitantes in eo, et deſcendent Equi et Equites eorum, vir gladio fratris ſui*," ii. 22; hæc dicta ſunt de deſtructione falſi et mali, et non de deſtructione alicujus gentis et regni, nam per gentes ſignificantur mala, et per regna ſimiliter ac per populos falſa, eſt etiam propheticum et non hiſtoricum; inde patet quid per equum et equitem, ac per currum et vectum in eo, ſignificatur, quod nempe per equum et equitem intellectuale perverſum et inde ratiocinatio, ac per currum et vectum in eo doctrina falſi ſeu hæreſis, et qui in illa ſunt. Apud Nahum, "*Væ urbi ſanguinum, tota mendacio et rapina plena; vox ſcuticæ et vox ſonitus rotæ, et equus hinniens et currus ſaltitans, eques aſcendere faciens, et ſplendor gladii, et fulgur haſtæ, et multitudo confoſſorum, et acervus cadaveris, præ multitudine ſcortationum ſcorti, vendentis gentes per ſcortationes ſuas, et familias per præſtigias ſuas*," iii. 1, 2, 3, 4; agitur ibi de violentia illata Divino Vero ac de deſtructione ejus per falſa mali, id enim per urbem ſanguinum, de qua ſequentia dicuntur, ſignificatur, videatur ſupra n. 329; quare etiam dicitur tota mendacio et rapina plena, mendacium eſt falſum, et rapina eſt violentia per id illata; et quia bella ſignificant pugnas ſpirituales, quæ ſunt veri contra falſum et falſi contra verum, ideo omnia quæ ſunt belli, ut ſcutica, equus, currus, gladius et haſta, ſignificant varia quæ illius belli ſunt; quid autem ſingula in ſpecie ſignificant, non hujus loci eſt exponere, modo quid Equus, Eques et Currus; vox ſonitus rotæ, ſignificat ratiocinia ex falſis et malis; equus hinniens et currus ſaltitans, ſignificat cupidinem deſtruendi vera, equus eſt intellectuale perverſum ex quo, et currus eſt doctrina falſi ex qua; hinnire et ſaltitare, eſt ferri cupidine et jucundo ad id, et eques aſcendere faciens eſt impugnatio; inde dicitur multitudo confoſſorum et acervus cadaveris, confoſſi dicuntur qui perierunt ex falſis, et cadavera qui ex malis; et inde quoque dicitur, præ multitudine ſcortationum ſcorti vendentis gentes per ſcortationes, et familias per præſtigias, per ſcortationes ſignificantur falſificationes veri, per ſcortum hæreſis, per vendere gentes ſignificatur abalienare bona, et per vendere familias per præſtigias ſignificatur abalienare vera, gentes ſunt bona, familiæ vera inde, et præſtigiæ ſunt falſa mali per quæ. Apud Habakuk, "*Ego excitans Chaldæos, gentem amaram et præcipitem, pergentem in latitudines terræ, cujus leves ſunt præ pardis equi, et acuti ſunt præ lupis veſperæ, ut diffundant ſe equites ejus; unde equites ejus e longinquo venient, advolabunt ſicut aquila feſtinans ad comedendum, tota ad violentiam veniet; illa reges illudet, et dominatores riſui illi*," i. 6, 8, 9, 10; per Chaldæos intelliguntur qui prophanant vera, et ſic vaſtant Eccleſiam, quare vocatur gens amara et præceps pergens in latitudines terræ, latitudines terræ ſunt vera Eccleſiæ, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 197; eorum cupiditas et aſtutia pervertendi vera et deſtruendi illa per ratiocinia ex falſis prorſus romotis a veris, ſignificantur per cujus leves præ pardis equi, et acuti præ lupis veſperæ, ut diffundant ſe equites ejus, unde equites ejus e longinquo venient, advolabunt ſicut aquila feſtinans ad comedendum, cupiditas ſignificatur per quod equi ejus leves ſint præ pardis, et aſtutia per quod equi ſint acuti præ lupis veſperæ, et utrumque per quod advolent ſicut aquila; quia cupiditas et aſtutia eſt ad deſtruendum vera, ideo dicitur, tota ad violentiam veniet; quod irrideant vera et bona, ſignificatur per quod reges illudet et dominatores riſui illi, reges ſignifican vera, ac domini et dominatores bona. Apud Davidem, “*Hi in curru, et iſti in equis, nos vero in Nomine Dei noſtri gloriabimur,*” Pſalm. xx. 8, 9: apud Eundem, “*Non rex ſervatur per multitudinem exercitus, mendacium Equus quoad ſalutem,*” Pſalm. xxxiii. 16, 17: apud Eundem, “*Jehovah non in robore Equi delectatur, non in femoribus viri beneplacitum Ipſius,*” Pſalm. cxlvii. 10; per gloriari in curru et in equis, et per quod Jehovah non delectetur robore equi, ſignificantur omnia quæ ex propria intelligentia, ex qua mere falſa; et per femora viri ſignificantur quæ ex propria voluntate, ex qua mere mala. Apud Amos, “*Non tenens arcum conſiſtet, neque celer pedibus eripiet ſe; neque equitans equo eripiet animam ſuam, ſed fortis corde ſuo fugiet nudus in die illo,*” ii. 15, 16; etiam hic deſcribitur propria intelligentia, et fiducia ex facultate loquendi et ratiocinandi ex falſis; per tenens arcum non conſiſtet, et per celer pedibus non eripiet ſe, ſignificatur qui ſcit alacriter ratiocinari ex doctrina falſi, et ex ſcientia ac memoria naturalis hominis, non ideo ſervabitur; ſimile ſignificatur per equitans equo non eripiet animam ſuam; per fortem corde qui fugiet nudus in die illo, ſignificatur qui fidet ſuis falſis quod abſque omni vero erit, per fortem corde intelligitur qui fidet ſuis falſis, et per nudum intelligitur qui abſque omni intellectu veri, videatur ſupra n. 240. Apud Eſajam, “*Dicit Dominus Jehovih Sanctus Iſraelis, in quieſcendo et in fiducia erit virtus veſtra; ſed noluiſtis, et dixiſtis non, ſed ſuper equo fugiemus, et ideo fugietis, et ſuper veloce equitabimus, et ideo veloces reddentur perſequentes vos,*” xxx. 15, 16; agitur hic de fiducia in Dominum, et de fiducia in ſe; de fiducia in Dominum per hæc verba, dixit Dominus Jehovih ſanctus Iſraelis, in quieſcendo et in fiducia erit virtus veſtra; et de fiducia in ſe per hæc, et dixiſtis non, ſed ſuper equo fugiemus, et ſuper veloce equitabimus, per fugere ſuper equo, et equitare ſuper veloce, ſignificatur cupere et amare illa quæ ſui intellectus ſunt et inde cogitationis et ratiocinationis; quod falſa tunc irruptura et occupatura, ſignificatur per ideo fugietis et ideo veloces reddentur perſequentes vos, velox et feſtinum ſignificat quod fit ex cupiditate ſeu ex amore. Apud Sachariam, “*Ponet Jehovah Jehudam ſicut Equum gloriæ ſuæ in bello, ex illo angularis, ex illo clavus, et ex illo arcus belli; et erunt ſicut potentes conculcantes cœnum platearum, et præliabuntur quia Jehovah cum illis, et pudefacient equitantes ſuper equis,*” x. 3, 4, 5; per domum Jehudæ ſignificatur Regnum cœleſte Domini, ſeu Cœlum et Eccleſia quæ in amore in Dominum, de hoc dicitur, quod erit ſicut Equus gloriæ in bello, per quem ſignificatur intellectus Divini Veri pugnans contra mala et falſa, quæ deſtruet, per equum ſignificatur intellectus, per gloriam Divinum Verum, et per bellum pugna contra falſa et mala, et deſtructio eorum; per angularem, clavum et arcum belli quæ ex Jehuda, ſignificantur vera, per angularem verum tutans, per clavum verum firmans, et per arcum belli verum pugnans ex doctrina; per quod erunt ſicut potentes conculcantes cœnum platearum, ſignificatur potentia diſſipandi et deſtruendi falſa, cœnum platearum ſignificat falſa; per quod pudefacient equitantes ſuper equis, ſignificatur annihilatio ratiocinationum, argumentationum et confirmationum quæ ex proprio intellectu; quod hoc fiet a Domino et non ab illis, intelligitur per præliabuntur quia Jehovah cum illis. Apud Hoſcheam, "*Aſſur non ſervabit nos, ſuper Equo non equitabimus, non dicemus amplius Deus noſter operi manuum noſtrarum*," xiv. 4; agitur etiam hic de intelligentia ex proprio, et quod illa non ſalvet; per Aſchurem ſignificatur rationale, hic quod ex proprio; per equitare ſuper equo, ſignificatur ratiocinatio ex proprio intellectus; et per opus manuum, ſignificatur ipſum proprium. Apud Ezechielem, "*Scortata eſt Ohola, et dilexit amaſios ſuos, Aſſyrios propinquos, veſtitos hyacintho, equites equitantes equis*," xxiii. 5, 6, 12, 23; Ohola, quæ ibi eſt Samaria, ſignificat Eccleſiam ubi falſificata ſunt vera; ſcortationes ejus, de quibus in eo Capite, ſignificant falſificationes; per Aſſyrios ſignificantur ratiocinia per quæ; et quia per equitare equis ſignificatur ratiocinari ex falſis, quæ ex propria intelligentia, ideo dicitur dilexit Aſſyrios equites equitantes equis; per hyacinthum quo veſtiti, ſignificatur falſum apparens ſicut verum, quod fit imprimis per applicationem ſenſus literæ Verbi ad principia falſi. Apud Jeremiam, "*A Dane auditus eſt ronchus equorum ejus, a voce hinnituum robuſtorum ejus contremuit tota terra, et venerunt et conſumſerunt terram et plenitudinem ejus et habitantes in ea*," viii. 16; quid per Danem intelligitur, ſupra in hoc Articulo dictum eſt, quod nempe verum in ſuo ultimo, hoc verum in Eccleſia eſt quod continetur in ſenſu literæ Verbi; qui in hoc ſolo manent, et non id legunt ex Doctrina genuini Veri, quæ ducat et illuſtret, in omnis generis errores auferri poſſunt; hi qui auferuntur in errores ſeu falſa, intelliguntur hic per Danem, confirmatio falſorum inde per ronchum equorum ejus, et falſificationes veri per vocem hinnituum robuſtorum ejus, robuſti dicuntur ex fiducia quia ex ſenſu literæ Verbi, quod falſum ſit verum; quod inde Eccleſia quoad ejus vera et bona vaſtetur, ſignificatur per contremuit tota terra, et venerunt et conſumſerunt terram et plenitudinem ejus et habitantes in ea; terra eſt Eccleſia, plenitudo ejus ſunt vera, et habitantes in ea ſunt bona. Apud Eſajam, "*Suſtulit ſignum gentibus e longinquo, et ſibilavit illi ab extremitate terræ, et ecce cito velox adveniet, cujus tela acuta, et omnes arcus ejus tenſi, ungulæ equorum ejus ſicut rupes reputantur, et rotæ ejus ſicut procella*," v. 26, 28; etiam hic agitur de illis qui in ultimis ſunt quoad intellectum veri, et quoad perceptionem boni, ultima illa vocantur ſenſualia, quæ ſunt ultima naturalis hominis, de quibus videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 5; ex illis ſeparatis a ſpirituali homine ſcaturiunt omnia mala et falſa quæ in Eccleſia et in ejus doctrina; mala inde ſignificantur per Gentes quæ venient e longinquo, et falſa per illum qui venit ab extremitate terræ, longinquum et extremitas terræ ſignificant illa quæ remota ſunt a veris et bonis Eccleſiæ; per tela quæ acuta, et per arcus qui tenſi, ſignificantur falſa doctrinæ parata ad deſtruendum vera; et per ungulas equorum quæ ſicut rupes reputantur, et per rotas ejus quæ ſicut procella, ſignificantur ultima veri qualia ſunt quæ in ſenſu literæ Verbi, ac argumentationes et confirmationes falſi per illa, ungulæ equorum ſunt ultima intellectus, hic intellectus perverſi quia ſeparati ab intellectu ſpiritualis hominis, quæ quia ex ſenſu literæ Verbi ſunt, dicitur quæ ſicut rupes reputantur, ac rotæ ſunt argumentationes et confirmationes per illa; quæ quia validæ apparent, dicitur quæ ſicut procella. In Libro Judicum, “ *Cor meum ad Legiſlatores Iſraelis, qui equitatis ſuper aſinabus albis, et ſedetis ſuper Middim, et qui ambulatis ſuper via, meditamini: ſtellæ de viis ſuis pugnarunt cum Siſera, tunc contuſæ ſunt plantæ equorum, comploſi plauſus robuſtorum ejus,*” v. 9, 10, 20, 22; hæc in Cantico Deboræ et Baraki, in quo agitur de pugna veri contra falſum, et de illius victoria; per legiſlatores Iſraelis ſignificantur vera Eccleſiæ; per equitare ſuper aſinabus albis et ſedere ſuper Middim, ſignificatur perceptio boni ac intellectus veri; aſinæ albæ ſignificant rationale quoad bonum, et middim rationale quoad verum; et ambulare ſuper via et meditari, ſignificant vitam veri; ſtellæ de viis ſuis pugnarunt cum Siſera, ſignificant cognitiones veri, et pugnam ex illis contra falſa mali; plantæ equorum quæ contuſæ, et plauſus equorum qui comploſi, ſignificant falſa quæ ex ultimo naturali ſeu ſenſuali et argumentationes inde, quod deſtructa. Apud Amos, “ *Num current in petra Equi, num arabit bobus, quia convertiſtis in fel judicium, et fructum juſtitiæ in abſinthium,*” vi. 12; num current in petra equi, ſignificat num aliquis intellectus veri; num arabit bobus, ſignificat num aliqua perceptio boni; quod hæc ſignificentur, patet, nam ſequitur, quia convertiſtis in fel judicium, et fructum juſtitiæ in abſinthium, convertere in fel judicium ſignificat in falſum vertere verum, et convertere fructum juſtitiæ in abſinthium ſignificat bonum in malum. Apud Davidem, “ *Poſuiſti oppreſſionem ſuper lumbos noſtros, equitare feciſti hominem in Capite noſtro; introivimus in ignem et aquas; eduxiſti tamen nos in latitudinem,*” Pſalm. lxvi. 11, 12; deſcribitur ita captivitas ſpiritualis, et inde liberatio, captivitas ſpiritualis eſt quando mens occluditur ne percipiat bonum et intelligat verum, liberatio ab illa eſt quando mens aperitur; per oppreſſionem ſuper lumbos ſignificatur quod nulla perceptio boni amoris, lumbi enim et femora ſignificant bonum amoris; per equitare facere hominem in Capite noſtro, ſignificatur quod nullus intellectus veri, per hominem hic ſignificatur intelligentia ex proprio, quæ nulla intelligentia eſt, et ſimile per caput; quia hæc ſignificantur, ideo dicitur, introivimus in ignem et aquas, in ignem eſt in mala quæ ex amore ſui, et in aquas eſt in falſa; liberatio inde intelligitur per eduxiſti tamen nos in latitudinem, latitudo ſignificat verum, ut ſupra. Apud Eſajam, “ *Væ deſcendentibus in Ægyptum pro auxilio, et ſuper equis innituntur, et confidunt ſuper curru, ſed non reſpiciunt ad Sanctum Iſraelis, et Jehovam quærunt, nam Ægyptus homo et non Deus, et equi ejus caro et non ſpiritus,*” xxxi. 1, 3; per Ægyptum in Verbo ſignificatur ſcientificum quod in naturali homine, et inde quoque naturalis homo, et quia naturalis homo cum ſcientifico quod in illo, non habet aliquem intellectum, ſed modo cogitationem ex memoria, quæ eſt ſpecies imaginationis ex objectis viſus et auditus, quæ quia eſt infra ſpiritualem, in quo tamen reſident omnia bona et vera Cœli et Eccleſiæ, inde per Ægyptum in plerisque locis ſignificatur ſcientificum falſum, nam cum ſpiritualis homo non influit, vertuntur ſcientifica naturalis hominis in mere falſa, et cogitationes ejus in confirmationes falſi et in ratiocinationes ex illis contra vera; inde conſtare poteſt quid per Equos Ægypti et per Currus ejus ſignificatur, nempe quod per Equos ſcientifica falſa, et per currus doctrinalia ex quibus ratiocinationes contra vera; qui itaque tales ſunt, non quærunt aliunde vera quam ex ſe, proprium enim cujuſvis in naturali homine reſidet, et non proprium in ſpirituali, quapropter pro veris arripiunt falſa et pro bonis mala, et hæc dicunt bona et illa dicunt vera, ac ſibi, quia ſuo proprio, fidunt; hæc ſignificantur per væ deſcendentibus in Ægyptum, et ſuper equis innituntur, et confidunt ſuper curru quod multus, et ſuper equitibus quod validi valde; equi ibi ſunt ſcientifica falſa, et currus ſunt doctrinalia inde, ac equites ſunt ratiocinationes ex illis contra vera; quare etiam dicitur, Ægyptus eſt homo et non Deus, et equi ejus ſunt caro et non ſpiritus, per quod ſignificatur quod mere naturale et non ſpirituale eis inſit, inde nec aliquid vitæ, homo ſignificat naturalem hominem, et caro proprium ejus, Deus et ſpiritus ſignificant Divinum ſpiritualem hominem et inde vitam; et quoniam illi ſibi confidunt, et non Domino, dicitur non reſpiciunt ad Sanctum Iſraelis, et Jehovam quærunt. Ex his nunc videri poteſt, quid ſignificatur per equos, currus et exercitus Pharaonis, apud Moſen, "*Glorioſus reddar in Pharaone et in Exercitu ejus, et in Equitibus ejus. Et perſequuti ſunt Ægyptii filios Iſraelis, et venerunt poſt illos Equi Pharaonis, Currus ejus et Equites ejus in medium maris; et Jehovah removit rotam curruum ejus, ut ducerent cum difficultate: et cum Moſes extendit manum ſuper mare, reverſæ ſunt aquæ, et operuerunt Currus et Equites cum univerſo Exercitu Pharaonis,*" Exod. xiv. 17, 18, 23, 25, 26, 28: et apud Eundem, "*Cecinit Moſes et filii Iſraelis Canticum hoc Jehovæ; cantando cantabo Jehovæ, quia exaltando exaltavit Se, Equum et Equitem ejus projecit in mare, et Currus ejus et exercitum ejus,*" Exod. xv. 1, 4, 19, 21; quid per equos et currus Pharaonis ſeu Ægypti ſignificatur, ſupra dictum eſt; per exercitum ejus ſignificantur omnia falſa in genere et in ſpecie; et per mare ſignificatur damnatio et infernum, ubi omnes ſunt in proprio, quia in naturali homine ſeparato a ſpirituali, et inde in omnis generis malis et falſis. Simile per Equos Ægypti ſignificatur in his apud Moſen, "*Si dixerint, ponam ſuper me Regem, ponendo ponet ſuper te Regem, quem elegerit Jehovah Deus tuus, modo non multiplicet ſibi Equos, nec reducat populum in Ægyptum ut multiplicet Equos,*" Deut. xvii. 14, 15, 16; hæc dicta ſunt de Rege, quia per Reges repræſentatur Dominus quoad Divinum Verum, et per Reges inde ſignificantur vera ex bono a Domino, videatur ſupra, n. 31; et quia vera ex bono reſident in ſpirituali homine, ut ſupra dictum eſt, et ſcientifica quæ ſunt naturalis hominis, ei inſervient ſicut ſervi ſuo Domino, inde dicitur modo non multiplicet ſibi equos, nec reducat populum in Ægyptum ut multiplicet equos, per quæ ſignificatur, modo ne a ſpirituali homine fiat naturalis, et ſemet ipſum ducat, et ſuo proprio fidat et non Domino, ita ne vera quæ ſpiritualis hominis ſerviant naturali, et non ſcientifica quæ naturalis hominis ſpirituali, hoc enim ſecundum ordinem eſt, illud autem contra ordinem. Similia per Equos Ægypti ſignificantur alibi in Verbo, ut Jerem. xlvi. 4, 9. Ezech. xvii. 15. Cap. xxiii. 20.

356. Et ſedens ſuper illo habens arcum, quod ſignificet inde doctrinam

charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falſa, ac diſſipantur illa, conſtat ex ſignificatione ſedentis ſuper equo albo, quod ſit Verbum, de qua mox ſupra; et ex ſignificatione arcus, quod ſit doctrina charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falſa, ac diſſipantur illa; quod per arcum ſignificetur doctrina illa, videbitur in ſequentibus, hic primum dicetur aliquid de doctrina; I. Quod nemo poſſit intelligere Verbum abſque doctrina. II. Quod nemo poſſit pugnare contra mala et falſa, et diſſipare illa, abſque doctrina ex Verbo. III. Quod nemo poſſit abſque doctrina ex Verbo intra Eccleſiam ubi Verbum eſt fieri ſpiritualis. IV. Quod doctrina non poſſit aliunde comparari quam ex Verbo, et non ab aliis quam qui in illuſtratione ſunt a Domino. V. Quod omnia doctrinæ confirmanda ſint per ſenſum literæ Verbi. Quod PRIMUM attinet, nempe quod nemo poſſit intelligere Verbum abſque doctrina, conſtare poteſt ex eo, quod ſenſus literæ ejus ſit ex meris correſpondentiis, quæ in ſe continent ſpiritualia, ita ex talibus quæ ſunt in mundo et ejus natura, inde eſt quod ſenſus literæ ſit naturalis et non ſpiritualis, accommodatus tamen captui ſimplicium, qui ideas ſuas non ſupra talia quæ vident ante oculos, elevant; inde eſt, quod talia etiam contineat, quæ non apparent ſpiritualia, tametſi totum Verbum intus in ſe eſt pure ſpirituale, quia eſt Divinum; quapropter plura in ſenſu literæ ſunt, quæ non inſervire poſſunt pro aliqua doctrina Eccleſiæ hodie, et plura quæ applicari poſſunt variis et diverſis principiis, unde hæreſes; ſed uſque plura intermixta ſunt, ex quibus colligi et formari poteſt doctrina, imprimis doctrina vitæ, quæ eſt doctrina charitatis et inde fidei: at qui legit Verbum ex doctrina, is videt ibi omnia quæ confirmant, et quoque plura quæ latent coram oculis aliorum, nec patitur ſe abſtrahi in aliena ab illis ibi quæ non apparent concordare, et quæ non intelligit, nam ei in claro ſunt omnia doctrinæ quæ ibi videt, et reliqua ei ſunt in obſcuro; quapropter eſt doctrina, quæ conſiſtit ex genuinis veris, legentibus Verbum ſicut lucerna, et viciſſim eſt Verbum illis, qui abſque doctrina id legunt, ſicut candelabrum abſque lumine poſitum in obſcuro loco, per quod ibi nihil videri, ſciri, inquiri et inveniri poteſt, quod ſaluti conducit, præter quod abduci poſſint in quoſcunque errores, in quos mens ex aliquo amore inclinat, aut ex aliquo principio trahitur: inde conſtare poteſt, quod nemo poſſit intelligere Verbum abſque doctrina. SECUNDO: Quod nemo poſſit pugnare contra mala et falſa, et diſſipare illa abſque doctrina ex Verbo, conſtare poteſt ex eo, quod ex doctrina videri poſſint vera in ſua luce et in ſuo ordine, non autem ex Verbo abſque doctrina, quod patet ex mox antecedentibus; et ſi non poſſunt videri vera, nec poſſunt videri falſa et mala, ſunt enim hæc oppoſita illis; et tamen omnis pugna contra mala et falſa eſt ex veris, hoc eſt, per vera a Domino; quapropter qui legit Verbum abſque doctrina, facile pugnare poteſt pro falſo contra verum et pro malo contra bonum, confirmando illa per ſiniſtram interpretationem et applicationem ſenſus literæ Verbi; inde ſequitur, quod homo non reformetur, reformatur enim per diſſipationem malorum et inde falſorum per vera applicata vitæ. Hoc nunc eſt, quod intelligitur per quod viſus Equus albus, et ſedens ſuper illo habens arcum, per Equum album enim ſignificatur intellectus veri ex Verbo, et per Arcum ſignificatur doctrina charitatis et inde fidei, ex qua pugnatur

pugnatur contra mala et falſa, ac diſſipantur illa. Tertio: Quod nemo poſſit abſque doctrina e Verbo intra Eccleſiam, ubi Verbum eſt, fieri ſpiritualis, conſtare poteſt ex illis quæ nunc dicta ſunt, quod nempe Verbum abſque doctrina non intelligatur, et quod abſque doctrina ex Verbo non poſſit pugnari contra mala et falſa; homo enim ſpiritualis fit per vitam ſecundum Divina Vera, quæ non ſcit abſque doctrina, et per remotionem malorum et falſorum, quæ nec fit abſque doctrina, ut ſupra dictum eſt; et abſque duabus illis homo non reformatur, ita non fit ſpiritualis, ſed manet naturalis, et confirmat vitam ſuam naturalem per ſenſum literæ Verbi, qui eſt naturalis, ſiniſtre interpretando et applicando illum. Intra Eccleſiam ubi Verbum dicitur, quia illi qui extra Eccleſiam ſunt non habent Verbum, et inde nihil ſciunt de Domino, et nemo ſpiritualis fit niſi a Domino; ſed uſque omnes illi qui Deum agnoſcunt et colunt ſub forma Humana, et vivunt in charitate ſecundum religioſum concordans cum Verbo, ad ſpiritualem vitam recipiendam præparantur a Domino, quam etiam recipiunt in altera vita, de qua re videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 318 ad 328; et ſupra, n. 107, 195. Homo ſpiritualis fit per Regenerationem, et Regeneratio fit per aquam et ſpiritum, hoc eſt, per vera et per vitam ſecundum illa, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 173 ad 186: quod Baptiſmus in Chriſtiano Orbe fit in ſignum et in memoriale ejus, n. 202 ad 209 ibi. Quarto: Quod Doctrina non aliunde poſſit comparari quam ex Verbo, et quod non ab aliis quam qui in illuſtratione ſunt a Domino, conſtare poteſt ex eo, quod Verbum ſit ipſum Divinum Verum, et tale ut in illo ſit Dominus, eſt enim Dominus in ſuo Divino Vero quod procedit ab Ipſo, quare qui aliunde faciunt Doctrinam quam ex Verbo, non faciunt ex Divino Vero, nec ex Domino. Præterea in ſingulis Verbi eſt ſenſus ſpiritualis, in quo ſenſu ſunt Angeli Cœli, inde eſt per Verbum conjunctio Cœli cum Eccleſia, quare qui aliunde faciunt Doctrinam quam ex Verbo, non faciunt illam in conjunctione cum Cœlo, unde tamen illuſtratio; quod conjunctio Cœli cum homine ſit per Verbum, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 303 ad 310: inde patet, quod Doctrina non aliunde comparanda ſit quam ex Verbo; et quod non ab aliis quam qui in illuſtratione ſunt a Domino: in illuſtratione ſunt a Domino, qui amant vera quia vera ſunt, hi, quia faciunt illa, in Domino ſunt et Dominus in illis. Quinto: Quod omnia Doctrinæ confirmanda ſint per ſenſum literæ Verbi, conſtare poteſt ex eo, quod Divinum Verum in ſenſu literæ ſit in ſuo pleno, eſt enim ille ſenſus ultimus, et in illo eſt ſenſus ſpiritualis, quare cum Doctrina inde confirmata eſt, eſt Doctrina Eccleſiæ etiam Doctrina Cœli, et conjunctio eſt per correſpondentias: hoc illuſtretur per hoc ſolum, quando homo aliquod verum cogitat, et id per ſenſum literæ confirmat, quod id percipiatur in Cœlo, non autem ſi non confirmat: eſt enim ſenſus literæ baſis, in quam ideæ ſpirituales, quæ ſunt Angelis, deſinunt, pæne ſicut voces ſunt baſis, in quas ſenſus cogitationis cadit et communicatur alteri: quod ita ſit, per multam experientiam e Mundo ſpirituali confirmari poteſt; ſed non hujus loci eſt illam hic adducere.

357. Quod Arcus ſignificet Doctrinam pugnantem, ſeu Doctrinam ex qua pugnatur contra mala et falſa, et quod ſagittæ, jacula et tela ſignificent vera

doctrinæ quæ pugnant, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Sachariam, "*Exſcindam Currum ex Ephraimo, et Equum ex Hieroſolyma, et exſcindetur Arcus belli, contra loquetur pacem Gentibus. Revertimini ad munimentum vincti ſpei, et tendam Mihi Jehudam, et Arcu implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos Zion, nam Jehovah ſuper iis apparebit, et exibit ſicut fulgur telum Ipſius, et Dominus Jehovih buccina clanget, et incedet in procellis meridiei,*" ix. 10, 12, 13, 14; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ Judaicæ et de inſtauratione Eccleſiæ apud gentes; vaſtatio Eccleſiæ Judaicæ deſcribitur per exſcindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hieroſolyma, et exſcindetur arcus belli, per quæ ſignificatur quod non verum in doctrina amplius, nec intellectus veri, et inde non pugna et reſiſtentia contra falſum, per currum ſignificatur doctrina veri, per equum intellectus ejus, per arcum belli pugna contra falſum ex doctrina, arcus belli dicitur quia intelligitur doctrina pugnans, per Ephraimum ſignificatur Eccleſia quoad intellectum veri, et per Hieroſolymam quoad doctrinam; et inſtauratio Eccleſiæ apud gentes deſcribitur per hæc, contra loquetur pacem gentibus, revertimini ad munimentum vincti ſpei, et tendam Mihi Jehudam, et arcu implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos Zion, per quæ ſignificatur, quod Eccleſia inſtauranda ſit apud illos qui in bono amoris in Dominum ſunt, et inde in veris, per pacem ſignificatur id bonum, per Jehudam illi qui in illo bono ſunt, et per Ephraimum illi qui inde in intellectu veri, quare dicitur de Ephraimo quod arcu implebit illum, hoc eſt, doctrina veri; illuſtratio illorum in veris deſcribitur per hæc, exibit ſicut fulgur telum Ipſius, et Dominus Jehovih buccina clanget, ac incedet in procellis meridiei, telum quod ſicut fulgur exibit ſignificat verum illuſtratum ita verum ex bono amoris, buccina clanget ſignificat perceptionem boni manifeſtam, et procellæ meridiei ſignificant intellectum veri manifeſtum, meridies eſt lux veri; agitur ibi de Domino, ita quod illa a Domino. Apud Moſen, "*Filius fæcundæ Joſephus, filius fæcundæ juxta fontem; filiæ, incedit ſuper murum; exacerbabunt eum, et jaculabuntur, et odio habebunt eum ſagittarii; et ſedebit in firmo arcus ſui, et roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi, inde Paſtor Lapis Iſraelis,*" Geneſ. xlix. 22, 23, 24, 25; per Joſephum in ſupremo ſenſu ſignificatur Dominus quoad Regnum ſpirituale; ſunt duo Regna Cœli, unum vocatur Regnum cœleſte, et alterum Regnum ſpirituale; Regnum cœleſte deſcribitur in Prophetico illo de Jehudah, et Regnum ſpirituale in hoc de Joſepho; illi qui in Regno cœleſti Domini ſunt, in bono amoris in Ipſum ſunt, quod vocatur bonum cœleſte, et illi qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, in bono amoris erga proximum ſunt, et inde in Veris, et quia a Domino per Regnum ſpirituale procedunt omnia vera, inde eſt quod Joſephus dicatur filius fœcundæ, filius fœcundæ juxta fontem, per fœcundam ſignificatur bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis, per filium ſignificatur Verum ex illo bono, et per fontem ſignificatur Verbum; pugna contra mala et falſa, deſcribitur per quod filiæ exacerbabunt eum, et jaculabuntur, et odio habebunt eum ſagittarii, filiæ ſignificant illos qui in malis ſunt, et per falſa deſtruere volunt bona, illi qui per mala aggrediuntur ſignificantur per jaculabuntur, et qui per falſa mali per ſagittarios qui odio habebunt eum; victoria ſuper eos a Domino, deſcribitur per hæc, et ſedebit in firmo arcus ſui, et roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi, inde Paſtor lapis Iſraelis, per ſedere in firmo arcus ſignificatur in doctrina genuini veri, et per roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi ſignificatur potentia illis a Domino, brachia manuum ſunt potentia, et fortis Jacobi eſt Dominus; Qui etiam Paſtor lapis Iſraelis vocatur ex doctrina charitatis et inde fidei quæ ab Ipſo: quod Joſephus in ſupremo ſenſu ſignificet Dominum quoad Divinum ſpirituale, et in ſenſu interno Regnum ſpirituale Ipſius, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417; et quid præterea, n. 4286, 4592, 4963, 5086, 5087, 5106, 5249, 5307, 5869, 5877, 6224, 6526. In Libro II Samuelis, "*Lamentatus eſt David ſuper Saule et ſuper Jonathane filio ejus, et inſcripſit ad docendum filios Jehudæ arcum,*" i. 17, 18; agitur in lamentatione illa de pugna veri ex bono contra falſum ex malo, per Saulem enim ut Regem ibi ſignificatur verum ex bono, nam id verum in Verbo intelligitur per regem, videatur ſupra, n. 31, et per Jonathanem ut filium regis ſignificatur verum doctrinæ; quare inſcripſit lamentationem ad docendum filios Jehudæ arcum, per quod ſignificatur ad docendum illos doctrinam veri quod ex bono. Pugna illius veri contra falſa et mala deſcribitur in lamentatione illa per hæc verba, "*Sine ſanguine confoſſorum, ſine adipe fortium Arcus Jonathanis non receſſit retrorſum, et gladius Saulis non rediit inaniter,*" Verſ. 22, ibi; ſanguis confoſſorum ſignificat falſa victa et diſſipata, adeps fortium ſignificat mala ſimiliter; quod hæc victa et diſſipata ſint per doctrinam veri quod ex bono, ſignificatur per quod Arcus Jonathanis non receſſit retrorſum, et gladius Saulis non rediit inaniter, Arcus Jonathanis eſt doctrina, et gladius Saulis eſt verum ex bono. Apud Davidem, "*Deus docet manus meas bellum, et ponit arcum æneum brachiis meis,*" Pſalm. xviii. 35; per bellum ibi ſignificatur bellum in ſpirituali ſenſu, quod eſt contra mala et falſa, hoc bellum docet Deus; et per arcum æneum ſignificatur doctrina charitatis, hanc Deus ponit brachiis, hoc eſt, dat ut valeat. Apud Eſajam, "*Quis excitavit ab Oriente, quem in juſtitia vocavit ad ſequelam ſui, dedit coram Ipſo gentes, et regibus dominari fecit, dedit ſicut pulverem gladio ſuo, et ſicut ſtipulam impulſam arcu ſuo,*" xli. 2; hæc de Domino, et de Ipſius dominio ſuper mala et falſa, dicta ſunt; per gentes quas dedit coram Ipſo, ſignificantur mala, et per reges quibus dominari fecit ſignificantur falſa; quod hæc et illa per Divinum ſuum Verum et per doctrinam inde ſicut nihili diſſipet, ſignificatur per dedit ſicut pulverem gladio ſuo, et ſicut ſtipulam impulſam arcu ſuo, gladius ſuus eſt Divinum Verum et arcus ſuus eſt Doctrina; quod mala et falſa diſpergantur ſicut nihili, ſignificatur per ſicut pulverem, et ſicut ſtipulam impulſam: dicitur quod mala et falſa ita diſpergantur, ac intelligitur quod ita illi qui in malis et inde falſis ſunt in altera vita. Apud Sachariam, "*Viſitabit Jehovah gregem ſuum, domum Jehudæ, et ponet eos ſicut equum gloriæ ſuæ in bello, ex illo angularis, ex illo clavus, ex illo arcus belli,*" x. 3, 4; hoc explicatum videatur in Articulo mox præcedente, ubi agitur de ſignificatione equi; per arcum belli ſignificatur verum pugnans ex doctrina. Apud Habakuk, "*Num fluviis ſuccenſuit Jehovah, num contra fluvios ira tua, num contra mare excandeſcentia tua, quod equites ſuper equis tuis, currus tui ſalus, denudatione denudabitur arcus tuus,*" iii. 8, 9; etiam hoc explicatum eſt in Articulo præcedente; per denudabitur arcus tuus, ſignificatur quod aperietur doctrina veri. Apud Eſajam, "*Coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenſo et coram arcu tenſo; et propter gravitatem belli conſumetur omnis gloria Kedaris, et reliquiæ numeri arcus fortium filiorum Kedaris paucæ erunt,*" xxi. 15, 16, 17; agitur ibi in ſenſu ſpirituali de cognitionibus boni, quod perituræ ſint, et quod paucæ remanſuræ; per Kedarem ſeu Arabiam ſignificantur illi qui in cognitionibus boni ſunt, et abſtracte ipſæ illæ cognitiones; quod cognitiones veri perituræ per falſa et per doctrinam falſi, ſignificatur per quod coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenſo et coram arcu tenſo, gladius eſt falſum pugnans et deſtruens, et arcus eſt doctrina falſi; quod cognitiones boni perituræ ſint, ſignificatur per hæc, propter gravitatem belli conſumetur omnis gloria Kedaris, gravitas belli eſt impugnatio, et conſumetur omnis gloria Kedaris eſt vaſtatio; et quod paucæ cognitiones remanſuræ ſint, deſcribitur per quod reliquiæ numeri arcus fortium filiorum Kedaris paucæ erunt, arcus fortium eſt doctrina veri ex cognitionibus quæ valent contra falſa. Apud Eundem, "*Poſuit os meum ſicut gladium acutum, et poſuit Me in telum expurgatum, in pharetra ſua occultavit Me,*" xlviii. 2; agitur etiam ibi de Domino; et per gladium acutum ſignificatur verum diſpergens falſum; per telum expurgatum ſignificatur verum diſpergens malum, et per pharetram ſignificatur Verbum; inde patet, quid ſignificatur per poſuit os meum ſicut gladium acutum, et poſuit Me in telum expurgatum, et in pharetra ſua occultavit Me, quod nempe in Ipſo et ex Ipſo ſit Divinum Verum, per quod diſperguntur falſa et mala, et quod in Ipſo et ex Ipſo ſit Verbum, ubi et unde illa vera. Apud Davidem, "*Ecce hæreditas Jehovæ filii, merces fructus ventris, ſicut tela in manu potentis, ſic filii pueritiæ: beatus vir qui implevit pharetram ſuam ex illis, non pudefient cum loquentur cum hoſtibus in porta,*" Pſalm. cxxvii. 3, 4, 5; per filios qui hæreditas Jehovæ ſignificantur vera per quæ intelligentia; per fructus ventris qui merces ſignificantur bona per quæ felicitas; per filios pueritiæ qui ſicut tela in manu potentis ſignificantur vera boni innocentiæ; quia illis veris non aliquod malum et falſum reſiſtere poteſt, ideo dicitur quod ſint ſicut tela in manu potentis; bonum innocentiæ eſt bonum amoris in Dominum; quia illa vera talis potentiæ ſunt, ideo dicitur beatus vir qui implevit pharetram ex illis, per pharetram hic ſimile ſignificatur quod per arcum, nempe doctrina ex Verbo; non pudefient cum loquentur cum hoſtibus in porta, ſignificat quod nihil timoris erit pro malis ex infernis, hoſtes ſunt mala, et porta eſt infernum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 428, 429, 583, 584, 585. Apud Eundem, "*Filii Ephraimi, qui armati jaculatores arcus, averterunt ſe in die prælii, non ſervarunt fœdus Dei,*" Pſalm. lxxviii. 9; per Ephraimum hic ut ſupra ſignificatur intellectus veri, et per filios ejus ipſa vera, quare etiam vocantur jaculatores arcus, hoc eſt, pugnatores contra mala et falſa; hic quod non illis reſiſterint, quia non conjuncti Domino, ſignificatur per quod averterint ſe in die prælii, quia non ſervarunt fœdus Dei, fœdus eſt conjunctio, et non ſervare illud eſt non vivere ſecundum vera et bona quæ conjungunt. Ex allatis locis conſtare poteſt, quod per arcum ſignificetur doctrina veri pugnans contra falſa et mala ac diſſipans illa; quod id per arcum ſignificetur, conſtare adhuc poteſt ex ſenſu oppoſito ejus, in quo arcus ſignificat doctrinam falſi pugnantem contra vera et bona ac deſtruentem illa, et per tela ac ſagittas ipſa falſa ejus: in hoc ſenſu dicitur Arcus in ſequentibus his locis; apud Davidem, “*Ecce impii tendunt arcum, præparant telum ſuum ſuper nervo ad jaculandum in tenebris rectos corde,*” Pſalm. xi. 2; quod impii tendant arcum, ſignificat quod effingant doctrinam; quod præparent telum ſuper nervo, ſignificat quod inapplicent ei falſa apparentia ſicut vera; ad jaculandum in tenebris rectos corde, ſignificat ad fallendum illos qui in veris ex bono ſunt; arcus ibi eſt doctrina falſi, telum eſt ipſum falſum, jaculari eſt fallere, ac tenebræ ſunt apparentiæ, ratiocinantur enim ex apparentiis in mundo et ex fallaciis, applicando etiam ſenſum literæ Verbi. Apud Eundem, “*Gladium nudant impii, et tendunt arcum ſuum ad dejiciendum miſerum et egenum: gladius eorum intrabit in cor eorum, et arcus eorum frangentur,*” Pſalm. xxxvii. 14, 15; per gladium ſignificatur falſum pugnans contra verum; et per arcum ſignificatur doctrina falſi; ad dejiciendum miſerum et egenum, ſignificat ad pervertendum illos qui in ignorantia veri et boni ſunt; gladius eorum intrabit in cor eorum, ſignificat quod perituri ſint ex ſuo falſo; et arcus eorum frangentur, ſignificat quod doctrina falſi eorum diſſipabitur, quod etiam fit poſt exceſſum eorum e mundo, tunc falſa perdunt eos, et doctrina quantum ad vera applicata falſis diſſipatur. Apud Eundem, “*Qui acuunt ſicut gladium linguam ſuam, tendunt telum ſuum verbo amaro, ut jaculentur in latibulis integrum,*” Pſalm. lxiv. 4, 5; quia gladius ſignificat falſum pugnans contra verum, ideo dicitur acuunt ſicut gladium linguam ſuam; et quia telum ſignificat falſum doctrinæ, ideo dicitur tendunt telum ſuum verbo amaro; jaculari in latibulis integrum, ſimile ſignificat quod ſupra jaculari in tenebris rectos corde, nempe fallere illos qui in veris ex bono ſunt. Apud Jeremiam, “*Omnes mæchantes, conventus perfidorum, qui tendunt linguam ſuam, arcus eorum mendacium, neque in veritatem prævaluerunt in terra, quia a malo in malum exeunt, nec Me noverunt,*” ix. 1, 2; per mæchantes, conventum perfidorum, intelliguntur qui falſificant cognitiones veri et boni, mæchantes ſunt qui falſificant cognitiones veri, et perfidi qui cognitiones boni; de his dicitur quod tendant linguam, et quod arcus eorum mendacium, arcus eſt doctrina unde principia falſi, et mendacium eſt falſum; et inde quoque dicitur non in veritatem prævaluerunt in terra, hoc eſt, in Eccleſia ubi genuina vera; quod tales ſint qui in vita mali ſunt, et non agnoſcunt Dominum, ſignificatur per quia a malo in malum exeunt, nec Me noverunt. Apud Jeremiam, “*Ecce Ego aſcendere faciens contra Babelem congregationem gentium magnarum e terra ſeptentrionis; tela ejus ſicut fortis, non revertetur ullum vanum: diſponite contra Babelem circumcirca, omnes tendentes arcum jaculamini contra eam, nec parcite telis; audiri facite contra Babelem jaculatores, omnes tendentes arcum caſtrametamini contra eam circumcirca, ne ſit illi evaſio,*” L. 9, 14, 29, 42. Cap. li. 3; per hæc deſcribitur totalis devaſtatio veri apud illos qui per Babelem intelliguntur, qui ſunt qui Divinam poteſtatem ſibi arrogant, et quidem Dominum agnoſcunt, ſed deprivant illum omni potentia ſalvandi, et qui inde prophanant Divina vera; et quia quam maxime providetur a Domino ne genuina vera prophanentur, ideo illa prorſus iis auferuntur, et loco eorum imbuuntur meris falſis; per congregationem gentium magnarum e terra ſeptentrionis, ſignificantur dira mala aſſurgentia ex inferno, gentes magnæ ſunt dira mala, et terra ſeptentrionis eſt infernum ubi nihil niſi falſum; per tela ejus ſicut fortis, non revertetur ullum vanum, ſignificatur quod inde imbuentur meris falſis; per diſponite contra Babelem circumcirca omnes tendentes arcum, jaculamini contra eam, nec parcite telis, ſignificatur quod ſimiliter quoad omnia doctrinalia; totalis devaſtatio veri apud illos, ſignificatur per omnes tendentes arcum caſtrametamini contra eam circumcirca, ne ſit illi evaſio. Apud Eſajam, "*Ego excitans contra eos Medum, qui argentum non æſtimabunt, et auro non delectabuntur, quorum arcus juvenes allident, et fructus ventris non miſerebuntur: ſic erit Babel, ſicut everſio Dei, Sodoma et Gomorrha,*" xiii. 17, 18, 19; etiam hæc de Babele, et de devaſtatione omnium Eccleſiæ apud illos qui per Babelem intelliguntur, de quibus mox ſupra; per Medum ſignificantur qui nihili faciunt vera et bona Cœli et Eccleſiæ, quare de illis dicitur, qui argentum non æſtimabunt, et auro non delectabuntur, argentum ſignificat verum, et aurum bonum, utrumque Eccleſiæ; per illorum arcus qui juvenes allident, et fructus ventris non miſerebuntur, ſignificantur doctrinalia quæ deſtruent omne verum et omne bonum inde, juvenes ſignificant vera, et fructus ventris bona; et quia omne malum illis eſt ex amore ſui, et omne falſum eſt ex illo malo, et quia id malum et inde id falſum eſt damnatum ad infernum, ideo dicitur, ſic erit Babel, ſicut everſio Dei Sodoma et Gomorrha, everſio Dei ſignificat damnationem ad infernum, ac Sodoma et Gomorrha ſignificant mala ex amore ſui et inde falſa; quod hæc per Sodomam et Gomorrham ſignificentur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 220, 2246, 2322. Apud Eundem, "*In die illo, omnis locus in quo fuerunt mille vites pro mille argenti, erit in ſenticetum et vepretum; cum telo et cum arcu veniet eo, quia ſenticetum et vepretum tota terra,*" vii. 23, 24; Eccleſia vaſtata quoad omne verum et bonum ita deſcribitur; Eccleſia qualis fuerat prius, quod nempe ibi genuina vera, quæ ſunt vera ex bono, fuerint in abundantia, per quod ubi fuerunt mille vites pro mille argenti, mille vites ſunt vera ex bono in abundantia, mille argenti ſunt æſtimatiſſima quia ſunt genuina, argentum eſt verum, et mille ſunt multa ita in abundantia; qualis autem facta eſt Eccleſia cum vaſtata quoad omne verum et bonum, deſcribitur per hæc, cum telo et cum arcu veniet eo, quia ſenticetum et vepretum tota terra, telum eſt falſum deſtruens verum, et arcus eſt doctrina falſi; ſenticetum ſignificat falſum ex malo, et vepretum malum ex falſo, terra eſt Eccleſia. Apud Jeremiam, "*Ecce populus veniens e terra ſeptentrionis, et gens magna excitabitur a lateribus terræ, arcum et haſtam prehendunt, crudelis illa, non miſerantur; vox eorum ſicut mare reſonat, et ſuper equis equitant, paratus ut vir ad bellum, contra te filia Zionis,*" vi. 22, 23; deſcribitur etiam hic devaſtatio Eccleſiæ per falſa mali; quid ſignificat populus e terra ſeptentrionis, et gens magna a lateribus terræ, tum quid ſignificat quod vox eorum ſicut mare reſonet, et quod ſuper equis equitent, explicatum eſt in mox præcedente Articulo; quod arcum et haſtam prehendant, ſignificat falſum doctrinæ deſtruens verum, et haſta falſum mali deſtruens bonum, filia Zionis eſt Eccleſia. Apud Eundem, "*Vaſtitas tota* *terra, præ voce equitis et ſagittariorum fugit tota urbs; intrarunt nubes, in petras aſcenderunt, tota urbs deſerta, nec habitans in ea,*" iv. 27, 29; etiam hoc explicatum videatur in mox præcedente Articulo; vox equitis et ſagittariorum ſignificat ratiocinationes ex falſis et impugnationes veri, ſagittarii ſeu arcum tenentes ſunt qui impugnant vera ex falſis doctrinæ; inde dicitur fugit tota urbs, et tota urbs deſerta, urbs ſignificat doctrinam Eccleſiæ. Apud Eſajam, "*Jehovah ſuſtulit ſignum gentibus e longinquo, et ecce cito velox veniet, ejus tela acuta, et omnes arcus ejus tenſi; ungulæ equorum ejus ſicut rupes reputantur, et rotæ ejus ſicut procella,*" v. 26, 28; per tela ejus acuta et per arcus ejus tenſos ſignificantur falſa doctrinæ parata ad deſtruendum vera: quid ſignificatur per gentes e longinquo, per ungulas equorum quæ ſicut rupes reputantur, et per rotas quæ ſicut procella, videatur in mox ſuperiori Articulo, ubi explicata ſunt. Apud Amos, "*Non tenens arcum conſiſtet, neque celer pedibus ſuis eripiet ſe, neque equitans equo eripiet animam ſuam, ſed fortis corde ſuo inter heroes fugiet nudus in die illo,*" ii. 14, 15, 16; hic deſcribitur propria intelligentia, et inde fiducia ex eo quod poſſit ratiocinari ex falſis contra vera; per tenens arcum non conſiſtet, et celer pedibus non eripiet ſe, ſignificatur quod qui ſcit alacriter et ſolerter ratiocinari ex doctrina et ex memoria quæ naturalis hominis, nihil poſſit conſulere ſaluti ſuæ et conſiſtere die judicii; ſimile ſignificatur per equitans equo non eripiet animam ſuam; per fortem corde qui fugiet in die illo, ſignificatur quod qui fidet ſibi ex eo quod ratiocinari poſſit ex falſis, deprivatus erit omni vero tunc; per fortem corde intelligitur qui ſibi ex eo fidet, et per nudum ſignificatur deprivatus omni vero. Apud Davidem, "*Deus Judex juſtus, Deus iraſceris toto die; ſi non reverſus fuerit* (malus), *gladium ſuum acuit, arcum ſuum tetendit, et direxit eum, et præparavit ſibi vaſa mortis, tela ſua ardentia facit,*" Pſalm. vii. 12, 13, 14; tribuitur hic Deo, quod iraſcatur malo, quod gladium ſuum acuat, arcum ſuum tendat et dirigat, præparet vaſa mortis, et tela ſua ardentia faciat, ſed intelligitur in ſenſu ſpirituali quod homo ita faciat ſibi, tribuuntur illa Deo in ſenſu literæ, quia is ſenſus eſt naturalis, et pro naturali homine, qui credit quod timendus ſit Deus propterea, ac timor apud illum operatur quod amor poſtea cum ſit ſpiritualis; inde patet, quid hic per illa verba ſignificatur, quod nempe malus iraſcatur Deo, gladium ſibi acuat, arcum tendat et dirigat eum, præparet vaſa mortis, et tela ſua ardentia faciat; per quod acuat gladium, ſignificatur quod comparet ſibi falſum per quod pugnet contra vera; per quod arcum tendat et dirigat eum, ſignificatur quod ex falſis faciat ſibi doctrinam contra vera; et per quod præparet vaſa mortis, et tela ſua ardentia faciat, ſignificatur quod principia falſi ſibi faciat ex amore infernali per quæ deſtruat bonum et ejus vera. In Threnis, "*Dominus tetendit arcum ſuum ſicut hoſtis, conſtitit dextra Ejus ſicut inimicus, occidit omnia deſiderabilia oculorum,*" ii. 4; hic quoque tribuuntur Domino ſimilia ex ſimili cauſa, de qua nunc ſupra; quod tendat arcum ſuum ſicut hoſtis, et conſiſtat dextra Ejus ſicut inimicus, ſignificat quod homo malus id ſibi faciat, nempe quod defendat malum contra bonum, et falſum contra verum ejus ex Doctrina quam ſibi finxit ex propria intelligentia et confirmavit per ſenſum literæ Verbi, nam in Threnis agitur de vaſtatione omnis boni et omnis veri apud gentem Judaicam propter applicationem ſenſus literæ Verbi ad favorem ſuorum amorum; arcus ibi eſt doctrina falſi inde, hoſtis eſt malum, et inimicus eſt falſum; quod inde perierit omnis intellectus veri et boni, ſignificatur per quod Dominus occiderit omnia deſiderabilia oculorum, deſiderabilia oculorum ſunt omnia quæ ſunt intelligentiæ et ſapientiæ. Apud Moſen, "*Ignis accenſus eſt in ira mea, et comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium, evacuabo ſuper illis mala, ſagittas meas conſumam in iis,*" Deutr. xxxii. 22, 23; hæc in Cantico Moſis, in quo agitur de Gente Iſraelitica et Judaica, et deſcribitur quales ſunt corde ſuo, quod nempe apud illos nihil Eccleſiæ, quia mere falſum ex malo; per terram et proventum ejus quæ comedentur, ſignificatur Eccleſia ac omne verum et bonum ejus, per terram Eccleſia, et per proventum omne verum et bonum ejus; per fundamenta montium quæ inflammabuntur, ſignificantur vera ſuper quibus fundantur bona amoris, in ſpecie vera ſenſus literæ Verbi, quoniam illa ſunt fundamenta; per mala quæ ſuper iis evacuabuntur, et per ſagittas quæ conſumentur ſuper iis, ſignificatur quod imbuentur omnibus malis et falſis: qualis gens illa a principio fuerat, et quoque hodie eſt, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 248. In Libro I Samuelis, "*Arcus fortium fracti ſunt; et qui impulſi erant robur circumcinxerunt,*" ii. 4; propheticum Cannæ Matris Samuelis, in quo agitur de deprivatione veri apud illos qui ab Eccleſia, quia in nulla affectione veri ſpirituali, ac de receptione et illuſtratione illorum qui extra Eccleſiam quia in affectione veri ſpirituali; doctrinæ falſorum quæ illis qui ab Eccleſia quod nihili ſint, ſignificatur per quod Arcus fortium fracti ſint; et receptio ac illuſtratio illorum qui extra Eccleſiam, ſignificatur per qui impulſi erant, robur circumcinxerunt, impulſi dicuntur qui a falſis ignorantiæ preſſi, et robur dicitur de potentia et abundantia veri ex bono. Apud Jeremiam, "*Ecce Ego frangens Arcum Elami, principium potentiæ ejus,*" xlix. 35; per Elamum intelligitur ſcientia quæ naturalis hominis, et inde fiducia; per arcum ejus ſignificatur ſcientia ex qua ut ex doctrina pugnat, et per principium potentiæ ejus ſignificatur fiducia; ſcientia enim nihili valet ſi non inſervit rationali et ſpirituali homini: quod per Elamum intelligatur ſcientia quæ naturalis hominis, conſtare poteſt ex locis in Verbo ubi nominatur, ut Geneſ. x. 22. Eſaj. xxi. 2. Jerem. xxv. 24, 25, 26. Cap. xlix. 34 ad 39. Ezech. xxii. 24, 25. Apud Davidem, "*Jehovah ceſſare facit bella uſque ad extremitatem terræ, arcum frangit, et amputat haſtam, currus comburit igne,*" Pſalm. xlvi. 10; quia per bella ſignificantur pugnæ ſpirituales, quæ hic ſunt falſi contra verum et contra bonum quæ Eccleſiæ, inde patet, quid ſignificatur per quod Jehovah ceſſare faciet bella uſque ad extremitatem terræ, nempe quod omnem pugnam et omne diſſidium a primis ad ultima veri Eccleſiæ, extremitas terræ ſignificat ultima ejus; quod non erit pugna doctrinæ contra doctrinam, ſignificatur per quod franget arcum; quod non erit pugna ex aliquo falſo mali, ſignificatur per quod amputabit haſtam; et quod deſtruetur omne doctrinæ falſi, per quod currus comburet igne. Apud Eundem, "*Eſt in Schalem tabernaculum Jehovæ, et habitaculum Ipſius in Zione, ibi fregit nervos arcus, ſcutum et gladium et bellum,*" Pſalm. lxxvi. 3, 4; ſimiliter hic de ceſſatione omnis pugnæ et omnis diſcidii in Regno Domini agitur; per Schalem ubi tabernaculum Jehovæ, et per Zionem ubi habitaculum Ipſius, ſignificatur Regnum ſpirituale et Regnum cœleſte Ipſius, per Schalem Regnum ſpirituale ubi genuinum verum, et per Zionem Regnum cœleſte ubi genuinum bonum; et per quod franget nervos arcus, ſcutum, gladium et bellum, ſignificatur diſſipatio omnis pugnæ falſorum doctrinæ contra bonum et verum, nervi arcus ſunt principalia doctrinæ. Apud Hoſcheam, "*Feriam illis fœdus in die illo cum beſtia agri, et cum ave cœlorum, et cum reptili terræ, et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos ſecure,*" ii. 18; agitur ibi de adventu Domini, et tunc de conjunctione Ipſius cum omnibus qui in veris ex bono ſunt; per fœdus cum beſtia agri, cum ave cœlorum et cum reptili terræ, ſignificatur conjunctio cum affectione boni eorum, cum affectione veri, et cum affectione cognitionum veri et boni quæ Eccleſiæ; beſtia enim agri ſignificat affectionem boni, avis cœlorum affectionem veri, et reptile terræ affectionem cognitionum veri et boni; quod non aliqua beſtia ac avis ac reptile terræ hic intelligatur, nullus non videt, num aliquod fœdus cum illis; quod ex conjunctione cum Domino non aliqua pugna exſtitura ſit falſi contra verum, ſignificatur per quod arcum et gladium et bellum frangam de terra, arcus ibi eſt doctrina, gladius eſt falſum, et bellum eſt pugna. Apud Ezechielem, "*Hic dies de quo loquutus ſum, tunc exibunt habitatores urbium Iſraelis, et incendent comburentque arma, et ſcutum, et clypeum, cum arcu et cum telis, et cum baculo manus, et cum haſta, et accendent illis ignem ſeptem annis,*" xxxix. 8, 9; agitur ibi de Gogo, per quem intelliguntur qui in externo cultu ſunt et in nullo interno; hi quia contra affectionem veri ſpiritualem ſunt, quæ eſt amare vera quia vera ſunt, et inde ſunt in falſis quoad doctrinam, et in malis quoad vitam, nemo enim reformari poteſt, hoc eſt, et a falſis et a malis abduci niſi per vera; inde eſt quod dicatur, quod exibunt habitatores urbium Iſraelis, et comburent arma et ſcutum et clypeum cum arcu et cum telis, et cum baculo manus et cum haſta; per habitatores urbium Iſraelis intelliguntur qui in affectione veri ex bono ſunt, hoc eſt, in affectione veri ſpirituali, et inde in doctrina genuini veri; per comburere arma ſignificatur exſtirpare falſa omnis generis; per ſcutum falſum deſtruens bonum; per clypeum falſum deſtruens verum; per arcum cum telis doctrina cum ſuis falſis; per baculum manus et haſtam ſignificatur potentia et confidentia propria, quales ſunt illis qui in externo cultu ponunt omne Eccleſiæ et inde ſalutis; quod accendent illis ignem ſeptem annis, ſignificat quod falſa et mala illa prorſus exſtinguentur, ſeptem anni ſignificant omnia, plenum et prorſus, videatur ſupra, n. 257, 299.

358. Et data eſt corona, quod ſignificet vitam æternam quæ victoriæ præmium, conſtat ex ſignificatione coronæ, cum agitur de pugna ſpirituali, ut hic, quod ſit vita æterna quæ victoriæ præmium; quod hic agatur de pugna ſpirituali, conſtat ex antecedentibus et ſequentibus; in antecedentibus dicitur, quod ſedens ſuper Equo albo haberet arcum, et per arcum ſignificatur doctrina charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falſa, et diſſipantur illa; et quoque ex ſequentibus, in quibus dicitur, et exivit vincens et ut vinceret, per quæ ſignificatur victoria ſuper illa; inde per coronam hic

ſignificatur vita æterna quæ victoriæ præmium. Simile ſignificatur per Coronam ubi agitur de tentationibus, quoniam tentationes ſunt pugnæ ſpirituales, ut in Capite ii. hujus Libri, ubi hæc, "*Ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam ut tentemini, et habebitis afflictionem diebus decem; eſto fidelis uſque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*," Verſ. 10; quod ibi per coronam ſignificetur ſapientia et felicitas æterna, videatur ſupra, n. 126; ſapientia et felicitas æterna ſimul ſumtæ ſunt vita æterna, nam in ſapientia et in felicitate æterna eſt ipſa vita cœli. Simile ſignificatur per coronam martyrum, quoniam illi in afflictione fuerunt, et fideles uſque ad mortem, et quoque in tentationibus, et vicerunt; etiam illis poſt mortem datæ ſunt coronæ, ſed ne honorem ſibi inde arrogarent, et ſic attraherent faſtum, rejecerunt illas e capite ſuo. Quia per bella in Verbo ſignificantur bella in ſpirituali ſenſu, quæ ſunt pugnæ contra mala et falſa, et per Reges ſignificantur vera ex bono quæ contra illa pugnant, inde antiquis temporibus, quando in ſcientia correſpondentiarum et repræſentationum fuerunt, Reges in præliis habebant Coronam ſuper Capite et armillam ſuper brachio, ut conſtare poteſt ex Libro II Samuelis, "*Puer filius Amalekitæ, qui nuntiavit Davidi, quod mortuus eſſet Saul et Jonathan, dixit, veni in montem Gilboæ, cum ecce Saul niteretur in haſtam ſuam, ac currus et duces perſequerentur illum, et dixit ad me, veni et occide me, et ſteti contra eum et occidi illum; et accepi coronam quæ ſuper capite ejus, et armillam quæ ſuper brachio, et adduco ea ad te*," i. 6, 8, 9, 10; Corona in præliis tunc fuit inſigne pugnæ, et armilla ſuper brachio fuit inſigne potentiæ, utriuſque contra mala et falſa; hæ etiam pugnæ per prælia ubivis in Verbo, etiam Hiſtorico, ſignificantur: quod Armilla ſuper brachio ſignificet potentiam veri ex bono, videatur n. 3105. Quid porro Coronæ regum, et Coronæ in genere, ſignificant, videatur n. 272.

359. Et exivit vincens et ut vinceret, quod ſignificet remotionem malorum et inde falſorum in fine vitæ et poſtea in æternum, conſtat ex ſignificatione vincere in Verbo, quod ſit ſpiritualiter vincere, quod eſt ſubjugare mala et falſa; ſed hæc quia non aliter vincuntur, quam quod removeantur a Domino, inde per vincere ſignificatur remotio malorum et falſorum: quod mala et falſa removeantur et non abſtergantur, ſeu quod homo detineatur ab illis et teneatur in bono et vero a Domino, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 166; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 865, 868, 887, 894, 929, 1581, 2116, 2406, 4564, 8206, 8393, 8988, 9014, 9333 ad 9338, 9446, 9447, 9448, 9451, 10057, 10059: dicitur exivit vincens et ut vinceret, et per exivit vincens ſignificatur remotio malorum et inde falſorum ad finem vitæ, et per ut vinceret ſignificatur et poſtea in æternum; nam qui pugnat contra mala et falſa, et vincit illa in mundo uſque ad finem vitæ, is vincit illa in æternum; homo enim qualis eſt ex anteacta vita in fine vitæ ſuæ, talis permanet in æternum. Quod vincere ſignificet ſpiritualiter vincere, eſt quia Verbum in ſinu ſuo eſt ſpirituale, ſeu in ſinu ſuo agit de ſpiritualibus, et non de terreſtribus; terreſtria, quæ in ſenſu literæ ejus ſunt, modo inſerviunt ſenſui ſpirituali ejus pro baſi, in quam ſpiritualia deſinunt, et in qua ſunt: ſimile ſignificatur per vincere in ſequentibus his locis; in

Apocalypſi, "*Vincenti dabo edere de arbore vitæ quæ in medio paradiſi Dei,*" ii. 7: "*Vincens non lædetur a morte ſecunda,*" ii. 11: "*Vincens et cuſtodiens opera mea uſque ad finem, dabo illi poteſtatem ſuper gentes,*" ii. 26: "*Vincens faciam illum columnam in Templo Dei,*" iii. 2: "*Vincens dabo ei ſedere Mecum in Throno meo,*" iii. 21: "*Vicerunt draconem per ſanguinem Agni, et per Verbum teſtimonii,*" xii. 11: "*Vincens poſſidebit omnia, et ero illi Deus, et ille erit Mihi filius,*" xxi. 7: et apud Johannem, "*Jeſus ad diſcipulos, hæc loquutus ſum vobis, ut in Me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis, ſed confidite, Ego vici mundum,*" xvi. 33; per quod Dominus vicerit mundum, intelligitur quod ſubjugaverit omnia inferna, nam mundus ibi ſignificat omnia mala et falſa quæ ab inferno, ut quoque apud Johannem, Cap. viii. 23. Cap. xii. 31. Cap. xiv. 17, 19, 30. Cap. xv. 18, 19. Cap. xvi. 8, 11. Cap. xvii. 9, 14, 16. Simile per vincere, ubi de Domino, ſignificatur apud Eſajam, "*Quis hic qui venit ex Edom, conſperſus veſtes ex Bozra: torcular calcavi ſolus, et de populis non vir Mecum: propterea calcavi illos in ira mea, et conculcavi eos in excandeſcentia mea; unde ſparſa eſt victoria eorum ſuper veſtes meas, et omne veſtimentum meum pollui: at deſcendere feci in terram victoriam eorum,*" lxiii. 2, 6; agitur ibi de Domino, et de pugnis Ipſius contra inferna, ac de ſubjugatione eorum; Ipſe quoad Divinum Humanum ſuum intelligitur ibi per Edom, qui conſperſus veſtes ex Bozra, et per veſtes Ipſius ſignificatur Verbum in litera, veſtes enim ſignificant vera inveſtientia, et cum de Domino, ſignificant Divina Vera, proinde Verbum, quoniam ibi ſunt omnia Divina Vera; videatur ſupra, n. 195: Verbum in ſenſu literæ hic etiam intelligitur per Veſtes, quia ibi ſunt vera inveſtientia, inſervit enim ſenſus literæ pro veſte ſenſui ſpirituali: et quia Verbum quoad illum ſenſum a populo Judaico diſtractus eſt, et per id Divinum Verum adulteratum, dicitur conſperſus veſtes ex Bozra, ſparſa eſt victoria eorum ſuper veſtes meas, et omne veſtimentum meum pollui; veſtes ex Bozra ſignificant ultimum Verbi, quod eſt ſenſus literæ ejus, victoria eorum ſuper veſtes meas, ſignificat ſiniſtram interpretationem et applicationem Verbi ab iis qui trahunt ſenſum literæ ad favendum ſuis amoribus ac principiis inde captis, ut factum eſt a Judæis, et quoque hodie fit a pluribus; hoc intelligitur per victoriam eorum ſuper veſtes meas; quod Dominus Solus pugnaverit, ſignificatur per torcular calcavi ſolus, et de populis non vir Mecum, torcular ſignificat pugnam ex Divinis Veris contra falſa, quia in torcularibus exprimebatur vinum ex uvis, et per Vinum ſignificatur Divinum Verum, inde calcare id ſolus, et de populis non vir Mecum, ſignificat quod Solus abſque ullo alicujus auxilio; quod Dominus ſubjugaverit inferna, ſignificatur per calcavi illos in ira mea, et conculcavi illos in excandeſcentia mea, calcavi et conculcavi dicitur quia de torculari, et ſignificat quod deſtruxit, ira et excandeſcentia dicitur quia deſtructi ſunt, ac tribuitur in ſenſu literæ Domino, cum tamen nihil iræ et excandeſcentiæ Ipſi eſt, ſed illis qui contra Ipſum, ex apparentia ita dicitur hic et perpluries alibi; quod ſubjugati ſint et damnati ad infernum, ſignificatur per deſcendere feci in terram victoriam eorum, in terram eſt in damnationem, ita in infernum: quod per terram etiam ſignificetur damnatio, videatur ſupra, n. 304 fin.

360. Verſ. 3, 4. *Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, audivi ſecundum animal dicens, veni et aſpice. Et exivit alius Equus rufus, et ſedenti ſuper illo datum ei tollere pacem de terra, ut alii alios occidant, et data ei machæra magna.* Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, ſignificat manifeſtationem ſuccedentis ſtatus eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum: audivi ſecundum Animal dicens, ſignificat e Cœlo intimo a Domino: veni et aſpice, ſignificat attentionem et perceptionem: et exivit alius Equus rufus, ſignificat intellectum Verbi deperditum quoad bonum: et ſedenti ſuper illo datum ei tollere pacem de terra, ſignificat Verbum inde non intellectum, unde diſſidia in Eccleſia: ut alii alios occidant, ſignificat falſificationem et exſtinctionem veritatum: et data ei machæra magna, ſignificat per falſa.

361. Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, quod ſignificet manifeſtationem ſuccedentis ſtatus eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 351, 352, dicta ſunt, quod nempe per aperire ſigillum, ſignificetur manifeſtatio ſtatus eorum qui ab Eccleſia; et quia ſeptem ſigilla erant, et illa ſepties aperta, inde ſignificantur ſucceſſivi ſtatus eorum. Sed hi ſucceſſivi ſtatus Eccleſiæ, qui hic deſcribuntur, non apparent alicui in mundo, ſunt enim ſucceſſivi ſtatus quoad intellectum veri ex Verbo, hos nemo videt quam Solus Dominus: et quia omnes qui in Cœlis ſunt, ibi ordinati ſunt ſecundum affectiones boni et veri, et inde quoad perceptionem et intellectum Verbi, et in hoc Libro Prophetico de Ultimo Judicio ſuper eos qui in priori Cœlo, ac de Ordinatione eorum qui in Novo Cœlo traditur, ideo de iis ſtatibus hic agitur; inde enim pendent ſequentia.

362. Audivi ſecundum Animal dicens, quod ſignificet e Cœlo intimo a Domino, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 353, dicta ſunt: per Animalia enim intelliguntur Cherubi, et per Cherubos ſignificatur in ſupremo ſenſu Dominus quoad Providentiam et quoad tutelam ne adeatur niſi quam per bonum amoris, et in ſenſu reſpectivo Cœlum intimum, videatur ſupra, n. 152, 277, 313, 322: quod Cherubi etiam ſignificent Cœlum intimum, eſt quia hoc Cœlum in bono amoris in Dominum eſt, et Dominus adiri non poteſt niſi per Cœlos, et in Cœlum intimum ſeu tertium non admittitur aliquid, quod non ſapit ex bono illius Cœli. Quod quatuor Animalia ſeu Cherubi fuerint, eſt quia quatuor ſignificant conjunctionem in unum, et talis illis qui ibi ſunt conjunctio eſt, Dominus enim ita conjungit illos per Amorem in Ipſum ab Ipſo; inde eſt quod quatuor viſi fuerint. Ex his etiam patet, quod hic ſimile intelligatur per ſecundum Animal quod per primum, et ſimile per tertium et per quartum in ſequentibus: quod quatuor ſignificent conjunctionem, videatur n. 1686, 8877, 9681, 9674.

363. Veni et aſpice, quod ſignificet attentionem et perceptionem, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 354, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

364. Et exivit alius Equus rufus, quod ſignificet intellectum Verbi deperditum quoad bonum, conſtat ex ſignificatione Equi, quod ſit intellectuale, de qua ſupra, n. 355, hic quia de ſtatibus eorum qui ab Eccleſia ubi Verbum eſt, agitur, per Equum ſignificatur intellectuale hominum Eccleſiæ quoad Verbum; et ex ſignificatione rubri ſeu rufi, quod ſit quale rei quoad bonum, hic itaque quale intellectus Verbi quoad bonum; quod rufum hic

ſignificet illum deperditum quoad bonum, conſtare poteſt ex mox ſequentibus in hoc Verſu, dicitur enim, Sedenti ſuper illo datum eſt tollere pacem de terra, ut alii alios occidant, et data ei machæra magna, per quæ ſignificatur quod inde exſtinctio omnis veri. Quoniam Equi, qui Johanni viſi ſunt, diſtinguuntur per colores, primus enim apparuit albus, ſecundus rufus, tertius niger, et quartus pallidus, et colores ſignificant quale rei, ideo hic primum aliquid de coloribus dicetur: apparent in Cœlis Colores omnis generis, et originem trahunt a luce ibi, quæ Lux quia immenſum excedit nitore et ſplendore lucem mundi, ita quoque colores ibi; et quia Lux ibi eſt ex Sole Cœli, qui eſt Dominus, et eſt Divinum procedens, et inde illa Lux eſt ſpiritualis, quare etiam omnes Colores ſignificant ſpiritualia: et quia Divinum procedens eſt Divinum Bonum unitum Divino Vero, ac Divinum Bonum in Cœlo ſiſtitur per Lucem flammeam, ac Divinum Verum per Lucem candidam, ideo ſunt bini Colores qui ibi omnium fundamentales ſunt, nempe Color ruber et Color albus, Color ruber originem ducit ex Luce flammea, quæ eſt ex Divino Bono, et Color albus ex Luce candida, quæ eſt ex Divino Vero; quapropter quantum Colores trahunt ex rubro, tantum ſignificant bonum, et quantum ex candido, tantum ſignificant Verum: ſed hæc melius conſtare poſſunt ex illis quæ de Coloribus ab experientia in ARCANIS CŒLESTIBUS allata ſunt; quod nempe Colores pulcherrimi appareant in Cœlis, n. 1053, 1624: quod Colores in Cœlis ſint ex Luce ibi, et quod ſint ejus modificationes et variegationes, n. 1042, 1043, 1053, 1624, 3993, 4530, 4922, 4742: ita quod ſint apparentiæ veri et boni, ac ſignificent talia quæ ſunt intelligentiæ et ſapientiæ, n. 4530, 4922, 4677, 9446: quod ideo Lapides pretioſi, qui ex variis Coloribus, in Pectorali Ephodi, ſeu in Urim et Thumim, ſignificaverint omnia Veri ex Bono in Cœlo et in Eccleſia, et inde quod Pectorale illud in genere ſignificaverit Divinum Verum elucens ex Divino Bono, n. 9823, 9865, 9868, 9905; et quod inde Reſponſa data ſint per Lucis variegationes et exſplendeſcentias, et ſimul per tacitam perceptionem, vel per vivam vocem e Cœlo, n. 3862: quod Colores quantum trahunt ex rubro ſignificent bonum, et quantum ex candido verum, n. 9476: de Luce Cœli, unde et quid, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140, 275. Præterea ſciendum eſt, quod Color ruber tum ſignificet quale rei quoad bonum, tum quale rei quoad malum; exiſtit enim ille Color ex Luce flammea, quæ Lux eſt ex Sole Cœli ibi, ut ſupra dictum eſt, et quoque exiſtit ex flammeo in inferno, quod eſt ex igne ibi, qui ignis eſt ſimilis igni carbonario; inde rubrum in Cœlo eſt prorſus aliud rubrum, quam rubrum in inferno; rubrum in Cœlo eſt ſplendidum et vivum, rubrum autem in inferno eſt tetre obſcurum et mortuum, etiam rubrum Cœli vivificat, at rubrum inferni mortificat: cauſa eſt, quia ignis ex quo rubrum, eſt in ſua origine Amor, ignis cœleſtis eſt ex amore cœleſti, et ignis infernalis eſt ex amore infernali, inde eſt quod ignis in Verbo ſignificet Amorem in utroque ſenſu, videatur n. 134, 566 ad 575, 4906, 5071, 5215, 6314, 6832, 7575, 10747; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 134, 566 ad 575; quapropter rubrum inde exiſtens ſignificat quale amoris in utroque ſenſu: rufum etiam hoc, ſeu rufum hujus Equi, in Lingua Græca originali dicitur ex igne: ex his, et ſimul ex deſcriptione hujus Equi in hoc Verſu, patet, unde eſt quod Equus rufus ſignificet intellectum Verbi deperditum quoad bonum. Quod Equus ſignificet aliquid rei, conſtare poteſt manifeſte ex eo, quod Equi viſi ſint quando aperta ſunt ſigilla, ac dicitur quod exiverint, non enim potuerunt Equi exire ex Libro, ſed manifeſtari illæ res quæ per Equos ſignificantur: quod Equus ſignificet intellectuale, et color quale ejus, ab experientia notiſſimum mihi factum eſt; viſi enim mihi ſunt ſpiritus aliquoties, qui de aliqua re ex intellectu meditati ſunt, quod equitaverint ſuper equis, et cum illos interrogarem num equitaverint, dixerunt quod non, ſed quod ſteterint meditabundi de aliqua re; inde patuit, quod equitatio ſuper equo fuerit apparentia repræſentans operationem intellectus eorum: eſt quoque locus, qui vocatur conventus intelligentium et ſapientium, ubi perplures eunt meditabundi, et cum aliquis eo venit, apparent ei equi in vario colore, et varie phalerati, et quoque currus, et aliqui equitantes et aliqui ſedentes in curru; illi etiam cum interrogantur num equitent ſuper equis ac vehantur in curribus, dicunt quod non, ſed quod vadant meditantes; inde etiam patuit, quid per equos et per currus ſignificatur: ſed de hac re videantur plura in Opuſculo de EQUO ALBO: ex his nunc conſtare poteſt, unde eſt quod Johanni viſi ſint Equi quando aperta ſunt ſigilla Libri, et quoque quid ſignificant: quod Equi illi viſi ſint, eſt quia omnia ſpiritualia Verbi in ſenſu ejus literæ ſiſtuntur per talia quæ correſpondent ſeu quæ repræſentant, et inde ſignificant, et hoc ex cauſa ut Divinum ibi in ultimis ſit, et inde plenum, ut ſupra aliquoties dictum eſt. Quod rufum ſeu rubrum ſignificet quale rei quoad bonum, conſtare etiam poteſt a ſequentibus his locis in Verbo; apud Moſen, "*Qui lavat in vino indumentum ſuum, et in ſanguine uvarum velamen ſuum: ruber oculis præ vino, et albus dentes præ lacte,*" Geneſ. xlix. 11, 12; hæc in prophetico Iſraelis patris de Jehudah, et per Jehudam ibi intelligitur Dominus quoad bonum amoris, et in ſenſu reſpectivo Regnum cœleſte Domini; quid per ſingula ibi in ſenſu ſpirituali ſignificatur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, ubi explicata ſunt; Divina ſapientia quæ ex Divino Bono, ſignificatur per ruber oculis præ vino, ac Divina intelligentia quæ ex Divino Vero per albus dentes præ lacte. In Threnis, "*Albi erant Naziræi præ nive, candidi erant præ lacte, rubuerunt oſſa præ margaritis,*" iv. 7; per Naziræos repræſentabatur Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra, n. 66, 196 f.; quare etiam per illos in ſenſu reſpectivo ſignificabatur bonum amoris cœleſtis, quia hoc bonum a Divino Humano Domini immediate procedit; repræſentativum ejus in Eccleſia ita deſcribitur; verum illius boni ſignificatur per albi erant præ nive, et candidi præ lacte, ac bonum veri per rubuerunt oſſa præ margaritis; oſſa enim ſignificant vera in ſuo ultimo, ita vera in omni complexu, nam in ultimis ſunt omnia ſimul et plene; quod illa ex bono ſint, et quoque bona, ſignificatur per rubuerunt. Apud Sachariam, "*Vidi quatuor Currus exeuntes inter montes æris, in curru primo equi rufi, in curru ſecundo equi nigri, in tertio equi albi, in quarto equi grandinati, robuſti,*" vi. 1, 2; quod per equos rufos hic quoque ſignificetur quale intellectus quoad bonum in principio, per equos nigros quale intellectus quoad verum in principio, per equos albos quale intellectus quoad verum poſtea, per equos grandinatos quale intellectus quoad verum et bonum poſtea, et per robuſtos quale ejus inde quoad potentiam reſiſtendi falſis et malis, videatur ſupra, n. 355, ubi actum eſt de ſignificatione equi. Pæne ſimile intelligitur apud Eundem, per "*Equum rufum, ſuper quo equitavit vir, ſtans inter myrtos*," i. 8. Quoniam per rubrum ſeu rufum ſignificatur quale rei quoad bonum, ideo "*pro tegumento ſuper Tentorio erant pelles arietum ruforum*," Exod. xxv. 5. Cap. xxvi. 14. Cap. xxxv. 7. Et quoque ideo "*Aqua ſeparationis, per quam mundabantur, facta eſt ex combuſta vacca rufa*," Num. xix. 1 ad 10; per Vaccam rufam ſignificatur bonum naturalis hominis, et per aquam ſeparationis ex illa combuſta factam ſignificatur verum naturalis hominis; et quia omnis mundatio fit per vera, ideo hoc mandatum eſt; etiam ſingula proceſſus circa mactationem ejus et circa præparationem aquæ pro mundatione ex illa, involvunt ſpiritualia. Quia Rubrum ſignificat quale rei quoad bonum, ideo quoque Nomina, et Res, quæ ex eadem voce in Lingua originali nominantur, ſignificant bonum ex quo; Rubrum in Lingua originali dicitur ADAM, inde eſt nomen Adamo, et quoque Nomen Edomo, et inde quoque Homo vocatur Adam, Humus Adama, et Rubinus Odam, ita nomina illa et res illæ ex rubro: per Adamum ſignificatur Eccleſia Antiquiſſima, quæ fuit Eccleſia quæ in bono amoris; ſimile per Hominem, et ſimile per Humum in ſenſu ſpirituali, ubi agitur de bono cœleſti, ſignificatur; quod Edomus dictus ſit ex rubro, videatur Geneſ. xxv. 30; et inde per illum ſignificatur verum boni naturalis hominis; quod Rubinus etiam dicatur ex rubro, videatur Exod. xxviii. 17. Cap. xxxix. 10. Ezech. xxviii. 13; inde eſt quod per rubinum ſignificetur Verum boni cœleſtis. Quod Adam ſignificet Eccleſiam antiquiſſimam, quæ fuit Eccleſia cœleſtis, ſeu Eccleſia quæ in bono amoris in Dominum, videatur n. 478, 479: quod Homo ſignificet Eccleſiam quoad bonum, n. 4287, 7424, 7523: quod Humus etiam ſimile ſignificet, n. 566, 10570: quod Edom, quia dictus eſt ex rubro, ſignificet Verum boni naturalis hominis, n. 3300, 3322: et quod Rubinus ſignificet Verum boni cœleſtis, n. 9865. Quia Rubrum ſignificat quale rei quoad bonum, ideo in ſenſu oppoſito ſignificat quale rei quoad malum quod eſt oppoſitum bono, et inde bonum deperditum; in hoc ſenſu dicitur rubrum in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinea, ſicut nix albeſcent; ſi rubra fuerint ſicut purpura, ſicut lana erunt*," i. 18: et apud Nahum, "*Clypeus fortium ejus rubicundus factus eſt, viri fortitudinis purpurati; in igne facularum currus ejus, in plateis inſaniverunt currus, diſcurrerunt in vicis, aſpectus ejus ſicut facum*," ii. 4, 5. In eo ſenſu etiam *Draco* dicitur *rufus*, Apoc. xii. 3, de quo in ſequentibus.

365. Et ſedenti ſuper illo datum ei tollere pacem de terra, quod ſignificet Verbum inde non intellectum, unde diſſidia in Eccleſia, conſtat ex ſignificatione ſedentis ſuper Equo rufo, quod ſit Verbum non intellectum quoad bonum, per ſedentem enim ſuper equo, ſignificatur Verbum, ut ſupra, n. 355, 356; per equum ſignificatur intellectus ejus, n. 355, et per equum rufum, intellectus deperditus quoad bonum, n. 364; quare per ſedentem ſuper equo rufo, ſignificatur Verbum inde non intellectum; ex ſignificatione

tollere pacem, quod ſit quod inde diſſidia, de qua ſequitur; et ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia; quod terra ſignificet Eccleſiam, videatur ſupra, n. 29, 304. Antequam explicatur quid ſignificat Pax, aliquid dicetur de eo, quod quando intellectus Verbi deperditus eſt, oriantur diſſidia in Eccleſia; per bonum intelligitur bonum amoris in Dominum, et bonum amoris erga proximum, quoniam omne bonum eſt amoris; quando hæc bona apud hominem Eccleſiæ non ſunt, tunc non intelligitur Verbum; conjunctio enim Domini et conjunctio Cœli cum homine Eccleſiæ eſt per bonum, quare ſi non bonum eſt apud illum, non dari poteſt aliqua illuſtratio, omnis enim illuſtratio, cum legitur Verbum, eſt e Cœlo a Domino; et cum nulla illuſtratio eſt, tunc vera, quæ in Verbo, in obſcuro ſunt, inde diſſidia: quod Verbum non intelligatur ſi homo non in bono ſit, etiam conſtare poteſt ex eo, quod in ſingulis Verbi ſit conjugium cœleſte, hoc eſt, conjunctio boni et veri, quare ſi bonum non adeſt homini legenti Verbum, nec apparet verum, verum enim apparet ex bono, et bonum per vera; quod in ſingulis Verbi ſit conjunctio boni et veri, videatur ſupra, n. 238 fin. 288. Ita enim ſe res habet, quantum homo in bono eſt, tantum influit Dominus, et dat affectionem veri et inde intellectum; nam mens interior humana formata prorſus eſt ad imaginem Cœli, ac totum Cœlum formatum eſt ſecundum affectiones boni et veri ex bono, quare niſi bonum apud hominem eſt, mens illa non aperiri poteſt, minus formari ad Cœlum, formatur per conjunctionem boni et veri: inde etiam conſtare poteſt, quod niſi homo in bono eſt, vera non habeant humum in qua recipiantur, nec calorem ex quo creſcant; ſunt enim vera apud hominem qui in bono eſt, ſicut ſemina in humo tempore veris, at vera apud hominem qui non in bono eſt, ſunt ſicut ſemina in humo conſtricta gelu tempore hyemis, quando non gramen, nec flos, nec arbor, minus fructus. In Verbo ſunt omnia vera Cœli et Eccleſiæ, imo omnia arcana ſapientiæ quæ ſunt Angelis Cœli, ſed nemo illa videt niſi qui in bono amoris in Dominum et in bono amoris erga proximum eſt; qui non ſunt, illi hic et ibi vident vera, ſed non intelligunt illa, habent de illis prorſus aliam perceptionem et aliam ideam, quam quæ eſt ipſis veris in ſe, inde quamvis vera vident aut ſciunt, uſque vera non ſunt vera apud illos, ſed falſa; nam vera non ſunt vera ex ſono et ex eloquutione eorum, ſed ex idea et perceptione de illis; aliter cum vera implantata ſunt bono, tunc vera apparent in ſua forma, nam verum eſt forma boni. Exinde concludi poteſt, qualis eſt intellectus Verbi apud illos qui ſolam fidem faciunt unicum ſalutis medium, ac bonum vitæ ſeu bonum charitatis rejiciunt ad tergum; compertum eſt, quod illi qui confirmaverunt ſe in eo tam doctrina quam vita, ne quidem unam juſtam ideam veri habeant; quæ etiam cauſa eſt, quod nec ſciant quid bonum, quid charitas et amor, quid proximus, quid cœlum et infernum, quod vivant poſt mortem ut homines, imo nec quid regeneratio, quid baptiſmus, et plura alia; imo in tali cæcitate ſunt de ipſo Deo, ut colant tres in cogitatione, et non unum niſi ſolum ore, et non ſciant quam Pater Domini ſit Divinum in Ipſo, et Spiritus ſanctus ſit Divinum ab Ipſo. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod nullus intellectus Verbi ſit, ubi non bonum. Quod hic dicatur, quod ſedenti ſuper equo rufo datum ſit tollere pacem de terra, eſt quia Pax ſignificat pacificum mentis et tranquillum animi ex conjunctione boni et veri; inde tollere pacem ſignificat impacificum et intranquillum ex disjunctione eorum, ex quo inteſtina diſſidia; cum enim bonum ſeparatum eſt a vero, tunc loco illius ſuccedit malum, et hoc non amat verum, ſed amat falſum, nam omne falſum eſt mali, ſicut omne verum eſt boni; quare cum videt verum in Verbo, aut audit verum ex alio, malum quod eſt amoris ejus et inde voluntatis ejus, contranititur, et tunc vel rejicit illud, vel pervertit illud, vel per ideas ex malo ita obſcurat illud, ut tandem ipſe nihil veri in vero videat, utcunque ſonat ut verum cum id eloquitur; inde eſt origo omnium diſſenſionum, controverſiarum et hæreſium in Eccleſia: ex his conſtare poteſt, quid per tollere pacem de terra, hic ſignificatur. Quid autem Pax eſt in ſua prima origine, ample oſtenſum eſt in Opere de CŒLO ET INFERNO, ubi actum eſt de ſtatu pacis in Cœlo, n. 284 ad 290; quod nempe in ſua prima origine ſit ex Domino, in Ipſo ex unione Ipſius Divini ac Divini Humani, et ab Ipſo ex conjunctione Ipſius cum Cœlo et Eccleſia, et in particulari ex conjunctione boni et veri apud unumquemvis; inde eſt, quod per Pacem in ſupremo ſenſu ſignificetur Dominus, in ſenſu reſpectivo Cœlum et Eccleſia in communi, et quoque Cœlum et Eccleſia in particulari apud unumquemvis: quod hæc per Pacem in Verbo ſignificentur, conſtare poteſt ex pluribus locis ibi, quorum ſequentia ad confirmationem volo adducere: apud Johannem, "*Jeſus dixit, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non ſicut mundus dat Ego do vobis; ne turbator cor veſtrum, neque formidet,*" xiv. 27; agitur ibi de unione Domini cum Patre, hoc eſt, de unione Divini Humani Ipſius cum ipſo Divino quod in Ipſo ex conceptione, et inde de conjunctione Domini cum illis qui in veris ex bono ſunt; inde per pacem intelligitur tranquillum mentis ex illa conjunctione; et quia per illam tuti ſunt a malis et falſis quæ ab inferno, tutatur enim Dominus illos qui Secum conjuncti ſunt, ideo dicit, ne turbator cor veſtrum, neque formidet; hæc Divina Pax eſt in homine, et quia eſt Cœlum cum illa, etiam per Pacem ibi intelligitur Cœlum, et in ſupremo ſenſu Dominus; pax autem mundi eſt ex ſucceſſibus ibi, ita ex conjunctione cum mundo, quæ quia eſt modo externa, et non Dominus, et inde non Cœlum in illa, perit cum vita hominis in mundo, et vertitur in non pacem, ideo dicit Dominus, pacem meam do vobis, non ſicut mundus dat Ego do vobis. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, hæc loquutus ſum vobis, ut in Me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis; ſed confidite, Ego vici mundum,*" xvi. 33; etiam hic per pacem intelligitur jucundum internum ex conjunctione cum Domino, unde Cœlum et gaudium æternum; opponitur hic pax afflictioni, quia per afflictionem ſignificatur infeſtatio a malis et falſis, quæ illis eſt qui in pace Divina ſunt quamdiu vivunt in mundo, caro enim, quam tunc circumferunt, concupiſcit illa quæ mundi ſunt, inde afflictio; quare dicit Dominus, ut in Me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis; et quia Dominus quoad Humanum ſuum acquiſivit Sibi potentiam ſuper inferna, ita ſuper mala et falſa quæ inde apud unumquemvis aſſurgunt in carnem et infeſtant, ideo dicit, confidite, Ego vici mundum. Apud Lucam, "*Jeſus dixit ad ſeptuaginta quos emiſit; in quam domum intraveritis, primum dicite pax domui huic, et ſiquidem fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illo pax veſ-*

tra, ſi vero non, ſuper vos revertetur,” x. 5, 6: et apud Matthæum, “ *Ingredientes in domum, ſalutate eam, et ſiquidem fuerit domus digna, veniet pax veſtra ſuper eam; ſin autem non fuerit digna, pax veſtra ad vos revertetur; et quicunque non receperit vos, neque audiverit verba veſtra, exeuntes domo aut urbe iſta, excutite pulverem pedum veſtrorum,”* x. 12, 13, 14; quod dicerent domui pax, ſignificat ut cognoſcerent num illi, qui ibi ſunt, reciperent Dominum, evangelizabant de Domino, ac inde de Cœlo, gaudio cœleſti et vita æterna, nam omnia illa ſignificantur per pacem; et illi qui receperunt intelliguntur per filios pacis, ſuper quibus pax requieſceret; ſi autem non agnoſcerent Dominum, et inde non reciperent illa quæ Domini ſunt ſeu quæ pacis, quod ab iis auferretur, ſignificatur per ſi domus aut urbs non digna eſſet, quod pax reverteretur ſuper eos; ne tunc a malis et falſis quæ in illa domo, aut in illa urbe, læderentur, mandatum eſt ut exeuntes excuterent pulverem pedum ſuorum, per quod ſignificatur ne damnatum inde adhæreret, per pulverem pedum enim ſignificatur damnatum, nam ultimum apud hominem, quod eſt ſenſuale naturale, correſpondet plantis pedum, et quia huic adhæret malum, ideo apud illos qui in repræſentativis Eccleſiæ erant, ut plerique eo tempore, excutiebant pulverem pedum cum non reciperentur vera doctrinæ; in mundo enim ſpirituali, quando aliquis bonus venit ad malos, influit malum ab his, et aliquantum perturbat, ſed hoc ſolum perturbat ultima quæ correſpondent plantis pedum, inde cum ſe vertunt et abeunt, apparet ſicut pulverem pedum ſuorum retro excutiant, quod eſt indicium quod liberati ſint, et quod malum adhæreat illis qui in malo ſunt: quod plantæ pedum correſpondeant infimis naturalibus, et quod inde in Verbo ſignificent illa, videatur n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952: et quod pulvis, quem excuterent, ſignificet damnatum, n. 249, 7418, 7522. Apud Lucam, “ *Jeſus flevit ſuper urbe, dicens, ſi noſſes, et quidem in die hoc, quæ ad Pacem tuam; ſed nunc abſconditum eſt ab oculis tuis,”* xix. 42; qui de his verbis et mox ſequentibus ibi ſolum cogitant ex ſenſu literæ, credunt, quia non aliud vident, quod a Domino illa dicta ſint de deſtructione Hieroſolymæ; ſed omnia, quæ Dominus loquutus eſt, quia a Divino, non ſpectabant mundana et temporaria, ſed cœleſtia et æterna, quare per Hieroſolymam, ſuper qua Dominus flevit, hic ut alibi, ſignificatur Eccleſia, quæ tunc prorſus vaſtata fuit, ut amplius non verum et inde non bonum eſſet, et ſic quod perituri in æternum; quare dicit, ſi noſſes et quidem in die hoc quæ ad pacem tuam, hoc eſt, quæ ad vitam et felicitatem æternam quæ a Solo Domino; nam per pacem, ut dictum eſt, intelligitur Cœlum et gaudium cœleſte per conjunctionem cum Domino. Apud Eundem, “ *Zacharias prophetans dixit; ortus de alto apparet illis qui in tenebris et umbra mortis ſedent, ad dirigendum pedes noſtros in viam pacis,”* i. 79; hæc de Domino in mundum venturo, et de illuſtratione illorum tunc, qui extra Eccleſiam erant, et in ignorantia Divini Veri quia non habebant Verbum; Dominus intelligitur per ortum ab alto qui apparet; et illi qui extra Eccleſiam, intelliguntur per eos qui in tenebris et umbra mortis ſedent; et illuſtratio eorum in Divinis veris per receptionem Domini et conjunctionem cum Ipſo, unde Cœlum et felicitas æterna, intelligitur per viam pacis; per dirigere pedes noſtros in illam, ſignificatur inſtructio. Apud Eundem, “*Diſcipuli laudabant Deum, dicentes, Benedictus Rex qui venit in Nomine Domini, pax in Cœlo et gloria in Altiſſimis,*” xix. 38; hæc a diſcipulis dicta ſunt, cum Dominus ivit Hieroſolymam, ut ibi per paſſionem crucis, quæ fuit ultima Ipſius tentatio, plane uniret Humanum ſuum Divino ſuo, et quoque prorſus ſubjugaret inferna, et quia tunc ab Ipſo procederet omne Divinum Bonum et Verum, dicunt Benedictus Rex qui venit in Nomine Domini, per quod ſignificabatur agnitio, glorificatio, et gratiarum actio quod ab Ipſo illa, videatur ſupra, n. 340; per pacem in Cœlo et per gloriam in altiſſimis, ſignificatur quod illa quæ ſignificantur per pacem ſint ex unione Ipſius Divini ac Divini Humani, et inde Angelis et hominibus ex conjunctione cum Domino; nam cum a Domino ſubjugata fuerunt inferna, tunc facta eſt pax in Cœlo, et tunc Divinum Verum fuit illis, qui ibi, a Domino, quod eſt gloria in altiſſimis; quod Gloria ſignificet Divinum Verum procedens a Domino, videatur ſupra, n. 34, 288, 345. Quia Pax in ſenſu interno Verbi ſignificat Dominum, et inde Cœlum et vitam æternam, in ſpecie jucundum Cœli oriundum ex conjunctione cum Domino, ideo Dominus, poſt reſurrectionem, cum apparuit diſcipulis, “*dixit illis, pax vobis,*” Luc. xxiv. 36, 37. Johan. xx. 19, 21, 26. Porro; apud Moſen, “*Benedicat tibi Jehovah, et cuſtodiat te; lucere faciat Jehovah facies ſuas ſuper te, et miſereatur tui; et attollat Jehovah facies ſuas ſuper te, et ponat tibi pacem,*” Num. vi. 24, 25, 26; Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et ſapientia, cum quo influit Dominus, intelligitur per lucere faciat Jehovah facies ſuas ſuper te; et per id tutela a falſis, intelligitur per miſereatur tui; ac Divinum Bonum, ex quo omnis amor et charitas, cum quo influit Dominus, intelligitur per attollat Jehovah facies ſuas ſuper te; et per id tutela a malis, ac inde Cœlum et felicitas æterna, intelligitur per ponat tibi pacem, nam cum mala et falſa remota ſunt, et non amplius infeſtant, tunc influit Dominus cum pace, in qua et ex qua eſt Cœlum, ac jucundum beatitudine implens interiora mentis, ita gaudium cœleſte; hæc Benedictio etiam explicata videatur ſupra, n. 340. Simile ſignificatur per Pacem apud Davidem, “*Jehovah benedicet populo ſuo in pace,*” Pſalm. xxix. 11: et apud Eundem, “*Quis oſtendet nobis bonum, attolle ſuper nos lucem facierum tuarum Jehovah, das gaudium in corde meo præ tempore; frumentum et muſtum eorum multiplicantur; in pace ſimul cubo et dormio, nam Tu Jehovah ſolus ſecurum me habitare facis,*” Pſalm. iv. 7, 8, 9; hic deſcribitur Pax, quæ illis qui ſunt in conjunctione cum Domino per receptionem Divini Boni et Divini Veri ab Ipſo, et quod Pax ſit in qua et ex qua gaudium cœleſte; Divinum Bonum intelligitur per quis oſtendet nobis bonum; et Divinum Verum, per attolle ſuper nos lucem facierum tuarum; Lux facierum Domini, eſt Divina Lux procedens ex Ipſo ut Sole in Cœlo Angelico, quæ in ſua eſſentia eſt Divinum Verum, ut oſtenſum videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 126 ad 140; gaudium cœleſte inde, intelligitur per das gaudium in corde; multiplicatio boni et veri, intelligitur per frumentum et muſtum eorum multiplicantur, frumentum ſignificat bonum, et muſtum verum; quia pax eſt in illis et ex illis, ideo dicitur in pace ſimul cubo et dormio, nam Tu Jehovah ſecurum me habitare facis, per pacem ſignificatur internum jucundum Cœli, per ſecuritatem jucundum

cundum externum, et per cubare et dormire, ac per habitare ſignificatur vivere. Apud Moſen, " *Si in ſtatutis meis ambulaveritis, et præcepta mea obſervaveritis, et feceritis ea, dabo Pacem in terra, ita ut ſecure cubetis, et non perterrefaciens; et ceſſare faciam feram malam e terra, et gladius non tranſibit per terram,*" Levit. xxvi. 3, 6; unde pax, hoc eſt, unde Cœlum et gaudium cœleſte, hic deſcribitur; pax in ſe ſpectata non eſt Cœlum et gaudium cœleſte, ſed hæc ſunt in pace et ex pace; eſt enim Pax ſicut Aurora aut ſicut Ver in mundo, quæ diſponunt mentes humanas ad recipiendum corde jucunda et amœna ex iis quæ coram oculis apparent, jucundat namque et amœnat illa; et quia ex Pace Divina ſunt omnia Cœli et ejus gaudii ſimiliter, inde etiam hæc per Pacem intelliguntur; quoniam homini Cœlum eſt ex vivere ſecundum præcepta, inde enim conjunctio ei eſt cum Domino, ideo dicitur, ſi in ſtatutis meis ambulaveritis, et præcepta mea obſervaveritis, et feceritis ea, dabo pacem in terra; quod tunc non infeſtandi ſint a malis et falſis, intelligitur per quod ſecure cubarent, et non perterrefaciens, et per quod Jehovah ceſſare faciet feram malam e terra, et quod gladius non tranſibit per illam; per feram malam ſignificantur cupiditates malæ, et per gladium ſignificantur falſitates inde, hæ et illæ deſtruunt bonum et verum, ex quibus Pax, et per terram ſignificatur Eccleſia; quod fera mala ſignificet cupiditates malas, et deſtructionem boni per illas, videatur n. 4729, 7102, 9335: quod gladius ſignificet falſitates, et deſtructionem veri per illas, ſupra n. 131: et quod terra ſignificet Eccleſiam, etiam ſupra n. 29, 304. Qui non elevatur ſupra ſenſum literæ Verbi, is non videt aliud, quam quod qui vivit ſecundum ſtatuta et præcepta, victurus ſit in pace, hoc eſt, quod ei non hoſtes et inimici, et quod ſic ſecure cubaturus, tum quod non aliquæ feræ malæ illaturæ damnum, et quod non perituri gladio; ſed hoc non eſt ſpirituale Verbi, eſt uſque Verbum in ſingulis ſpirituale, et hoc latet in ſenſu literæ ejus qui naturalis; ſpirituale ejus eſt quod nunc ſupra explicatum eſt. Apud Davidem, " *Miſeri poſſidebunt terram, et deliciabuntur ſuper multitudine pacis: obſerva integrum, et vide rectum, nam poſtremum viro pax,*" Pſalm. xxxvii. 11, 37; per miſeros intelliguntur hic qui in tentationibus ſunt in mundo; per multitudinem pacis qua deliciabuntur, ſignificantur jucunda quæ poſt tentationes, nam poſt tentationes dantur jucunda a Domino ex conjunctione boni et veri tunc, et inde ex conjunctione cum Domino; quod ex conjunctione boni et veri ſit homini jucundum pacis, intelligitur per obſerva integrum, et vide rectum, nam poſtremum viro pax; integrum quod obſervandum, dicitur in Verbo de bono; et rectum quod videndum, dicitur de vero; poſtremum eſt finis quando pax. Apud Eundem, " *Ferent montes Pacem populo, et colles in juſtitia; florebit in diebus Ejus juſtus, et multa pax, uſque dum non luna,*" Pſalm. lxxii. 3, 7; agitur ibi de adventu Domini et de Regno Ipſius; per montes qui ferent pacem populo, ſignificatur amor in Dominum; et per colles qui in juſtitia, ſignificatur charitas erga proximum; quod hæc per montes in Verbo ſignificentur, videatur n. 795, 6435, 10438, ex cauſa, quia illi qui in amore in Dominum ſunt, habitant in Cœlo ſuper montibus, et illi qui in charitate erga proximum ſunt, ſuper collibus ibi, n. 10438, et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 188; inde patet, quod per pacem intelligatur gaudium cœleſte, quod eſt ex conjunctione cum Domino per amorem; per florebit in diebus Ejus juſtus, ſignificatur qui in bono amoris, inde dicitur et multa pax, non aliunde enim quam ex Domino, et ex Ipſius conjunctione cum illis qui in bono amoris ſunt, eſt pax, ut ſupra dictum eſt; uſque dum non luna dicitur, per quod ſignificatur quod non verum erit ſeparatum a bono, ſed conjuncta ita ut ſint unum, hoc eſt, ut verum etiam ſit bonum, eſt enim omne verum boni quia ex bono, et inde in ſua eſſentia bonum, tale eſt verum apud illos qui in bono amoris in Dominum a Domino ſunt, qui hic intelliguntur per juſtum: quod ſol ſignificet bonum amoris, et quod luna verum inde, videatur n. 1521 ad 1531, 2495, 4060, 4496, 7083. Apud Eſajam, "*Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, ſuper Cujus humero principatus; vocabit Nomen Ipſius Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis: multiplicanti principatum et pacem non erit finis,*" ix. 5, 6; hæc de adventu Domini, de quo dicitur quod Puer natus ſit nobis, et Filius datus nobis, quia per puerum in Verbo ſignificatur bonum, ibi Divinum Bonum, et per filium verum, ibi Divinum Verum, ita dicitur propter conjugium boni et veri, quod eſt in ſingulis Verbi; et quia ab Ipſo Divinum Bonum et Divinum Verum eſt, ideo vocatur Princeps pacis, ac dicitur multiplicanti principatum et pacem non erit finis; principatus dicitur ex Divino Vero, et pax ex Divino Bono conjuncto Divino Vero, inde vocatur Princeps pacis: quod princeps dicatur de Veris, et quod ſignificet principale verum, videatur n. 1482, 2089, 5094, et ſupra n. 29; et pax de conjunctione boni et veri, ſupra in hoc Articulo. Sed quia plurimis in locis in Verbo dicitur Pax, et explicatio erit applicata ad rem de qua dicitur, ſeu ad ſubjectum de quo prædicatur, et inde apparet varia ejus ſignificatio, ideo velim in ſumma tradere quid Pax ſignificat, ne mens feratur quaquaverſum. "Pax eſt beatum cordis et animæ oriundum ex conjunctione Domini cum Cœlo et cum Eccleſia, et hæc ex conjunctione boni et veri apud illos qui ibi, inde non pugna mali et falſi amplius contra bonum et verum, ſeu non diſſidium aut bellum in ſpirituali ſenſu; inde Pax, in qua fit omnis fructificatio boni et multiplicatio veri, proinde omnis ſapientia et intelligentia: et quia Pax illa eſt a Solo Domino, et ab Ipſo apud Angelos in Cœlo, et apud homines in Eccleſia, ideo per Pacem in ſupremo ſenſu intelligitur Dominus, et in ſenſu reſpectivo Cœlum et Eccleſia, proinde bonum conjunctum vero apud illos qui ibi." Ex his idea de ſignificatione Pacis haberi poteſt in ſequentibus locis; apud Davidem, "*Recede a malo et fac bonum; quære Pacem et perſequere eam,*" Pſalm. xxxiv. 15; pax pro omnibus quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, unde felicitas vitæ æternæ, quæ quia eſt ſolum illis qui in bono, ideo dicitur recede a malo et fac bonum, quære pacem et perſequere eam. Apud Eundem, "*Pax multa amantibus legem tuam, nec illis offendiculum: exſpectavi ſalutem tuam Jehovah, et præcepta tua feci,*" Pſalm. cxix. 165, 166; pax pro beato, felici et jucundo cœleſti, quæ quia ſolum dantur apud illos qui amant facere præcepta Domini, ideo dicitur, pax multa amantibus legem tuam, exſpectavi ſalutem tuam Jehovah, et præcepta tua feci; ſalus pro vita æterna; quod non illis infeſtatio ſit a malis et falſis, ſignificatur per quod non illis offendiculum. Apud Eſajam, "*Jehovah diſpone pacem nobis,* *uam omnia opera noſtra operatus es nobis,*" xxvi. 12; quia pax a ſolo Jehovah, hoc eſt, Domino eſt, et in faciendo bonum ab Ipſo, ideo dicitur, Jehovah diſpone pacem nobis, nam omnia opera noſtra operatus es nobis. Apud Eundem, "*Angeli pacis amare flent, devaſtatæ ſunt ſemitæ, ceſſavit tranſiens viam,*" xxxiii. 7, 8; quia pax eſt a Domino, et in Cœlo ab Ipſo, ideo Angeli ibi vocantur Angeli pacis; et quia nulla pax illis eſt qui in terra in malis ſunt et inde falſis, ideo dicitur quod amare fleant, quia devaſtatæ ſunt ſemitæ, ceſſavit tranſiens viam; ſemitæ et via ſignificant bona vitæ et vera fidei; quare devaſtatæ ſemitæ ſignificant quod non amplius bona vitæ, et ceſſavit tranſiens viam ſignificat nec amplius vera fidei. Apud Eundem, "*Utinam auſcultaſſes præceptis meis, et futura fuiſſet ſicut fluvius pax tua, et juſtitia tua ſicut fluctus maris: non pax, inquit Jehovah, impiis,*" xlviii. 18, 22; quia illis pax eſt qui vivunt ſecundum præcepta Domini, et non illis qui non vivunt, ideo dicitur, utinam auſcultaſſes præceptis meis, et futura fuiſſet pax tua ſicut fluvius, non pax impiis; pax ſicut fluvius ſignificat in abundantia; juſtitia quæ ſicut fluctus maris ſignificat fructificationem boni per vera, juſtitia in Verbo dicitur de bono, ac mare de veris. Apud Eundem, "*Montes recedent et colles dimovebuntur, ſed miſericordia mea a tecum non recedet; fœdus pacis meæ non dimovebitur. Omnes filii tui docti a Jehovah, et multa pax filiorum tuorum,*" liv. 10, 13; agitur ibi de novo Cœlo et de nova Eccleſia, prius Cœlum et prior Eccleſia, quæ peritura, intelligitur per montes recedent et colles dimovebuntur; quod illis qui in novo Cœlo et in nova Eccleſia erunt in bono a Domino, et eis gaudium cœleſte in æternum per conjunctionem cum Domino, ſignificatur per Miſericordia mea a tecum non recedet, et fœdus pacis meæ non dimovebitur, miſericordia ſignificat bonum a Domino, et fœdus pacis ſignificat gaudium cœleſte ex conjunctione cum Domino, fœdus eſt conjunctio; per filios qui docti a Jehovah, et quibus multa pax, intelliguntur qui in Novo Cœlo et in Nova Eccleſia in veris ex bono erunt a Domino, quod illis beatitudo et felicitas æterna; per filios in Verbo ſignificantur qui in veris ex bono ſunt; per quod docti a Jehovah, ſignificatur quod in veris ex bono ſint a Domino; et per multam pacem ſignificatur beatitudo et felicitas æterna. Apud Ezechielem, "*David princeps illis in æternum; et pangam illis fœdus pacis, fœdus æternitatis erit cum illis, ac dabo eos et multiplicabo eos, et ponam Sanctuarium meum in medio eorum in æternum,*" xxxvii. 25, 26; agitur ibi de Domino, de creatione novi Cœli et novæ Eccleſiæ ab Ipſo; per Davidem qui princeps illis in æternum, intelligitur Dominus; per pangere illis fœdus pacis, ſignificatur gaudium cœleſte et vita æterna illis qui Domino conjuncti ſunt, fœdus pacis eſt hic ut ſupra gaudium cœleſte et vita æterna ex conjunctione cum Domino; fructificatio boni et multiplicatio veri inde, ſignificatur per dabo eos et multiplicabo eos; et quia inde Cœlum et Eccleſia eſt, additur et ponam Sanctuarium meum in medio eorum in æternum, Sanctuarium eſt Cœlum et Eccleſia. Apud Malachiam, "*Ut ſit fœdus meum cum Levi, fœdus meum cum illo fuit vitæ et pacis; lex veritatis fuit in ore ejus, et perverſitas non inventa in labiis ejus; in pace et in rectitudine ambulavit Mecum,*" ii. 4, 5; per Levin ſignificantur omnes qui in bono charitatis erga proximum ſunt, et in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus, quia ab Ipſo id bonum, hic Ipſe Dominus; fœdus vitæ et pacis ſignificat unionem Divini Ipſius cum Divino Humano Ipſius, ex qua unione omnis vita et pax; quod Divinum Verum ſit ab Ipſo, ſignificatur per quod lex veritatis fuit in ore Ipſius, et perverſitas non inventa in labiis Ipſius; ipſa unitio quæ facta in mundo, intelligitur per in pace et in rectitudine ambulavit Mecum: quod per Levin in Verbo ſignificetur Amor ſpiritualis ſeu charitas, videatur n. 4497, 4502, 4503: et quod per illum in ſupremo ſenſu intelligatur Dominus, n. 3875, 3877. Apud Ezechielem, "*Tunc pangam iis fœdus pacis, et ceſſare faciam feram malam e terra, ut habitent in deſerto ſecure, et dormiant in ſylvis: tunc dabit arbor agri fructum ſuum, et terra dabit proventum ſuum, quando fregero lora jugi eorum, et liberavero eos e manu ſervire facientium eos,*" xxxiv. 25, 27; etiam ibi agitur de adventu Domini, et de inſtauratione novæ Eccleſiæ ab Ipſo; conjunctio illorum qui ab Eccleſia cum Domino, ſignificatur per fœdus pacis quod tunc panget iis; inde tutela et ſecuritas a malis et falſis, ſignificatur per ceſſare faciam feram malam e terra, ut habitent in deſerto ſecure, et dormiant in ſylvis, fera mala ſignificat mala omnis generis, deſertum ubi habitabunt ſecure, ſignificat cupiditates mali quod non infeſtabunt, et ſylvæ in quibus dormient, ſignificant falſa inde quæ nec infeſtabunt; fructificatio boni per vera, et multiplicatio veri ex bono, ſignificantur per tunc dabit arbor fructum ſuum, et terra dabit proventum ſuum, arbor agri ſignificat cognitiones veri, fructus ſignificat bonum inde, terra ſignificat Eccleſiam quoad bonum, ita quoque bonum Eccleſiæ, et proventus ejus ſignificat inde multiplicationem veri; quod hæc fient illis poſtquam Dominus removit mala et falſa quæ illis, ſignificatur per quando fregero lora jugi eorum, et liberavero e manu ſervire facientium eos, lora jugi ſunt jucunda mali ex amore ſui et mundi, quæ illos vinctos tenent, et ſervire facientes eos ſunt falſa, quia hæc faciunt ut ſerviant illis malis. Apud Sachariam, "*Semen pacis erunt, vitis dabit fructum ſuum, et terra dabit proventum ſuum, et Cœli dabunt rorem ſuum: loquimini veritatem vir cum ſocio ſuo, veritatem et judicium pacis judicate in portis veſtris; veritatem modo et pacem amate,*" xii. 16, 19; ſemen pacis dicuntur apud quos conjunctio boni et veri, et quia illi per ſemen pacis intelliguntur, ideo dicitur quod vitis dabit fructum ſuum, et terra proventum ſuum, per quod vitis dabit fructum ſuum ſignificatur quod verum producet bonum, et per quod terra dabit proventum ſuum ſignificatur quod bonum producet vera, vitis enim ſignificat Eccleſiam quoad vera ſeu vera Eccleſiæ, et terra ſignificat Eccleſiam quoad bonum ſeu bonum Eccleſiæ, ac proventus ſignificat productionem veri; per cœlos qui dabunt rorem ſuum ſignificatur fructificatio boni et multiplicatio veri; conjunctio veri et boni ulterius deſcribitur per loquimini veritatem vir cum ſocio ſuo, veritatem et judicium pacis judicate in portis veſtris, veritatem modo et pacem amate, per veritatem ſignificatur verum, per judicium pacis, et per pacem ſignificatur conjunctio ejus cum bono. Apud Davidem, "*Jehovah loquetur pacem ad populum ſuum et ad ſanctos ſuos, ut non revertantur ad ſtultitiam: miſericordia et juſtitia obvient, juſtitia et pax oſculentur ſe,*" Pſalm. lxxxv. 9, 10; quod Jehovah loquetur pacem ad populum ſuum et ad ſanctos ſuos, ſignificat quod docebit et dabit conjunctionem Secum per conjunctionem boni et veri apud illos, per pacem ſignificatur utraque illa conjunctio, per populum ſignificantur illi qui in veris ex bono ſunt, et per ſanctos illi qui in bono per vera ſunt; quod non illis dein malum ex falſo et falſum ex malo ſint, ſignificatur per ut non revertantur ad ſtultitiam; utraque illa conjunctio ulterius deſcribitur per quod miſericordia et juſtitia obvient, ac juſtitia et pax oſculentur ſe, miſericordia ibi ſignificat remotionem a falſis, unde illis vera, et juſtitia remotionem a malis, unde illis bona; inde patet quid ſignificat juſtitia et pax oſculentur ſe. Apud Eſajam, "*Quam jucundi ſunt ſuper montibus pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis ſalutem, dicentis Zioni regnat Rex tuus,*" lii. 7; hæc de Domino, et per Pacem ibi ſignificatur Ipſe Dominus, et inde Cœlum illis qui Ipſi conjuncti ſunt; evangelizare ſignificat prædicare illa; et quia illa conjunctio fit per amorem, ideo dicitur evangelizare ſuper montibus, et dicere Zioni, montes ſignificant hic ut ſupra bonum amoris in Dominum, et Zion ſignificat Eccleſiam quæ in illo bono; ac Dominus intelligitur per Regem tuum qui regnat; quia conjunctio veri et boni a conjunctione cum Domino ſignificatur per pacem, ideo dicitur audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis ſalutem, evangelizare bonum ſignificat conjunctionem cum Ipſo per bonum, et audire facere ſalutem ſignificat conjunctionem cum Ipſo per vera et per vitam ſecundum illa, per hanc enim eſt ſalus. Apud Eundem, "*Atque Ille confoſſus ob prævaricationes noſtras, contuſus ob iniquitates noſtras, caſtigatio pacis noſtræ ſuper Ipſo, et vulnere Ipſius ſanitas data nobis,*" liii. 5; hæc de Domino, de quo in eo Capite manifeſte agitur, et per illa verba deſcribuntur tentationes quas Ipſe in mundo ſubiit ut ſubjugaret inferna, et redigeret omnia ibi et in cœlis in ordinem; atroces illæ tentationes intelliguntur per quod confoſſus ob prævaricationes noſtras, et contuſus ob iniquitates noſtras, et quod caſtigatio pacis noſtræ ſuper Ipſo; ſalvatio per id ſignificatur per vulnere Ipſius ſanitas eſt data nobis; per pacem itaque ſignificatur Cœlum et vita æterna illis qui conjuncti cum Ipſo ſunt; genus enim humanum nullatenus ſalvari potuit, niſi Dominus redegiſſet omnia in infernis et in cœlis in ordinem, et ſimul glorificaſſet Humanum ſuum, quæ facta ſunt per Tentationes in Humanum ſuum admiſſas. Apud Jeremiam, "*Ecce Ego aſcendere facturus eis ſanitatem et medelam, et ſanaturus ſum eos, et revelabo iis ſanitatem pacis et veritatem: omnes gentes terræ, quæ audient omne bonum quod Ego facturus illis, ut timeant et commoveantur ſuper omni bono, et ſuper omni pace, quam Ego facturus illis,*" xxxiii. 6, 9; hæc etiam de Domino, quod liberaturus a malis et falſis illos qui in conjunctione cum Ipſo ſunt; liberatio a malis et falſis ſignificatur per aſcendere facturus ſum eis ſanitatem et medelam, et ſanaturus ſum eos, ſpiritualiter enim ſanari eſt a malis et falſis; et quia hoc fit a Domino per vera, dicitur et revelabo iis ſanitatem pacis et veritatem; per gentes terræ ſignificantur illi qui in malis et falſis ſunt, de quibus dicitur quod timebunt et commovebuntur ſuper omni bono, et ſuper omni pace quam Ego facturus illis. Apud Davidem, “*Redimet in pace animam meam, ne appropinquent mihi,*” Pſalm. lv. 19; per redimere in pace animam meam, ſignificatur ſalvatio per conjunctionem cum Domino; et per ne appropinquent mihi, ſignificatur remotio inde malorum et falſorum. Apud Haggæum, “*Major erit gloria domus hujus poſterioris quam prioris, nam in loco hoc dabo pacem,*” ii. 9; per domum Dei ſignificatur Eccleſia, per domum priorem Eccleſia quæ ante adventum Domini, et per domum poſteriorem Eccleſia quæ poſt adventum Ipſius; per gloriam ſignificatur Divinum Verum quod in hac et illa; et per pacem quam dabit in loco hoc, ſeu in Eccleſia, intelliguntur omnia illa quæ ſignificantur per Pacem, de quibus ſupra, quæ videantur. Apud Davidem, “*Petite pacem Hieroſolymæ, quieti ſint amantes te; ſit pax in antemurali tuo, quies in palatiis tuis; propter fratres et ſocios meos loquar; age pacem in te, propter domum Jehovæ Dei noſtri quæram bonum tibi,*” Pſalm. cxxii. 6, 7, 8, 9; per Hieroſolymam non intelligitur Hieroſolyma, ſed Eccleſia quoad doctrinam et cultum; per pacem intelligitur omne doctrinæ et cultus, nam cum hæc ex origine cœleſti ſunt, hoc eſt, e cœlo a Domino, tunc a pace et in pace ſunt, inde conſtat quid intelligitur per petite pacem Hieroſolymæ; et quia illi qui in illa pace ſunt, vocantur quieti, dicitur etiam, quieti ſint amantes te, nempe amantes Eccleſiæ doctrinam et cultum; per ſit pax in antemurali tuo, et quies in palatiis tuis, ſignificatur quod in exteriori homine et in interiori, exterior enim homo cum illis quæ ibi, quæ ſunt ſcientifica et jucunda naturalia, eſt inſtar antemuralis ſeu munimenti interiori homini, quia extra et ante hunc eſt et protegit, ac interior homo cum illis quæ ibi, quæ ſunt vera et bona ſpiritualia, eſt inſtar palatii aut domus, quia intra exteriorem eſt, inde exteriora hominis ſignificantur per antemurale, ac interiora ejus per palatia, ſimiliter quoque alibi in Verbo; propter fratres meos et ſocios meos, ſignificat propter illos qui in bonis et inde veris ſunt, et abſtracte a perſonis ſignificat bona et vera; quod hæc intelligantur per fratres et ſocios in Verbo, videatur n. 10490, et ſupra n. 47; per domum Jehovæ Dei noſtri ſignificatur Eccleſia, in qua illa. Apud Eundem, “*Lauda Hieroſolyma Jehovam, celebra Zion Nomen tuum; qui ponit terminum tuum pacem; adipe triticorum ſatiat te,*” Pſalm. cxlvii. 12, 14; per Hieroſolymam et per Zionem intelligitur Eccleſia, per Hieroſolymam Eccleſia quoad vera doctrinæ, et per Zionem Eccleſia quoad bona amoris; per Nomen Jehovæ quod celebrabit Zion, ſignificatur omne cultus ex bono amoris; qui ponit terminum tuum pacem, ſignificat omnia Cœli et Eccleſiæ, nam terminus ſignificat omnia illorum, quoniam in termino ſeu in ultimo ſunt omnia in complexu, videatur n. 634, 5897, 6239, 6451, 6465, 8603, 9216, 9217, 9824, 9828, 9836, 9905, 10044, 10099, 10329, 10335, 10548; adipe triticorum ſatiat te, ſignificat omni bono amoris et ſapientia, adeps enim ſignificat bonum amoris, videatur n. 5943, 6409, 10033; et triticum ſignificat omnia quæ ex bono amoris ſunt, in ſpecie vera cœli, et inde ſapientiam, n. 3941, 7605. Apud Eundem, “*Benedicet tibi Jehovah e Zione, ut videas bonum Hieroſolymæ omnibus diebus vitæ* *tuæ, ut videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraele,*" Pſalm. cxxviii. 5, 6; per Zionem et per Hieroſolymam ſignificatur hic ut ſupra Eccleſia quoad bona amoris et quoad vera doctrinæ; quod dicatur benedicat tibi Jehovah e Zione, eſt ut ex bono amoris, nam Zion ſignificat Eccleſiam quoad bonum amoris; et quia ex illo bono omne bonum et verum doctrinæ procedit et exiſtit, inde dicitur ut videas bonum Hieroſolymæ, ac filios filiorum tuorum, filii filiorum ſignificant vera doctrinæ ac multiplicationem eorum in æternum; quia hæc omnia ſunt ex Domino, et per pacem quæ ab Ipſo, ideo concluditur per ut videas pacem ſuper Iſraele, Iſrael ſunt illi apud quos Eccleſia. Apud Eundem, "*Eſt in Schalem Tabernaculum Dei, et Habitaculum Ipſius in Zione; ibi fregit ſcintillas arcus, ſcutum, gladium et bellum,*" Pſalm. lxxvi. 3, 4; hic Hieroſolyma vocatur Schalem, quia per Schalem ſignificatur Pax, e qua etiam Hieroſolyma nominata eſt, quod ita nominata ſit, eſt quia Pax ſignificat omnia illa quæ ſupra in ſumma dicta ſunt, quæ videantur; per tabernaculum Dei quod ibi ſignificatur Eccleſia ex illis; et per habitaculum Ipſius in Zione ſignificatur bonum amoris, quoniam in illo Dominus habitat, et inde dat vera, ac fructificat et multiplicat illa; et quia per pacem etiam ſignificatur quod non pugnæ mali et falſi amplius contra bonum et verum, ſeu non diſſidium aut bellum in ſpirituali ſenſu, ideo dicitur, ibi fregit ſcintillas arcus, ſcutum et gladium et bellum, per quæ ſignificatur diſſipatio omnis pugnæ falſorum doctrinæ contra bonum et verum, ac in genere diſſipatio omnis diſſidii. A pace etiam "*dicta eſt Hieroſolyma Schelomim,*" Jerem. xiii. 19: et "*ideo Melchizedeck, qui Sacerdos Deo Altiſſimo, fuit Rex Schalem,*" Geneſ. xiv. 18; et per illum repræſentatus eſt Dominus; ut patet apud Davidem, "*Tu Sacerdos in æternum juxta modum Melchizedechi,*" Pſalm. cx. 4. Apud Eſajam, "*Lætamini cum Hieroſolyma, et exultate in ea omnes amantes eam, ut ſugatis et ſaturemini ex ubere conſolationum ejus, et exprimatis et deliciemini ex ſplendore gloriæ ejus; ecce Ego expandens ſuper eam ſicut fluvium pacem, et ſicut flumen inundans gloriam gentium ut ſugatis; ad latus ſuſcipiemini, et ſuper genubus delectabimini,*" lxvi. 10, 11, 12; per Hieroſolymam ibi intelligitur ut ſupra Eccleſia quoad doctrinam, ſeu quod idem, doctrina Eccleſiæ, de hac dicitur, lætamini cum Hieroſolyma, et exultate in ea omnes amantes eam; et de doctrina etiam dicitur, ut ſugatis et ſaturemini ex ubere conſolationum ejus, et exprimatis et deliciemini ex ſplendore gloriæ ejus, per uber conſolationum ſignificatur Divinum Bonum, et per ſplendorem gloriæ ſignificatur Divinum Verum ex quo doctrina; quod omnia illa in abundantia erunt ex conjunctione cum Domino, ſignificatur per ecce Ego expandens ſuper eam ſicut fluvium pacem, et ſicut flumen inundans gloriam gentium ut ſugatis, per pacem ſignificatur conjunctio cum Domino, per gloriam gentium conjunctio boni et veri inde, per ſugere influxus a Domino, et per ſicut fluvium et ſicut flumen inundans abundantia; quod inde amor ſpiritualis, et amor cœleſtis, per quos conjunctio cum Domino fit, ſignificatur per ad latus ſuſcipiemini, et ſuper genubus delectabimini, per latus ſignificatur amor ſpiritualis, et per genua amor cœleſtis, et per ſuſcipi et delectari ſignificatur ex conjunctione felicitas æterna: quod uber ſignificet amorem ſpiritualem, et quod quoque latus ſeu pectus, videatur ſupra n. 65: quod genua ſignificent amorem conjugialem, et inde amorem cœleſtem, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3021, 4280, 5050 ad 5062: quod gloria ſignificet Divinum Verum, et inde intelligentiam et ſapientiam, ſupra n. 34, 288, 345; et quod gentes ſignificent illos qui in bono amoris ſunt, et abſtracte a perſonis bona amoris, etiam ſupra n. 175, 331; inde gloria gentium ſignificat genuinum verum quod ex bono amoris, ita conjunctionem illorum. Apud Eundem, "*Eſt opus Jehovæ Pax, et labor juſtitiæ quies, et ſecuritas uſque in æternum; ut habitet populus meus in habitaculo Pacis, et in tentoriis ſecuritatum, et in quietibus tranquillis*," xxxii. 17, 18; pax dicitur opus Jehovæ, quia unice a Domino, et omne quod ex pace a Domino exiſtit apud illos qui in conjunctione cum Domino ſunt, vocatur opus Jehovæ, inde dicitur eſt opus Jehovæ pax; labor juſtitiæ ſignificat bonum conjunctum vero, in quo pax, labor enim in Verbo dicitur de vero, juſtitia de bono, et quies de pace inibi; ſecuritas in æternum, ſignificat quod ſic non infeſtatio et timor a malis et falſis; inde patet, quid ſignificatur per ut habitet populus meus in habitaculo pacis, et in tentoriis ſecuritatum, et in quietibus tranquillis, quod nempe ut ſint in Cœlo ubi Dominus, et inde in bono amoris et cultus, abſque infeſtatione ab infernis, et ſic in jucundis boni et amœnis veri; habitaculum pacis eſt cœlum ubi Dominus, tentoria ſecuritatum ſunt inde bona amoris et cultus abſque infeſtatione a malis et falſis quæ ab inferno, et quietes tranquillæ ſunt jucunda boni et amœna veri; quod tentoria ſignificent bona amoris et cultus, videatur n. 414, 1102, 2145, 2152, 3312, 3391, 4391, 10545. Apud Eundem, "*Pro ære adducam aurum, et pro ferro adducam argentum, et pro lapidibus ferrum; et ponam præfecturam tuam pacem, et exactores tuos juſtitiam, non audietur amplius violentia in terra tua, vaſtatio et confractio in terminis tuis*," lx. 17, 18; agitur in eo Capite de adventu Domini, et de Novo Cœlo et Nova Eccleſia tunc, ac intelligitur per illa verba, quod ſpirituales futuri et non naturales ut prius, nempe illi qui conjuncti Domino per bonum amoris, et quod non amplius futurum diſcidium inter internum ſeu ſpiritualem hominem et externum ſeu naturalem; quod futuri ſint ſpirituales et non naturales ut prius, ſignificatur per pro ære adducam aurum, pro ferro argentum, et pro lapidibus ferrum; æs, ferrum et lapides ſignificant naturalia, ac aurum, argentum et ferrum quæ loco illorum, ſignificant ſpiritualia, aurum bonum ſpirituale, argentum verum illius boni, et ferrum verum ſpirituale naturale; quod per bonum amoris regnaturus ſit Dominus, ſignificatur per ponam præfecturam tuam pacem, et exactores juſtitiam, præfectura ſignificat regnum, pax Dominum, et juſtitia bonum ab Ipſo; quod non diſſidium amplius futurum inter ſpiritualem hominem et inter naturalem, ſignificatur per non audietur amplius violentia in terra tua, vaſtatio et confractio in terminis tuis; per violentiam ſignificatur diſſidium, per terram internus ſpiritualis homo, quia ibi eſt Eccleſia quæ in genere per terram ſignificatur; per vaſtationem et confractionem quæ non amplius, ſignificatur quod non mala et falſa; et per in terminis ſignificatur in naturali homine, nam in illis quæ ibi ſunt terminantur ſpiritualia; quod per vaſtationem et confractionem ſignificentur mala et falſa, eſt quia mala vaſtant naturalem hominem et falſa confringunt illum. Quoniam Pax eſt apud illos qui in conjunctione boni et veri ſunt a Domino, et quia malum deſtruit bonum et falſum verum, ita quoque pacem; inde ſequitur quod nulla pax ſit apud illos qui in malis et falſis ſunt; apparet quidem ſicut ſit pax apud illos quando illis in mundo ſuccedunt, et quoque videntur ſibi tunc ſicut quod contento animo ſint; ſed pax illa apparens eſt ſolum in extremis eorum, interius tamen non eſt pax; cogitant enim de honore et lucro abſque fine, et fovent animo aſtus, dolos, inimicitias, odia, vindictas, et plura ſimilia, quæ illis inſciis diſcindunt et devorant interiora mentis eorum, et inde quoque interiora corporis; hoc quod ita ſit apparet luculenter apud illos poſt mortem, quando in interiora ſua veniunt, tunc illa jucunda animi eorum vertuntur in contraria, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 485 ad 490, oſtenſa ſunt. Quod Pax ſit illis qui in bono et inde veris ſunt, et non pax illis qui in malo et inde falſis, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Impii ſicut mare impulſum, quando quieſcere non poteſt, ſed ejiciunt aquæ ejus cœnum et lutum,*" lvii. 20, 21: apud Eundem, "*Pedes eorum ad malum currunt, et feſtinant ad effundendum ſanguinem innocentem, cogitationes eorum cogitationes iniquitatis, vaſtatio et confractio in ſemitis eorum, viam pacis non ſciunt, neque judicium in orbitis eorum, ſemitas ſuas perverterunt ſibi, omnis qui calcat eam non cognoſcit pacem,*" lix. 7, 8: apud Davidem, "*Nimium habitavit ſibi anima cum oſore pacis; ego pacem, ſed cum loquor, illi ad bellum,*" Pſalm. cxx. 6, 7: apud Ezechielem, "*Prophetæ ſeducunt populum meum, dicendo pax cum non pax; et quando hic ædificat maceriem, illi ecce incruſtantes eam inepto: prophetæ Iſraelis vident viſionem pacis cum non pax,*" xiii. 10, 16: apud Jeremiam, "*A minimo ad maximum omnes ſtudent uſuræ, a propheta uſque ad ſacerdotem quivis facit mendacium, et ſanant confractionem filiæ populi mei per nullius ponderis verbum, dicendo pax pax, cum non ſit pax,*" viii. 10, 11: apud Eundem, "*Vox clamoris paſtorum, et ejulatus potentium gregis, quia vaſtans Jehovah paſcuum ſuum, unde devaſtatæ ſunt caulæ pacis propter ardorem iræ Jehovæ,*" xxv. 36, 37: apud Davidem, "*Non integritas in carne mea propter indignationem tuam, non pax in oſſibus meis propter peccatum meum,*" Pſalm. xxxviii. 4: in Threnis, "*Satiavit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio; et remota eſt a pace anima mea, oblitus ſum boni,*" iii. 15, 17; præter alibi. Quoniam Pax in ſua prima origine eſt ex unione Ipſius Divini ac Divini Humani in Domino, et inde a Domino in conjunctione Ipſius cum Cœlo et cum Eccleſia, et apud unumquemque ibi in conjunctione boni et veri, ideo Sabbathum, quod fuit ſanctiſſimum Eccleſiæ repræſentativum, dictum eſt a quiete ſeu pace; et ideo quoque Sacrificia, quæ dicta fuerunt Pacifica, mandata ſunt, de quibus videatur Exod. xxiv. 5. Cap. xxxii. 6. Levit. iii. 3. Cap. iv. 20, 26, 31, 35. Cap. vi. 5. Cap. vii. 11. Cap. xiv. 20, 21, 33. Cap. xvii. 5. Cap. xix. 5. Num. vi. 17. Ezech. xlv. 15. Amos

v. 22; et alibi: et ideo de Jehovah dicitur quod ex Holocauſtis odoratus ſit ODOREM QUIETIS, Exod. xxix. 18, 25, 41. Levit. i. 9, 13, 17. Cap. ii. 2, 9. Cap. vi. 8, 14. Cap. xxiii. 12, 13, 18. Num. xv. 3, 7, 13. Cap. xxviii. 6, 8, 13. Cap. xxix. 2, 6, 8, 13, 36; per odorem quietis ſignificatur perceptio pacis.

366. Ut alii alios occidant, quod ſignificet falſificationem ſeu exſtinctionem veritatum, conſtat ex ſignificatione occidere, quod ſit exſtinguere vera, nam per occidere in Verbo ſignificatur occidere ſpiritualiter, ſeu occidere ſpirituale hominis aut animam ejus, quod eſt exſtinguere vera; quod etiam ſit falſificare, eſt quia vera cum falſificantur etiam exſtinguuntur; per falſificationem enim fit alius intellectus eorum, ac verum eſt verum cuivis ſecundum intellectum de eo; amor enim et principium, quæ regnant in homine, trahunt omnia ad ſe, et applicant ſibi, etiam ipſa vera, quare cum amor malus eſt aut principium falſum, tunc vera infectantur malo amoris aut falſo principii, et ſic exſtinguuntur: hoc itaque eſt, quod hic ſignificatur per quod alii alios occident: quod hoc fiat quando bonum non eſt apud hominem, et magis quando bonum non eſt in doctrina Eccleſiæ ejus, conſtat ex præcedentibus, ubi dicitur, "Cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, exivit Equus rufus, et ſedenti ſuper illo datum eſt tollere pacem de terra;" per quæ ſignificatur ſecundus ſtatus Eccleſiæ, qui eſt, quando intellectus Verbi deperditus ſit quoad bonum, unde diſſidia in Eccleſia, de quibus videatur ſupra n. 361, 364, 365. Quod intellectus Verbi, ſeu quod idem, intellectus veri deperditus ſit, quando apud hominem non eſt bonum, hoc eſt, quando non eſt amor in Dominum et charitas erga proximum, videatur ſupra n. 365; bonum enim apud hominem, ſeu quod idem, amor apud illum, eſt ignis vitæ ejus, et verum apud illum ſeu fides veri, eſt lux inde, quapropter quale eſt bonum ſeu qualis eſt amor apud illum, tale eſt verum ſeu talis eſt fides veri apud illum; inde conſtare poteſt, ſi malum eſt apud illum ſeu amor malus, quod non verum ſit apud illum, ſeu quod non fides veri; lux enim quæ ex illo igne exit, eſt qualis eſt lux illis qui in inferno ſunt, quæ eſt lux fatua, ſicut lux ex carbonibus ignitis, quæ lux influente luce e Cœlo vertitur in meram caliginem: talis etiam eſt lux quæ vocatur lumen naturale apud malos, quum ratiocinantur contra res Eccleſiæ. Quod falſificaturi ſint vera, et per id exſtincturi illa, etiam intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "*Jeſus dixit Diſcipulis, tradet frater fratrem, pater filium, inſurgent liberi contra parentes, et morti dabunt illos*," x. 21: et apud Lucam, "*Trademini a parentibus, et fratribus, et cognatis et amicis, et morti dabunt ex vobis*," xxi. 16; per parentes, fratres, liberos, et amicos non intelliguntur ibi parentes, fratres, liberi, cognati, amici, nec per diſcipulos intelliguntur diſcipuli, ſed bona et vera Eccleſiæ, ac mala et falſa, et quod mala exſtinctura ſint bona, et quod falſa vera; quod illa per ea nomina ſignificentur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10490.

367. Et data ei machæra magna, quod ſignificet per falſa, conſtat ex ſignificatione machæræ ſeu gladii, quod ſit verum pugnans contra falſum,

et in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra verum, ac deſtructio ejus, de qua ſupra n. 131; hic falſum pugnans contra verum ac deſtruens illud, nam præcedit, " ut alii alios occidant, per quod ſignificatur falſificatio et exſtinctio veritatum. Dicitur in Verbo gladius, machæra et romphæa, et per gladium ſignificatur in genere pugna illa, per machæram pugna veri ex bono, ac falſi ex malo, ac per romphæam pugna veri ex doctrina contra falſum, ac falſi ex doctrina contra verum; machæra enim eſt brachii, ac romphæa dicitur exire ex ore, ut Apoc. i. 16. Cap. ii. 12, 16. Cap. xix. 15, 22.

368. Verſ. 5, 6. *Et cum aperuiſſet tertium ſigillum, audivi tertium Animal dicens, veni et aſpice, et vidi et ecce Equus niger, et ſedens ſuper illo habens ſtateram in manu ſua. Et audivi vocem in medio quatuor Animalium, dicentem, Chœnix tritici denario, et tres chœnices hordei denario; et oleum et vinum ne læſeris.* Et cum aperuiſſet tertium ſigillum, ſignificat prædictionem de ſtatu adhuc ſuccedente apud illos qui ab Eccleſia ubi Verbum: audivi tertium Animal dicens, ſignificat e Cœlo intimo a Domino: veni et aſpice, ſignificat attentionem et perceptionem: et ecce Equus niger, ſignificat intellectum Verbi deperditum quoad verum: et ſedens ſuper illo habens ſtateram in manu ſua, ſignificat æſtimationem Veri ex Verbo in illo ſtatu Eccleſiæ: chœnix tritici denario et tres chœnices hordei denario, ſignificat quod genuinum bonum Eccleſiæ ſit illis nihili, et quoque genuinum verum Eccleſiæ: et oleum et vinum ne læſeris, ſignificat quod proviſum ſit ne damnum inferatur ſenſui interno ſeu ſpirituali Verbi nec quoad bonum nec quoad verum.

369. Et cum aperuiſſet tertium ſigillum, quod ſignificet prædictionem de ſtatu adhuc ſuccedente apud illos qui ab Eccleſia ubi Verbum, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 351, 352, 361, dicta ſunt: agitur enim in hoc et in ſequente Capite de ſtatu Eccleſiæ Chriſtianæ ſeu Eccleſiæ ubi eſt Verbum, a principio ad finem, ſeu a tempore Domini uſque ad Ultimum Judicium; Eccleſia enim Nova, quæ Chriſtiana vocatur, inchoata eſt a Domino cum in Mundo fuit, et poſtquam propagata eſt, decrevit ſucceſſive uſque ad hoc tempus, quod eſt ultimum ejus, quo Judicium: prædictiones de his ſucceſſivis Eccleſiæ ſtatibus manifeſtantur hic ſicut ex Libro per varia repræſentativa; ſed ſciendum eſt, quod prædictiones tales non viſæ et lectæ ſint in Libro, poſtquam ſigilla ejus aperta ſunt, ſed manifeſtatæ per Cœlos a Domino coram Angelis intimi Cœli, quæ in ultimis Cœli repræſentatæ ſunt per talia quæ in hoc Capite memorantur, nempe per Equos varii coloris, et dein per terræ motus, ſolis et lunæ obſcurationes, et ſtellarum lapſus in terram; ſed hæc erant apparentiæ coram Angelis ultimi Cœli, et ſignificant illa quæ audita et percepta ſunt in intimo Cœlo, ubi non tales apparentiæ fuerunt; nam quicquid in intimo Cœlo auditur, cogitatur et percipitur a Domino, hoc eum deſcendit per Cœlum medium ad ultimum, vertitur in tales apparentias; ita coram Ultimi Cœli Angelis promulgantur Arcana ſapientiæ Divinæ; illi qui ibi intelligentes ſunt, percipiunt arcana illa ex correſpondentiis; at infimi illorum non percipiunt, ſed modo ſciunt quod inibi

ſint arcana, nec ultra inquirunt: cum his fuit Johannes cum in ſpiritu ſeu in viſione. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quomodo Verbum conſcriptum ſit, quod nempe ex talibus quæ viſa et audita ſunt in ultimis Cœli, ita ex meris Correſpondentiis et Repræſentativis, in quorum ſingulis latent innumerabilia et ineffabilia Arcana ſapientiæ Divinæ.

370. Audivi tertium Animal dicens, quod ſignificet e Cœlo intimo a Domino, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 353 et 362, dicta ſunt, ubi ſimilia. Quod quatuor Animalia ſeu quatuor Cherubi, unus poſt alterum loquuti ſint, eſt quia illa quæ dixerunt correſpondent ex oppoſito; primus enim Cherubus erat ſimilis Leoni, ſecundus ſimilis Vitulo, tertius quoad faciem ſicut Homo, et quartus ſimilis Aquilæ volanti; et per Leonem ſignificatur potentia, videatur ſupra n. 278; per Vitulum ſignificatur bonum, n. 279; per Hominem ſapientia, n. 280; et per Aquilam intelligentia, n. 281; quare cum primum Animal, quod erat ſimile Leoni, loquutum eſt, deſcribitur primus ſtatus eorum qui ab Eccleſia, quod ibi tunc eſſet pugna ex Divino Vero, videatur ſupra n. 355 ad 359, nam per Leonem ſignificatur potentia quæ eſt Divino Vero: cum ſecundum Animal loquutum eſt, quod erat ſimile Vitulo, deſcribitur ſecundus ſtatus eorum qui ab Eccleſia, quod nempe bonum ſit deperditum, videatur n. 361 ad 367; per vitulum enim ſignificatur bonum Eccleſiæ: cum tertium Animal loquutum eſt, quod erat quoad faciem ſicut Homo, deſcribitur tertius ſtatus eorum qui ab Eccleſia, qui erat, quod non amplius verum quia non bonum, proinde non amplius aliqua ſapientia, nam omnis ſapientia eſt veri ex bono, per hominem enim ſignificatur ſapientia: et cum quartum Animal loquutum eſt, quod erat ſimile Aquilæ volanti, deſcribitur quatus ſtatus eorum qui ab Eccleſia, quod eſſent in malis et inde falſis, ita non in aliqua intelligentia, per Aquilam enim ſignificatur intelligentia: ex his patet, quod quatuor Animalia ordine loquuta ſint ſecundum correſpondentias ex oppoſito.

371. Veni et aſpice, quod ſignificet attentionem et perceptionem, conſtat etiam ex illis quæ ſupra, n. 354, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

372. Et ecce Equus niger, quod ſignificet intellectum Verbi deperditum quoad verum, conſtat ex ſignificatione Equi, quod ſit intellectus, de qua ſupra n. 355; et ex ſignificatione nigri, quod ſit non verum; ita per Equum nigrum ſignificatur intellectus deperditus quoad verum; quod niger ſignificet non verum, eſt quia album ſignificat verum; quod album dicatur de vero, et ſignificet illud, videatur ſupra n. 196: quod album dicatur de vero et ſignificet illud, eſt quia album originem ducit ex candore lucis, et lux ſignificat verum; et quod nigrum dicatur de non vero, et ſignificet illud, eſt quia nigrum originem ducit ex tenebris ſeu ex privatione lucis, et tenebræ, quia exiſtunt ex privatione lucis, ſignificant ignorantiam veri. Quod Equus niger hic ſignificet intellectum Verbi deperditum quoad verum, etiam patet ex ſignificatione Equi rufi, de quo ſupra, quod ſit intellectus deperditus quoad bonum; in Eccleſia etiam ſucceſſu temporis primum perit bonum, et dein verum, et tandem loco boni ſuccedit malum, et loco veri falſum; hic ultimus ſtatus Eccleſiæ intelligitur

intelligitur per Equum pallidum, de quo in ſequentibus. Quod nigrum ſignificet non verum, conſtat quoque ex aliis locis in Verbo, ubi dicitur; ut apud Micham, "*Nox vobis pro viſione, et tenebræ orientur vobis pro divinatione; et occidet ſol ſuper prophetis, et nigreſcet ſuper iis dies,*" iii. 6; per Prophetas, de quibus hic agitur, ſignificantur illi qui in veris doctrinæ ſunt, et abſtracte a perſonis vera doctrinæ; quod illi qui per prophetas intelliguntur mala viſuri, et falſa divinaturi, ſignificatur per nox vobis pro viſione, et tenebræ orientur vobis pro divinatione; quod non ſcituri bonum nec verum, ſignificatur per occidet ſol ſuper prophetis, et nigreſcet ſuper iis dies, ſol ſignificat bonum amoris et dies verum fidei, et nigreſcere quod non videatur et ſciatur. Apud Ezechielem, "*Quin obtegam, cum exſtinxero te, Cælos, et atrabo ſtellas eorum, ſolem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen ſuum,*" xxxii. 7; hæc de Pharaone rege Ægypti, per quem ſignificatur ſcientificum applicatum falſis, quod fit quando naturalis homo ex ſcientiis intrat in ſpiritualia, et non viciſſim, id quia contra ordinem eſt, pro veris arripiuntur et confirmantur falſa; quod tunc non influat aliquid e Cœlo, ſignificatur per obtegam cœlos; et quod tunc nullæ cognitiones veri, ſignificatur per atrabo ſtellas eorum, ſtellæ enim ſunt cognitiones veri; quod inde non bonum amoris et non verum fidei, ſignificatur per ſolem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen ſuum, per ſolem ſignificatur bonum amoris, et per lunam verum fidei: quod per ſolem et lunam illa ſignificentur, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 125. Similia ſignificantur per ſolem, lunam et ſtellas, apud Joelem, "*Coram illo commota eſt terra, contremuerunt cæli, ſol et luna atrati erunt, et ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum,*" ii. 10. Cap. iv. 15; et ſimilia in Apocalypſi, "*Sol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta eſt tanquam ſanguis,*" vi. 12; quid in ſpecie per hæc ſignificatur, videbitur in ſequentibus. Apud Ezechielem, "*In die quo deſcenſurus eſt in infernum, obtegam ſuper eo abyſſum, et inhibebo flumina ejus, ut occludantur aquæ magnæ, et atrabo ſuper eo Libanum, et omnes arbores agri ſuper eo langueſcent,*" xxxi. 15; agitur ibi de Aſchure, qui ibi aſſimilatur Cedro, et per Aſchurem ibi ſignificatur ratiocinatio de veris Eccleſiæ ex propria intelligentia, et per cedrum verum Eccleſiæ ſpiritualis; quod ſic perituræ omnes cognitiones veri, et cum illis omnia vera quæ ſapiunt ex bono et inde ſuam eſſentiam habent, ſignificatur per omnia illa verba; abyſſus quæ ſuper illo obtegetur, et flumina quæ inhibebuntur, ſunt cognitiones veri ac inde intelligentia, abyſſus aut mare ſignificat ſcientificum et cognitivum in communi quod in naturali homine, et flumina ſignificant illa quæ ſunt intelligentiæ; aquæ magnæ quæ occludentur, ſignificant vera quæ ſapiunt ex bono et inde eſſentiam trahunt, aquæ ſunt vera, et magnum in Verbo prædicatur de bono; Libanus qui ſuper eo atrabitur, et arbores quæ ſuper eo langueſcent, ſignificat quod vera Eccleſiæ amplius nulla erunt, et quod cognitiones erunt abſque perceptione veri, Libanus enim ſignificat Eccleſiam quoad vera, ita quoque vera Eccleſiæ ſimile ac cedrus, et arbores agri ſignificant Eccleſiam quoad cognitiones veri, ita quoque cognitiones veri Eccleſiæ, arbores ipſas cognitiones, et ager Eccleſiam; inde patet quod atrare Libanum ſignificet quod non amplius vera Eccleſiæ. In Threnis, "*Albi erant Naziræi præ nive, candidi erant præ lacte; obſcurata eſt præ nigredine forma eorum, non cognoſcuntur in plateis,*" iv. 7, 8; quid hæc ſignificant nemo ſcire poteſt, niſi ſciat quid Naziræi repræſentabant; Naziræi repræſentabant Dominum quoad Divinum cœleſte; et quia omnia ſtatuta Eccleſiæ tunc repræſentabant talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, ita quæ Domini, nam a Domino ſunt omnia Cœli et Eccleſiæ, et quia principale repræſentativum Domini erat Naziræatus, inde per illa verba ſignificatur, quod omne repræſentativum Domini perierit; genuinum repræſentativum Domini deſcribitur per albi erant Naziræi præ nive, et candidi erant præ lacte, per quæ ſignificatur repræſentativum Divini Veri et Divini Boni in ſua perfectione, album enim prædicatur de vero, ſimiliter nix, et candidum de bono veri, ſimiliter lac; quod omne repræſentativum Divini Veri deperditum ſit, deſcribitur per obſcurata eſt præ nigredine forma eorum, non cognoſcuntur in plateis, forma ſignificat quale veri, nigredo ſignificat non amplius apparens, plateæ ſignificant vera doctrinæ, et non cognoſci in illis ſignificat non recognoſci a genuinis veris: quid porro per Naziræos ſignificatur, dicetur alibi. Apud Jeremiam, "*Vaſtitas erit tota terra, conſummationem tamen non faciam; propter hoc lugebit tota terra, et atrati erunt Cœli deſuper,*" iv. 27, 28; vaſtitas erit tota terra, ſignificat quod bonum et verum in Eccleſia periturum, terra eſt Eccleſia; conſummationem tamen non faciam, ſignificat quod uſque aliquid boni et veri remanſurum; propter hoc lugebit terra, ſignificat imbecillitatem Eccleſiæ inde; atrati erunt Cœli deſuper, ſignificat non aliquem influxum boni et veri a Domino per Cœlum; Cœli enim dicuntur atrati, quando non influit a Domino per Cœlum aliqua affectio et perceptio veri. Quoniam luctus in Eccleſiis ante adventum Domini, quæ erant Eccleſiæ repræſentativæ, repræſentabat dolorem mentis ſpiritualem ob non verum et bonum, luctus enim erat propter oppreſſionem ab hoſte, propter mortem patris aut matris, et propter ſimilia, et per oppreſſionem ab hoſte ſignificabatur oppreſſio a malis quæ ab inferno, et per patrem et matrem ſignificabatur Eccleſia quoad bonum et quoad verum; quia hæc repræſentabantur per luctus apud illos, ideo tunc incedebant atrati; ut apud Davidem, "*Dico Deo Petræ meæ, quare oblitus es mei, quare atratus incedam in oppreſſione hoſtis,*" Pſalm. xlii. 10. Pſalm. xliii. 2: apud Eundem, "*Quaſi lugens matrem atratus incurvavi me,*" Pſalm. xxxv. 14: apud Eundem, "*Everſus ſum, incurvatus ſum valde, toto die atratus inceſſi,*" Pſalm. xxxviii. 6: apud Malachiam, "*Dixiſtis, quid lucri, ſi ambulemus atrati coram Jehovah,*" iii. 14: apud Jeremiam, "*Super confractione filiæ populi mei, confractus ſum, atratus ſum,*" viii. 21; filia populi ſignificat Eccleſiam. Apud Jeremiam, "*Luxit Jehudah, et portæ ejus langueſcentes factæ ſunt; atrati ſunt uſque ad terram: et clamor Hieroſolymæ aſcendit; nam magnates eorum miſerunt minores ſuos aquæ cauſa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, reverſa ſunt vaſa eorum vacua,*" xiv. 2, 3; quod atratus ſignificet dolorem mentis ſpiritualem ob non verum in

Eccleſia, patet a ſingulis ibi in ſenſu interno; per Jehudam enim ſignificatur Eccleſia quoad affectionem boni, et per Hieroſolymam Eccleſia quoad doctrinam veri; per portas ſignificatur aditus ad illa; quod non vera amplius, deſcribitur per quod magnates miſerint minores ſuos aquæ cauſa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, reverſa ſunt vaſa eorum vacua, aquæ ſignificant vera, foveæ illa quæ continent quæ ſunt doctrinalia ex Verbo ac ipſum Verbum, in quo non amplius vera videat. Ex his conſtare poteſt, quod nigrum et atrum in Verbo ſignificet non verum, ſimiliter ac tenebræ, nubes, obſcuritas, et plura ex quibus nigredo, ut apud Joelem, "*Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obſcuritatis,*" ii. 2; et alibi.

373. Et ſedens ſuper illo habens ſtateram in manu ſua, quod ſignificet æſtimationem veri ex Verbo in illo ſtatu Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione ſedentis ſuper Equo, quod ſit Verbum ut ſupra n. 355, 356, 365; et ex ſignificatione ſtateræ in manu, quod ſit æſtimatio veri inde; omnes enim menſuræ et ponderationes, quæ memorantur in Verbo, ſignificant æſtimationem rei de qua agitur quoad bonum et quoad verum, numeri adjuncti determinant æſtimationem quoad ejus quale et quantum, ut hic chœnix tritici denario et tres chœnices hordei denario, de quibus ſequitur: menſuræ in Eccleſia repræſentativa erant plures, ſicut Omer, Chomer, Ephah, Bathus, Hin, de quibus videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10262, et præterea erant ſtateræ, lances ſeu libræ, per quas fiebant trutinationes et ponderationes, et per has in ſpecie ſignificantur æſtimationes rei quoad verum; quare etiam pondera lancium erant lapides ſeu ex lapide, per lapides enim in Verbo ſignificantur vera; quod pondera fuerint lapides ſeu ex lapide, conſtat ex Levit. xix. 36. Deut. xxv. 13. II Sam. xiv. 26. Eſaj. xxxiv. 11. Sachar. iv. 10; quod lapides in Verbo ſignificent vera, videatur n. 643, 3720, 6426, 8609, 10376; quapropter hic per ſtateram in manu ſedentis ſuper Equo nigro, ſignificatur æſtimatio veri ex Verbo. Quod Sedens ſuper Equis, tam ſuper Equo albo, quam ſuper ruſo, nigro et pallido, ſignificet Verbum, et per Equos ſecundum colores eorum intellectus ejus, per Equum ruſum intellectus Verbi deperditus quoad bonum, et per Equum nigrum intellectus Verbi deperditus quoad verum, ſupra oſtenſum eſt: ſed quia ægre capi poteſt quod ſedens ſuper Equis ſignificet Verbum, quia per Equos ruſum et nigrum ſignificatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum et quoad verum, quare dicetur quomodo cum hac ſe habet; Verbum in ſe eſt ipſum Divinum Verum, ſed intellectus ejus eſt ſecundum ſtatum hominis qui legit; homo qui non in bono eſt, nihil boni ibi appercipit, et homo qui non in veris eſt nihil veri ibi videt, quare cauſa non eſt in Verbo ſed in legente illud: inde patet quod uſque ſedens ſuper equis ſignificet Verbum, tametſi equi ſignificant intellectum Verbi deperditum quoad bonum et quoad verum; quod Sedens ſuper Equo albo ſignificet Verbum, conſtat manifeſte in Apocalypſi, Cap. xix. 13, ubi dicitur, "*vocatur Nomen Sedentis ſuper Equo illo* VERBUM DEI." Quod per ſtateram ſeu lances ſignificetur æſtimatio, et quoque juſta ordinatio, quæ fit per vera, conſtat apud Danielem, "*Apparuit*

ſcriptura in pariete coram Belthſchazare rege Babelis, cum biberat ex vaſis auri et argenti Templi Hieroſolymitani, Mene Mene, Thekel, et Perezin, hoc eſt, Numeratus Numeratus, Appenſus, Diviſus. Hæc interpretatio illorum verborum eſt, Mene, numeravit Deus Regnum tuum et finivit illud; Thekel, appenſus es in trutina et deprehenſus deficiens; Perez, diviſum eſt Regnum, et datum Medo et Perſæ," v. 25, 26, 27, 28; deſcribitur per hoc Hiſtoricum in ſenſu interno prophanatio boni et veri, quæ ſignificatur per Babel; Beltſchazar enim erat rex in Babele, et per Regem in Verbo ſimile ſignificatur quod per ipſam gentem aut per ipſum regnum cui præeſt; prophanatio boni et veri Eccleſiæ ſignificatur per quod biberit ex vaſis auri et argenti Templi Hieroſolymitani, et ſimul laudaverit deos auri, argenti, æris, ferri, ligni et lapidis, Verſ. 4 ibi; per vaſa Templi Hieroſolymitani aurea et argentea ſignificatur bonum et verum Cœli et Eccleſiæ, per aurum bonum, et per argentum verum; et per laudare deos auri, argenti, æris, ferri, ligni et lapidis, ſignificatur cultus idololatricus omnis generis, ita cultus externus abſque ullo interno, qualis eſt apud illos qui intelliguntur per Babelem; quod nulla prorſus Eccleſia apud illos ſit, quia nihil boni et nihil veri Eccleſiæ ibi eſt, ſignificatur per ſcripturam e Cœlo, nam per numeratus numeratus ſignificatur exploratio quoad bonum et quoad verum; per appenſus in trutina, ſignificatur æſtimatio ſecundum quale eorum ac judicium; et per diviſus ſignificatur diſſipatio, exterminatio, et ſeparatio a bono et vero Eccleſiæ; et per regnum ſignificatur Eccleſia; inde patet, quod per appendi in trutina ſeu ſtatera ſignificetur æſtimatio ſecundum quale ejus; quod dividere ſignificet diſſipare, exterminare, et ſeparare a bono et vero, videatur n. 4424, 6360, 6361, 9093; quod Regnum ſit Eccleſia, eſt quia Regnum Domini eſt ubi Eccleſia, quapropter illi qui ab Eccleſia ſunt, vocantur filii Regni, Matth. viii. 12. Cap. xiii. 38. Apud Eſajam, "*Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas, et cœlos ſpithama exæquavit, complexuſque eſt in trientali pulverem terræ, et appendit in libra montes, et colles in lancibus,*" xl. 12; deſcribitur per menſuras hic juſta ordinatio et æſtimatio omnium in Cœlo et in Eccleſia ſecundum quale boni et veri; menſuræ hic ſunt pugillus, ſpithama, triental, libra et lances; per aquas ſignificantur vera, per Cœlos interiora ſeu ſpiritualia vera et bona, per pulverem terræ exteriora ſeu naturalia vera et bona, utraque Cœli et Eccleſiæ, per montes bona amoris, per colles bona charitatis, et per appendere æſtimare et ordinare ſecundum quale eorum: quod hæc ſignificentur per illa verba, nemo videre poteſt niſi ex ſcientia correſpondentiarum. Quoniam juſta æſtimatio et exploratio boni et veri, ſignificatur per menſuras in Verbo, ideo præceptum eſt ut menſuræ eſſent juſtæ, et non aliqua fraus circa illas, apud Moſen, "*Non facietis perverſitatem in judicio, in menſura, in pondere, et in dimenſione; libræ juſtæ, lapides juſti, ephah juſta, et hin juſtus, erunt vobis,*" Levit. xix. 35, 36: et quoque ideo juſtitia, ubi per illam intelligitur æſtimatio et exploratio hominum ſecundum quale boni et veri apud illos, paſſim in Verbo exprimitur per lances, ſtateras, libras, trutinas, et per ephas, omeres, chomeres, ſeas, hines, ut apud Hiobum, Cap. vi. 2. Cap. xxxi. 6; ac injuſtitia per libras et lances fraudis et doli, ut Hoſch. xii. 8. Amos viii. 5. Mich. vi. 11.

374. Chœnix triciti denario, et tres chœnices hordei denario, quod ſignificet quod genuinum bonum Eccleſiæ illis ſit nihili, et quoque genuinum verum Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione Chœnicis, quæ fuit menſura tritici et hordei apud Græcos, quod ſit quale æſtimationis, nam per menſuras in Verbo, ut in ſuperiori Articulo dictum eſt, ſignificatur quale rei quoad bonum et quoad verum; ex ſignificatione tritici, quod ſit bonum Eccleſiæ in genere, de qua ſequitur; ex ſignificatione hordei, quod ſit verum illius boni, de qua etiam ſequitur; et ex ſignificatione denarii, qui eſt æſtimationis pretium, quod ſit tanquam nihili; is nummus quia erat omnium minimus, inde per illum ſignificatur pretium minimum, hic autem tanquam nihili, cauſa eſt, quia per Equum ruſum, de quo ſupra, ſignificatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum, et per Equum nigrum intellectus Verbi deperditus quoad verum, ſupra n. 364 et 372, et cum intellectus Verbi quoad bonum et quoad verum deperditus eſt, tunc genuinum bonum ac genuinum verum Eccleſiæ æſtimatur tanquam nihili; quod æſtimetur hic pro denario, eſt quia aliquis nummus aſſumendus erat, ut aliquid pretii diceretur in ſenſu literæ, quia dicitur quod ſtatera eſſet in manu ſedentis ſuper equo, ac quod triticum et hordeum menſurarentur, ideo is nummus qui erat omnium minimus, pro æſtimationis pretio aſſumtus eſt, et quia intellectus Verbi quoad bonum et quoad verum non amplius eſt, ideo per denarium hic in ſenſu ſpirituali ſignificatur tanquam nihili. Quod dicatur Chœnix tritici et tres Chœnices hordei, eſt quia unum prædicatur de bono, ac tria de veris, ac per unum cum de bono ſignificatur perfectum, ita quoque genuinum, et per tria cum de veris ſignificatur plenum, ita quoque genuinum, inde eſt quod per Chœnix tritici, et tres Chœnices hordei ſignificetur genuinum bonum et genuinum verum Eccleſiæ. Quod triticum ſignificet bonum, et hordeum verum ejus, eſt quia omnia quæ agri ſunt, ſignificant illa quæ Eccleſiæ ſunt, et illa quæ agri ſunt, ut meſſes varii generis, inſerviunt eſui, ac quæ eſui ſunt et nutriunt corpus, ſignificant in ſpirituali ſenſu talia quæ nutriunt animam ſeu mentem, quæ omnia ſe referunt ad bonum amoris et ad verum fidei, inde imprimis triticum et hordeum, quia ex illis panis: quod cibi omnis generis ſignificent cibum ſpiritualem, ita quæ ſunt ſcientiæ, intelligentiæ et ſapientiæ, proinde bonum et verum ex quibus illa, videatur n. 3114, 4459, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656, 5917, 8418, 8562, 9003; in genere Panis, in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA, n. 218: quod Ager ſignificet Eccleſiam, n. 2971, 3766, 9139. Quod Triticum et Hordeum ſignificent talia, eſt ex correſpondentia, ut conſtare poteſt ex illis quæ apparent in Mundo ſpirituali, ubi omnes apparentiæ ſunt Correſpondentiæ; apparent ibi Campi, Agri, Meſſes varii generis, et quoque Panes, unde ſcitur quod correſpondeant, et conſequenter quod ſecundum correſpondentias ſignificent. Quod Triticum et Hordeum ſignificent bonum et verum Eccleſiæ, triticum bonum ejus et hordeum verum ejus, etiam conſtare poteſt

ex locis in Verbo ubi nominantur, ut ex ſequentibus; apud Jeremiam, "*Jehovah qui diſperſit Iſraelem, congregabit eum, et cuſtodiet eum ſicut Paſtor gregem ſuum, quia redemit Jehovah Jacobum, et liberavit eum e manu fortioris illo: unde venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovæ, ad Triticum, ad Muſtum, et ad Oleum, et ad filios gregis et armenti; et fiet anima eorum ſicut hortus irriguus,*" xxxi. 10, 11, 12; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ novæ; per Iſraelem et per Jacobum ſignificatur illa Eccleſia, per Iſraelem Eccleſia ſpiritualis interna, et per Jacobum externa, nam omnis Eccleſia eſt interna et externa; inſtauratio ejus deſcribitur per quod Jehovah congregabit eum, cuſtodiet eum ſicut Paſtor gregem ſuum, quia redemit Jacobum, et liberavit e manu fortioris illo; per redimere ſignificatur reformare, videatur ſupra n. 328; per manum fortioris illo, ſignificatur e malo et falſo, quæ prius occupaverunt; gaudium internum ſeu gaudium cordis illorum oriundum ex bono cœleſti et ex veris inde, ſignificatur per unde venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovæ, ad triticum, ad muſtum, et ad oleum, et ad filios gregis et armenti, canere in altitudine Zionis ſignificat gaudium internum cœleſte ſeu quale eſt in Regno cœleſti Domini, canere gaudium illud, videatur ſupra n. 326, altitudo internum, et Zion Regnum cœleſte, triticum ſignificat bonum naturalis hominis, muſtum verum ejus, oleum bonum ſpiritualis hominis, filii gregis vera ſpiritualia, et filii armenti vera naturalia; hæc quia ſignificantur, vocantur bonum Jehovæ; quod illis inde intelligentia et ſapientia, ſignificatur per fiet anima eorum ſicut hortus irriguus, per hortum enim in Verbo ſignificatur intelligentia, et per irriguum continue creſcens: quod non ibi intelligantur triticum, muſtum, oleum, filii gregis et armenti, patet, nam dicitur redemit Jehovah Jacobum, et quod fiet anima eorum ſicut hortus irriguus. Apud Joelem, "*Devaſtatus eſt ager, luxit terra, quia devaſtatum eſt frumentum, exaruit muſtum, languet oleum, pudefacti ſunt agricolæ, ejularunt vinitores, ſuper tritico et ſuper hordeo, eo quod perierit meſſis agri,*" i. 10, 11, 12; hæc non dicta ſunt de agro et ejus ſterilitate, ſed de Eccleſia et ejus vaſtatione, quare per agrum, terram, frumentum, muſtum et oleum, non illa intelliguntur, ſed per agrum et per terram Eccleſia, per agrum Eccleſia quoad receptionem et procreationem veri et boni, et per terram Eccleſia quoad gentem ibi, per frumentum bonum omnis generis in externo homine, per muſtum verum etiam ibi, per oleum bonum in interno homine; per agricolas qui pudefacti, et per vinitores qui ejularunt, ſuper tritico et ſuper hordeo, ſignificantur illi qui ab Eccleſia, et per triticum et per hordeum ſignificatur bonum ejus et verum ejus; et per meſſem agri quæ inde periit, ſignificatur omnis cultus ex illis. Apud Jeremiam, "*Super omnes colles in deſerto venerunt vaſtatores, quia gladius Jehovæ devorans a fine terræ uſque ad finem terræ: non pax ulli carni, ſeverunt tritica, et ſpinas meſſuerunt,*" xii. 12, 13; etiam hæc dicta ſunt de Eccleſia et ejus vaſtatione; per colles in deſerto ſuper quos venerunt vaſtatores, ſignificatur quod omne bonum charitatis perierit per mala et falſa, colles in Verbo ſignificant ubi bonum charitatis, et in ſenſu abſtracto ipſum illud bonum, deſertum ſignificat ubi non illud quia non verum, et vaſtatores ſignificant mala et falſa per quæ bonum et verum pereunt; per gladium Jehovæ devorantem a fine terræ uſque ad finem terræ, ſignificatur falſum deſtruens omnia Eccleſiæ, per gladium devorantem falſum deſtruens, et per a fine terræ uſque ad finem terræ ſignificantur omnia Eccleſiæ; per non pax ulli carni, ſignificatur quod non amplius interna requies propter dominium mali et falſi; per ſeverunt tritica et ſpinas meſſuerunt, ſignificatur quod pro bonis veri ſint mala falſi, tritica ſunt bona veri, et ſpinæ ſunt mala falſi. Apud Eundem, "*Iſmael qui fuit de ſemine Regni, occidit Gedaliam, quem fecerat Rex Babelis præfectum in terra, et omnes Judæos qui fuerunt cum eo, et Chaldæos, tum viros ex Sichem, ex Schilunte et Samaria: decem tamen viri inventi ſunt inter eos, qui dixerunt ad Iſmaelem, ne occidas nos, quia ſunt nobis abſcondita in agro, tritica et hordea, et oleum et mel, ideo omiſit eos nec occidit*," xli. 1 ad 8; per hæc Hiſtorica in ſenſu interno deſcribitur damnatio eorum qui prophanant ſancta; per Gedaliam enim, quem rex Babelis præfectum fecit in terra, et per Judæos qui fuerunt cum eo, ac per Chaldæos, viros ex Sichem, ex Schilunte et Samaria, intelliguntur illi qui prophanant, ac in ſenſu abſtracto omnis generis prophanationes, nam rex Babelis ſignificat prophanationem boni et veri; damnatio eorum ſignificatur per quod occiſi ſint, per occidi enim ſignificatur ſpiritualiter occidi, videatur n. 315; per decem autem viros, qui dixerunt ad Iſmaelem, ne occidas nos, quia ſunt nobis abſcondita in agro tritica et hordea et oleum et mel, intelliguntur illi qui non prophanarunt ſancta Eccleſiæ, quia illis bonum et verum intus eſt, qui enim prophanant, illis nihil boni et veri intus eſt, ſed modo extra cum loquuntur et prædicant, at illis qui non prophanant eſt bonum et verum intus, hoc intelligitur per quod dixerint eſſe illis abſcondita in agro tritica, hordea, oleum et mel, per tritica et hordea ſignificantur bona et vera externi hominis, per oleum ſignificatur bonum interni hominis, et per mel ejus jucundum, per decem viros ſignificantur omnes illi qui tales ſunt, nam decem ſignificant omnes et omnia; per quod omiſerit eos et non occiderit, ſignificatur quod non prophani, ita non damnati; per Iſmaelem repræſentantur qui in genuinis veris Eccleſiæ ſunt, quod etiam ſignificatur per ſemen Regni e quo erat; talia involvunt hæc Hiſtorica, nam Hiſtorica in Verbo æque habent ſenſum internum ac Prophetica. Apud Moſen, "*Jehovah Deus tuus deducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquæ, fontium et abyſſorum exeuntium e valle et e monte, terram tritici et hordei, et vitis et ficus, et malogranati, terram olivæ olei et mellis*," Deut. viii. 7, 8; deſcribitur ita terra Canaan in ſenſu literæ, at in ſenſu ſpirituali deſcribitur Eccleſia Domini, quoniam hæc per terram Canaan in hoc ſenſu ſignificatur; et recenſentur omnia genera boni et veri quæ Eccleſiæ ſunt; quod dicatur terra fluviorum aquæ, eſt quia fluvii aquæ ſignificant doctrinalia veri; per fontes et abyſſos exeuntes e valle et e monte, ſignificantur interiora et exteriora vera ex Verbo, per fontes interiora vera inde, et per abyſſos exteriora vera, hæc dicuntur ex valle exire, quia vallis ſignificat inferiora et exteriora ubi talia, et illa dicuntur ex monte exire quia mons ſignificat ſuperiora et inferiora, ubi talia; per terram tritici et hordei, et vitis et ficus, et malogranati, ſignificatur Eccleſia quoad bonum et verum omnis generis, triticum et hordeum ſignificant bonum et verum ex cœleſti origine, vitis et ficus bonum et verum ex ſpirituali origine, et malogranatum cognitiones boni et veri; et per terram olivæ olei et mellis ſignificatur Eccleſia quoad bonum amoris et ejus jucundum: qui non ſcit ſenſum ſpiritualem Verbi, is non aliter credit, quam quod ſolum terra Canaan per illa verba deſcribatur, unde foret Verbum modo naturale et non ſpirituale, et tamen Verbum ubivis in ſinu ſuo eſt ſpirituale, et ſpirituale eſt quum per verba illa intelliguntur ſpiritualia quæ ſignificantur, nempe bona et vera omnis generis: quid autem in ſpecie per fluvios, fontes, abyſſos, vallem, montem, vitem, ficum, malogranatum, olivam, oleum et mel ſignificatur, oſtenſum eſt in ARCANIS CŒLESTIBUS, quæ omnia adducere prolixum nimis foret, pleraque tamen ex illis oſtenſa ſunt et oſtendentur in hac ſuper Apocalypſin Explicatione, quæ conſulantur in ſuis locis. Apud Hiobum, "*Si vim terræ comedi ſine argento, et animam ejus exhalare feci, pro tritico exeat ſpina, et pro hordeo labruſca,*" xxxi. 39, 40; vim terræ comedere ſine argento, ſignificat appropriare ſibi bonum Eccleſiæ abſque vero, terra eſt Eccleſia, et argentum eſt verum; et exhalare facere animam ejus, ſignificat ſic vitam ſpiritualem evacuare; pro tritico exeat ſpina, et pro hordeo labruſca, ſignificat quod pro bono habeatur malum, et pro vero falſum, triticum eſt bonum, ſpina malum, hordeum verum, et labruſca falſum; bonum enim non comparari poteſt niſi per vera. Apud Eſajam, "*Conſummationem et deciſionem audivi a cum Domino Jehovih Zebaoth, ſuper univerſam terram; num toto die arabit arator ad ſerendum, aperiet et occabit terram ſuam; nonne quando complanavit facies ejus, diſpergit nigellam, et reponit triticum menſuratum et hordeum deſignatum, et zeas deſignatas: ita erudit eum ad judicium, Deus ejus docet eum,*" xxviii. 22, 24, 25, 26; per hæc in ſenſu ſpirituali deſcribitur quod Eccleſia apud Gentem Judaicam et Iſraeliticam prorſus deſtructa ſit, et quod nihil faciat quod diſcant et ſciant Verbum, ſed ut bonum et verum ejus uſui vitæ applicetur, inde et non aliunde intelligentia a Domino; quod Eccleſia apud illam gentem prorſus deſtructa ſit, intelligitur per conſummationem et deciſionem audivi a Domino Jehovih Zebaoth ſuper univerſam terram, conſummatio et deciſio eſt plenaria deſtructio, et univerſa terra eſt tota Eccleſia, hoc eſt, omne ejus; quod nihil faciat quod diſcant et ſciant Verbum, ſignificatur per num toto die arabit arator ad ſerendum, aperiet et occabit terram ſuam, arare ad ſerendum eſt diſcere, et occare terram eſt reponere in memoria; quod bonum et verum Verbi uſui vitæ applicandum ſit, ſignificatur per nonne quando complanavit facies ejus, diſpergit nigellam, et reponit triticum menſuratum, et hordeum deſignatum et zeas deſignatas, nonne quando complanavit facies terræ diſpergit nigellam, ſignificat quando præparavit per Verbum, triticum menſuratum et hordeum deſignatum, et zeæ deſignatæ, ſignificant applicare bonum et verum uſui vitæ, triticum eſt bonum, hordeum eſt verum, et zeæ ſunt cognitiones; quod inde non aliunde intelligentia a Domino, ſignificatur per ita erudit ad judicium, Deus ejus docet eum, judicium ſignificat intelligentiam, Deus ejus docet eum, ſignificat quod a Domino. Apud Moſen, "*Jehovah equitare fecit eum ſuper excelſis terræ, et cibavit proventu agrorum, ſugere fecit eum mel e rupe, et oleum e ſaxo petræ; butyrum armenti et lac gregis cum adipe agnorum et arietum filiorum Baſchanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et ſanguinem* *uvarum bibis merum*," Deut. xxxii. 13, 14; hæc dicta ſunt de Eccleſia Antiqua poſt diluvium a Domino inſtaurata, quæ in intelligentia et ſapientia erat quia in bono charitatis et inde in fide; intelligentia eorum et ſapientia a Domino ſignificatur per quod Jehovah equitare fecerit eum ſuper excelſis terræ, et cibaverit proventu agrorum; bona cœleſtia et ſpiritualia quæ illis per vera, deſcribuntur per quod ſugere fecerit eum mel e rupe, et oleum e ſaxo petræ, butyrum armenti et lac gregis cum adipe agnorum et arietum filiorum Baſchanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et ſanguinem uvarum bibis merum, triticum ſignificat ibi in genere omne bonum, et ſanguis uvarum ac merum omne verum inde. Apud Davidem, "*Utinam populus meus obediret Mihi, et Iſrael in viis meis ambularent, cibarem eos adipe tritici, et e petra melle ſaturarem eos*," Pſalm. lxxxi. 14, 17; per adipem tritici, et per mel e petra, quibus cibarentur et ſaturarentur ſignificatur bonum omnis generis ex bono cœleſti, et jucundum ejus a Domino, per adipem enim ſignificatur bonum cœleſte, per triticum bonum omnis generis, per mel jucundum boni, et per petram Dominus; quod hæc illis ſi vivant ſecundum præcepta Domini, intelligitur per utinam populus meus obediret Mihi, et Iſrael in viis meis ambularent, viæ in Verbo ſignificant vera et quoque præcepta, ac ambulare ſignificat vivere. Apud Eundem, "*Lauda Hieroſolyma Jehovam, collauda Zion Deum tuum, nam firmat vectes portarum tuarum; benedicit filiis tuis in medio tui, qui ponit terminum tuum pacem, adipe triticorum ſatiat te*," Pſalm. cxlvii. 12, 13, 14; per Hieroſolymam et Zionem intelligitur Eccleſia, per Hieroſolymam Eccleſia quoad vera doctrinæ, et per Zionem Eccleſia quoad bona amoris; qui ponit terminum tuum pacem, ſignificat omnia Cœli et Eccleſiæ, nam terminus ſignificat omnia illa; adipe triticorum ſatiat te, ſignificat omni bono amoris et ſapientia, adeps enim ſignificat bonum amoris, et triticum omnia quæ ex illo, quæ quia ex bono ſunt etiam bona ſunt; quia hæc ſignificantur, ideo dicitur adeps triticorum. Apud Hoſcheam, "*Dixit Jehovah ad prophetam, denuo abi ama mulierem amatam ſocio et adulterantem, juxta amorem Jehovæ erga filios Iſraelis, et hi reſpicientes ad deos alios, et amantes lagenas uvarum: et comparavi eam mihi per quindecim argenti, et corum hordeorum, et ſemicorum hordeorum*," iii. 1, 2; per hoc repræſentabatur Eccleſia Judaica et Iſraelitica qualis erat quoad doctrinam et cultum, quod nempe per traditiones vanas falſificaverit omnia Verbi, tametſi id ut ſanctum coluerunt; mulier amata ſocio et adulterans quam propheta amaret, ſignificat Eccleſiam talem, mulier Eccleſiam, amata ſocio et adulterans falſificationem veri et adulterationem boni; juxta amorem Jehovæ erga filios Iſraelis, et hi reſpicientes ad deos alios, ſignificat falſa doctrinæ et mala cultus, hæc ſignificantur per reſpicere ad deos alios; amantes lagenas uvarum, ſignificat Verbum in ſolo ſenſu literæ, nam vinum ſignificat vera doctrinæ ex Verbo, uvæ bona ejus ex quibus vera, et lagena id quod continet, ita ultimum Verbi ſenſum, qui eſt ſenſus literæ, quem applicant ſuis falſis et malis; quod comparaverit ſibi illam per quindecim argenti, ſignificat exiguo pretio, quindecim ſignificant exiguum; corus hordeorum et ſemicorus hordeorum, ſignificat tam parum boni et veri ut vix aliquid. Apud Matthæum, "*Johannes de Jeſu, Ille vos baptizabit Spiritu* *ſancto et igne, cujus ventilabrum in manu Ipſius, et perpurgabit aream ſuam, et colliget triticum in horreum, paleam autem comburet igne inexſtinguibili,"* iii. 11, 12; per baptizare ſpiritu ſancto et igne, ſignificatur reformare Eccleſiam et regenerare hominem Eccleſiæ per Divinum Verum et Divinum Bonum, baptizare ſignificat reformare et regenerare, ſpiritus ſanctus Divinum Verum procedens ab Ipſo, et ignis Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius; per triticum quod colliget in horreum, et per paleam quam comburet igne inexſtinguibili, ſignificatur bonum omnis generis quod ex origine cœleſti, quod in æternum conſervaturus, ita eos qui in illo ſunt, et falſum omnis generis quod ex origine infernali, quod deſtructurus, ita eos qui in illo ſunt; et quia dicitur triticum, horreum et palea, etiam dicitur ventilabrum et area, ac per ventilabrum ſignificatur ſeparatio, ac per aream ubi ſeparatio fit. Apud Eundem, "*Jeſus dixit, ſimile eſt Regnum Cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, ſed cum dormiverunt homines, venit ejus inimicus et ſeminavit zizania et abivit: quum vero germinavit herba, et fructum fecit, tunc apparuerunt etiam zizania: accedentes autem ſervi patrisfamilias dixerunt illi, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde ergo habet zizania; hic tunc dixit illis, inimicus homo hoc fecit: ſervi autem dixerunt, viſne ergo exeuntes colligamus ea; ipſe vero dixit, non, ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum illis triticum, ſinite una creſcere utraque uſque ad meſſem, et in tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite prius zizania, et colligate ea in faſciculos ad comburendum ea, triticum vero congregate in horreum meum,"* xiii. 24 ad 30; quid hæc involvunt, patet manifeſte ex ſenſu ſpirituali, nam ſingula ibi ſunt correſpondentiæ, Dominus enim cum in mundo fuit, per meras correſpondentias loquutus eſt quia ex Divino; agitur ibi de Ultimo Judicio, quando ſeparandi ſunt boni a malis, ac boni venturi in Cœlum et mali in infernum; ſemen bonum in agro, quod homo ſeminavit, ſignificat Eccleſiæ vera quæ ex bono ſunt, ager ſignificat Eccleſiam ubi illa, et ſeminare ſignificat influere ac recipere, ita quoque inſtruere, homo qui ſeminavit eſt Dominus per Verbum ubi omnia vera Eccleſiæ ſunt; cum dormiverunt homines venit ejus inimicus et ſeminavit zizania et abivit, ſignificat quod apud naturales homines falſa mali ab inferno influant et recipiantur, dormire enim ſignificat vivere vitam naturalem abſque ſpirituali, videatur ſupra n. 187, et inimicus ſignificat infernum, et zizania ſignificant mala falſi: quid reliqua uſque ad finem ſignificant, conſtare poteſt ex illis quæ in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 70, adducta ſunt, involvunt enim Arcana quæ ibi expoſita ſunt; hic ſolum quod per Triticum ſignificetur bonum veri, et inde illi qui in bono per vera ſunt, ac per zizania malum falſi et inde illi qui in malo per falſa ſunt: quod illa dicta ſint de Ultimo Judicio, conſtat ex ſequentibus in eo Capite, ubi dicitur, "*Qui ſeminat bonum ſemen eſt Filius hominis, ager eſt Mundus, ſemen ſunt filii Regni, zizania ſunt filii mali, inimicus eſt diabolus, meſſis conſummatio ſæculi,"* Verſ. 38, 39; conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ quando judicium. Ex his locis ex Verbo allatis conſtare poteſt, quod Triticum ſignificet bonum Eccleſiæ in genere, ac Hordeum verum ejus.

375. Et oleum et vinum ne læſeris, quod ſignificet quod proviſum ſit

ne damnum inferatur ſenſui interno ſeu ſpirituali Verbi nec quoad bonum nec quoad verum, conſtat ex ſignificatione olei, quod ſit bonum amoris, de qua ſequitur; ex ſignificatione vini, quod ſit verum illius boni, nam omne bonum habet ſuum verum, ſeu omne verum eſt boni, inde quale bonum tale verum; et ex ſignificatione lædere, quod ſit damnum eis inferre; quod ſit ſenſus internus ſeu ſpiritualis Verbi quoad bonum et quoad verum, qui hic in ſpecie ſignificatur per oleum et vinum, conſtat ex eo, quod per triticum et hordeum ſignificetur bonum et verum æque ac per oleum et vinum, ſed per triticum et hordeum bonum et verum Eccleſiæ in genere, ita quæ in ſenſu literæ Verbi, nam bona et vera quæ in eo ſenſu Verbi ſunt, bona et vera in genere ſunt, includit enim ſenſus literæ ſenſum ſpiritualem, et inde bona et vera ſpiritualia, quare triticum et hordeum ſignificant bona et vera Eccleſiæ in genere, quæ ſunt ſenſus literæ Verbi, at oleum et vinum bona et vera ſenſus interni ſeu ſpiritualis Verbi; hæc ſunt bona et vera interiora, illa vero exteriora; quod ſint bona et vera interiora et exteriora, illa in ſpirituali ſeu interno homine, hæc in naturali ſeu externo, conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno dicta et oſtenſa ſunt, quod nempe ſint tres Cœli, et quod intimum ſeu tertium Cœlum ſit in bonis et veris intimis ſeu tertii gradus, quodque medium ſeu ſecundum Cœlum ſit in bonis et veris inferioribus ſeu ſecundi gradus, et quod ultimum ſeu primum Cœlum ſit in bonis et veris ultimis ſeu primi gradus, bona et vera ultima ſeu primi gradus ſunt qualia continentur in ſenſu literæ Verbi, quapropter qui in illo ſenſu manent, et inde faciunt ſibi doctrinam, et vivunt ſecundum illam, in bonis et veris ultimis ſunt; illi quoniam non vident interiora, ex cauſa quod non pure ſpirituales ſunt, ſicut Angeli ſuperiorum cœlorum, ſed ſpirituales naturales, uſque in cœlo ſunt ſed in ultimo, nam bona et vera quæ hauſerunt ex ſenſu literæ Verbi, et ſunt apud illos, in ſe habent bona et vera interiora quæ ſunt ſenſus ſpiritualis Verbi, correſpondent enim, et per correſpondentiam unum faciunt: ſint pro exemplo; qui ex ſenſu literæ Verbi credit, quod Deus iraſcatur, condemnet et dejiciat in infernum illos qui male vivunt, hoc tametſi in ſe non verum eſt, quoniam Deus nuſquam iraſcitur, nec condemnat hominem et dejicit in infernum, uſque tamen hoc apud illos qui bene vivunt, et ita credunt quia Verbum in litera ſic dicit, a Domino acceptatur ut verum, quoniam verum intus in eo latet, quod etiam patet coram Angelis interioribus, tametſi ipſi id non vident: ſit etiam pro exemplo, qui credit quod longævus fiat, ſi amat patrem et matrem, ſecundum præceptum decalogi, ac ſi amat illos propterea, et bene vivit, is acceptatur ſimiliter ſicut credidiſſet ipſum verum, neſcit enim quod per patrem et matrem intelligatur in ſupremo ſenſu Dominus et Regnum Ipſius, per patrem Dominus, et per matrem Regnum Ipſius, et quod per prolongari dies ſeu longævus fieri ſignificetur felix in æternum; ſimiliter in mille aliis: hæc dicta ſunt ut ſciatur quid intelligitur per bona et vera exteriora et per bona et vera interiora Verbi, quia per triticum et hordeum ſignificantur bona et vera exteriora, hoc eſt, quæ ſunt ſenſus literæ Verbi, at per oleum et vinum ſignificantur bona et vera interiora, hoc eſt, quæ ſunt ſenſus ſpiritualis Verbi. Quod per triticum et hordeum ſignificentur bona et vera exteriora, ſeu bona et vera ſenſus literæ Verbi, eſt quia ſunt meſſis agri, et non inſerviunt eſui antequam fiunt panes, ac per panes in Verbo ſignificantur bona interiora, ita per triticum et hordeum talia ex quibus illa bona, talia etiam ſunt bona et vera ſenſus literæ Verbi: quod autem per oleum et vinum ſignificentur bona interiora, quæ ſunt ſenſus interni ſeu ſpiritualis Verbi, conſtare poteſt ex ſignificatione illorum in Verbo, ut ex ſequentibus patebit: quod his non damnum inferendum ſit, eſt cauſa, ne illa prophanentur, nam ſi ſcirentur et crederentur, ac poſtea negarentur, aut quoque ſi viveretur contra illa, tunc prophanarentur, et prophanare bona et vera interiora eſt conjungere ſe cum Cœlo et ſimul cum inferno, quod eſt prorſus perdere vitam ſpiritualem, nam bona et vera quæ creduntur, permanent, et quoque mala et falſa, quæ per negationem aut per vitam contra illa, loco eorum ſuccedunt, inde conjunctio boni et veri quæ cœli ſunt cum malis et falſis quæ inferni ſunt, quæ non ſeparari poſſunt, ſed diſcerpi, et cum diſcerpuntur, deſtruitur omne vitæ ſpiritualis; inde eſt, quod prophanatores poſt mortem non ſint ſpiritus in forma humana, ut alii, ſed mere phantaſiæ, et appareant ſibi volare huc illuc abſque aliqua cogitatione, et tandem ſeparantur ab aliis, ac in infernum omnium infimum dejiciuntur; et quia non apparent in forma humana ſicut alii ſpiritus, ideo non amplius de iis dicitur ille vel illa, ſed illud, hoc eſt, non homo: ſed plura de prophanatione boni et veri videantur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 169, 172. Quoniam talis ſors manet illos qui prophanant bona et vera interiora Cœli et Eccleſiæ, ideo ſenſus internus ſeu ſpiritualis Verbi, in quo illa continentur, non apertus fuit Judæis, quia ſi apertus, prophanaviſſent; et ideo nec apertus fuit Chriſtianis, quoniam etiam hi, ſi apertus, prophanaviſſent; ideo etiam his ſicut illis celatum fuit, quod aliquis ſenſus internus ſeu ſpiritualis ineſſet ſenſui literæ, qui naturalis, Verbi; utque in ignorantia de illo eſſent, proviſum eſt ut ſcientia correſpondentiarum, quæ fuit ſcientia primaria Antiquis, deperdita ſit, ita prorſus ut nec ſcitum ſit quid Correſpondentia, et inde quid ſenſus ſpiritualis Verbi; eſt enim Verbum per meras correſpondentias conſcriptum, quare abſque ſcientia illarum nec ſciri potuit quid ſenſus internus: hoc proviſum eſt a Domino, ne prophanarentur ipſa genuina bona et vera, in quibus ſunt Cœli ſuperiores. Quod autem ſenſus internus ſeu ſpiritualis Verbi hodie apertus ſit, eſt quia Ultimum Judicium peractum eſt, et inde omnia in Cœlis et in infernis in ordinem redacta ſunt, et ſic a Domino provideri poteſt, ne prophanationes exiſtant; quod ſenſus internus ſeu ſpiritualis aperiretur poſtquam ultimum Judicium peractum eſt, prædictum eſt a Domino in Apocalypſi, de qua re videatur in Opuſculo de Equo-Albo. Quod non damnum inferretur ſenſui interno ſeu ſpirituali Verbi, etiam ſignificatur per quod veſtes Domini a militibus diviſæ fuerint, et non tunica quæ erat inconſuta deſuper texta per totum, Joh.

xix. 23, 24; per Veſtes enim Domini ſignificatur Verbum, per veſtes quæ diviſæ Verbum in litera, per tunicam Verbum in ſenſu interno, et per milites illi qui militarent pro veris et bonis Eccleſiæ; quod milites ſignificent illos, videatur ſupra n. 64 fin.; et quod veſtes in Verbo ſignificent vera induentia bonum, et quod veſtes Domini ſignificent Divinum Verum, ita Verbum, etiam ſupra n. 64, 195. Quod Oleum ſignificet bonum amoris, imprimis conſtare poteſt ex Unctionibus apud filios Iſraelis, ſeu in Eccleſia eorum, quæ fiebant per Oleum; omnia enim Eccleſiæ per illud inaugurabantur, et cum inaugurata fuerunt vocabantur ſancta, prout Altare et ejus vaſa, Tentorium conventus et omnia quæ inibi, tum illi qui ſacerdotio fungerentur ac eorum veſtes, et inſuper Prophetæ, et tandem Reges: quiſque poteſt videre, quod ipſum Oleum non ſanctificet, ſed quod id quod ſignificatur per Oleum, quod eſt bonum amoris in Dominum a Domino; hoc ſignificatur per Oleum; quapropter cum uncta aut uncti fuerunt, ab eo momento repræſentabant, nam oleum inducebat repræſentationem Domini ac boni amoris ab Ipſo, bonum enim amoris in Dominum a Domino eſt ipſum ſanctum Cœli et Eccleſiæ, omne namque Divinum per id influit; quare illa quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, quæ vocantur ſpiritualia, tantum ſancta ſunt quantum ex illo tenent. Cauſa repræſentationis ſancti per Oleum hæc eſt; Solus Dominus quoad Divinum Humanum eſt UNCTUS JEHOVÆ, nam in Ipſo ex conceptione erat ipſum Divinum Bonum Divini Amoris, et ex illo erat Humanum Ipſius ipſum Divinum Verum cum fuit in mundo, ac dein per unionem cum Ipſo Divino in Se fecit illud quoque Divinum Bonum Divini Amoris; et quia omnia quæ Eccleſiæ erant, repræſentabant Divina quæ a Domino, ac in ſupremo ſenſu Ipſum Dominum, erat enim Eccleſia apud filios Iſraelis inſtituta Eccleſia repræſentativa, ideo oleum, per quod ſignificabatur Divinum Bonum Divini Amoris, adhibebatur ad inducendum repræſentationes; ac poſtquam uncta aut uncti fuerunt conſiderabantur ut ſancta aut ſancti, non quod aliqua ſanctitas per id illis ineſſet, ſed quod ſanctitas in Cœlo per id repræſentaretur cum in cultu erant. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod oleum ſignificet bonum amoris; ſed ut hoc melius pateat, velim ordine ſingula exponere, nempe *quod Antiquis temporibus unxerint oleo lapides erectos in ſtatuas: Tum quod arma belli, ut ſcuta et clypeos: ac poſtea Altare et omnia ejus vaſa, ac Tentorium conventus et omnia quæ inibi: ac præterea illos qui ſacerdotio fungerentur, eorumque veſtes: et quoque prophetas: et tandem reges, qui inde uncti dicebantur: quod etiam uſu communi receptum fuerit ſemet et alios ungere, ad teſtificandum animi lætitiam et benevolentiam: et quod inde pateat, quod oleum in Verbo ſignificet bonum, oleum ſanctitatis quod præparatum erat pro ungendo illa quæ inſervirent pro cultu in Eccleſia Divinum Bonum Divini Amoris; et oleum in genere bonum et ejus jucundum.* Quod PRIMUM attinet, quod unxerint lapides erectos in ſtatuas, conſtat in Libro Geneſeos, "*Mane ſurrexit Jacob in matutino, et ſumſit Lapidem quem poſuit ſub capitalia ſua, et poſuit illum in ſtatuam, et fudit oleum ſuper caput ejus; et vocavit nomen loci illius Beth el; et dixit, ſi rediero in pace ad domum patris mei, Lapis hic quem poſui ſtatuam, erit* *domus Dei,*" xxviii. 18, 19, 22; cauſa quod ita unxerint lapides, erat, quia per lapides ſignificabantur vera, ac vera abſque bono non vitam ſpiritualem habent, hoc eſt, vitam a Divino; cum vero lapides oleo uncti erant, tunc repræſentabant vera ex bono, ac in ſupremo ſenſu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, Qui inde dictus eſt Lapis Iſraelis: ipſi lapides erecti dicti fuerunt ſtatuæ, et habebantur ſanctæ, inde uſus ſtatuarum apud Antiquos, et dein in eorum Templis: quia tunc Lapis ille a Jacobo erectus repræſentative ſanctificatus erat, ideo vocabat Jacob nomen loci Bethel, et dixit quod ille Lapis eſſet domus Dei; Bethel ſignificat domum Dei, et domus Dei ſignificat Eccleſiam quoad bonum, et in ſupremo ſenſu Dominum quoad Divinum Humanum ſuum, Joh. ii. 19, 20, 21, 22; reliqua videantur explicata in ARCANIS CŒLESTIBUS; præterea etiam ibi, quod ſtatuæ ab Antiquis erectæ fuerint in ſignum, in teſtem et in cultum, n. 3727. Quod primitus fuerint ſancti termini, n. 3727. Quod dein factæ ſint in cultum, n. 4580. Quid ſignificarunt, n. 4580, 10643. Quod lapides ſignificent vera, ac Lapis Iſraelis Dominum quoad Divinum Verum, n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 9388, 9389, 10376. Quod fuderint oleum ſuper Caput ſtatuæ, ſeu unxerint illam, quod factum ſit ut induceretur repræſentativum veri ex bono, et ſic adhiberetur in cultum, n. 3728, 4090. SECUNDO, quod unxerint arma belli, ſicut ſcuta et clypeos, conſtat apud Eſajam, "*Surgite principes, ungite ſcutum,*" xxi. 5: et in Libro II Samuelis, "*Pollutus eſt clypeus Heroum, clypeus Saulis non unctus eſt oleo,*" i. 21; quod arma belli uncta fuerint, erat cauſa, quia ſignificabant vera pugnantia contra falſa, ac vera ex bono ſunt quæ valent contra illa, non autem vera abſque bono; quapropter arma belli repræſentabant vera per quæ Ipſe Dominus pugnat apud hominem contra falſa ex malo quæ ſunt ex inferno; quod arma belli ſignificent vera pugnantia contra falſa, videatur n. 1788, 2686, et ſupra n. 131, 367: et quod bella in genere ſignificent pugnas ſpirituales, n. 1664, 2686, 8273, 8295: ac Hoſtes mala et falſa, in genere Inferna, n. 2851, 8289, 9314. TERTIO, quod unxerint Altare et omnia ejus vaſa, tum Tentorium conventus, et omnia quæ inibi, conſtat apud Moſen, "*Dixit Jehovah ad Moſen, unges Altare, et ſanctificabis illud,*" Exod. xxix. 36: apud Eundem, "*Facies Oleum unctionis ſanctitatis, quo unges Tentorium conventus, et Arcam teſtimonii, et Menſam, et omnia vaſa ejus, ac Candelabrum et omnia vaſa ejus, et Altare ſuffimenti, et Altare holocauſti et omnia vaſa ejus, et Labra, et Baſin: ita ſanctificabis ea, ut ſint ſanctum ſanctorum; omnis qui tetigerit ea, ſanctificabit ſe,*" Exod. xxx. 25 ad 29. Cap. xl. 9, 10, 11. Levit. viii. 10, 11, 12. Num. vii. 1; cauſa quod ungerentur Altaria, ac Tentorium conventus cum omnibus quæ inibi, erat, ut repræſentarent Divina et ſancta Cœli et Eccleſiæ, conſequenter ſancta cultus, nec repræſentare illa potuerunt, niſi inaugurata fuiſſent per tale quod ſignificabat bonum amoris, nam Divinum per bonum amoris intrat, et per illud adeſt, proinde etiam in cultu, et abſque illo Divinum non intrat nec adeſt: quod Altare eſſet præcipuum repræſentativum Domini, ac inde cultus ex bono amoris, videatur n. 2777, 2811, 4489, 4541, 8935, 8940, 9388, 9389, 9714: et quod Tentorium cum Arca eſſet præcipuum repræſentativum Cœli ubi Dominus, n. 9457, 9481, 9485, 9594, 9632, 9596, 9784. QUARTO, quod unxerint illos qui ſacerdotio fungerentur, eorumque veſtes, conſtat apud Moſen, "*Sume Oleum unctionis et effunde ſuper caput Aharonis, et unges eum,*" Exod. xxix. 7. Cap. xxx. 30: apud Eundem, "*Indue Aharonem veſtibus ſanctitatis, et unges eum, et ſanctificabis eum, ut ſacerdotio fungatur Mihi; et filios ejus unges quemadmodum unxiſti patrem; et erit ut ſit illis unctio eorum in ſacerdotium ſæculi in generationes eorum,*" Exod. xl. 13, 14, 15: apud Eundem, "*Moſcheh effudit de oleo ſuper Caput Aharonis, et unxit illum ad ſanctificandum illum: et dein ſumſit de oleo unctionis, et de ſanguine qui ſuper altari, et ſparſit ſuper Aharonem, ſuper veſtes ejus, ſuper filios ejus, et ſuper veſtes filiorum ejus cum eo, et ſanctificavit Aharonem, veſtes ejus, filioſque ejus, et veſtes filiorum ejus cum eo,*" Levit. viii. 13, 30; cauſa quod ungeretur Aharon, et quod ungerentur filii ejus, ipſæque eorum veſtes, erat, ut repræſentarent Dominum quoad Divinum Bonum, et quoad Divinum Verum inde, Aharon Dominum quoad Divinum Bonum, ac filii ejus quoad Divinum Verum inde; ac in genere ut Sacerdotium repræſentaret Dominum quoad opus ſalvationis Ipſius: quod ungerentur in veſtibus, Exod. xxix. 29, erat, quia Veſtes repræſentabant ſpiritualia induentia: quod Aharon repræſentaverit Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n. 9806; quod filii ejus repræſentaverint Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono procedens, n. 9807: quod Sacerdotium in genere repræſentaverit Dominum quoad opus ſalvationis Ipſius, n. 9809: quod veſtes Aharonis et filiorum ejus repræſentaverint ſpiritualia, n. 9814, 9946, 9950. Quia inauguratio ad repræſentandum fiebat per unctionem, et per Aharonem et filios ejus repræſentabatur Dominus et quod ab Ipſo, ideo Aharoni et filiis ejus dabantur ſancta filiorum Iſraelis, quæ erant dona data Jehovæ, et vocabantur ſublationes, et dicitur quod ſint unctio aut pro unctione, hoc eſt, quod ſint repræſentatio aut pro repræſentatione Domini ac Divinorum quæ ab Ipſo; ut conſtat ex his apud Moſen, "*Pectus motitationis et armum ſublationis accepi a cum filiis Iſraelis, hæc unctio Aharonis et unctio filiorum ejus de ignitis Jehovæ, quæ præcepi dare illis, quo die unxerat illos a cum filiis Iſraelis,*" Levit. vii. 34, 35, 36; et alibi apud Eundem, "*Loquutus eſt Jehovah ad Aharonem; ecce dedi tibi cuſtodiam ſublationum mearum quoad omnia ſancta filiorum Iſraelis, tibi dedi ea pro unctione et filiis tuis, in ſtatutum ſæculi; omne munus eorum quoad omnem mincham eorum, quoad omne ſacrificium peccati et reatus, omnem agitationem filiorum Iſraelis, omnem adipem olei puri, et omnem adipem muſti et frumenti, primitias eorum quas dabunt Jehovæ, tibi dedi eas; tum omne devotum in Iſraele, omnem aperturam uteri, ita omnem ſublationem ſanctorum. In terra eorum non habebis hæreditatem, nec pars tibi erit in medio eorum, Ego pars tua et hæreditas tua in medio filiorum Iſraelis,*" Num. xvii. 8 ad 20; ex his conſtat, quod unctio ſit repræſentatio, quoniam per unctionem inaugurabantur ad repræſentandum; et quod per id ſignificatum ſit, quod omnis inauguratio in ſanctum Cœli et Eccleſiæ ſit per bonum amoris quod a Domino, et quod bonum amoris ſit Dominus apud illos; quia ita eſt, dicitur, quod Jehovah ſit pars et hæreditas ejus. QUINTO, quod unxerint etiam Prophetas, conſtat ex Libro 1 Regum, "*Dixit Jehovah ad Eliam, unge Chaſaelem in Regem ſuper Syros, et Jehu unge in Regem ſuper Iſraelem, et Eliſham unge in Prophetam pro te,*" xix. 15, 16: et apud Eſajam, "*Spiritus Domini Jehovih ſuper me, ideo unxit Jehovah me ad evangelizandum pauperibus,*" lxi. 1; quod ungerentur Prophetæ, erat cauſa, quia Prophetæ repræſentabant Dominum quoad doctrinam Divini Veri, proinde quoad Verbum, nam Verbum eſt doctrina Divini Veri; quod Prophetæ doctrinam e Verbo repræſentaverint et inde ſignificaverint, videatur n. 2534, 7269; in ſpecie Elias et Eliſchah, n. 2762, 5247 fin. 9372: quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit qui repræſentatur, ita per quem unxit Jehovah, docet Ipſe Dominus apud Lucam, Cap. iv. 18, 19, 20, 21. SEXTO, quod poſtea unxerint Reges, et quod illi dicti fuerint Uncti Jehovæ, conſtat ex pluribus locis in Verbo, ut 1 Sam. x. 1. Cap. xv. 1. Cap. xvi. 6. Cap. xviii. 3, 12. Cap. xxiv. 7, 11. Cap. xxvi. 9, 11, 16, 25. II Sam. Cap. i. 16. Cap. ii. 4, 7. Cap. v. 3. Cap. xix. 22. 1 Reg. i. 34, 35. Cap. xix. 15, 16. II Reg. ix. 3. Cap. xi. 12. Cap. xxiii. 30. Thren. iv. 20. Habak. iii. 13. Pſalm. ii. 2, 6. Pſalm. xx. 6. Pſalm. xxviii. 8. Pſalm. xlv. 1. Pſalm. lxxxiv. 9. Pſalm. lxxxix. 24, 38, 51. Pſalm. cxxxii. 17; et alibi. Cauſa quod unxerint Reges, erat, ut repræſentarent Dominum quoad judicium ex Divino Vero, quapropter in Verbo per Reges ſignificantur Divina Vera, videatur ſupra n. 31. Quod Reges dicti fuerint Uncti Jehovæ, et quod ideo ſacroſanctum fuerit lædere illos, erat cauſa quia per Unctum Jehovæ intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, tametſi quoad ſenſum literæ applicatur Regi qui oleo unctus; Dominus enim cum in mundo fuit, fuit Ipſum Divinum Verum quoad Humanum, et fuit Ipſum Divinum Bonum Divini Amoris quoad ipſum Eſſe vitæ ſuæ, quod apud hominem vocatur anima ex patre, conceptus enim fuit ex Jehovah, Jehovah in Verbo eſt Divinum Bonum Divini Amoris, quod eſt Eſſe omnium vitæ; inde eſt, quod Solus Dominus fuerit Unctus Jehovæ ipſa eſſentia et ipſo actu, quoniam Divinum Bonum Divini Amoris fuit in Ipſo, ac Divinum Verum procedens ex Ipſo illo Bono in Humano Ipſius cum fuit in Mundo, videatur ſupra n. 63, 200, 228, 328: et in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 293, 294, 295, 303, 304, 305: Reges autem terræ non fuerunt uncti Jehovæ, ſed ita dicti ſunt, quia repræſentabant Dominum qui ſolus Unctus Jehovæ; ac ideo ſacroſanctum fuit lædere Reges terræ propter Unctionem: at Unctio Regum terræ fiebat per oleum, Unctio autem Domini quoad Divinum Humanum facta eſt per Ipſum Divinum Bonum Divini Amoris, quod oleum ſignificabat et unctio repræſentabat: inde eſt quod Dominus dictus fuerit Meſſias et Chriſtus, Meſſias in Lingua Hebræa ſignificat Unctum, ſimiliter Chriſtus in Lingua Græca, Joh. i. 42. Cap. iv. 25: ex his conſtare poteſt, quod ubi in Verbo dicitur Unctus Jehovæ in ſenſu repræſentativo intelligatur Dominus; ut apud Eſajam, "*Spiritus Domini Jehovih ſuper Me, ideo* *unxit Jehovah Me ad evangelizandum pauperibus, miſit Me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem,"* lxi. 1; quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit, quem unxit Jehovah, conſtat apud Lucam, ubi Dominus id aperte dicit, his verbis, "*Traditus eſt Jeſu liber Eſajæ Prophetæ, et revolvit librum, et invenit locum ubi erat ſcriptum, Spiritus Domini ſuper Me, propter quod unxit Me, ad evangelizandum pauperibus miſit Me, ad ſanandum contritos corde, ad evangelizandum vinctis remiſſionem, et cæcis viſum, ad dimittendum ſauciatos cum remiſſione, ad prædicandum annum Domini acceptum; poſtea convolvens librum dedit miniſtro, ac conſedit; omnium autem in ſynagoga oculi erant detenti in Ipſum; cœpit dicere ad illos, hodie impleta eſt ſcriptura hæc in auribus veſtris,*" iv. 17, 18, 19, 20, 21. Apud Danielem, "*Scito ergo et percipito ab exitu Verbi uſque ad reſtituendum et ad ædificandum Hieroſolymam, uſque ad Meſſiam Principem Septimanæ ſeptem,*" ix. 25; ædificare Hieroſolymam eſt inſtaurare Eccleſiam, Hieroſolyma eſt Eccleſia; Meſſias Princeps, ſeu Unctus, eſt Dominus quoad Divinum Humanum. Apud Eundem, "*Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ad obſignandum viſionem et prophetam, et ad Ungendum Sanctum ſanctorum,*" ix. 24; obſignare viſionem et prophetam eſt concludere illa quæ in Verbo de Domino dicta ſunt, et complere illa; ungere Sanctum ſanctorum, eſt Divinum Humanum Domini in quo fuit Divinum Bonum Divini Amoris ſeu Jehovah. Per Unctum Jehovæ in ſequentibus locis etiam Dominus intelligitur; apud Davidem, "*Conſtiterunt Reges terræ, et dominatores conſultarunt una contra Jehovam et contra Unctum Ipſius: Ego unxi Regem meum ſuper Zionem montem ſanctitatis meæ,*" Pſalm. ii. 2, 6; reges terræ ſunt falſa, et dominatores ſunt mala quæ ab infernis, contra quæ Dominus, cum fuit in Mundo, pugnavit, et quæ vicit et ſubjugavit; Unctus Jehovæ eſt Dominus quoad Divinum Humanum, ex quo pugnavit; Zion mons ſanctitatis, ſuper quem dicitur Unctus in Regem, eſt Regnum cœleſte, quod eſt in bono amoris, hoc Regnum eſt intimum Cœli ac intimum Eccleſiæ. Apud Eundem, "*Inveni Davidem ſervum meum, Oleo ſanctitatis unxi eum,*" Pſalm. lxxxix. 21; per Davidem ibi intelligitur Dominus, ut quoque alibi, videatur ſupra n. 205; oleum ſanctitatis quo Jehovah unxit eum, eſt Divinum Bonum Divini Amoris; quod ſit Dominus qui per Davidem ibi intelligitur, patet ab illis quæ ibi præcedunt et quæ ibi ſequuntur, dicitur enim, "Loquutus in viſione de Sancto tuo, ponam in mari manum Ejus, et in fluviis dextram Ejus: Ille vocabit Me Pater meus, etiam Ego Primogenitum dabo Eum, altum Regibus terræ; ponam in æternum ſemen Ejus, et thronum ejus ſicut dies cœlorum," Verſ. 20, 26, 27, 28, 29, 30; præter plura. Similiter alibi apud Eundem, "*In Zione germinare faciam cornu Davidi, diſponam lucernam Uncto meo, hoſtes ejus induam pudore, et ſuper Ipſum florebit corona Ipſius,*" Pſalm. cxxxii. 17, 18; quod etiam ibi Dominus per Davidem intelligatur, patet ab illis quæ ibi præcedunt, ubi dicitur, "Audivimus de Eo in Ephrata, invenimus Eum in agris ſylvæ, intrabimus in habitacula Ejus, incurvabimus nos ſcabello pedum Ejus: ſacerdotes tui induentur juſtitia, et ſancti tui jubilabunt, propter Davidem ſervum tuum, ne avertas facies Uncti tui," Verſ. 6, 7, 8, 9, ſeq.: ex quibus conſtare poteſt, quod Dominus quoad Divinum Humanum ſuum ibi intelligatur per Davidem

Unctum Jehovæ. Apud Jeremiam, " *Super montibus inſectati ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis, ſpiritus narium noſtrarum Unctus Jehovæ, captus eſt in foveis eorum, de quo dixeramus, in umbra Illius viveremus inter gentes,*" Thren. iv. 19, 20; ibi etiam per Unctum Jehovæ intelligitur Dominus, agitur enim ibi de impugnatione Divini Veri a falſis et malis, quod ſignificatur per quod ſuper montibus inſectati ſint, et in deſerto inſidiati; ſpiritus narium eſt ipſa vita cœleſtis quæ a Domino, n. 9818. Ex his nunc ſciri poteſt, cur tam ſacroſanctum fuit lædere Unctum Jehovæ, ut etiam patet ex Verbo, ut in Libro I Samuelis, " *Dixit David, abſit a Jehovah mihi, ſi fecero verbum hoc Domino meo, Uncto Jehovæ, et mittam manum meam in eum, quia Unctus Jehovæ ille,*" xxiv. 7, 11; et alibi, " *Dixit David ad Abiſchajum, ne perde eum, nam quis miſerit manum in Unctum Jehovæ, et innocens ſit,*" xxvi. 9: in Libro II Samuelis, " *Dixit David ad illum qui dixit ſe occidiſſe Saulem, ſanguis tuus ſuper capite tuo, quia dixiſti occidi Unctum Jehovæ,*" i. 16: et alibi, " *Dixit Abiſchai, num propter hoc non occidetur Schimei, quod maledixit Uncto Jehovæ,*" xix. 22: quod Schimei ideo Salomonis juſſu interfectus ſit, videatur 11 Reg. ii. 36 ad f. SEPTIMO; quod uſu communi receptum fuerit ſemet et alios ungere ad teſtificandum animi lætitiam ac benevolentiam, conſtat a ſequentibus his locis, apud Amos, " *Qui bibunt ex ſchyphis vini, et ex primitiis oleorum ſe ungunt, ſed ſuper confractione Joſephi non afficiuntur dolore,*" vi. 6. Apud Micham, " *Calcabis olivam, ſed non unges te oleo,*" vi. 15; pro non lætaberis. Apud Moſchen, " *Oleæ erunt tibi in omni termino tuo, ſed oleo non unges te,*" Deut. xxviii. 40; ſimiliter. Apud Eſajam, " *Ad dandum illis cidarim pro cinere, oleum gaudii pro luctu,*" lxi. 3. Apud Davidem, " *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ ſociis tuis,*" Pſalm. xlv. 8. Apud Eundem, " *Exaltabis ſicut monocerotis cornu meum, conſeneſcam in oleo viridi,*" Pſalm. xcii. 11. Apud Eundem, " *Vinum lætificat cor hominis, ad exhilarandum facies oleo,*" Pſalm. civ. 15. Apud Lucam, " *Jeſus ad Simonem, ingreſſus ſum in domum tuam, et oleo caput meum non unxiſti, hæc vero unguento unxit pedes meas,*" vii. 46. Apud Matthæum, " *Tu quando jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunare,*" vi. 17; jejunare ſignificat lugere, quoniam in luctu jejunabant, et quia tunc deſiſtebant a teſtificatione lætitiæ, ideo tunc nec ſe oleo ungere ſolebant, ut apud Danielem, " *Ego Daniel fui lugens tribus ſeptimanis, panem deſideriorum non comedi, ac caro et vinum non venit ad os meum, et ungendo non unctus ſum, uſque dum implerentur tres ſeptimanæ dierum,*" x. 3. Ex his patet, quod uſu receptum fuerit ungere ſemet et alios oleo; non oleo ſanctitatis, quo ungebantur Sacerdotes, Reges, Altare et Tabernaculum, ſed oleo communi, ex cauſa quia hoc Oleum ſignificabat lætum et fauſtum quod eſt amoris boni; Oleum autem ſanctitatis ſignificabat Divinum Bonum, de quo dicitur, " *Super carnem hominis non fundetur, et in qualitate ejus non facietis ſicut illud, ſanctum erit vobis: qui præparaverit ſicut illud, aut qui dederit ex eo ſuper alienum, excidetur e populis ſuis,*" Exod. xxx. 32, 33, 38. OCTAVO; quod inde pateat, quod Oleum in Verbo ſignificet Bonum, Oleum ſanctitatis quod præparatum erat pro ungendo illa quæ inſervirent pro Cultu in Eccleſia Divinum Bonum Divini Amoris, et Oleum in genere Bonum et ejus jucundum, conſtare etiam poteſt ex aliis locis in Verbo, ubi Oleum nominatur, ut ex his ſequentibus; apud Davidem, "*Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres una; ſicut Oleum bonum ſuper capite Aharonis deſcendens in barbam, barbam Aharonis, quod deſcendit ſuper os veſtium ejus, ſicut ros Chermonis qui deſcendit ſuper montes Zionis; ibi præcepit Jehovah benedictioni vitæ uſque in æternum,*" Pſalm. cxxxiii. 1, 2, 3; quid hæc ſignificant, nemo ſcire poteſt, niſi qui ſcit, quid ſignificant fratres, quid oleum ſuper caput Aharonis, quid barba ejus, et os veſtium ejus, et quid ros Chermonis, et montes Zionis; per fratres ibi ſignificatur bonum et verum, nam illi dicuntur fratres in Verbo, quare per ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres una, ſignificatur quod in conjunctione boni et veri ſit omne bonum et jucundum cœleſte, nam omne Cœleſte bonum et jucundum eſt ex conjunctione boni et veri; per oleum ſuper caput deſcendens in barbam, barbam Aharonis, quod deſcendit ſuper os veſtium ejus, ſignificatur quod inde omne bonum et jucundum Cœli ab intimis ad ultima, per caput enim ſignificatur intimum, per barbam ultimum, per deſcendere ſuper os veſtium ſignificatur influxus et conjunctio boni cœleſtis et boni ſpiritualis; quod in Verbo bonum et verum dicantur fratres, videatur n. 367, 3160, 9806: quod caput ſignificet intimum, n. 4938, 4939, 9656, 9913, 9914: quod barba ultimum, n. 9960: quod os veſtium influxum et conjunctionem boni cœleſtis et ſpiritualis, ita boni et veri, n. 9913, 9914: et dicitur Aharon, quia per illum repræſentabatur Dominus quoad Divinum Bonum, omne enim bonum, et omnis conjunctio boni et veri ab Ipſo eſt, n. 9806, 9966, 10017: per rorem Chermonis ſignificatur Divinum Verum, et per montes Zionis ſignificatur Divinum Bonum, inde per ſicut ros Chermonis qui deſcendit ſuper montes Zionis, ſignificatur conjunctio veri et boni, de qua ibi agitur: et quia ex conjunctione illa omnis vita ſpiritualis eſt Angelis et hominibus, etiam dicitur, ibi præcepit Jehovah benedictioni vitæ in æternum; quod ros ſignificet Divinum Verum, videatur n. 3579, 8455: quod montes ſignificent Divinum Bonum, et unde hoc, n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438, 10688: et quod Zion ſignificet Eccleſiam ubi bonum amoris, n. 2362, 9055 f. inde patet quale Verbum eſt in ſuo ſpirituali, tametſi ita ſonat in litera. Apud Ezechielem, "*Inivi fœdus tecum ut eſſes Mihi, et lavi te aquis, et ablui ſanguines tuos a ſuper te, unxique te oleo, et veſtivi te acupicto, et calceavi te taxo; ſimilam, mel et oleum comediſti, unde pulchra facta es valde, et proſperata es uſque ad regnum,*" xvi. 8, 9, 10, 13; hæc de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia, quare ſingula hæc ſignificant ſpiritualia quæ Eccleſiæ ſunt; quod hæc non dicta ſint de habitatoribus Hieroſolymæ, nempe quod Jehovah laverit illos aquis, abluerit ſanguines eorum, veſtiverit acupicto, et calceaverit taxo, patet, ſed per lavare aquis ſignificatur per vera reformare et purificare; per abluere ſanguines ſignificatur falſa mali removere, per ungere oleo ſignificatur bono amoris donare, per veſtire acupicto et calceare taxo ſignificatur inſtruere cognitionibus veri et boni ex Verbi ſenſu literæ ſeu ultimo; per ſimilam, mel et oleum comedere ſignificatur appropriare verum ac bonum, per quod inde pulchra facta ſit ſignificatur quod intelligens, et per proſperata uſque ad regnum ſignificatur quod ſic facta ſit Eccleſia, regnum eſt Eccleſia. Apud

Jeremiam, " *Redemit Jehovah Jacobum, unde venient et canent in monte Zionis, et confluent ad bonum Jehovæ, ad triticum, et ad muſtum et ad oleum, et ad filios gregis et armenti; et fiet anima eorum ſicut hortus irriguus,*" xxxi. 11, 12; per muſtum et oleum ſignificatur verum et bonum; quid per cætera, videatur mox ſupra n. 374. Apud Joelem, " *Filii Zionis gaudete, et lætamini in Jehovah Deo meo, quia dedit vobis pluviam tempeſtivam in juſtitiam, ut plenæ ſunt areæ frumento puro, exundent torcularia muſtum et oleum,*" ii. 23, 24; etiam ibi per muſtum et oleum ſignificatur verum et bonum Eccleſiæ, nam per filios Zionis, ad quos hæc dicuntur, ſignificantur illi qui ab Eccleſia; per pluviam tempeſtivam in juſtitiam, ſignificatur Divinum Verum influens in bonum, unde eorum conjunctio, fructificatio et multiplicatio; et per areas plenas frumento puro, ſignificatur plenitudo inde. Apud Eundem, " *Devaſtatus eſt ager, luxit terra, quia devaſtatum eſt frumentum, exaruit muſtum, languet oleum,*" i. 10; per hæc ſignificatur, quod omnia Eccleſiæ, quæ in genere ſe referunt ad bonum amoris et verum fidei, devaſtata ſint, ager eſt Eccleſia et quoque terra, ager Eccleſia ex receptione veri, et terra Eccleſia ex perceptione boni; frumentum eſt omne ejus, muſtum eſt verum et oleum bonum. Apud Eſajam, " *Cantabo dilecto meo canticum amici mei; vinea fuit dilecto meo in cornu filii olei, quam circumdedit et elapidavit, et plantavit eam vite nobili; et exſpectavit ut faceret uvas, ſed fecit labruſcas,*" v. 1; per vineam quæ dilecto in cornu filii olei, ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, cui vera ex bono amoris, ita præſtantiſſima, vinea enim ſignificat Eccleſiam ſpiritualem, ſeu Eccleſiam quæ in veris ex bono eſt; inauguratio ejus intelligitur per cornu olei, nam inaugurationes fiebant per oleum ex cornu, ac filius olei eſt verum ex bono; per Dilectum intelligitur Dominus, quia Ipſe Eccleſias inſtaurat, de quo ideo dicitur quam circumdedit, et elapidavit, et plantavit vite nobili, vitis nobilis eſt verum ſpirituale ex cœleſti ſeu verum ex bono amoris; per uvas quas exſpectavit ut faceret, ſignificantur bona charitatis, quæ ſunt bona vitæ, et per labruſcas quas fecit ſignificantur mala oppoſita bonis charitatis, ſeu mala vitæ. Apud Hoſcheam, " *In die illo exaudiam Cœlos, et hi exaudient terram, et terra exaudiet frumentum et muſtum et oleum, et hæc exaudient Iſraelem; et ſeminabo eam Mihi in terra,*" ii. 21, 22, 23; hæc dicta ſunt de Nova Eccleſia a Domino inſtauranda, et per exaudire intelligitur obedire et recipere, ſequens et in ordine ſuccedens obedientia et receptio ita deſcribitur; quod Cœli recepturi ſint a Domino, intelligitur per exaudiam Cœlos; quod Eccleſia receptura ſit e Cœlis, ita per Cœlos a Domino, intelligitur per quod Cœli exaudient terram; quod bonum et verum recepturum ſit ab Eccleſia, intelligitur per quod terra exaudiet frumentum et muſtum et oleum, muſtum eſt verum ac oleum eſt bonum; et quod illi ab Eccleſia, apud quos bonum et verum eſt, inde recepturi ſint, intelligitur per quod hæc exaudient Iſraelem; quod non terra, ejus frumentum, muſtum et oleum intelligatur, ſed Eccleſia cum ejus bonis et veris, patet, nam dicitur ſeminabo Iſraelem Mihi in terra. Apud Eſajam, " *Dabo in deſerto cedrum ſchittæ, et myrtum et arborem olei, ponam in ſolitudine abietem, tædam et buxum,*" xli. 19; hæc de inſtauratione Eccleſiæ a Domino apud gentes dicta ſunt; et per deſertum et per ſolitudinem ſignificatur ubi prius non bonum quia non verum; per cedrum ſchittæ, myrtum et arborem olei ſignificatur bonum ſpirituale et cœleſte; ac per abietem, tædam et buxum ſignificatur bonum et verum inde in naturali; per unamquamvis enim arborem aliquid boni et veri Eccleſiæ in Verbo ſignificatur, et illa Eccleſiæ quæ ſunt in ſpirituali ſeu interno homine ſignificantur per cedrum ſchittæ, myrtum et arborem olei; et illa Eccleſiæ quæ ſunt in naturali ſeu externo homine per abietem, tædam et buxum. Apud Davidem, “*Paſtor meus, non carebo, in paſcuis herbæ cubare faciet me, ad aquas quietum deducet me, diſpones ante me menſam coram inimicis meis; pinguefacies oleo caput meum, poculum meum abundabit,*” Pſalm. xxiii. 1, 2, 5; per hæc in ſenſu interno intelligitur, quod qui confidit Domino ducatur in omnia bona et vera Cœli et abundet jucundis eorum; per Paſtorem meum intelligitur Dominus; per paſcua herbæ ſignificantur cognitiones veri et boni; per aquas quietum ſignificantur vera Cœli inde; per menſam ſignificatur nutritio ſpiritualis; per pinguefacere oleo caput ſignificatur ſapientia quæ ex bono; per poculum meum abundabit ſignificatur intelligentia quæ ex veris, per poculum enim ſimile ſignificatur quod per vinum; dicuntur paſcua herbæ et aquæ quietum, ſicut forent comparationes, ex cauſa quia Dominus vocatur Paſtor, et paſtoris grex in paſcua herbæ et ad aquas limpidas ducitur, ſed uſque ſunt correſpondentiæ. Apud Ezechielem, “*Jehudah et terra Iſraelis fuerunt negotiatores tui, in triticis minnith et pannag, et in melle et oleo et balſamo,*” xxvii. 17; hæc dicta ſunt de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri et boni, et ita per Tyrum ſignificantur cognitiones veri et boni Eccleſiæ; ac per Jehudam et terram Iſraelis, qui negotiatores, ſignificatur Eccleſia, per Jehudam Eccleſia quoad bonum, et per terram Iſraelis Eccleſia quoad vera ex bono; et per negotiari ſignificatur comparare ſibi et communicare aliis; per tritica minnith et pannag ſignificantur bona et vera in genere, et per mel, oleum, balſamum, bona et vera in ſpecie, per mel et oleum bona, et per balſamum vera quæ ex bono grata ſunt, nam omnia vera quæ ex bono, in Cœlo percipiuntur fragrantia et inde grata; quæ etiam cauſa fuit, quod oleum unctionis ex variis fragrantiis confectum fuerit, de quo Exod. xxx. 22 ad 33; et quoque oleum lucernarum, de quo Exod. xxvii. 20, 21. Apud Moſen, “*Jehovah cibavit proventu agrorum, ſugere fecit eum mel e rupe, et oleum e ſaxo petræ,*” Deut. xxxi. 13; hæc de Antiqua Eccleſia; ſugere oleum e ſaxo petræ pro imbui bono per vera fidei, mel eſt bonum et jucundum naturale, oleum eſt bonum et jucundum ſpirituale, ac rupes et ſaxum petræ eſt verum fidei a Domino; ſi non ſpiritualia per hæc intelligerentur, quid foret quod ſugeret mel e rupe, et oleum e ſaxo petræ. Apud Habakuk, “*Ficus non florebit, nec proventus e vitibus, mentietur opus oliva, et agri non ferent cibum,*” iii. 17; hic non ficus, nec vitis, nec oliva, nec agri intelliguntur, ſed cœleſtia quibus correſpondent; ficus correſpondet bono naturali, et inde ſignificat illud; vitis correſpondet bono ſpirituali, quod in ſua eſſentia eſt verum; oliva ut fructus ex quo oleum, correſpondet bono amoris actu; et agri correſpondent omnibus Eccleſiæ; proventus et cibi inde ſignificant omnia quæ ſunt nutritionis ſpiritualis; inde patet, quid illa in ordine ſignificant. Apud Hoſcheam, “*Ephraim paſcens* *ventum, fœdus cum Aſſyrio pangunt, et oleum in Ægyptum defertur,*" xii. 2; hæc prorſus non intelliguntur, niſi ſciatur quid Ephraim, quid Aſſyrius et quid Ægyptus; deſcribitur ibi intellectuale proprium hominis, quod per ratiocinia ex ſcientificis pervertit et adulterat bona Eccleſiæ; Ephraim eſt intellectuale; Aſſyrius ratiocinatio; et Ægyptus ſcientificum; inde oleum in Ægyptum deferre eſt bona Eccleſiæ per ratiocinia ex ſcientificis pervertere. Apud Sachariam, "*Vidi candelabrum auri, duæ oleæ juxta id, una a dextra lechyti, et una ad ſiniſtram ejus: hi ſunt duo filii olei ſtantes juxta Dominum totius terræ,*" iv. 2, 3, 14; duæ oleæ et duo filii olei ſunt bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum, hoc ad ſiniſtram Ipſius, illud ad dextram Ipſius. Similiter in Apocalypſi, "*Duo Teſtes prophetabant dies mille ducentos ſexaginta ſex; hi ſunt duæ oleæ, et duo candelabra coram Deo terræ ſtantia,*" xi. 3, 4; duæ oleæ et duo candelabra ſunt eadem illa bona, quæ quia ſunt a Domino, vocantur duo teſtes; ſed de his plura in explicatione eorum. Quoniam Oleum ſignificabat bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum, ideo "*Dominus aſſimilabat Regnum cœlorum decem Virginibus, quarum quinque habebant oleum in lampadibus, et quinque non habebant; quare hæ vocantur ſtultæ, et illæ prudentes,*" Matth. xxv. 1 ad 11; per decem virgines ſignificantur omnes qui ab Eccleſia, et per quinque ſignificantur aliqui ſeu pars eorum, nam hæc ſignificantur per numeros decem et quinque in Verbo, ac per virginem ſeu filiam ſignificatur Eccleſia; per oleum ſignificatur bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum, et per lampades ſignificantur vera quæ fidei vocantur; inde conſtare poteſt quid per illa in ſenſu ſpirituali intelliguntur, quod nempe qui ſciunt vera ex Verbo ſeu ex doctrina Eccleſiæ, ac non in bono amoris et charitatis ſunt, hoc eſt, non vivunt ſecundum illa, quod ſint virgines quæ oleum non habent in lampadibus, et quæ ideo non admittuntur in Cœlum, ſed quod illi qui in bono amoris et charitatis ſunt, et inde in veris ex Verbo aut ex doctrina Eccleſiæ, ſint virgines quæ habent oleum in lampadibus, et recipiuntur in Cœlo; inde patet, unde eſt quod hæ virgines dicantur prudentes, at illæ ſtultæ. Quoniam Oleum ſignificabat bonum amoris et charitatis, ac Vinum ſignificabat verum, ideo "*Dominus dicit de Samarita, qui iter faciens vidit in via vulneratum a latronibus, quod infuderit oleum et vinum in vulnera ejus, et dein ſuſtulerit eum ſuper proprium jumentum, duxerit in diverſorium, et dixerit ut curam ejus haberent,*" Luc. x. 33, 34, 35; hæc in ſenſu ſpirituali ita percipiuntur; per Samaritam intelliguntur gentes quæ in bono charitatis erga proximum erant; per vulneratum a latronibus intelliguntur qui infeſtantur ab illis qui ab inferno ſunt, illi enim ſunt latrones, quia vitam ſpiritualem hominis lædunt et occidunt; per oleum et vinum quæ infudit in vulnera ejus, intelliguntur ſpiritualia quæ ſanant hominem, per oleum bonum et per vinum verum; per quod ſuſtulerit illum ſuper proprium jumentum, ſignificatur quod hoc fecerit ſecundum ſuam intelligentiam quantum poſſet, equus enim ſignificat intellectuale, pariter jumentum; quod duxerit eum in diverſorium, et dixerit ut curam ejus haberent, ſignificat quod ad illos qui inſtructi ſunt in Eccleſiæ doctrina ex Verbo, qui eum ſanare poſſent plus quam ille, qui adhuc in ignorantia: ita hæc verba intelliguntur in Cœlo; ex quibus etiam patet, quod Dominus, cum fuit in Mundo, per meras correſpondentias loquutus ſit, ita pro Mundo et pro Cœlo ſimul. Quoniam Oleum ſignificabat bonum amoris et charitatis, et per id ſanantur qui ſpiritualiter ægroti ſunt, ideo dicitur de Diſcipulis Domini, "*quod unxerint oleo multos et ſanaverint*," Marc. vi. 13. Præterea quid per Oleum præparatum ad lucernas, et quid per Oleum præparatum ad Unctiones, in ſpecie ſignificatur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9778 ad 9789; et n. 10250 ad 10288, ubi explicata ſunt. Ex his nunc videri poteſt, quod per Oleum ſignificetur bonum cœleſte et bonum ſpirituale, ſeu bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum, per oleum unctionis bonum amoris in Dominum a Domino, et per oleum lucernarum bonum charitatis a Domino erga proximum.

376. Hactenus oſtenſum eſt, quod Oleum ſignificet bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum; nunc etiam oſtendetur, quod Vinum ſignificet bonum ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum et bonum fidei; et quia hoc bonum in ſua eſſentia eſt verum, ideo in communi explicatione dictum eſt, quod Oleum et Vinum ne læſeris, ſignificet quod non damnum inferendum ſit ſenſui interno ſeu ſpirituali Verbi nec quoad bonum nec quoad verum, ſeu quod idem, quod non damnum inferendum ſit bonis et veris quæ in ſenſu interno ſeu ſpirituali Verbi: quod bonum charitatis et bonum fidei in ſua eſſentia ſit verum, eſt quia id bonum implantatur a Domino parti intellectuali hominis per vera quæ fidei vocantur, et cum homo vivit ſecundum illa, tunc vera illa fiunt bona, nam per vera in illa parte formatur nova voluntas, et quicquid ex voluntate procedit, hoc vocatur bonum: hæc voluntas etiam eadem eſt cum conſcientia, et conſcientia eſt conſcientia veri quia formatur per vera omnis generis, quæ ex doctrina Eccleſiæ et ex Verbi ſenſu literæ: ſed de hac re videantur plura in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 130 ad 138; et ex ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 139 ad 141; inde nunc eſt, quod per Vinum ſignificetur verum. Præterea ſunt bona et vera interna et externa, bona et vera interna ſignificantur per Oleum et Vinum quæ non lædenda ſunt; at bona et vera externa ſignificantur per triticum et hordeum; bona et vera externa ſunt quæ in ſenſu literæ Verbi ſunt, at bona et vera interna ſunt quæ in ſenſu interno ſeu ſpirituali Verbi ſunt; ſeu bona et vera externa ſunt qualia in inferioribus Cœlis apud Angelos ibi, nempe in ultimis Cœli; at bona et vera interna ſunt qualia in Cœlis ſuperioribus apud Angelos ibi, nempe in tertio et ſecundo; hæc bona et vera ſunt ipſa bona et vera genuina, at illa ſunt vera et bona quia correſpondent, ita correſpondentiæ; illa communicationem immediatam habent cum Angelis Cœli, hæc autem non immediatam ſed mediatam per correſpondentias. Inde eſt, quod Judæi, quia ſolum in ſenſu literæ fuerunt, et non in cognitione de ſignificatione rerum in ſenſu ſpirituali, non potuerint damnum inferre ſenſui ſpirituali ejus nec quoad bonum nec quoad verum, conſequenter nec genuinis bonis et veris: ſimiliter Eccleſia Chriſtiana hodie, nec potuit damnum inferre bonis et veris genuinis quæ ſunt in ſenſu ſpirituali Verbi,

nam ignoravit eum ſenſum, et cum illo etiam ignoravit genuina bona et vera. Quod Chriſtianis non detectus fuerit ſenſus ſpiritualis Verbi, eſt cauſa, quia genuina bona et vera, qualia ſunt in Cœlis ſuperioribus, latent in ſenſu Verbi ſpirituali, et quamdiu illa bona et vera non percepta et nota fuerunt, nec potuit ille ſenſus aperiri, non enim videri potuerunt: quod genuina bona et vera in Chriſtianis Eccleſiis non percepta et nota fuerint, et cauſa quia Eccleſiæ illæ diviſæ fuerunt, in genere in Pontificiam et in Evangelicam, et in Pontificia prorſus ignorantur vera, quia illi qui in illa non pendent ex Verbo, ita ex Domino qui eſt Verbum, hoc eſt Divinum Verum, ſed ex Pontifice, ex cujus ore vix aliquid procedit, niſi quod eſt ex amore imperandi, et is amor eſt ex inferno; quare etiam vix unum Verum, quod eſt Eccleſiæ, apud illos datur: in Evangelicis autem Eccleſiis eſt ſola fides aſſumta pro eſſentiali medio ſalutis, et per id eſt bonum amoris et charitatis rejectum ſicut non eſſentiale, et ubi bonum eſt rejectum, ibi nec dari poteſt aliquod verum quod in ſe eſt verum; omne enim verum eſt ex bono, nam influit Dominus in bonum hominis, et per bonum illuſtrat eum, et dat lucem ut percipiat vera, quare abſque illa luce, quæ eſt ipſa vita ſpiritualis hominis, non eſt verum, utcunque ſonat ut verum quia ex Verbo, eſt verum falſificatum per ideas quas de eo habet, nam ex fide ſeparata a charitate, ſeu ex veris abſque bono, non aliud reſultat: inde nunc eſt, quod Eccleſiis Chriſtianis non patefieri potuerit ſenſus ſpiritualis Verbi, nam ſi patefactus, falſificaviſſent et pervertiſſent illum per ideas ex fallaciis, et ſic prophanaviſſent: inde quoque eſt, quod nuſquam aliquis, etiam poſthac, admittatur in ſenſum ſpiritualem Verbi, niſi in genuinis veris ex bono ſit; et nullus in genuinis veris ex bono poteſt, niſi corde agnoſcat ſolum Dominum pro Deo Cœli et terræ, ab Ipſo enim eſt omne bonum et inde verum. Quod ſenſus ſpiritualis Verbi hodie patefactus ſit, et cum illo etiam genuina vera et bona detecta, eſt cauſa, quia Ultimum Judicium a Domino peractum eſt, et ſic omnia in Cœlis et in infernis in ordinem redacta ſunt, et per id provideri a Domino poteſt, ne genuinis veris et bonis, quæ in ſenſu ſpirituali Verbi ſunt, aliquod damnum inferatur, quod prius non potuit, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 73. Quod Vinum ſignificet bonum ſpirituale, ſeu bonum charitatis et bonum fidei, quod in ſua eſſentia eſt verum, conſtare poteſt ex ſequentibus locis in Verbo; apud Eſajam, "*Omnis ſitiens ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite, et comedite, emite ſine argento et ſine pretio vinum et lac,*" lv. 1; quod hic non vinum et lac, quæ ſine argento emerent, intelligantur, quiſque videre poteſt, quare per vinum et lac ſignificantur ſpiritualia, nempe per vinum ſpirituale bonum, quod in ſua eſſentia eſt verum, ut ſupra dictum eſt, per lac autem bonum illius veri; quod illa gratis dentur a Domino illis qui in ignorantia veri et boni ſunt, et tamen in deſiderio illorum, ſignificatur per cui non argentum, ite, emite, et comedite, emite ſine argento; emere ſignificat ſibi comparare, et comedere ſibi appropriare, quod fit per applicationem ſicut ex ſe; quod illi qui in ignorantia veri et boni et uſque in deſiderio illorum ſunt, intelligantur, patet, nam dicitur omnis ſitiens ite ad aquas, ſitire ſignificat deſiderare, et aquæ ſignificant vera, hic Verbum ubi ſunt. Apud Joelem, "*Fiet in die illo, ſtillabunt montes muſtum, et colles fluent lacte, omnes rivi Jehudæ fluent aquis,*" iv. 18; agitur ibi de adventu Domini, et de novo Cœlo et nova Eccleſia ab Ipſo; quod tunc non in terra Canaane ſeu in Judæa montes ſtillaverint muſtum, nec colles fluxerint lacte, et quod nec tunc præ tempore priori rivi Jehudæ fluxerint aquis, notum eſt, quare per illa verba intelliguntur alia quam muſtum, lac et aquæ, tum quam montes, colles, rivi, nempe quod per montes ſtillabunt muſtum ſeu vinum, intelligitur quod ex bono amoris in Dominum omne genuinum verum; per quod colles fluent lacte, intelligitur quod ex bono charitatis erga proximum vita ſpiritualis; et per quod omnes rivi Jehudæ fluent aquis, intelligitur quod ex ſingulis Verbi vera; per Jehudam enim ſignificatur Cœleſte Regnum Domini, et quoque Verbum, videatur n. 3881, 6363; inde per rivos ejus ſignificantur ſingula ejus: quod per montes ſignificetur bonum amoris in Dominum, n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438, 10688: et quod per colles bonum charitatis erga proximum, n. 6435, 10438; ex cauſa, quia in Cœlo ſuper montibus habitant qui in bono amoris in Dominum ſunt, et ſuper collibus qui in bono charitatis erga proximum, n. 10438; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 188. Apud Amos, "*Ecce dies venientes, attinget arans metentem, et calcans uvas diſtrahentem ſemen, et ſtillabunt montes muſtum, et omnes colles diffluent: reducam captivitatem populi mei Iſraelis, et ædificabunt urbes devaſtatas, et ſedebunt et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructum eorum; tunc plantabo eos ſuper terra eorum,*" ix. 13, 14, 15; agitur in eo Capite primum de vaſtatione Eccleſiæ, et dein de reſtauratione ejus a Domino, ac per populum Iſraelem non intelligitur ille populus, ſed illi apud quos Eccleſia inſtauranda erat; et per arans attinget metentem, et calcans uvas diſtrahentem ſemen, ſignificatur quod qui recipit bonum et verum etiam uſum ſeu fructum facturus ſit, ita quod ſimul erant apud hominem Eccleſiæ; per ſtillabunt montes muſtum, et omnes colles diffluent, ſignificatur ut mox ſupra, quod ex bono amoris in Dominum et ex bono charitatis erga proximum vera in abundantia, muſtum ibi ſeu vinum eſt verum; per captivitatem populi Iſraelis quæ reducetur, ſignificatur reſtauratio Eccleſiæ apud gentes, nam per captivitatem intelligitur captivitas ſpiritualis, quæ eſt apud illos qui remoti a bonis et veris ſunt, et uſque in deſiderio illorum, videatur n. 9164; per urbes devaſtatas quas ædificabunt, ſignificantur doctrinalia veri et boni ex Verbo hactenus deperdita et tunc reſtauranda; per vineas quas plantabunt, et quarum vinum bibent, ſignificantur omnia Eccleſiæ a quibus intelligentia, per vineam ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, et inde per vineas ſignificantur omnia Eccleſiæ, per vinum ſignificatur in genere verum ejus, et per bibere illud ſignificatur inſtrui et intelligens fieri, ita intelligentia; et per hortos quos facient et quorum fructum comedent, ſignificatur ſapientia, per hortos omnia quæ intelligentiæ ſunt, et per fructum eorum ſignificantur bona vitæ, ita per comedere fructum eorum ſignificatur appropriatio boni, ita ſapientia, nam ſapientia fit quando vera mandantur vitæ; et quia hæc intelliguntur, ideo dicitur de Iſraele, plantabo eos ſuper terra eorum. Apud Moſen, "*Alligat ad vitem aſellum ſuum, ad vitem præſtantem filium aſinæ ſuæ, lavat in vino veſtimentum ſuum, et in ſanguine uvarum velamen ſuum: ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte,*" Geneſ. xlix. 11, 12; hæc in Prophetico Iſraelis patris de Jehudah, per quem ibi non intelligitur Jehudah, ſed Dominus quoad Regnum Cœleſte; et per vinum ac per ſanguinem uvarum intelligitur Divinum Verum; quid reliqua ſignificant, et quod vinum ſignificet Divinum Verum, quia de Domino, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 6375 ad 6381. Apud Eundem, "*Jacob attulit Iſaco patri de venatione ſua, et edit, et adduxit illi vinum et bibit; ac Iſac benedixit illi, dicens, dabit tibi Deus de rore Cœli, et de pinguedinibus terræ, et multitudinem frumenti et muſti,*" Geneſ. xxvii. 25, 27, 28, 37; qui non ſciunt quod Verbum in ſingulis ſit ſpirituale, credere poſſunt, quod per Iſacum hic intelligatur Iſacus, et per Jacobum Jacobus, ac inde quod per pinguedines terræ, et per frumentum et muſtum non alia quæ altiora; ſed per Iſacum ibi repræſentabatur Dominus, et per Jacobum Eccleſia, inde per pinguedines terræ Cœleſtia quæ ſunt boni amoris, et per frumentum et muſtum omne Eccleſiæ bonum et verum; ſed etiam hæc videantur explicata in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3570, 3579, 3580. Apud Eundem, "*Si audiveritis præcepta mea, dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo tempeſtivam et ſerotinam; et colliges frumentum tuum, et muſtum tuum, et oleum tuum,*" Deut. xi. 13, 14; hæ terræ benedictiones promiſſæ ſunt filiis Iſraelis, ſi audiviſſent et feciſſent præcepta Jehovæ, quas etiam conſequuti ſunt, ex cauſa quia apud illos Eccleſia repræſentativa erat, et quæ dicta et mandata ſunt a Jehovah correſpondebant ſpiritualibus, ita hæ terræ benedictiones benedictionibus Cœli; benedictiones Cœli quibus correſpondent benedictiones terræ, ſe referunt omnes ad illa quæ ſunt boni amoris et veri fidei; quare per pluviam tempeſtivam et ſerotinam ſignificantur hæ benedictiones, nam per pluviam in ſpecie ſignificatur Divinum Verum influens e cœlo, ex quo naſcuntur, creſcant et producuntur omnia Eccleſiæ et Cœli apud hominem; quare per frumentum, muſtum et oleum quæ colligent, ſignificantur omne bonum et verum externi et interni hominis. Apud Eundem, "*Ita habitavit Iſrael ſecure, ſolitarius ad fontem Jacobi, in terra frumenti et muſti, etiam Cœli ejus ſtillabant rorem,*" Deut. xxxiii. 28; hæc erat clauſula benedictionum filiorum Iſraelis a Moſe, ubi prophetica omnia, et per unumquemvis filium ſeu per unamquamvis Tribum Iſraelis ſignificatur aliquid Eccleſiæ, ſimiliter ac Geneſ. Cap. xlix.; et per Iſraelem hic ſignificatur ipſa Eccleſia; et per habitare ſecure, ſolitarius ad fontem Jacobi, ſignificatur vivere abſque infeſtatione a malis et falſis, ac duci a ſolo Domino per Divinum Verum, fons Jacobi eſt Divinum Verum, ac Verbum; et per vivere in terra frumenti et muſti, ſignificatur in omni bono et vero Eccleſiæ; et per etiam Cœli ejus ſtillabant rorem, ſignificatur influxus e Cœlo. Apud Eundem, "*Equitare fecit eum ſuper excelſis terræ, et dedit butyrum armenti et lac gregis cum adipe agnorum et arietum filiorum Baſchanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et ſanguinem uvæ bibis merum,*" Deut. xxxii. 13, 14; hæc dicta ſunt de Antiqua Eccleſia, quæ etiam fuit Eccleſia ante Iſraeliticam, et fuit in bono charitatis et veris fidei; bona omnis generis, in quibus erat, intelliguntur per illa, nempe per butyrum armenti, lac gregis, adipem agnorum, adipem arietum, adipem hircorum, adipem renum tritici, ac vera ſpiritualia per ſanguinem uvæ et merum. Apud Jeremiam, "*Venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovæ, ad triticum et ad muſtum et ad oleum et ad filios gregis et armenti,*" xxxi. 12; per triticum, muſtum, et oleum ſignificantur bona et vera omnis generis, quid in ſpecie videatur ſupra n. 374. Apud Eſajam, "*Juravit Jehovah per dextram ſuam, et per brachium roboris ſui, ſi dedero frumentum tuum amplius cibum hoſtibus, et ſi biberint filii alienigenæ muſtum tuum, pro quo laboraſti; ſed qui colligunt illud, comedent illud, et laudabunt Jehovam, et qui congregant illud, bibent illud in atriis ſanctitatis,*" lxii. 7, 8, 9; hæc de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam; quare per frumentum quod non dabitur amplius cibus hoſtibus, et per muſtum quod non bibent filii alienigenæ, ſignificatur in genere bonum et verum Eccleſiæ, quæ non amplius conſumentur per mala et falſa, hoſtes ibi ſunt mala, et filii alienigenæ falſa, ac comedere ſeu cibus illis dari, ac bibere eſt conſumere; quod bona et vera manſura ſint apud illos qui recipiunt illa, ac uſum inde faciunt, ſignificatur per qui colligunt illud comedent illud, et qui congregant illud bibent illud; cultus ex illis ſignificatur per laudare Jehovam et bibere in atriis ſanctitatis. Apud Eundem, "*Ablatum eſt gaudium et exultatio de Carmel, et in vineis non cantatus, non jubilatur, vinum in torculari non calcat calcans, hedad ceſſare feci,*" xvi. 10; quod jucundum cœleſte ex bono et veris inde ablatum ſit quia ipſum bonum et verum, ita deſcribitur; bonum Eccleſiæ intelligitur per Carmel, et vera inde per vineas, ac per calcationem vini in torcularibus; jucunda eorum quod ablata per gaudium, exultationem, cantationem, jubilationem et hedad; ſolebant enim cantare in vineis et in torcularibus cum calcabatur uva in vinum, propter repræſentationem jucundorum ex veris, quæ ſignificabantur per vinum. Apud Jeremiam, "*Super fletum Jaeſeris flebo ob te, vitis Sibmæ, propagines tuæ tranſiverunt mare, uſque ad mare Jaeſeris pertigerunt; ſuper fructus autumni tuos, et ſuper vindemiam tuam vaſtator cecidit; unde collecta eſt lætitia, et gaudium ex Carmele, et ex terra Moabi; et vinum in torcularibus ceſſare feci, non calcabit hedad, hedad non hedad,*" xlviii. 32, 33; hic etiam agitur de ablato jucundo cœleſti ex bono amoris et ex veris inde, omne enim jucundum cœleſte in illis et ex illis eſt; lamentatio ſuper id intelligitur per flere fletum, deprivatio ejus per quod collecta ſit lætitia, et gaudium ex Carmele, tum per quod vaſtator ceciderit ſuper illa, quod ceſſaverit, et quod hedad non hedad; bonum quod ablatum, propter quod lamentatio, intelligitur per fructus autumni, et vera boni quod ablata per vindemiam et per vinum in torcularibus; quod exulaverint vera et perierint per ſcientifica, intelligitur per vitem Sibmæ, et per propagines ejus quod tranſiverint mare uſque ad mare Jaeſeris, mare ſignificat ſcientificum. In Threnis, "*Infans et lactens deficit in plateis urbis, matribus ſuis dicunt, ubi frumentum et vinum, quum deficiunt ſicut confoſſus in plateis urbis, cum effunditur anima eorum ſuper ſinum matrum eorum,*" ii. 11, 12; hæc verba continent lamentationem ſuper Eccleſiam Judaicam, quod omne bonum et verum ejus deperditum ſit, ac lamentatio deſcribitur per infantem et lactentem qui deficiunt in plateis urbis, et dicunt matribus ſuis ubi frumentum et vinum; per infantem et lactentem ſignificantur illi qui in bono innocentiæ ſunt, et abſtracte ipſum bonum innocentiæ, per hoc bonum intelligitur omne bonum Eccleſiæ quia hoc eſt eſſentiale omnium bonorum ejus, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 276 ad 283, 285, 288, 341, 382; per plateas urbis ſignificantur vera doctrinæ; per matres ſignificantur omnia Eccleſiæ; et per frumentum et vinum ſignificantur in genere omne bonum et verum ejus; quod dicatur quod deficiant ſicut confoſſus in plateis urbis, quum effunditur anima eorum ſuper ſinum matrum eorum, eſt quia confoſſus ſignificat illos qui ſpiritualiter pereunt ex deprivatione veri, ac per animam ſignificatur vita ſpiritualis: quod plateæ urbis in quibus deficiunt, ſignificent vera doctrinæ, videatur n. 2336: et quod mater in cujus ſinum effunditur anima ſignificet Eccleſiam, n. 2691, 2717, 3703, 4257, 5580, 8897. Apud Zephaniam, "*Erunt opes eorum in prædam, et domus eorum in devaſtationem, ut ædificent domos ſed non inhabitent, et plantent vineas ſed non bibant vinum earum,*" i. 13; per opes quæ erunt in prædam ſignificantur opes ſpirituales, quæ ſunt cognitiones boni et veri; per domos quæ in devaſtationem ſignificantur illa quæ Eccleſiæ ſunt in homine; quæ cum vaſtata ſunt quod tunc nihil proficiant ac recipiant tametſi audiunt illa et in Verbo vident illa, ſignificatur per ædificare et non inhabitare, et plantare vineas et non bibere vinum earum, domus ſunt bona Eccleſiæ, ac vineæ cum vino ſunt vera ejus. Similia intelliguntur apud Micham, "*Tu ſeres ſed non metes, tu calcabis olivam ſed non unges te oleo, et muſtum ſed non bibes vinum,*" vi. 15: apud Amos, "*Vineas deſiderii plantabitis, ſed non bibetis vinum earum,*" v. 11: et apud Hoſcheam, "*Area et torcular non paſcet eos, et muſtum mentietur illis, non libabunt Jehovæ vinum, et non grata erunt Ipſi,*" ix. 2, 4; per aream et torcular ſimilia ſignificantur quæ per frumentum et vinum, quia collectio eorum ibi; quod non proficient ex illis auditis ſignificatur per quod non paſcent illos, et quod muſtum mentietur illis; et quod inde Cultus eorum non acceptus ſit, ſignificatur per quod non libabunt Jehovæ vinum, et non grata erunt, nempe libamina, Ipſi. Apud Joelem, "*Expergiſcimini ebrii et flete, et ejulate omnes potantes vinum, propter muſtum quod exciſum eſt ex ore veſtro: devaſtatus eſt ager, luxit terra, quia devaſtatum eſt frumentum, exaruit muſtum, languet oleum, pudefacti ſunt agricolæ, ejularunt vinitores,*" i. 5, 10, 11; quid per hæc in ſenſu ſpirituali ſignificatur, videatur ſupra n. 374, ubi illa explicata ſunt; et quod per vinum et muſtum intelligatur verum Eccleſiæ, ac per vinitores illi qui in veris ſunt et docent illa; agitur ibi de Eccleſia devaſtata, ubi bona et vera perierunt. Apud Ezechielem, "*Damaſcus negotiatrix tua per multitudinem* *operum tuorum; per multitudinem omnium opum, in vino Cheſbonis et lana Zacharis,*" xxvii. 18; hæc dicta ſunt de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones boni et veri, et per Damaſcum quæ erat urbs Syriæ ſignificatur ſcientificum concordans, et per negotiationes de quibus in illo Capite agitur, ſignificantur illarum comparatio et communicatio, ac uſus; quia ſcientificum concordans per Damaſcum ſignificatur, ideo dicitur quod ſit negotiatrix in multitudine omnium operum et opum, ac per opera, ex quibus fiebant uſus, ſignificantur cognitiones boni, et per opes cognitiones veri; et quia cognitiones veri et boni ſunt in naturali homine, in eo enim eſt omne cognitivum perceptibile et ſcientificum, ideo dicitur in vino Cheſbonis et lana Zacharis, vinum Cheſbonis ſignificat verum naturale, et lana Zacharis bonum naturale. Apud Eſajam, "*Maledictio comedet terram, lugebit muſtum, langueſcet vitis, gement omnes læti corde, cum cantu non bibent vinum, amara erit ſicera bibentibus eam; frangetur urbs inanitatis, claudetur omnis domus ut nemo intret,*" xxiv. 6, 7, 9, 10; perverſio Eccleſiæ per hæc verba deſcribitur, quæ eſt quando falſum regnat loco veri, unde non bonum amplius, nam per vera bonum homini; per terram quam comedet maledictio, ſignificatur Eccleſia, maledictio eſt perverſio ejus; per muſtum quod lugebit, et per vitem quæ langueſcet, ſignificatur omne Eccleſiæ verum, lugere et langueſcere ſignificat deprivationem ejus; quod non erit aliquod jucundum et beatum cœleſte amplius, ſignificatur per quod gement omnes læti corde, cum cantu non bibent vinum; quod averſaturi omnia quæ concordant cum veris, ſignificatur per quod amara erit ſicera bibentibus eam, ſicera ſignificat quæ ſunt ex veris et concordant cum illis; ſed quod deſtruetur doctrina falſi, ſignificatur per frangetur urbs inanitatis, urbs eſt doctrina, ac inanitas eſt falſum; et quod non bonum amplius et ſapientia apud hominem, ſignificatur per claudetur omnis domus ut nemo intret, quod fit quando non verum ſed falſum. Apud Amos, "*Qui bibunt ex ſchyphis vini, et primitiis oleorum ſe ungunt; ſed ſuper confractione Joſephi non afficiuntur dolore,*" vi. 6; per hæc et præcedentia in eo Capite deſcribuntur qui in externo cultu abſque interno ſunt, quales olim fuerunt et hodie ſunt Judæi; ſchyphi vini ex quibus bibunt, ſunt externa veri ex quibus cultus; ac primitiæ oleorum quibus ſe ungunt, ſunt externa boni ex quibus etiam cultus; Joſephus ſignificat internum Eccleſiæ ſeu ſpirituale ejus; quod nihil afficiat quod id pereat, ſignificatur per ſuper confractione ejus non afficiuntur dolore: quod cultus externus abſque interno ſit nullus cultus, videatur n. 1094, 1175, 7724: quod apud Judæos olim fuerit et hodie ſit cultus externus abſque interno, n. 1200, 3147, 3479, 8871: quod Joſephus ſignificet Eccleſiam ſpiritualem, et inde etiam ſpirituale Eccleſiæ, n. 3969, 3971, 4669, 6417. Apud Sachariam, "*Potentem reddam domum Jehudæ, et domum Joſephi ſervabo; hinc erunt ſicut potens Ephraim, et lætabitur cor eorum quaſi vino,*" x. 6, 7; per domum Jehudæ ſignificatur Eccleſia cœleſtis Domini, et per domum Joſephi Eccleſia ſpiritualis Domini; et per potentes reddere domos eorum, ſignificatur multiplicare vera quæ ex bono apud illos, nam omnis potentia eſt veri ex bono; inde dicitur, quod erunt ſicut potens Ephraim, per Ephraim ſignificatur intellectus veri ex bono, ita potens dicitur

tur ex multiplicatione ejus; jucundum cœleſte inde ſignificatur per lætabitur cor eorum quaſi vino, vinum eſt verum ex bono, ex quo jucundum illud: quod omnis potentia ſit veris ex bono, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 228 ad 233; et quoque ſupra, n. 209, 333: quod Jehudah in Verbo ſignificet Regnum Cœleſte Domini, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3881, 6363: et quod Ephraim intellectuale Eccleſiæ, n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296. Apud Danielem, “*Beltſchazar Rex Babelis, et magnates ejus, et uxores ejus, et pellices ejus, biberunt vinum ex vaſis Templi Hieroſolymitani, et laudarunt deos argenti, æris, ferri, ligni et lapidis: ideo ſcriptum eſt in pariete, Numeratus, Appenſus, et Diviſus; et ille dein a filiis hominis expulſus eſt, et cum onagris habitatio ejus,*” v. 2, 3, 4, 5, 21; per hæc in ſenſu interno deſcribitur prophanatio boni et veri, quæ etiam eſt Babel ſeu Babylonia, nam per bibere vinum ex vaſis Templi Hieroſolymitani, ſignificatur haurire vera Eccleſiæ ex Verbo, bibere enim vinum eſt haurire vera, et vaſa Templi Hieroſolymitani ſunt illa quæ ſunt doctrinæ Eccleſiæ ex Verbo; ac laudare deos auri, argenti, æris, ferri, ligni et lapidis, ſignificat cultum ex amore ſui et mundi, per illos enim deos ſignificatur cultus idololatricus omnis generis, et prophanatio; quod ideo ſcriptum ſit in pariete, numeratus, appenſus, diviſus, ſignificat ſeparationem ab omnibus Cœli et Eccleſiæ; quod ille dein a filiis hominis expulſus ſit, et cum onagris habitatio ejus, ſignificat quod ſeparatus ab omni vero, et quod ſors vitæ ejus cum infernalibus, filii enim hominis ſunt vera Eccleſiæ, onagri ſunt qui in diris falſis, qualia ſunt in infernis, et habitatio eſt vitæ ſors. Apud Joelem, “*Super populum meum jecerunt ſortem, quia dederunt puerum pro ſcorto, et puellam vendiderunt vino quod biberunt,*” iv. 3; per jacere ſortem ſuper populum, ſignificatur diſſipare vera Eccleſiæ, jacere ſortem ſignificat diſſipare, et populus ſignificat Eccleſiam quoad vera, ita quoque vera Eccleſiæ; per dare puerum pro ſcorto, ſignificatur falſificare verum, puer enim eſt verum Eccleſiæ, et ſcortum eſt falſum; et per vendere puellam vino quod biberunt ſignificatur pervertere bonum Eccleſiæ per verum falſificatum, puella enim eſt bonum Eccleſiæ, et vinum eſt verum falſificatum. Quia Vinum ſignificabat verum Eccleſiæ quod ex bono, ideo mandatum eſt ut ſuper Altari cum Sacrificiis etiam offerrent Mincham et Libamen, et Minchah erat panis et Libamen vinum, per quæ ſignificabatur cultus Domini ex bono amoris et ex veris inde, nam omnis cultus eſt ex illis: de Libaminibus quantum Vini in illis ad varia Sacrificia, videatur Exod. xxix. 40, 41. Levit. xxiii. 13, 18. Num. vi. 1, 2, 3, 4, 15, 17. Cap. xv. 4, 5, 6, 7, 10, 24. Cap. xxviii. 7, 8, 9, 10, 24, 31. Cap. xxix. 6, 11, 16, 19, 22, 25, 27, 28, 31, 34, 38, 39: et præterea Geneſ. xxxv. 14: inde patet, quid ſignificatur apud Joelem, “*Exciſa eſt Minchah et Libamen e domo Jehovæ, luxerunt ſacerdotes miniſtri Altaris,*” i. 9; quod nempe perierit Cultus ex bono amoris et ex veris inde: quis non videre poteſt, quod Minchah et Libamen, quæ erant panis et vinum, non eſſent Jehovæ in cultum gratum, niſi ſignificaviſſent talia quæ ſunt Cœli et Eccleſiæ. Ex his nunc conſtare poteſt, quid involvit Panis et Vinum in Sancta Cœna, quod nempe Panis bonum amoris a Domino in Dominum, et Vinum bonum fidei quod in ſua eſſentia eſt Verum: ſed de Sancta Cœna, et de Pane et Vino ibi, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 210 ad 223. Et quia Vinum ſignificat bonum fidei quod in ſua eſſentia eſt verum, ideo Dominus cum inſtituit Sacramentum Cœnæ, dixit, "*Dico vobis quod non bibiturus ſim a nunc ex hoc genimine vitis, uſque ad diem illum, quando id bibero vobiſcum novum in Regno Patris mei,*" Matth. xxvi. 29. "*Dico vobis quod non bibiturus ſim de genimine vitis, donec quando Regnum Dei venturum eſt,*" Luc. xxii. 18; per genimen vitis ſeu vinum quod Dominus cum illis bibiturus novum in Regno Patris ſui, ſeu donec quando Regnum Dei venturum eſt, intelligitur quod a Divino Humano Ipſius tunc omne Divinum Verum in Cœlo et in Eccleſia, quare illud vocat novum, et quoque vocat Novum Teſtamentum in ſanguine ſuo, Verſ. 20; ſanguis enim Domini ſimile ſignificat ac Vinum, videatur ſupra n. 20, 328, 329: et quoniam, poſtquam Dominus reſurrexit, omne Divinum ab Ipſo procedit, ideo dicit, quod id cum illis bibiturus ſit, quando Regnum Dei venturum eſt, et tunc venit quando Ipſe omnia in ordinem in Cœlis et in Infernis redegit; quod Regnum Dei cum Domino venerit, et ab Ipſo, conſtare poteſt apud Matthæum, Cap. iii. 2. Cap. iv. 8. Cap. x. 7. Cap. xii. 28. Cap. xvi. 28. Apud Marcum, Cap. i. 14, 15. Cap. v. 1. Apud Lucam, Cap. i. 32, 33. Cap. ix. 11, 27, 60. Cap. x. 11. Cap. xvi. 16. Cap. xvii. 20, 21. Cap. xxiii. 42, 51. Apud Johannem, Cap. xviii. 36. Quoniam nunc Panis ſignificat bonum amoris, ac Vinum bonum fidei quod in ſua eſſentia eſt verum ex illo bono, ac in ſupremo ſenſu Panis Dominum quoad Divinum Bonum, ac Vinum Dominum quoad Divinum Verum, et quoniam correſpondentia eſt inter ſpiritualia et naturalia, ac talis correſpondentia, ut cum in cogitatione hominis eſt panis et vinum, in cogitatione Angelorum ſit bonum amoris et bonum fidei, et quoniam omnia Cœli et Eccleſiæ ſe referunt ad bonum amoris et ad bonum fidei, ideo a Domino inſtituta eſt Sancta Cœna, ut per illam ſit conjunctio Angelorum Cœli cum hominibus Eccleſiæ. Quia illa per Panem et Vinum in Cœlo intelliguntur, ideo "*Malchizedech Rex Schalemi exiens obviam Abramo, eduxit Panem et Vinum: et hic ſacerdos Deo Atiſſimo; et benedixit Abramo,*" Geneſ. xiv. 18, 19; per Malchizedecum repræſentatur ibi Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum, per illum ut ſacerdotem Divinum Bonum, et per illum ut regem Divinum Verum, ideo eduxit panem et vinum, quia per panem ſignificatur Divinum Bonum, et per vinum ſignificatur Divinum Verum; ſeu applicate ad hominem, per panem ſignificatur bonum amoris in Dominum, et per vinum bonum fidei quod eſt ex receptione Divini Veri. Simile ſignificatur per Vinum a Domino in his ſequentibus; apud Matthæum, "*Non mittunt vinum novum in utres veteres, ſi vero minus, rumpuntur utres et vinum effunditur; ſed mittunt vinum in utres novos, et utraque conſervantur. Et nemo bibens vetuſtum ſtatim vult novum, dicit enim vetuſtum utilius eſt,*" ix. 17. Luc. xv. 39; quoniam omnes comparationes in Verbo ſunt ex correſpondentiis, ita quoque hæc comparatio, et per Vinum ſignificatur Verum, per vinum vetus verum Eccleſiæ veteris ſeu Judaicæ, ac per utres ſignificantur illa quæ continent, per utres veteres ſtatuta et judicia Eccleſiæ Judaicæ, et per utres novos præcepta et mandata Domini; quod ſtatuta et judicia Eccleſiæ Judaicæ, quæ præcipue erant de ſacrificiis et de cultu repræſentativo, non concordent cum veris Eccleſiæ Chriſtianæ, intelligitur per non mittunt vinum novum in utres veteres, ſi vero minus rumpuntur utres et vinum effunditur, ſed mittunt vinum in utres novos, et utraque conſervantur una; quod illi qui nati et educati ſunt in externa quæ erant Eccleſiæ Judaicæ non ſtatim poſſint perduci in interna quæ ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ, ſignificatur per nemo bibens vinum vetuſtum ſtatim vult novum, dicit enim vetuſtum utilius eſt. Simile ſignificatur per aquam converſam in vinum in Kana Galilææ, de quo ita apud Johannem, "*In nuptiis in Kana Galilææ, cum deficeret vinum, erant ibi hydriæ lapideæ ſex poſitæ juxta mundationem Judæorum: dixit Jeſus, implete hydrias, qui impleverunt ad ſummum; tunc dixit illis, haurite nunc et afferte Archiclitino, et attulerunt; cum guſtavit Archiclitinus aquam vinum factam, vocat ſponſum dicit illi, omnis homo primo bonum vinum apponit, et quando ſat habuerint, vilius, tu reſervaſti bonum vinum huc uſque*," ii. 1 ad 10; ſciendum eſt quod omnia Miracula a Domino facta, ſicut omnia Miracula ab Ipſo de quibus in Veteri Teſtamento, ſignificaverint talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, hoc eſt, quod intus continuerint illa, et quod inde Miracula Ipſius Divina fuerint, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 7337, 8364, 9031; ſimiliter hoc Miraculum, et per Nuptias ibi ſignificatur Eccleſia, ut paſſim alibi in Verbo, in Kana Galilææ apud gentes; et per aquam ſignificatur verum Eccleſiæ externæ quale fuit verum Eccleſiæ Judaicæ ex ſenſu literæ Verbi, et per vinum ſignificatur verum Eccleſiæ internæ, quale eſt verum Eccleſiæ Chriſtianæ, inde quod Dominus aquam fecerit vinum ſignificat quod vera Eccleſiæ externæ fecerit vera Eccleſiæ internæ, aperiendo interna quæ in illis latuerunt; per hydrias ſex lapideas poſitas juxta mundationem Judæorum, ſignificantur omnia illa in Verbo et inde in Eccleſia Judaica et ejus cultu, quæ omnia erant repræſentativa et ſignificativa Divinorum in Domino et a Domino, quæ continebant interna; quare etiam fuerunt ſex ex lapide poſitæ ad mundationem Judæorum, numerus ſex ſignificat omnia et prædicatur de veris, lapes ſignificat verum, ac mundatio Judæorum ſignificat purificationem a peccatis, ita omnia Eccleſiæ Judaicæ, nam Eccleſia ſpectat purificationem a peccatis ut omne ſuum, quantum enim quis purificatur ab illis tantum eſt Eccleſia; per Archiclitinum intelliguntur qui in cognitionibus veri ſunt; quod dixerit ad ſponſum, omnis homo primo bonum vinum apponit, et quando ſat habuerint vilius, tu reſervaſti bonum vinum huc uſque, ſignificat quod omnis Eccleſia inchoet a veris ex bono, ſed deſinat in vera non boni, et quod uſque nunc in fine Eccleſiæ verum ex bono ſeu genuinum verum detur, nempe a Domino. Quoniam Vinum ſignificat verum Eccleſiæ, et oleum bonum ejus, ideo dicit Dominus in Parabola de illo qui vulneratus eſt a latronibus, "*quod Samarita infuderit oleum et vinum in vulnera ejus*," Luc. x. 33, 34; ubi per vulneratum a latronibus intelliguntur qui infeſtantur et quoad conſcientiam ſauciantur a malis hominibus, qui ſunt latrones; et per Samaritam intelliguntur gentes quæ in bono charitatis; inde per quod infuderit oleum et vinum in vulnera ejus, ſignificantur ſpiritualia quæ ſanant hominem ita læſum, oleum bonum amoris et vinum bonum fidei ſeu verum; quid cætera ſignificant, quod nempe ſuſtulerit eum ſuper proprium jumentum, et duxerit ad diverſorium, et dixerit illis ibi ut curam ejus haberent, videatur ſupra n. 375, ubi illa explicata ſunt. Quod Vinum ſignificet Verum Eccleſiæ, non modo ex allatis locis conſtare poteſt, ſed etiam ex aliis in Verbo, ut Eſaj. i. 21, 22. Cap. xxv. 6. Cap. xxxvi. 17. Hoſch. vii. 4, 5, 14. Cap. xiv. 6, 7, 8. Amos ii. 8. Sachar. ix. 15, 17. Pſalm. civ. 14, 15, 16. Quoniam pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ita quoque Vinum, et in eo ſignificat verum falſificatum, et quoque falſum, ut in ſequentibus locis; apud Eſajam, "*Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraimi, flori decidentis gloriæ ejus, quæ ſuper capite vallis pinguium perturbatorum vino: pedibus conculcabuntur corona ſuperbiæ ebrii Ephraimi; hi per vinum errant, et per ſiceram aberrant; ſacerdotes et propheta errant per ſiceram, abſorbentur a vino, aberrant per vinum, errant inter videntes, titubant judicio,*" xxviii. 1, 3, 7; hæc dicta ſunt de illis qui inſaniunt in ſpiritualibus, ex eo quod ex ſemet intelligentes eſſe credant, et inde glorientur; illorum ſtatus hic deſcribitur per meras correſpondentias; illi qui inſaniunt in ſpiritualibus ſeu in veris, intelliguntur per ebrios, et qui inde intelligentes ſe credunt per Ephraimum; et gloriatio intelligentiæ ſeu eruditionis inde per coronam ſuperbiæ, illi enim qui in falſis doctrinæ ſunt, et in iis ſe confirmaverunt, dum illuſtrantur ac vident vera, in altera vita fiunt tanquam ebrii, tales fiunt eruditi qui ſe in falſis confirmaverunt, et in falſis ſe confirmare eſt ex ſemet et non a Domino, inde patet quid ſignificatur per væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraimi; per florem decidentis gloriæ quæ ſuper capite vallis pinguium perturbatorum vino, ſignificatur Verum Eccleſiæ in ſua naſcentia deperditum ex gloriatione intelligentiæ propriæ, quæ eſt naturalis hominis ſeparati a ſpirituali, qui tunc videt falſum loco veri, flos gloriæ eſt verum in ſua naſcentia cadens ſeu perditum, caput vallis pinguium eſt intelligentia naturalis hominis, perturbati vino ſunt qui vident falſum loco veri; pedibus conculcabuntur corona ſuperbiæ ebrii Ephraimi, ſignificat quod prorſus peritura ſit illa intelligentia; hi per vinum errant et per ſiceram aberrant, ſignificat per falſa et per illa quæ ex illis; ſacerdos et propheta errant per ſiceram, abſorbentur a vino, aberrant per vinum, ſignificat qui in doctrina boni et veri eſſe debent quod tales, et abſtracte a perſonis quod ipſa doctrina illorum ſit talis; errant inter videntes, titubant judicio, ſignificat quod non videant vera quæ intelligentiæ: quod talia ſignificentur per ea verba, nemo videre poteſt niſi ex ſenſu ſpirituali, abſque eo non ſcitur quod Corona et Caput ſignificent intelligentiam, quod ebrii ſignificent illos qui inſaniunt in ſpiritualibus, quod Ephraim intellectum hic hominis proprium ſeu ex ſemet, quod vallis ſignificet inferiora mentis, quæ ſunt naturalia et ſenſualia, et quod ſacerdos et propheta doctrinam boni et veri. Apud Eundem, "*Cunctamini, admiramini, obſtupeſcite et vociferamini; inebriati ſunt et non vino, titubant et non ſicera; nam effudit ſuper vos Jehovah ſpiritum ſomnolentiæ, et occluſit oculos veſtros, prophetas et capita veſtra, videntes obtexit,*" xxix. 9, 10; hæc dicta ſunt de illis qui prorſus nihil veri poſſunt videre, cum audiunt et ex Verbo legunt illud; qui tales ſunt, dicuntur inebriati non vino, ac titubant et non ſicera, vinum in ſpecie ſignificat verum ſpiritualis et inde rationalis hominis, ac ſicera verum naturalis hominis inde; quia tales intelliguntur, ideo dicitur, effudit Jehovah ſuper vos ſpiritum ſomnolentiæ, et occluſit oculos veſtros, ſpiritus ſomnolentiæ eſt nulla perceptio, et occluſi oculi ſunt nullus intellectus; prophetas et capita veſtra obtexit, ſignificat illos qui in doctrina veri, et inde ſapientes et intelligentes eſſent, prophetæ ſignificant illos qui in doctrina veri ſunt, et abſtracte ipſam doctrinam, capita ſignificent ſapientes et abſtracte ſapientiam, ac videntes ſignificant intelligentes et abſtracte intelligentiam; admiratio ſuper tam gravi ſtupiditate deſcribitur per cunctamini, admiramini, obſtupeſcite, ac lamentatio ſuper illa per vociferamini; tales ſunt illi qui in vita mali, et ſimul in principiis falſi ſunt, utcunque eruditi creduntur, per vitam mali enim occluditur perceptio boni, ex qua vita et lux cogitationi eſt, et per principia falſi occluditur intellectus veri, unde vident ſolum ex ſenſuali homine, et nihil ex ſpirituali. Apud Eundem, "*Canes obfirmati anima, non ſciunt ſatietatem; iidemque paſtores non ſciunt intelligere, venite ſumam vinum, et inebriemur ſicera,*" lvi. 11, 12; hæc dicta ſunt de illis qui nihil curant niſi mundana et terreſtria, per quod clauditur internus ſpiritualis homo; illi ex non perceptione boni et non intellectu veri dicuntur canes obfirmati anima, qui non ſciunt ſatietatem, hoc eſt, qui non poſſunt recipere bonum, ſcire hic ſignificat poſſe, et ſatietas receptionem boni, ſatietas enim prædicatur de cibo per quem ſignificatur nutritio ſpiritualis; quod nec illis intellectus veri, intelligitur per iidem paſtores non ſciunt intelligere, paſtores dicuntur qui credunt ſe poſſe inſtruere alios, nam paſcere eſt inſtruere; et quia tales amant falſa et falſificata, ideo additur, venite ſumam vinum, et inebriemur ſicera. Apud Jeremiam, "*Sic dixit Jehovah Deus Iſraelis, omnis uter implebitur vino, ecce Ego implens omnes habitatores terræ hujus, et reges ſedentes Davidi ſuper throno ejus, et ſacerdotes et prophetas; omnes habitatores Hieroſolymæ ebrietate,*" xiii. 12, 13; per vinum hic quoque ſignificatur falſum, et per omnem utrem qui implebitur vino ſignificatur mens hominis, quoniam illa eſt recipiens veri aut falſi, ſicut uter vini; per reges ſedentes Davidi ſuper throno ejus ſignificantur qui alioquin forent in Divinis veris; per ſacerdotes qui in Divinis bonis; per prophetas qui in doctrina; per habitatores Hieroſolymæ omnes qui ab Eccleſia; et per ebrietatem qua implebuntur ſignificatur inſanitio in ſpiritualibus. Apud Eundem, "*Factus ſum ſiut ebrius, et ſicut vir quem penetravit vinum, propter Jehovam et propter verbum ſanctitatis Ipſius, quia adulteris plena eſt terra,*" xxiii. 9, 10; lamentatio hæc eſt ſuper adulterationem boni et falſificationem veri in Eccleſia, hoc ſignificatur per adulteris plena eſt terra, illæ per adulteria ſignificantur, et Eccleſia per terram; inſanitio in ſpiritualibus per ratiocinationes ex malis contra Divina bona, et ex falſis contra Divina vera, ſignificatur per factus ſum ſicut ebrius et ſicut vir quem penetravit vinum, propter Jehovam, et propter verbum ſanctitatis Ipſius; fieri ſicut ebrius et ſicut vir quem penetravit vinum, ſignificat perturbationem mentis et inſanitionem a ratiociniis ex malis et falſis, propter Jehovam ſignificat propter Divina bona, ac propter verbum ſanctitatis Ipſius ſignificat propter Divina vera. Apud Eſajam, "*Audi, age hoc* *afflicta, et abria ſed non a vino,*" li. 21; per ebriam ſed non a vino, intelliguntur hic qui in falſis ſunt ex ignorantia veri. "*Quod Noach biberit de vino, et inebriatus ſit, et quod inde nudatus jacuerit in medio tentorii ſui,*" Geneſ. ix. 21; in ſenſu ſpirituali prorſus aliud intelligitur quam in ſenſu literæ: ſimiliter per "*Lothum quod inebriatus ſit a filiabus ſuis, et hæ tunc cubuerint cum illo,*" Gen. xix. 32, 33, 34; quid per inebriationem Noachi in ſenſu ſpirituali intelligitur, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1070 ad 1081; et quid per inebriationem Lothi, n. 2465 ad f. Per ebrietatem etiam alibi in Verbo ſignificatur inſania in ſpiritualibus ac lapſus in errores, ut Eſaj. xix. 11, 12, 14. Cap. xxv. 27. Joel i. 3, 6, 7. Jerem. li. 7. Levit. x. 8, 9. Quod per vinum in oppoſito ſenſu ſignificetur falſum, etiam conſtat apud Eſajam, "*Væ ſurgentibus mane ſub auroram ſiceram perſequuntur, commorantibus in crepuſculum vinum incendit eos, opus autem Jehovæ non introſpiciunt, et factum manuum Ipſius non vident: væ ſapientibus in oculis ſuis, et coram faciebus ſuis intelligentibus: væ heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miſcendum ſiceram,*" v. 11, 12, 21, 22; hæc dicuntur de illis qui ſibi faciunt doctrinalia ex propria intelligentia, et non ex Domino ſeu ex Verbo ab Ipſo, unde mera falſa; quare per væ ſurgentibus mane ſub auroram ſiceram perſequuntur, commorantibus in crepuſculum vinum incendit eos, opus autem Jehovæ non introſpiciunt, et factum manuum Ipſius non vident, ſignificatur ſtatus perverſus eorum qui credunt illuſtrari a ſemet, unde falſa doctrinæ, et non curant Verbum, unde ſciant bona et vera vitæ ac doctrinæ; ſurgere mane ſub auroram, et commorari in crepuſculum ſignificat illuſtrari, ac perſequi ſiceram et incendi vino ſignificat excludere doctrinalia ex ſemet, opus Jehovæ non introſpicere et factum manuum Ipſius non videre, ſignificat non curare Verbum, ac bona vitæ et vera doctrinæ ibi detecta, opus Jehovæ dicitur de bonis vitæ, ac factum manuum Ipſius de veris doctrinæ, utraque ex Verbo; quia illi intelliguntur, ideo dicitur, væ ſapientibus in oculis ſuis, et coram faciebus ſuis intelligentibus, et per ſapientes in oculis ſuis ſignificantur qui ex propria intelligentia, et per intelligentes coram faciebus ſuis ſignificantur qui ex propria affectione, oculi enim ſignificant intellectum, et facies affectionem; et per væ heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miſcendum ſiceram, ſignificatur quod illis qui magna ſpirant ac ingenioſi ſunt ad confirmandum falſa quæ favent amoribus ſui ac principiis ſuis, heroes ſunt qui magna ſpirant, viri roboris ſunt qui ingenioſi et ſibi intelligentes videntur, potare vinum eſt haurire falſa, et miſcere ſiceram eſt confirmare illa; omnes illi tales ſunt, qui ſunt in amore ſui et ambiunt eruditionis famam, ſunt enim in proprio, et ab illo elevari nequeunt, quare cogitatio eorum eſt in ſenſuali corporeo, cui non aliquod verum apparet nec bonum ſpirituale percipitur; at qui non in amore ſui ſunt ac ambiunt intelligentiam propter uſus vitæ, illi a proprio elevantur a Domino in lucem cœli ipſis neſcientibus, ac illuſtrantur. Apud Hoſcheam, "*Scortatio et muſtum occupavit cor, populus meus lignum interrogat, et baculus ejus reſpondet illi, quia ſpiritus ſcortationum ſeduxit, et ſcortati ſunt ſub Deo ſuo: ſociatus idolis Ephraim, receſſit vinum eorum, ſcortando ſcortari,*"

ſcortari," iv. 11, 12, 17, 18; agitur hic de illis qui falſificant vera, falſificatio veri ſignificatur per ſcortationem, ac falſum inde per muſtum, inde patet quid ſignificatur per quod ſcortatio et muſtum occupavit cor, quod ſpiritus ſcortationum ſeduxit, ſcortati ſunt ſeb Deo ſuo, et receſſit vinum ſcortando ſcortari, quod nempe falſificent Divina vera, et quod inde illis non aliquod verum, ſcortari ſub Deo ſuo ſignificat falſificare Divina vera, et receſſit vinum ſignificat quod inde illis non aliquod verum; per Ephraim qui ſociatus idolis ſignificantur illi qui ex propria intelligentia, et per idola quibus ſociatus ſignificantur falſa religionis; per quod populus meus lignum interroget, et baculus ejus reſpondeat illi, ſignificatur quod conſulant proprium amorem, ac ſoveant ei ex propria intelligentia, lignum enim ſeu idolum ex ligno quod interrogat ſignificat proprium amorem, et baculus qui reſpondet ſignificat potentiam ex proprio, ita intelligentiam. In Apocalypſi, "*Cecidit, cecidit Babylon, urbs magna, quia ex vino iræ ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes: ſi quis beſtiam adorat, ille bibet ex vino iræ Dei mixto mero in calice iræ Dei, et cruciabitur igne et ſulphure,*" xiv. 8, 10: alibi, "*Monſtrabo tibi judicium meretricis magnæ ſedentis ſuper aquis multis, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, et inebriati ſunt ex vino ſcortationis ejus inhabitantes terram,*" xvii. 1, 2: et alibi, "*Quia ex vino ſcortationis potavit omnes gentes, et reges terræ cum ea ſcortati ſunt,*" xviii. 3; per vinum iræ Dei ſignificatur falſum mali, et per vinum ſcortationis ſignificatur falſificatum verum; quid per reliqua intelligitur, videbitur in explicatione eorum: tum quid per hæc in Apocalypſi, "*Babylonis magnæ memoria facta eſt coram Deo, ad dandum illi poculum vini furoris iræ Dei,*" xvi. 19: ſimile quod per vinum iræ Dei, etiam ſignificatur per calicem ſeu poculum iræ Dei: apud Jeremiam, "*Calix auri Babel in manu Jehovæ inebrians univerſam terram; de vino ejus biberunt gentes, ideo inſaniunt gentes,*" li. 7: ac apud Davidem, "*Calix in manu Jehovæ, et vino miſcuit, implevit mixto, et effudit, ſed feces ejus exugent; bibent omnes impii terræ,*" Pſalm. lxxv. 9. Quoniam per Mincham et Libamen, quæ erant Panis et Vinum, ſignificatur cultus ex bono amoris et veris fidei, inde in oppoſito ſenſu per mincham et libamen ſignificatur cultus ex malis quæ amoris mali et ex falſis fidei, quæ ſignificabantur per mincham et libamen, quæ offerebantur idolis ac diis, Eſaj. lxv. 11. Cap. lvii. 6. Jerem. vii. 18. Cap. xliv. 17, 18, 19. Ezech. xx. 28. Deut. xxxii. 38; et alibi. Ex ſignificatione Vini conſtare poteſt, quid in Verbo ſignificatur per vineam, per vitem, per palmites ejus, perque uvas, quod nempe per vineam Eccleſia ſpiritualis ſeu Eccleſia quæ eſt in veris ac bonis doctrinæ ex Verbo, per vitem ipſa doctrina, per palmites ejus vera ex quibus doctrina, et per uvas quæ ſunt fructus vineæ ac vitium bona charitatis et bona fidei: ſed de his alibi.

377. Verſ. 7, 8. *Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis dicentem, veni et aſpice: et vidi et ecce Equus pallidus, et ſedens ſuper illo nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo, et data illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ in romphæa et in fame et in morte, et a feris terræ.* Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, ſignificat prædic-

tionem manifeſtatam ulterius: audivi vocem quarti Animalis dicentem, ſignificat e Cœlo intimo a Domino: veni et aſpice, ſignificat attentionem et perceptionem: et vidi et ecce Equus pallidus, ſignificat intellectum Verbi nullum, ex malis vitæ et inde falſis tunc: et ſedens ſuper illo ſignificat Verbum: nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo, ſignificat damnationem æternam: et data illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ, ſignificat deprivationem omnis boni et inde veri ex Verbo, et inde in doctrina Eccleſiæ eorum ex Verbo: in romphæa, ſignificat per falſum: et in fame, ſignificat per deprivationem, defectum, et ignorantiam cognitionum veri et boni: et in morte, ſignificat inde exſtinctionem vitæ ſpiritualis: et a feris terræ, ſignificat mala vitæ, ſeu cupiditates et inde falſitates oriundas ab amore ſui et mundi, quæ vaſtant omnia Eccleſiæ apud hominem.

378. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, quod ſignificet prædictionem manifeſtatam ulterius, conſtat ex illis quæ ſupra n. 351, 352, 361, dicta et oſtenſa ſunt.

379. Audivi vocem quarti Animalis dicentem, quod ſignificet e Cœlo intimo a Domino, conſtat etiam ex illis quæ ſupra, n. 353, 362, 370, dicta et oſtenſa ſunt.

380. Veni et aſpice, ſignificat attentionem et perceptionem, ut ſupra n. 354, 371.

381. Et vidi et ecce Equus pallidus, quod ſignificet intellectum Verbi nullum ex malis vitæ et inde falſis tunc, conſtabit ex ſequentibus; agitur in hoc et ſequente Capite de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ, hoc eſt, hominum Eccleſiæ quoad ſpiritualem eorum vitam; ac primus ſtatus eorum deſcriptus eſt per Equum album, ſecundus per Equum rufum, tertius per Equum nigrum, et quartus per Equum pallidum; quod per Equum album ſignificatus ſit intellectus veri ex Verbo, videatur ſupra n. 355; quod per Equum rufum ſignificatus ſit intellectus Verbi deperditus quoad bonum, n. 364; quod per Equum nigrum ſignificatus ſit intellectus Verbi deperditus quoad verum, n. 372; inde nunc patet, quod per Equum pallidum ſignificetur intellectus Verbi nullus ex malis vitæ et inde falſis; cum enim intellectus Verbi deperditus eſt quoad bonum et quoad verum, ſequitur quod intellectus Verbi nullus ſit; et quod nullus ſit, eſt quia malum vitæ et inde falſum regnat; dicitur malum vitæ et inde falſum, nam ubi malum vitæ eſt, ibi etiam falſum eſt, unum enim faciunt in ſpiritu hominis; in ſpiritu hominis dicitur, quoniam malus homo poteſt æque ac bonus homo bonum facere, et verum loqui, ſed hoc a malo homine fit ſolum ex naturali homine et inde corpore, at intus apud illum, hoc eſt, in ſpiritu ejus, non eſt voluntas boni et inde nec intellectus veri, ita non bonum nec verum; quod imprimis patet ex iiſdem cum fiant ſpiritus, tunc quia in ſpiritu ſunt, non aliud volunt quam malum, nec aliud loquuntur quam falſum; hoc nunc intelligitur per Equum pallidum: quod Equus ſignificet intellectum, videatur ſupra n. 355, hic intellectum Verbi, quia per ſedentem ſuper Equo ſignificatur Verbum, n. 373. Quod pallidus ſignificet malum vitæ et

inde falſum, ita Equus pallidus intellectum Verbi nullum ex malis vitæ et inde falſis, eſt quia pallor indicat et inde ſignificat abſentiam vitæ ſeu deprivationem ejus, hic abſentiam et deprivationem vitæ ſpiritualis, quæ eſt quando loco boni vitæ eſt malum vitæ, et loco veri fidei eſt falſum fidei, tunc enim non eſt vita ſpiritualis: per vitam ſpiritualem intelligitur vita Cœli, quæ etiam in Verbo ſimpliciter vita vocatur; at vita non ſpiritualis eſt qualis eſt illis qui in inferno ſunt, quæ etiam in Verbo vocatur mors. Quod per Equum pallidum mors ſpiritualis ſignificetur, patet quoque ex ſequentibus hujus Verſus, nam dicitur, *Sedens ſuper Equo illo nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo.* Simile ſignificatur per pallorem ſeu per pallidum apud Jeremiam, "*Interrogate quæſo et videte num pariens mas; video omnem virum manus ejus ſuper lumbis ejus ſicut parturientis, et converſæ ſunt omnes facies in pallorem,*" xxx. 6; quid hæc involvunt, nemo ſcire poteſt niſi ſciat quid ſignificat parere, quid mas et vir, quid manus ſuper lumbis, et quid facies; hæc dicta ſunt de illis qui ex propria intelligentia ſibi comparare volunt amorem et fidem, illa ſibi comparare ſignificatur per parere; per marem et virum ſignificatur intelligentia, hic propria; per manus ſuper lumbis ſignificatur excludere illa; et per facies ſignificatur amor et fides, nam qualis eſt amor et fides, talis eſt facies angelis et ſpiritibus, affectio enim boni quæ eſt amor, et affectio veri quæ eſt fides, ſe manifeſtant prorſus in faciebus illorum; inde per num pariens mas, ſignificatur num aliquis ex propria intelligentia comparet ſibi bonum amoris et verum fidei; per video omnem virum, manus ejus ſuper lumbis ejus, ſicut parturientis, ſignificatur quod quiſque connitatur ex proprio excludere illa; et per converſæ ſunt omnes facies in pallorem, ſignificatur quod inde non bonum et verum, ſed malum et falſum, ita non vita ſed mors ſpiritualis, hoc ſignificatur per pallorem faciei: quod conceptiones, partus et nativitates in Verbo ſignificent conceptiones, partus et nativitates ſpirituales, quæ ſunt amoris et fidei, videatur n. 3860, 3868, 3915, 3965, 3919, 9325; quod mas ſeu maſculus ſignificet verum, et inde intelligentiam, n. 749, 2046, 4005, 7838; ſimiliter vir, n. 749, 1007, 3134, 3309, 3459, 9007: quod facies ſignificet interiora quæ mentis, ita quæ amoris et fidei, n. 1999, 2434, 3527, 4066, 4796, 5102, 9306, 9546: quod facies apud Angelos ſint formæ affectionum eorum, in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 47, 457, 459, 481, 552, 553. Simile per palleſcere ſignificatur apud Eſajam, "*Non pudefiet Jacobus, et non facies ejus palleſcent,*" xxix. 22; per Jacobum intelliguntur illi qui ab Eccleſia, et per quod facies ejus non palleſcent, quod non in malis et falſis, ſed in bonis et veris erunt. Quod pallor ſignificet abſentiam et deprivationem vitæ ſpiritualis, quæ eſt quando non eſt bonum et verum, ſed malum et falſum, eſt quia cum homo deprivatur calore vitali, tunc palleſcat, ac fiat imago mortis, ſicut fit in maximis terroribus, pariter cum moritur; cum autem ſpiritualiter moritur, tunc facies ejus vel fit rubra inſtar ignis carbonarii, vel pallide inſtar cadaveris, tales apparent infernales in luce cœli.

382. Et ſedens ſuper illo, quod ſignificet Verbum, conſtat ex illis quæ

ſupra, n. 373, dicta et oſtenſa ſunt; quod dicatur quod nomen illi mors, non eſt quod Verbum in ſe ſit mors, ſed coram illis qui in malis et inde falſis ſunt, illi enim nihil veri et boni inibi vident et percipiunt, ita nihil vitæ ſpiritualis, quare ſecundum apparentiam et perceptionem coram illis qui tales ſunt, nomen ſedentis ſuper Equo pallido vocatur mors; Verbum enim cuivis apparet ſecundum ejus quale, ut vita illis qui in bono et vero ſunt, at ut mors illis qui in malis et falſis: ſimile eſt cum Ipſo Domino, qui eſt Verbum, Ipſe etiam apparet cuivis ſecundum quale ejus, ut ignis et lux vivificans et recreans illis qui in bono et inde veris ſunt, ſed ut ignis conſumens ac ut caligo illis qui in malo et inde falſis ſunt, videatur n. 934 f. 1861 f. 6832, 8814, 8819, 9434, 10551: quapropter etiam apparet Dominus illis qui in malo et inde falſis ſunt, ſicut quod iraſcatur, puniat, condemnet, dejiciat in infernum, cum tamen nuſquam iraſcitur, nec punit, condemnat ac dejicit in infernum, ſed ſalvat quantum homo ſe applicat, eſt enim ipſum Bonum et Verum, eſt ipſe Amor ac ipſe Miſericordia: ſimile eſt cum hoc, quod dicatur quod nomen ſedenti ſuper Equo pallido ſit mors; reliqua de hac re videantur in loco ſupra citato, n. 373.

383. Nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo, quod ſignificet damnationem æternam, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale rei, de qua ſupra n. 102, 148, hic quale Verbi qui in malis et inde falſis ſunt; ex ſignificatione mortis, quod ſit damnatio, de qua etiam ſupra n. 186; mors enim ſpiritualis non aliud eſt; ex ſignificatione inferni, quod ſit malum et inde falſum, quoniam in illis et ex illis eſt infernus: et præterea per infernum ſignificatur ſimile quod per mortem, nempe damnatio, ſed quia hic utrumque dicitur, et ſic diſtinguitur a morte, ſignificatur per infernum damnatio æterna, nam qui in infernum veniunt, ibi manent in æternum, quare etiam dicitur et infernus ſequebatur cum illo, nam per ſequi cum illo ſignificatur manere in illa, nempe in damnatione in æternum. Ex his conſtare poteſt, quod per nomen illi mors, et infernus ſequebatur cum illo, ſignificetur damnatio æterna.

384. Et data illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ, quod ſignificet deprivationem omnis boni et inde omnis veri ex Verbo, et inde in doctrina Eccleſiæ eorum ex Verbo, conſtat ex ſignificatione poteſtatis, quod ſit effectus, quoniam poſſe eſt efficere; ex ſignificatione interficere ſeu occidere, quod ſit deprivare bono et vero, de qua ſupra n. 366; ex ſignificatione quartæ partis, quod ſit omne bonum et inde verum, de qua ſequitur; et ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, et omne ejus, de qua ſupra n. 29, 304; et quia Eccleſia eſt Eccleſia ex doctrina ibi et ex vita ſecundum illam, et quia omnis doctrina Eccleſiæ erit ex Verbo, inde etiam ſimul ſignificatur doctrina Eccleſiæ ex Verbo; ex his conſtare poteſt, quod per data illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ, ſignificetur deprivatio omnis boni et inde veri ex Verbo, et inde in doctrina Eccleſiæ ex Verbo; quod dicatur quod poteſtas data illis, intelligitur quod malis et inde falſis, quæ etiam ſignificantur per mortem et infernum. Quod illi qui in malis et falſis

ſunt, ſe deprivent omni perceptione boni ac intellectu veri ex Verbo, et inde in doctrina Eccleſiæ eorum ex Verbo, patet manifeſte ex illis qui in falſis doctrinæ ſunt ex malis vitæ, illi tametſi legunt Verbum, uſque vera quæ ibi ſunt vel non vident vel falſificant, applicando illa ad falſa principii ſui et ad mala amoris ſui; ſenſus literæ enim Verbi talis eſt, ut qui in bono ſunt videant vera ibi, et qui in malo videant falſa ibi, nam ſenſus literæ eſt ſecundum captum infantum, puerorum, et ſimplicium, et propterea ſecundum apparentiam, ſed uſque in eo ſenſu latent vera, quæ non alii vident quam qui in bono ſunt, at qui in malo ſunt non volunt videre illa, ſed trahunt ea per ſiniſtras interpretationes ad mala amorum ſuorum et ad falſa principiorum ſuorum; ut manifeſte conſtare poteſt ex tot hæreſibus intra Eccleſiam, imprimis ex nefanda hæreſi Babylonica, et quoque ex hæreſi Judaica. Quod quarta pars ſignificet omne bonum et inde verum, eſt quia numerus quatuor ſignificat conjunctionem boni et veri, et inde quarta pars ſeu quartum ſignificat omne conjunctionis: in Verbo ſæpius dicitur tertia pars et quoque quarta pars, et qui non ſcit quod omnes numeri ſignificent res, credere poteſt quod tertia pars ſignificet tertiam partem, et quarta pars quartam partem, ſeu quod ſignificent aliquid, at per tertiam partem ſignificatur omne verum, et per quartam partem omne bonum; et quia omne verum eſt ex bono, inde per quartam partem ſignificatur omne bonum et inde verum, hic deprivatio eorum, quia dicitur data eſt illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ: quod tria et inde tertia pars dicatur de veris, videbitur in ſequentibus, ubi is numerus nominatur: quod autem quatuor et inde quarta pars dicantur de bonis et inde veris, eſt cauſa quia ſignificant conjunctionem eorum; quod ita ſit, patuit mihi ex multa experientia e mundo ſpirituali, quando enim ibi ſermo Angelis fuit de conjunctione boni et veri, ſeu amoris et fidei, et is ſermo determinatus eſt in numeros, tunc exiit numerus quatuor, quandoque etiam numerus duo, aut numerus octo, aut numerus ſexdecim, quia hi numeri ſimilia ſignificant, nam numeri in ſe multiplicati, ac diviſi ſimilia ſignificant cum numeris per quos multiplicati aut diviſi ſunt, videatur n. 5291, 5335, 5708, 7973: quod ſermo Angelicus etiam cadat in numeros, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 263: quod quatuor ſignificent conjunctionem boni et veri, ducit originem ex quatuor Plagis in Cœlo, in binis earum, nempe in Oriente et Occidente habitant qui in bono amoris ſunt, inque binis nempe Meridie et Septentrione qui in veris inde ſunt, videatur etiam in Opere de Cœlo et Inferno, n. 141 ad 153; inde per quatuor plagas ſeu per quatuor ventos ſignificatur omne bonum et inde verum, et per quatuor conjunctio eorum. Quod quarta pars ſignificet omne conjunctionis boni et veri, eſt quia quartum ibi facit omne, et quartum eſt ſignificativum conjunctionis, inde per interficere quartam partem ſignificatur omne conjunctionis, proinde omne bonum et verum, nam ubi non conjunctio eorum datur, ibi non ſunt, bonum enim abſque vero non datur, nec verum abſque bono, ſunt in ſua eſſentia unum, quia verum eſt boni ac bonum eſt veri, ut conſtare poteſt ex illis quæ in

Doctrina Novæ Hieroſolymæ, de Bono et Vero, n. 11 ad 27 dicta et allata ſunt, quæ videantur.

385. In romphæa, quod ſignificet per falſum, conſtat ex ſignificatione romphææ, quod ſit verum pugnans contra falſum et deſtruens illud, ac in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra verum et deſtruens illud, de qua ſupra n. 131, 367.

386. Et in fame, quod ſignificet per privationem, defectum et ignorantiam cognitionum veri et boni, conſtat ex ſignificatione famis, quod ſit privatio cognitionum veri et boni, tum defectus ac ignorantia earum, hæc ſignificantur per famem in Verbo; quod hæc per famem ſignificentur, eſt quia per cibum et potum ſignificantur omnia quæ nutriunt et ſuſtentant vitam ſpiritualem, quæ in genere ſunt cognitiones veri et boni: ipſa vita ſpiritualis æque ſua nutritione et ſuſtentatione eget, prout vita naturalis, quare illa in fame dicitur eſſe, quando homo deprivatur illis, aut quando deficiunt, aut quando ignorantur et uſque deſiderantur; etiam cibi naturales correſpondent cibis ſpiritualibus, ſicut panis bono amoris, vinum veris inde, ac reliqui cibi et potus in ſpecie ſuis bonis et veris, de quibus paſſim actum eſt in præcedentibus et agetur in ſequentibus. Dicitur quod fames ſignificet deprivationem cognitionum veri et boni, tum defectum et ignorantiam eorum, quia deprivatio eſt apud illos qui in malis et inde falſis ſunt, defectus apud illos qui non poſſunt ſcire illas quia non ſunt in Eccleſia ſeu in doctrina ejus, et ignorantia apud illos qui ſciunt quod ſint, et inde deſiderant illas: hæc tria per famem in Verbo ſignificantur, ut conſtare poteſt a locis ibi ubi fames, eſurientes, ſitis et ſitientes nominantur; quod I. *fames ſignificet deprivationem cognitionum veri et boni quæ eſt apud illos qui in malis et inde falſis ſunt*, conſtat a ſequentibus; apud Eſajam, "*In excandeſcentia Jehovæ Zebaoth obſcurata eſt terra, factuſque eſt populus cibus ignis, vir fratri ſuo non parcet; et ſi deciderit ad dextram, eſuriet tamen, et ſi comedit ad ſiniſtram, non ſaturabuntur, vir carnem brachii ſui comedent, Menaſcheh Ephraimum, et Ephraimus Menaſchen, una illi contra Jehovam,*" ix. 18, 19, 20; hæc nemo intellecturus eſt niſi ex ſenſu interno, imo nec de qua re agitur; agitur ibi de exſtinctione boni per falſum, ac veri per malum; perverſio Eccleſiæ per falſum intelligitur per in excandeſcentia Jehovæ Zebaoth obſcurata eſt terra, et perverſio ejus per malum intelligitur per factus eſt populus cibus ignis, obſcurata terra ſignificat Eccleſiam ubi non verum ſed falſum, et cibus ignis ſignificat conſumtionem ejus ab amore mali, ignis eſt amor mali; quod falſum deſtruet bonum, intelligitur per vir fratri ſuo non parcet, vir et frater ſignificat verum et bonum, hic vir falſum et frater bonum, quia dicitur quod ei non parcet; quod inde deprivatio omnis boni et omnis veri utcunque inquirit, intelligitur per ſi deciderit ad dextram eſuriet tamen, et ſi comedit ad ſiniſtram non ſaturabuntur; dextra ſignificat bonum ex quo verum, et ſiniſtra verum ex bono, cadere et comedere ad illas ſignificat inquirere, ac eſurire et non ſaturari eſt deprivari; quod malum exſtinguet omne verum, et falſum omne bonum, intelligitur per vir carnem brachii ſui comedent, caro brachii eſt potentia boni per verum, vir eſt falſum, et comedere eſt exſtinguere; quod inde omnis voluntas boni ac intellectus veri

pereat, intelligitur per Menaſcheh comedet Ephraimum et Ephraimus Menaſchen, quod Menaſcheh ſit voluntas boni, ac Ephraim intellectus veri, videatur n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296; quod hæc illis ſint qui in malis et falſis, intelligitur per una illi contra Jehovam, nam cum voluntas in bono eſt ac intellectus in vero, tunc cum Jehovah ſunt, quia utrumque ab Ipſo, at cum voluntas in malo eſt et intellectus in falſo, tunc contra Jehovam ſunt. Apud Eundem, "*Ne læteris Philiſthæa tota, quod fracta ſit virga percutiens te, nam a radice ſerpentis exibit baſiliſcus, cujus fructus preſter volans; occidam fame radicem tuam, et reſiduos tuos occidet,*" xiv. 29, 30; ſimilia pæne per hæc in ſenſu interno intelliguntur, ſed agitur hic de illis qui credunt ſolum viſum interiorem naturalis hominis eſſe fidem, et per hanc ſeu per illum juſtificari et ſalvari, negantes ſic quod bonum charitatis aliquid efficiat, illi qui tales ſunt intelliguntur per Philiſthæos et cœtus eorum per Philiſthæam, videatur n. 3412, 3413, 8093, 8313; quod principium id falſum, quod eſt ſola fides, ſeu fides ſeparata a charitate, deſtruat omne bonum et verum Eccleſiæ, intelligitur per a radice ſerpentis exibit baſiliſcus, radix ſerpentis eſt principium illud falſum, et baſiliſcus eſt deſtructio boni et veri Eccleſiæ per illud; quod inde oriatur ratiocinatio ex meris falſis, intelligitur per cujus fructus preſter volans, preſter volans eſt ratiocinatio ex falſis; deprivatio omnis veri et inde omnis boni, intelligitur per occidam fame radicem tuam, et fames reſiduos tuos occidet, fames eſt deprivatio veri et boni, et reſidui ſunt omnia quæ ex eo principio excluduntur: quod hæc intelligantur, patuit etiam ab ipſa experientia; illi qui in principio de ſola fide ſe confirmaverunt doctrina et vita, in mundo ſpirituali viſi ſunt ſicut baſiliſci, et ratiocinationes eorum ſicut preſteres volantes. Apud Eundem, "*Qui format deum, et fuſile fundit, et non prodeſt, fabricat ferrum forcipe, et operatur carbone, et malleis acutis format illud: ſic operatur illud per brachium roboris ſui, etiam eſurit uſque dum non robur, neque bibit uſque dum fatigatur,*" xliv. 10, 12; per hæc deſcribitur formatio doctrinæ ex proprio tam intellectu quam amore; per formare deum ſignificatur doctrina ex proprio intellectu, et per fundere fuſile ex proprio amore; per fabricat ferrum forcipe et operatur carbone, ſignificatur falſum quod vocat verum, et malum quod vocat bonum, ferrum eſt falſum, et ignis carbonis eſt malum amoris proprii; per malleis acutis format illud, ſignificatur per ratiocinia ex falſis ingenioſa, ut appareant cohærere; per ſic operatur illud per brachium roboris ſui, ſignificatur ex proprio; per etiam eſurit uſque dum non robur, neque bibit uſque dum fatigatur, ſignificatur quod nuſquam aliquid boni, nec aliquid veri, eſurire ſignificat deprivationem boni, ac non bibere deprivationem veri, ac uſque dum non robur, et uſque dum fatigatur, ſignificat quod uſque dum nihil boni et nihil veri maneat: quis, qui ex ſolo ſenſu literæ videt Verbum, aliter ſcit, quam quod formatio fuſilis hic deſcribatur, ſed uſque videre poteſt, quod talis deſcriptio formationis fuſilis non aliquid ſpirituale involvat, tum quod ſuperfluum ſit dicere, quod etiam eſuriat uſque dum non robur, neque bibat uſque dum fatigatur; at in Verbo non ſolum hic ſed etiam alibi paſſim deſcribitur formatio religionis et doctrinæ falſi per idola, ſculptilia et fuſilia, quæ quod ſignificent falſa religionis et doctrinæ oriunda ex proprio intellectu et ex proprio amore, videatur n. 8869, 8932, 8941, 9429, 10406, 10503. Apud Eundem, "*Duo hæc obvenerunt tibi, quis condoleat tibi, devaſtatio et confractio, et fames et gladius,*" li. 19; hic quoque per famem intelligitur deprivatio cognitionum boni, uſque dum non bonum amplius; et per gladium deprivatio cognitionum veri, uſque dum non verum amplius; quare etiam dicitur devaſtatio et confractio, devaſtatio ſignificat quod non bonum amplius, et confractio quod non verum amplius. Apud Eundem, "*Sic dixit Dominus Jehovih, ecce ſervi mei comedent, vos autem eſurietis; ſervi mei bibent, vos autem ſitietis; ecce ſervi mei lætabuntur, vos autem pudefietis,*" lxv. 13; per eſurire et ſitire hic quoque intelligitur deprivari bono amoris et veris fidei, per eſurire deprivari bono amoris, et per ſitire deprivari veris fidei; per comedere et bibere ſignificatur communicari et appropriari bona et vera, ac per ſervos Domini Jehovih illi qui recipiunt bona et vera a Domino; inde patet, quid ſignificatur per ecce ſervi mei comedent, vos autem eſurietis, ſervi mei bibent, vos autem ſitietis; quod illis felicitas æterna, his autem infelicitas, ſignificatur per ecce ſervi mei lætabuntur, vos autem pudefietis. Apud Jeremiam, "*Gladio, fame et peſte Ego conſumens eos: dixi tamen, ah Domine Jehovih, ecce prophetæ dicunt iis, non videbitis gladium, et fames non erit vobis: quare ſic dixit Jehovah contra prophetas prophetantes in Nomine meo, cum non miſerim eos, illi tamen dicentes, gladius et fames non erit in terra hac, gladio et fame conſumentur prophetæ hi: populus, quibus illi prophetantes, erunt abjecti in plateis Hieroſolymæ, nec ſepeliens iis,*" xiv. 12, 13, 15, 16; per gladium, famem et peſtem, ſignificatur deprivatio veri et boni, et inde vitæ ſpiritualis per falſa et mala, per gladium deprivatio veri per falſa, per famem deprivatio boni per mala, et per peſtem deprivatio vitæ ſpiritualis; per prophetas intelliguntur illi qui docent vera doctrinæ, et in ſenſu abſtracto doctrinalia veri, inde patet quid per omnia illa ſignificatur, nempe quod qui doctrinam falſi et mali docent, perituri ſint per ea quæ ſignificantur per gladium et famem; quod etiam illi qui recipiunt eam doctrinam ex illis ab omni Eccleſiæ vero ſeparati ſint et damnati, ſignificatur per quod erunt abjecti in plateis Hieroſolymæ, nec ſepeliens iis, plateæ Hieroſolymæ ſunt vera Eccleſiæ, abjici in illis eſt ſeparari a veris illis, et non ſepeliri eſt damnari. Similia per gladium, famem et peſtem ſignificantur in ſequentibus his locis, nempe per gladium deprivatio veri per falſa, per famem deprivatio boni per mala, et per peſtem conſumtio et deprivatio vitæ ſpiritualis inde; apud Jeremiam, "*Gladio et fame conſumientur, ut fiat cadaver eorum in cibum avibus cœlorum et beſtiæ terræ,*" xvi. 4; cadaver in cibum avibus cœlorum, ſignificat damnationem per falſa; et in cibum beſtiæ terræ damnationem per mala. Apud Eundem, "*Abnegarunt Jehovam, quando dixerunt non Ille, neque veniet ſuper nos malum, ac gladium famemque non videbimus,*" v. 12. Apud Eundem, "*Ecce Ego viſitans ſuper iis, juvenes morientur gladio, filii eorum et filiæ eorum morientur fame,*" xi. 22. Apud Eundem, "*Da filios ejus fami, et defluere fac illos ſuper manus gladii, ut fiant uxores orbæ et viduæ, et homines ejus fiant occiſi morte, juvenes eorum percuſſi gladio in bello,*" xviii. 21. Apud Eundem, "*Mittam in eos gladium, famem, et peſtem, et dabo eos ſicut ficus horridas, quæ non comedi poſſunt præ* *malitia, et perſequar poſt eos gladio, fame et peſte,*" xxix. 17, 18. Apud Eundem, "*Mittam in eos gladium, famem et peſtem, donec conſumuntur de ſuper terra, quam dedi illis et patribus eorum,*" xxiv. 10. Apud Eundem, "*Ego proclamo vobis libertatem ad gladium, ad peſtem et ad famem, et tradam vos in commotionem omnibus regnis terræ,*" xxxiv. 17. Apud Evangeliſtas, "*Excitabitur gens contra gentem, et regnum contra regnum, et erunt peſtes et fames et terræ motus variis locis,*" Matth. xxiv. 7, 8. Marc. xiii. 8. Luc. xxi. 11. Apud Ezechielem, "*Quia ſanctuarium meum polluiſti, tertia pars tui peſte morientur, et fame conſumentur in medio tui, et tertia pars gladio cadent circa te, et tertiam partem in omnem ventum diſpergam. Quum miſero tela famis mala in eos, qui erunt in perditionem; dum miſero ea ad perdendum vos; quin famem addidero ſuper vos, donec fregero vobis baculum panis. Et mittam ſuper vos famem et feram malam, et orbam faciam te, et peſtis et ſanguis tranſibit per te,*" v. 11, 12, 16, 17. Apud Eundem, "*Gladius foris, et peſtis atque fames intus; qui in agro, gladio morietur, qui vero in urbe, eum fames et peſtis conſument,*" vii. 15. Apud Eundem, "*Propter omnes abominationes malas, per gladium, per famem et per peſtem cadent; qui procul, peſte morietur, qui propinquus gladio cadet, et reſiduus et reſervatus fame morietur,*" vi. 11, 12. Apud Jeremiam, "*Quod ſi dicitis, nos non habitabimus in terra hac, ut non obediatis voci Jehovæ Dei veſtri; non, ſed terram Ægypti veniemus, ubi non videbimus bellum, et vocem buccinæ non audiemus, et panem non eſuriemus, et ibi habitabimus: Audite verbum Jehovæ, ſi vos ponendo poſueritis facies veſtras ad veniendum Ægyptum, et veneritis ad peregrinandum ibi, fiet, gladius, a quo timetis vos, ibi prehendet vos in terra Ægypti, et fames, de qua vos ſolliciti eſtis, ibi adhærebit poſt vos in Ægypto, et ibi moriemini, ac morituri ibi gladio, fame et peſte, nec erit illis reſiduus propter malum, quod Ego adducens ſuper vos; et eritis in maledictionem et ſtuporem et in opprobrium, neque videbitis amplius locum hunc: jam ergo ſciendo ſcietis, quod gladio, fame ac peſte morituri ſitis in loco quo voluiſtis venire ad peregrinandum ibi,*" xlii. 13, 14, 16, 17, 18, 22. Cap. xliv. 12, 13, 27; per Ægyptum hic ſignificatur Naturale, et per venire in Ægyptum et peregrinari ibi ſignificatur fieri naturalis; quod Ægyptus ſit ſcientificum quod naturalis hominis, et quod inde ſit naturale, ac terra Ægypti mens naturalis, videatur n. 4967, 5079, 5080, 5095, 5276, 5278, 5280, 5288, 5301, 5460, 5799, 6015, 6147, 6252, 7353, 7648, 9340, 9391; et quod peregrinari ſit inſtrui et vivere, n. 1463, 2025, 3672; ex his conſtare poteſt, quid in ſenſu ſpirituali ſignificatur per quod non venturi ſint in Ægyptum, et quod tunc gladio, fame et peſte morituri ſint, quod nempe ſi mere naturales fierent, deprivarentur omni vero, bono ac vita ſpirituali; naturalis enim homo ſeparatus a ſpirituali in falſis et malis eſt, et inde in vita infernali; quod naturalis homo ſeparatus a ſpirituali talis ſit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 47, 48; ideo dicitur, quod ſi eo venerint, futuri ſint in maledictionem et ſtuporem inque opprobrium, neque viſuri locum hunc; per locum, quem non viſuri, intelligitur ſtatus hominis ſpiritualis, ſimile quod per terram Canaanem. Talia etiam ſignificantur per murmurationes filiorum Iſraelis in deſerto, quod toties redire voluerint in Ægyptum, quare etiam data illis eſt Manna, per quam ſignificatur nutritio ſpiritualis, Exod. xvi. 2, 3, 7, 8, 9, 22. Apud Ezechielem, "*Quando extendero manum meam contra domum Iſraelis, ut frangam illi baculum panis, et mittam in eam famem, exſcindamque ex ea hominem et beſtiam; quando feram malam tranſire fecero per terram, et orbaverit illam, ut fiat deſolatio: quando quatuor judicia mea mala, gladium et famem et feram malam et peſtem miſero ſuper Hieroſolymam, ad exſcindendum ex ea hominem et beſtiam,*" xiv. 13, 15, 21; per hæc deſcribitur vaſtatio Eccleſiæ; domus Iſraelis et Hieroſolyma eſt Eccleſia; per frangere baculum panis ſignificatur deſtruere omne cœleſte et ſpirituale, per quæ nutrienda, panis enim involvit omne Cœli et Eccleſiæ, ſeu omnem nutritionem ſpiritualem; et per exſcindere hominem et beſtiam, ſignificatur omnem affectionem ſpiritualem et naturalem; quare per gladium, famem, feram malam et peſtem, ſignificatur deſtructio veri per falſum, boni per malum, affectionis veri et boni per cupiditates oriundas ex amoribus malis, et inde exſtinctio vitæ ſpiritualis: hæc vocantur quatuor judicia mala, quæ etiam intelliguntur per gladium, famem, mortem et feram malam in hoc Verſu Apocalypſios; quod ſit vaſtatio Eccleſiæ, quæ ita deſcribitur, patet. Tria mala quæ ſignificantur per famem, gladium et peſtem, etiam annuntiata ſunt Davidi a Gade Propheta, poſtquam numeraverat populum, II Sam. xxiv. 13; cur illa Davidi denuntiata ſint propterea quod numeraverit populum, nemo ſcire poteſt niſi qui ſcit, quod populus Iſraelis repræſentaverit et inde ſignificaverit Eccleſiam quoad omnia ejus vera et bona, et quod numerare ſignificet ſcire quale ejus, et dein ſecundum id ordinare et diſponere illa; hoc quia nemo ſcit et facit quam ſolus Dominus, et quia homo qui id facit, ſe deprivat omni bono et vero ac vita ſpirituali, ideo quia David id fecit repræſentative, ei tria illa proponebantur ex quo unum eligeret; quis non videt quod nihil mali in numerando populo fuerit, et quod malum, propter quod David et populus punitus eſt, latuerit interius, nempe in repræſentativis, in quibus tunc Eccleſia fuit. In allatis his locis fames ſignificat deprivationem cognitionum veri et boni, et inde deprivationem omnis veri et boni; quod etiam II. *fames ſignificet defectum eorum, qui eſt apud illos qui non poſſunt ſcire illa, quia non ſunt in Eccleſia ſeu in doctrina ejus,* conſtat ex ſequentibus his locis; apud Amos, "*Ecce dies venturi quibus immittam famem in terram, non famem ad panem, neque ſitim ad aquas, ſed ad audiendum verba Jehovæ: ut vagentur a mari ad mare, a ſeptentrione ad orientem, diſcurſitent ad quærendum verbum Jehovæ, nec invenient: in die illo deficient virgines pulchræ et juvenes fili,*" viii. 11, 12, 13, 14; hic explicatur quid intelligitur per famem et per ſitim, quod nempe non intelligatur fames ad panem, nec ſitis ad aquas, ſed ad audiendum verbum Jehovæ, ita quod ſit defectus cognitionum boni et veri qui intelligitur; et quod illæ non ſint in Eccleſia ſeu in doctrina ejus, deſcribitur per quod venturi a mari ad mare, et a ſeptentrione ad orientem ad quærendum verbum Jehovæ, nec invenient, a mari ad mare ſignificat undequaque, nam ſicut maria apparent ultimi termini in Mundo ſpirituali, ubi inchoant et terminantur vera et bona, quare Maria in Verbo ſignificant cognitiones veri et boni, ac ſcientifica in communi; a ſeptentrione ad orientem etiam ſignificat undequaque ubi verum et bonum, ſeptentrio eſt ubi verum eſt in obſcuro, et oriens eſt ubi bonum:

quia defectus cognitionum boni et veri ſignificatur per famem et ſitim, ideo quoque dicitur, in die illo deficient virgines pulchræ et juvenes ſiti, virgines pulchræ ſunt affectiones veri ex bono, et juvenes ſunt ipſa vera quæ ex bono, ſitis qua deficient eſt defectus earum; quod virgines ſignificent affectiones boni et veri, videatur n. 2362, 3963, 6729, 6775, 6778; et quod juvenes ipſa vera et intelligentiam, n. 7668. Apud Eſajam, "*Propterea exulabit populus meus ob non ſcientiam, et gloria ejus homines famis, et multitudo ejus ſicca ſiti,*" v. 13; deſolatio aut interitus Eccleſiæ ob non cognitiones boni et veri, ſignificatur per exulabit populus meus ob non ſcientiam; Divinum Verum quod facit Eccleſiam ſignificatur per gloriam; quod id non ſit, et inde non bonum, ſignificatur per quod gloria ejus ſint homines famis; homines famis ſunt qui in nulla perceptione boni et in nullis cognitionibus veri; et quod inde non verum, ſignificatur per quod multitudo ejus ſit ſicca ſiti, ſicca ſiti eſt defectus veri, ac multitudo in Verbo prædicatur de veris. Apud Eundem, "*Populus Deum ſuum quæret, legem et teſtimonium; nam tranſibit eam perplexus et famelicus; fietque cum eſuriverit, indignabitur, et maledicet regi ſuo et diis ſuis, et ſuſpiciet ſurſum; ad terram etiam ſpectabit, ſed ecce anguſtia et caligo,*" viii. 19, 20, 21, 22; agitur ibi de illis qui in falſis ſunt ex defectu cognitionum veri et boni, et de indignatione eorum propterea; defectus deſcribitur per quod ſuſpiciet ſurſum, et ad terram etiam ſpectabit, ſed ecce anguſtia et caligo, ſuſpicere ſurſum et ſpectare ad terram eſt undequaque ubi bona et vera ſunt, ſed ecce anguſtia et caligo eſt quod non illa alicubi ſint, ſed mera falſa, caligo eſt denſum falſum; indignatio eorum propterea deſcribitur per fiet cum eſuriverit indignabitur, et maledicet regi ſuo et diis ſuis, eſurire eſt velle ſcire, rex eſt falſum, dii ſunt falſa cultus inde, et maledicere eſt deteſtari. In Threnis, "*Tolle ad Dominum manus tuas ſuper animam infantum tuorum, qui defecerunt per famem in capite omnium platearum,*" ii. 9; lamentatio ſuper illis qui inſtruendi ſunt in cognitionibus boni et veri, per quas illis vita ſpiritualis, deſcribitur per tolle ad Dominum manus tuas ſuper animam infantum tuorum; ac defectus cognitionum illarum deſcribitur per defecerunt per famem in capite omnium platearum, fames eſt defectus, plateæ ſunt vera doctrinæ, defici in capite illarum eſt quod non ſint. Ibidem, "*Servi dominati ſunt in nos, nec liberans e manu eorum, cum periculo animarum noſtrarum adducimus panem noſtrum propter gladium deſerti; cutes noſtræ ſicut clibanus denigratæ ſunt propter procellas famis,*" v. 8, 9, 10; per ſervos qui dominati nec liberans e manu eorum, ſignificantur mala vitæ et falſa doctrinæ, in genere amores mali et principia falſa; cum periculo animarum noſtrarum adducimus panem noſtrum propter gladium deſerti, ſignificat quod non bonum ex quo ipſa vita ſpiritualis propter falſum ubique regnans, panis eſt bonum ex quo vita ſpiritualis, gladius eſt falſum deſtruens, et deſertum eſt ubi non bonum quia non verum, omne enim bonum apud hominem formatur per vera, quare ubi non vera ſed falſa, non datur bonum; cutes noſtræ ſicut clibanus denigratæ ſunt propter procellas famis, ſignificat quod propter defectum cognitionum boni et veri, naturalis homo in ſuo amore malo ſit, cutis ex correſpondentia cum Maximo Homine ſeu Cœlo ſignificat naturalem hominem; denigrari ſicut clibanus ſignificat in ſuo malo ex falſis eſſe, ac procellæ famis ſignificant ſummum defectum cognitionum boni et veri. Apud Lucam, "*Væ vobis qui impleti eſtis, quia eſurietis*," vi. 25; per impletos in Verbo intelliguntur qui Verbum habent, ubi omnes cognitiones boni et veri, et per eſurire intelligitur in defectu illarum eſſe, et quoque deprivari illis. Apud Hiobum, "*Beatus homo quem caſtigavit Deus; et diſciplinam ſchaddai ne repudies, in fame redimet te a morte, et in bello e manibus gladii*," v. 17, 20; hæc de illis qui in tentationibus; tentationes ſignificantur per quem caſtigavit Deus, et per diſciplinam ſchaddai, per ſchaddai etiam ſignificantur tentationes, liberatio ab illis, et conſolatio poſt illas, videatur n. 1992, 3667, 4572, 5628, 6229; fames in qua redimetur, ſignificat tentationem quoad perceptionem boni, in qua liberabitur a malo, redimere eſt liberare; et manus gladii in bello, ſignificat tentationem quoad intellectum veri, bellum etiam eſt tentatio, ſeu pugna contra falſa. III. *Quod etiam fames in Verbo ſignificet ignorantiam cognitionum veri et boni, qualis eſt apud illos qui ſciunt quod ſint, et inde deſiderant illas,* conſtat ex ſequentibus his locis; apud Matthæum, "*Beati qui eſuriunt juſtitiam, quia illi ſaturabuntur*," v. 6; eſurire juſtitiam ſignificat deſiderare bonum, nam in Verbo juſtitia dicitur de bono. Apud Lucam, "*Deus eſurientes implevit bonis, et divites emiſit inanes*," i. 53; eſurientes pro illis qui in ignorantia cognitionum veri et boni ſunt, et uſque in deſiderio; et divites pro illis qui in abundantia illarum ſunt, et in nullo deſiderio; quod illi locupletentur ſignificatur per Deus implet illos bonis; et quod hi depriventur ſignificatur per Deus divites emittit inanes. Apud Davidem, "*Ecce oculus Jehovæ ſuper timentibus Ipſum, ad eripiendum a morte animam eorum, et ad vivificandum eos in fame*," Pſalm. xxxiii. 18, 19; per timentes Jehovam intelliguntur qui amant facere præcepta Ipſius; per eripere animam a morte ſignificatur a malis et falſis, et inde a damnatione, et per vivificare in fame ſignificatur ſecundum deſiderium dare vitam ſpiritualem; deſiderium ad cognitiones veri et boni eſt affectio veri ſpiritualis, quæ datur ſolum apud illos qui in bono vitæ ſunt, hoc eſt, qui faciunt præcepta Domini, qui, ut dictum eſt, intelliguntur per timentes Jehovam. Apud Eundem, "*Confiteantur Jehovæ miſericordiam Ipſius, quod ſaturet animam appetentem, et animam eſurientem impleat bono*," Pſalm. cvii. 8, 9; ſaturare animam appetentem, et implere bono animam eſurientem pro illos qui deſiderant vera et bona; anima appetens ſignificat illos qui deſiderant vera, et anima eſuriens illos qui deſiderant bona. Apud Eundem, "*Non defectus timentibus Jehovam, leones juvenes egebunt et eſurient, ſed quærentes Jehovam non egebunt ullo bono*," Pſalm. xxxiv. 10, 11; timentes Jehovam quibus non defectus etiam hic ſignificant illos qui amant facere præcepta Domini; et quærentes Jehovam qui non egebunt ullo bono, ſignificant illos qui ideo amantur a Domino et ab Ipſo accipiunt vera et bona; leones juvenes qui egebunt et eſurient, ſignificant illos qui a ſemet ſciunt et ſapiunt; egere et eſurire eſt quod illis non verum nec bonum; quid leones in utroque ſenſu, videatur n. 278. Apud Eundem, "*Jehovah qui facit judicium oppreſſis, qui dat panem eſurientibus, Jehovah qui ſolvit vinctos*," Pſalm. cxlvi. 7; per oppreſſos hic intelliguntur qui in falſis ex ignorantia ſunt, oppreſſio eorum eſt a ſpiritibus qui in falſis, ideo dicitur Jehovah facit judicium illis, vindicando illos ab opprimentibus; per eſurientes intelliguntur qui deſiderant bona, quos quia nutrit Dominus, dicitur Jehovah dat panem eſurientibus, dare panem eſt nutrire, et nutritio ſpiritualis eſt ſcientia, intelligentia et ſapientia; et per vinctos intelliguntur qui deſiderant vera, ſed ab illis detinentur per falſa doctrinæ, vel per ignorantiam quia non habent Verbum, quare ſolvere vinctos eſt liberare ab illis; quod vincti illi dicantur, videatur n. 5037, 5086, 5096. Apud Eundem, “ *Jehovah ponit deſertum in ſtagnum aquarum, et terram ſiccitatis in exitus aquarum, et facit ibi habitare eſurientes, ut erigant urbem habitationis, et ſerant agros, et plantent vineas, et faciant fructum proventus,*” Pſalm. cvii. 35, 36, 37; hæc prorſus aliter intelligenda ſunt quam ſecundum ſenſum literæ, ita nempe, quod qui in ignorantia cognitionum veri ſunt, et tamen in deſiderio ſciendi illas, valde ditentur et locupletentur, nam per quod Jehovah ponat deſertum in ſtagnum aquarum, ſignificatur ubi ignorantia veri ibi erit abundantia, deſertum eſt ubi ignorantia veri, ſtagnum aquarum eſt abundantia ejus; per quod ponat terram ſiccitatis in exitus aquarum, ſignificantur ſimilia in naturali homine, terra ſiccitatis enim eſt ubi ignorantia veri, exitus aquarum eſt abundantia, naturalis homo eſt exitus, et aquæ ſunt vera; quod faciat ibi habitare eſurientes, ſignificat quod illos qui in deſiderio veri ſunt, habitare eſt vivere, eſurientes ſunt qui deſiderant; ut erigant urbem habitationis, ſignificat ut faciant ſibi doctrinam vitæ, urbs eſt doctrina et habitatio eſt vita; ut ſerant agros, plantent vineas, et ferant fructum proventus, ſignificat recipere vera, intelligere illa, et facere illa, ſerere agros eſt inſtrui et recipere vera, plantare vineas eſt recipere illa intellectu, hoc eſt, ſpiritu, vineæ enim ſunt vera ſpiritualia, inde plantare illas eſt ſpiritualiter illa recipere, hoc eſt, intelligere; ferre fructum proventus eſt facere illa et recipere bona, fructus enim ſunt facta et bona charitatis. Apud Eundem, “ *Cognoſcit Jehovah dies integrorum, et hæreditas eorum in æternum erit; non pudefient in tempore mali, et in diebus famis ſatiabuntur,*” Pſalm. xxxvii. 18, 19; dies integrorum ſignificant ſtatus eorum qui in bono ſunt et inde veris, ſeu qui in charitate et inde fide; per quod Jehovah hæreditas eorum in æternum erit, ſignificatur quod Ipſius proprii ſint et in Cœlo; per non pudefient in tempore mali, ſignificatur quod vincent cum tentantur a malis; et per quod in diebus famis ſatiabuntur, ſignificatur quod ſuſtentabuntur a veris cum tentantur et infeſtantur a falſis; tempus mali et dies famis ſignificant ſtatus tentationum, ac tentationes ſunt a malis et a falſis. In Libro I Samuelis, “ *Arcus fortium fracti, et qui impulſi erant robur circumcinxerunt, ſaturi pro pane conducti, et famelici ceſſarunt, uſque dum ſterilis peperit ſeptem, multiprolis defecit,*” ii. 4, 5; per ſaturos pro pane conductos et per famelicos qui ceſſarunt, ſignificantur qui volunt et deſiderant bona et vera; reliqua videantur explicata ſupra, n. 257 et 357. Apud Eſajam, “ *Stultus ſtultitiam loquitur, et cor ejus facit iniquitatem, ad faciendum hypocriſin, et ad loquendum contra Jehovam errorem, ad evacuandum animam eſurientem, et potum ſitientis deficere faciat,*” xxxii. 6; ſtultus hic dicitur qui in falſis et malis eſt ex amore ſui, proinde ex propria intelligentia; falſa intelliguntur per ſtultitiam quam loquitur, et mala per iniquitatem quam cor ejus facit; mala quæ loquitur contra bona intelliguntur per hypocriſin quam facit, et falſa quæ loquitur contra vera per errorem quem loquitur contra Jehovam; quod ſit ad perſuadendum et ad perdendum illos qui deſiderant bona et vera, intelligitur per ad evacuandum animam eſurientem, et potum ſitientis deficere faciat, anima eſuriens ſunt qui deſiderant bona, ac potum ſitiens qui deſiderant vera. Apud Eundem, “*Si expromſeris eſurienti animam tuam, et animam afflictam ſaturaveris, exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua ſicut meridies,*” viii. 10; deſcribitur per hæc charitas erga proximum, hic erga illos qui in ignorantia et ſimul in deſiderio ſciendi vera ſunt, ac in dolore propter falſa quibus occupantur, et quod apud illos qui in ea charitate ſunt, falſa diſcutiantur ac vera luceant et fulgeant; charitas erga illos qui in ignorantia et ſimul deſiderio ſciendi vera ſunt, intelligitur per ſi expromſeris eſurienti animam, eſurientes ſunt qui deſiderant, anima eſt intelligentia veri inſtruens; quod apud illos qui in dolore propter falſa quibus occupantur, intelligitur per ſi animam afflictam ſaturaveris; quod apud illos qui in ea charitate ſunt ignorantia diſcutiatur, ac vera luceant et fulgeant, intelligitur per exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua ſicut meridies, tenebræ ſignificant ignorantiam mentis ſpiritualis, et caligo ignorantiam mentis naturalis, ac lux verum in luce, meridies ſimiliter; talis illuſtratio eſt illis qui ex charitate ſeu ex affectione ſpirituali inſtruunt illos qui in falſis ex ignorantia ſunt, charitas enim illa eſt receptaculum influxus lucis ſeu veri a Domino. Apud Eundem, “*Nonne hoc jejunium quod eligo, frangere eſurienti panem tuum, et afflictos exules introducere domum, quum videris nudum et obtexeris,*” lviii. 6, 7; ſimilia per hæc verba intelliguntur, nam frangere eſurienti panem, ſignificat ex charitate communicare et inſtruere illos qui in ignorantia et ſimul in deſiderio ſciendi vera ſunt; afflictos exules introducere domum, ſignificat illos qui in falſis ſunt et inde in dolore, emendare et reſtituere, afflicti exules ſunt qui in dolore ex falſis, nam qui in falſis ſunt foris ſtant, at qui in veris, domi ſunt, domus enim eſt mens intellectualis, in quam non niſi quam vera intromittuntur, aperitur enim illa per vera ex bono; quia hæc ſignificantur, etiam additur, quum videris nudum et obtexeris, per nudum ſignificatur qui abſque veris, et per obtegere ſignificatur inſtruere, veſtimenta enim in Verbo ſignificant vera induentia, videatur ſupra n. 295. Apud Eundem, “*Non eſurient neque ſitient, neque percutiet eos æſtus aut ſol, nam miſereſcens eorum ducit eos, ita ut etiam ſuper ſcaturigines aquarum ducturus ſit eos,*” xlix. 10; quod non eſurient neque ſitient, non ſignificat quod non eſurituri ac ſituri ſint cibos et potus naturales; et quod non percutiet eos æſtus et ſol, nec ſignificat quod non ex illis incalituri ſint, pariter quod ducendi ſint ſuper ſcaturigines aquarum; quis non videt, qui intendit animum, quod alia ibi intelligantur; quare per eſurire et ſitire ſignificatur eſurire et ſitire illa quæ vitæ æternæ ſunt, ſeu quæ dant illam, quæ in genere ſe referunt ad bonum amoris et verum fidei, eſurire ad bonum amoris et ſitire ad verum fidei; æſtus et ſol ſignificant incaleſcentiam a principiis falſi et amore mali, hæc enim tollunt omnem eſuritionem et ſitim ſpiritualem; ſcaturigines aquarum, ſuper quas Dominus ducturus eos, ſignificant illuſtrationem in omni vero, ſcaturigo ſeu fons eſt Verbum et quoque doctrina ex Verbo, aquæ ſunt vera, et ducere, cum de Domino, eſt illuſtrare. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per Domini Verba apud Johannem, "*Ego ſum Panis vitæ, qui venit ad Me non eſuriet, et qui credit in Me non ſitiet uſquam,*" vi. 35; quod hic eſurire ſit venire ad Dominum, et quod ſitire ſit credere in Ipſum, patet; venire ad Dominum eſt facere præcepta Ipſius. Quia hæc per eſurire et ſitire ſignificantur, etiam patet quid ſignificatur per Domini verba apud Matthæum, "*Rex dixit illis a dextris, eſurivi et dediſtis Mihi edere, ſitivi et potaſtis Me; peregrinus fui et collegiſtis Me: et dixit illis a ſiniſtris, quod eſuriverit et non dederint Illi edere, quod ſitiverit et non dederint illi bibere, quod peregrinus fuerit et non collegerint,*" xxv. 35, 37, 44; per eſurire et ſitire, ſignificatur in ignorantia et egeſtate ſpirituali eſſe, ac per edere et potare ſignificatur ex affectione ſpirituali ſeu charitate inſtruere et illuſtrare, ideo etiam dicitur peregrinus fui et non collegiſtis Me, nam per peregrinus ſignificantur illi qui extra Eccleſiam ſunt, ac volunt inſtrui ac recipere Eccleſiæ doctrinalia, et vivere ſecundum illa, videatur n. 1643, 4444, 7908, 8007, 8013, 9196. Etiam in Verbo legitur de Domino quod eſuriverit et ſitiverit, et per illa intelligitur, quod ex amore Divino voluerit et deſideraverit ſalutem Generis Humani; quod eſuriverit, legitur apud Marcum, "*Cum exirent ex Bethania, eſurivit Jeſus, et videns ficum procul habentem folia, venit ſi forte inveniret in ea quid, ſed cum veniſſet ad eam, nihil invenit niſi folia, non enim erat tempus ficuum, ideo dixit ei, neque ex te in ſæculum quiſquam fructum comedet: et mane prætereuntes diſcipuli viderunt ficum arefactam ex radicibus,*" xi. 12, 13, 14, 20. Matth. xxi. 19, 20; qui non ſcit quod omnia Verbi ſenſum ſpiritualem contineant, credere poteſt quod Dominus hoc fecerit ficui ex indignatione quia eſurivit; ſed per ficum hic non intelligitur ficus, ſed Eccleſia quoad naturale bonum, in ſpecie Eccleſia Judaica; quod ibi non aliquod bonum naturale, quia nihil ſpirituale, ſed modo aliqua vera ex ſenſu literæ Verbi, ſignificatur per quod Jeſus videns ficum procul habentem folia, venerit ſi forte inveniret in ea quid, ſed cum veniſſet ad eam, nihil invenerit niſi folia, per folia ſignificantur vera ex ſenſu literæ Verbi; quod apud illam gentem nuſquam aliquod bonum naturale quod Eccleſiæ exſtiturum, quia in denſis falſis et in amoribus malis ſunt, ſignificatur per quod Jeſus dixerit, neque ex te in ſæculum quiſquam fructum comedet, et per quod ficus arefacta ſit ex radicibus: etiam dicitur non erat tempus ficuum, et per id intelligitur quod nondum Eccleſia inchoata; quod inchoatio novæ Eccleſiæ per ficum intelligatur, patet a Domini verbis apud Matthæum, Cap. xxiv. 32, 33: apud Marcum, Cap. xiii. 28, 29: et apud Lucam, Cap. xxi. 28, 29, 30, 31; ex his conſtare poteſt, quid ibi eſurire ſignificat: quod Ficus ſignificet Bonum naturale quod Eccleſiæ, videatur n. 217, 4231, 5113: et quod folia ſignificent vera naturalis hominis, ſupra n. 109. Quod Dominus ſitiverit, legitur apud Johannem, "*Jeſus ſciens quod omnia jam conſummata eſſent, ut impleretur Scriptura, dixit Sitio, et vas poſitum erat aceto plenum: qui vero impleverunt ſpongiam, et hyſſopo circumpoſuerunt, et applicuerunt Ipſius ori; et quum accepiſſet acetum Jeſus, dixit conſummatum eſt,*" xix. 28, 29; qui de his modo naturaliter et non ſpiritualiter cogitant, credere poſſunt quod hæc nihil aliud involvant, quam quod Dominus ſitiverit, et quod Ipſi tunc datum acetum, ſed quia tunc omnia erant conſummata, quæ ſcriptura de Ipſo dixit, ac Dominus in mundum venit ut ſalvaret Genus humanum, ideo dixit, ſitio, per quod intelligitur quod ex Divino amore vellet et deſideraret ſalutem Generis humani; at quod acetum Ipſi datum ſit, ſignificat quod in ventura Eccleſia non foret genuinum verum, ſed verum mixtum falſis, quale eſt apud illos qui fidem ſeparant a charitate ſeu verum a bono, id per acetum ſignificatur; quod hyſſopum circumpoſuerunt, ſignificat aliqualem purificationem ejus, nam per hyſſopum ſignificatur medium purificationis externum, videatur n. 7918: quod ſingula quæ in Verbo memorantur de Paſſione Domini, involvant et ſignificent Divina cœleſtia et ſpiritualia, videatur ſupra n. 83. Ex ſupra allatis locis conſtare poteſt, quid fames in Verbo ſignificat, examinentur illa et expendantur, et videbitur ab illis qui in aliqua interiore cogitatione ſunt, quod nequaquam naturalis fames, eſuritio et ſitis poſſit intelligi, ſed ſpiritualis.

387. Et in morte, quod ſignificet inde exſtinctionem vitæ ſpiritualis, conſtat ex ſignificatione mortis, quod ſit exſtinctio vitæ ſpiritualis, de qua ſupra n. 78, 186; quod hoc per mortem hic ſignificetur, conſtat ex ſerie rerum in ſenſu interno; dicitur enim quod data illis ſit poteſtas interficiendi gladio, fame et morte, et per gladium ſignificatur falſum deſtruens verum, per famem deprivatio cognitionum veri et boni, inde per mortem ſignificatur exſtinctio vitæ ſpiritualis, nam ubi falſum regnat, ac ubi nullæ cognitiones veri et boni ſunt, ibi non eſt aliqua vita ſpiritualis, hæc enim comparatur per cognitiones veri et boni applicatas uſibus vitæ; homo enim naſcitur in omne malum et inde falſum, quare etiam naſcitur in plenariam ignorantiam omnium cognitionum ſpiritualium; ut ergo abducatur a malis et inde falſis, in quæ naſcitur, et ducatur in vitam Cœli ac ſalvetur, neceſſum eſt ut diſcat cognitiones veri et boni, per quas introducatur et fiat ſpiritualis. Ex hac ſerie rerum in ſenſu interno patet, quod per mortem hic ſignificetur exſtinctio vitæ ſpiritualis; hoc quoque ſignificatur per mortem ſpiritualem.

388. Et a feris terræ, quod ſignificet mala vitæ, quæ ſunt cupiditates et inde falſitates oriundæ ab amore ſui et mundi, quæ vaſtant omnia Eccleſiæ apud hominem, conſtat ex ſignificatione ferarum, quod ſint cupiditates et falſitates oriundæ ex amore ſui et mundi, et quia illa ſunt ipſa mala vitæ, nam mala vita eſt cupiditatum et falſitatum vita, ideo per feras terræ hic illa intelliguntur; quod feræ ſignificent talia, videbitur in ſequentibus; et ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua ſupra n. 29, 304; et quia per feras ſignificantur mala vitæ, et hæc vaſtant Eccleſiam apud hominem, et per terram Eccleſia, ideo per feras terræ ſignificantur mala vitæ quæ vaſtant Eccleſiam apud hominem: dicitur Eccleſia apud hominem, quoniam Eccleſia eſt in homine; Eccleſia enim eſt Eccleſia ex charitate et fide, et hæ ſunt in homine, et ſi non ibi ſunt, non eſt Eccleſia apud illum: creditur quod Eccleſia ſit ubi Verbum, et ubi Dominus eſt notus, ſed uſque

Eccleſia non eſt niſi ex illis qui corde agnoſcunt Divinum Domini, et qui diſcunt vera a Domino per Verbum, et faciunt illa, reliqui non conſtituunt Eccleſiam. Quod per feras terræ hic in ſpecie ſignificentur mala vitæ, conſtare poteſt ex ſerie rerum in ſenſu interno; dicitur quod data ſit illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ gladio, fame, morte et feris terræ, per gladium ſignificatur falſum deſtruens verum, per famem deprivatio cognitionum veri et boni, per mortem exſtinctio vitæ ſpiritualis, inde per feras terræ ſignificantur mala vitæ, quoniam hæc regnant quando vita ſpiritualis exſtincta eſt; ubi enim non vita ſpiritualis, ibi eſt vita mere naturalis, et hæc vita abſque illa eſt plena cupiditatibus ex amore ſui et mundi, ita infernalis, quare illa vita eſt quæ intelligitur per feram malam. Quod porro vitam malam, quæ ſignificatur per feram malam, attinet, illa æque datur apud eos qui moralem vitam agunt bonam, ſi non illis vita ſpiritualis ſit, nam illi bonum agunt, et verum loquuntur, ac ſinceritatem et juſtitiam exercent, ſed modo propter famam, honores, lucra et leges, ita propter apparentiam ut æmulentur ſpirituales, intus autem nihil boni volunt, nec veri cogitant, et ad ſinceritatem et juſtitiam niſi propter illas cauſas rident, quapropter intus ſunt infernales; hoc etiam apud illos manifeſtatur quando fiunt ſpiritus, quod fit ſtatim poſt mortem, tunc cum vincula illa externa, quæ memorata ſunt, illis auferuntur, ruunt abſque fræno in mala omnis generis, aliter vero illi qui moralem vitam bonam egerunt ex origine ſpirituali; ſed de hac re plura videantur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 484, 529, 530, 531, 534; ac ſupra n. 182: hæc dicta ſunt ut ſciatur quid intelligitur per malam vitam, quod nempe non externa vita quæ eſt corporis et pro mundo ubi homines, qui mundus naturalis vocatur, ſed interna quæ eſt ſpiritus quæ eſt pro mundo ubi angeli, qui mundus ſpiritualis vocatur; homo enim quoad corpus, ejus geſtus et loquelam eſt in mundo naturali, at quoad ſpiritum, nempe quoad cogitationem et affectionem eſt in mundo ſpirituali; quippe ſicut viſus corporis extenſionem habet in mundum naturalem, et ibi circumfertur, ita viſus ſpiritus, qui eſt cogitatio ex affectione, extenſionem habet in mundum ſpiritualem, et ibi circumfertur: quod ita ſit, pauci ſciunt, et inde putant quod cogitare male et velle male nihil faciat, modo non faciat male et loquatur male; ſed uſque omnis cogitatio et voluntas afficit ſpiritum hominis, et facit ejus vitam poſt mortem. Quod feræ malæ ſignificent cupiditates et inde falſitates oriundas ex amore ſui et mundi, quæ vaſtant omnia Eccleſiæ apud hominem, et quoque in oppoſito ſenſu affectiones veri quæ vivificant omnia Eccleſiæ, conſtare poteſt a ſequentibus his locis in Verbo; apud Jeremiam, "*Ite, congregate omnem feram agri, venite ad comedendum; paſtores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt agrum meum, redegerunt agrum deſiderii in deſertum ſolitudinis,*" xii. 9, 10; agitur hic de vaſtatione Eccleſiæ quoad ejus vera et quoad ejus bona, vaſtatio deſcribitur per quod paſtores perdiderint vineam Domini, et conculcaverint agrum Ipſius; per paſtores intelliguntur qui docent vera et per illa ducunt ad bonum vitæ, hic qui docent falſa et per illa ducunt ad malum vitæ; per vineam intelligitur Eccleſia quoad vera, et per agrum Eccleſia quoad bonum; vaſtatio ejus intelligitur per quod perdiderint et conculcaverint, tum per quod redegerint agrum in deſertum ſolitudinis; et quia cupiditates et falſitates oriundæ ex amore ſui et mundi vaſtant eam, dicitur ite, congregate omnem feram agri, venite ad comedendum, omnis fera agri ſignificat falſitates et cupiditates inde oriundas, et comedere ſignificat vaſtare et conſumere; quod per feram agri non intelligatur fera agri patet, nam dicitur quod paſtores perdiderint vineam, et conculcaverint agrum, et per paſtores intelliguntur paſtores Eccleſiæ, et non paſtores gregis. Apud Davidem, "*Quare conculcat vitem tuam aper in ſylva, et fera agrorum depaſcit illam,*" Pſalm. lxxx. 14; per vitem hic ſimile ſignificatur quod per vineam ſupra, nempe Eccleſia quoad verum, quæ vocatur Eccleſia ſpiritualis; vaſtatio ejus per cupiditates et per falſitates naturalis hominis ſeparati a ſpirituali, intelligitur per quod aper e ſylva conculcet illam, aper e ſylva ſignificat cupiditates malas naturalis hominis, et fera agrorum falſitates. Apud Hoſcheam, "*Devaſtabo vitem ejus et ficum ejus, et ponam ea in ſylvam, et comedet illa fera agri,*" ii. 12; per vitem et ficum ſignificatur Eccleſia, per vitem Eccleſia interna quæ eſt ſpiritualis hominis, et per ficum Eccleſia externa quæ eſt naturalis hominis; vaſtatio utriuſque ſignificatur per devaſtabo illas et ponam illas in ſylvam, et comedet illas fera agri, ſylva ſignificat ſenſualem hominem qui in meris fallaciis et inde falſis eſt, et fera agri ſignificat falſitates inde et cupiditates malas; cum enim vaſtatur Eccleſia apud hominem, hoc eſt, cum non amplius creditur verum Eccleſiæ, tunc fit homo ſenſualis, qui non credit alia quam quæ oculis videt et manibus tangit, et talis homo ſe dat totum amori ſui et amori mundi, ita cupiditatibus: quod Eccleſia ibi per vitem et per ficum intelligatur, patet ex Verſu 2 iſtius Capitis, ubi dicitur quod contenderent cum matre ſua, quoniam illa non uxor mea, et Ego non maritus ejus, et per matrem et uxorem in Verbo ſignificatur Eccleſia. Apud Moſen, "*Paullatim expellam gentes, ne fiat terra ſolitudo, et multiplicetur contra te fera agri,*" Exod. xxiii. 29. Deut. vii. 22; quid hæc ſignificant, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9333 ad 9338; quod nempe per gentes ſignificantur mala quæ homini, etiam ex hæreditario, et quod illa paullatim apud hominem removeantur, quoniam ſi feſtino, antequam bonum per vera formatum eſt apud illum, intrarent falſitates quæ deſtruerent; feræ agri ſignificant falſitates ex jucundis amorum naturalium oriundas. Apud Eundem, "*Si in ſtatutis meis ambulaveritis, et præcepta mea obſervaveritis, et feceritis ea, dabo pacem in terra, ita ut ſecure cubetis et non perterrefaciens; et ceſſare faciam feram malam e terra, et gladius non tranſibit per terram veſtram: ſi vero non obediveritis Mihi, et feceritis omnia præcepta mea, mittam in vos feram agri, quæ orbabit vos, et exſcindet beſtiam veſtram, imminuetque vos, ut vaſtentur viæ veſtræ,*" Levit. xxvi. 3, 6, 14, 22; deſcribitur hic ſtatus vitæ eorum qui in charitate et qui non in charitate; vita charitatis intelligitur per ambulare in ſtatutis, obſervare præcepta et facere illa, hoc enim eſt charitas; ſtatus vitæ eorum deſcribitur per pacem, per quod ſecure cubent et non perterrefaciens, per quæ ſignificatur beatum cordis et animæ oriundum ex conjunctione boni et veri, unde non pugna mali et falſi amplius contra illa; tum deſcribitur per ceſſare faciam feram malam e terra, et gladius non tranſibit per illam, per quæ ſignificatur quod non amplius cupiditates et falſitates oriundæ ex amore ſui et mundi, fera mala ſignificat cupiditates quæ deſtruunt affectiones bonas, et gladius ſignificat falſitates quæ deſtruunt veritates: quod contrarius ſtatus ſit illis qui non in charitate ſunt, deſcribitur per ſi non obediveritis Mihi et feceritis omnia præcepta mea, mittam in vos feram agri, quæ orbabit vos, et exſcindet beſtiam veſtram, imminuetque vos, ut vaſtentur viæ veſtræ, per quæ ſignificatur quod per cupiditates et inde falſitates depriventur omni bono et vero, cupiditates et inde falſitates quæ deprivaturæ ſunt, ſignificantur per feram agri quæ orbabit vos, affectiones bonæ quibus deprivabuntur ſignificatur per beſtiam quæ exſcindetur, et ipſa vera inde, per quod vaſtabuntur viæ eorum, viæ ſunt vera quæ ducunt ad bonum. Apud Ezechielem, "*Tunc excidam iis fœdus pacis, et ceſſare faciam feram malam e terra, ut habitent in deſerto confidenter, et dormiant in ſylvis; non erunt amplius præda gentibus, et fera agri non devorabit illos, ſed habitabunt confidenter et non terrefaciens,*" xxxiv. 25, 28; hæc de adventu Domini et de Regno Ipſius tunc; quid hæc in ſenſu interno ſignificant, conſtare poteſt ex nunc ſupra explicatis, quia plura hic ſimilia ſunt, per feram malam in terra ſignificantur cupiditates, et per feram agri falſitates. Apud Hoſcheam, "*Occurram illis ſicut urſus orbatus, et diſcindam clauſuram cordis eorum, et comedam eos ſicut immanis leo, fera agri diffindet eos,*" xiii. 8; agitur hic de vaſtatione boni per falſum; urſus orbatus ſignificat potentiam mali ex falſo; et immanis leo potentiam falſi ex malo; et fera agri cupiditates et falſitates; quæ quod perdent eos, ſignificatur per quod fera illa diffindet eos; ſeparatio veri a bono per falſum et malum, ſignificatur per diſcindere clauſuram cordis eorum. Apud Eſajam, "*Non erit ibi leo, et rapax ferarum non aſcendet illuc,*" xxxv. 9; agitur in eo Capite de adventu Domini, et de ſtatu eorum qui in Regno Ipſius; quod non erit ibi leo, ſignificat quod non falſum deſtruens verum; quod non rapax ferarum aſcendet illuc, ſignificat quod nulla cupiditas deſtruendi; hæc quia eſt ex inferno, dicitur non aſcendet illuc. Apud Zephaniam, "*Extendet Jehovah manum ſuam ſuper ſeptentrionem, et perdet Aſchurem, ut requieſcant in medio ejus greges, omnis fera gentis, tam platea quam anataria in malogranatis ejus pernoctent; talis urbs habitans ſecure, dicendo in corde ſuo, ego et præter me non amplius, quomodo facta eſt in vaſtitatem, cubile feræ,*" ii. 14, 15; agitur ibi de intelligentia propria, quæ falſa et mala confirmat per ratiocinationes ex ſcientificis, et per applicationes ex ſenſu literæ Verbi; per ſeptentrionem ſignificatur naturalis et ſenſualis homo, ac ſcientificum quod ibi eſt; et per Aſchurem ſignificatur ratiocinatio ex illo; et per quod in corde ſuo dicat ego et præter me non amplius, ſignificatur intelligentia propria; ex his patet quid ſingula ibi in ſerie involvunt, nempe quod per extendet Jehovah manum ſuam ſuper ſeptentrionem et perdet Aſchurem, ſignificetur quod deprivaturus omni perceptione boni et intellectu veri naturalem hominem talem et intellectualem ſeu ratiocinantem inde; per quod requieſcent in medio ejus greges, omnis fera gentis, tam platea quam anataria in malogranatis ejus pernoctent, ſignificatur quod ubique ibi erunt falſa mali, et in cognitionibus ex Verbo falſa cogitationis et perceptionis, fera gentis eſt falſum mali, platea et anataria eſt falſum cogitationis et perceptionis, et malogranata ſunt cognitiones ex Verbo; per quod talis urbs habitet ſecure, dicendo in corde ſuo, ego et præter me non amplius, ſignificatur quod talis intelligentia ſibi fidat, et ex proprio deſumat, urbs ſignificat doctrinam ex tali intelligentia; per quomodo facta eſt in vaſtitatem, cubile feræ, ſignificatur quod ibi nihil veri, ſed plenum falſis. Apud Ezechielem, “*Dic ad Pharaonem regem Ægypti, et ad multitudinem ejus, Aſchur cedrus in Libano, alta facta eſt præ omnibus arboribus agri: ſed quoniam elatus eſt altitudine, et dedit faſtigium ſuum inter implexa, ideo exſcindent eum alieni, violenti gentium et dejicient eum; ſuper ruina ejus habitabunt omnis avis cœlorum, et ſuper ramis ejus erunt omnis fera agri,*” xxxi. 1, 2, 3, 10, 12, 13; per hæc ſignificantur ſimilia quæ nunc ſupra, per Pharaonem regem Ægypti ſimile quod ſupra per ſeptentrionem, nempe naturalis homo et ſcientificum quod ibi eſt; per Aſchurem ratiocinatio ex illo; et per quod elatus ſit ex altitudine, et dederit faſtigium inter implexa, ſignificatur gloriatio ex intelligentia inde, ita ex intelligentia propria; ex communi hac notione de contento, videri poteſt quid ſingula ibi involvunt, nempe quod dic ad Pharaonem regem Ægypti, et ad multitudinem ejus, ſignificet de naturali homine et de ſcientificis ibi, Pharao rex Ægypti eſt naturalis homo, ac multitudo ejus eſt ſcientificum ibi; quod cedrus in Libano alta facta ſit præ omnibus arboribus agri, ſignificat rationale per ſcientifica creſcens, Aſchur eſt rationale, et cedrus eſt intellectuale, alta fieri præ omnibus arboribus agri, ſignificat ex cognitionibus veri et boni immenſum creſcens; ſed quoniam elatus eſt altitudine, et dederit faſtigium inter implexa, ſignificat quia gloriatus eſt ex intelligentia, et ex ſcientia quæ eſt naturalis hominis, quæ gloriatio, quæ eſt elatio animi ex amore ſui, eſt ex proprio, effert enim ſe naturalis homo ſeparatus a ſpirituali, quia ſeparatus a ſpirituali in proprio eſt, et ſibi tribuit omnia et nihil Deo; dare faſtigium eſt ſe efferre, et implexa ſunt ſcientifica quæ naturalis hominis, videatur n. 2831, 8133; quod exſcindent eum alieni et violenti gentium, et dejicient eum, ſignificat quod falſa et mala inde deſtruent rationale, alieni ſunt falſa, et violenti gentium ſunt mala inde; unde ſuper ruina ejus habitabunt omnis avis cœlorum, et ſuper ramis ejus erunt omnis fera agri, ſignificat quod tunc erunt falſa cogitationis et mala affectionis, aves enim ſignificant cogitationes tam veri quam falſi, fera ſignificat mala affectionis inde, et ager ſignificat Eccleſiam, nam non alia falſa et mala intelliguntur quam quæ ſunt in Eccleſia: quod aves ſignificent cogitationes, ideas et ratiocinia in utroque ſenſu cum varietate ſecundum earum genera et ſpecies, videatur n. 776, 778, 866, 988, 993, 3219, 5149, 7441. Apud Eundem, “*Derelinquam te in deſerto, te et omnem piſcem fluviorum tuorum, ſuper facies agri cades, non colligeris neque congregaberis; feræ terræ et* *et avi Cœli dedi te in cibum,*" xxix. 5. Cap. xxxii. 4; hæc etiam dicta ſunt de Pharaone et Ægyptio, per quos ſignificatur naturalis homo ſeparatus a ſpirituali, qui cum ſeparatus in meris falſis et malis eſt, eſt enim tunc abſque luce cœli, quæ dat omnem intelligentiam; quare per derelinquam te in deſerto, ſignificatur abſque veris et bonis; per piſcem fluviorum ejus, ſignificatur ſcientificum ſenſuale, videatur ſupra n. 342; per ſuper facies agri cades, ſignificatur quod periturum ei omne Eccleſiæ; per non colligeris nec congregaberis, ſignificatur quod non videbitur bonum et verum; ſpiritualis enim homo videt illa in naturali, ille enim colligit et congregat ſcientifica et concludit; per quod feræ terræ et avi cœli dedi te in cibum, ſignificatur hic ut ſupra quod periturum per falſa cogitationis et inde mala affectionis. Quoniam naturalis homo ſeparatus a ſpirituali fertur in falſa omnis generis et nocet, ideo dicitur Ægyptus *fera arundinis*, Pſalm. lxviii. 31. Apud Ezechielem, "*Super montibus Iſraelis cades, tu et omnes alæ tuæ, et populi qui tecum; avi volucris omnis alæ, et feræ agri dedi te in cibum,*" xxxix. 4; hæc de Gogo, per quem ſignificatur cultus externus ſeparatus ab interno, qui in ſe eſt nullus cultus, nam eſt cultus naturalis hominis ſeparati a ſpirituali; ſuper montibus Iſraelis cades, ſignificat quod illis non aliquid boni charitatis, montes Iſraelis ſignificant bona charitatis, et cadere ibi ſignificat perire; tu et omnes alæ tuæ, et populus qui tecum, ſignificant quod cultus ille cum ſuis doctrinalibus et falſis periturus ſit; avi volucris omnis alæ, et feræ agri dedi te in cibum, ſignificat exſtinctionem veri et boni per falſa omnis generis et per mala; mala quæ ſignificantur per feram agri ſunt mala vitæ, quæ ſunt cupiditates oriundæ ex amore ſui et mundi. Apud Davidem, "*Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum ſanctitatis tuæ, poſuerunt Hieroſolymam in acervos; dederunt cadaver ſervorum tuorum cibum avi cœlorum, carnem ſanctorum tuorum feræ terræ,*" Pſalm. lxxix. 1, 2; per gentes hic non intelliguntur gentes ſed mala vitæ et falſa doctrinæ, nam per hæreditatem Dei ſignificatur Eccleſia in qua Dominus eſt omne bonum et verum, quia ab Ipſo; per polluere Templum ſanctitatis et ponere Hieroſolymam in acervos, ſignificatur prophanare cultum et pervertere doctrinam Eccleſiæ, templum ſanctitatis ſignificat cultum quia ibi cultus, et Hieroſolyma ſignificat Eccleſiam quoad doctrinam, ita quoque doctrinam Eccleſiæ; et per dare cadaver ſervorum tuorum cibum avi cœlorum, et carnem ſanctorum tuorum feræ terræ, ſignificatur deſtruere omnia vera per falſa et bona per mala, avis cœlorum hic quoque ſunt cogitationes falſi, et fera terræ ſunt affectiones mali inde. Apud Eundem, "*Ne des feræ animam turturis tui; vitæ miſerorum tuorum ne obliviſcaris in perpetuum,*" Pſalm. lxxiv. 19; per turturem ſignificatur bonum ſpirituale, ita quoque illi qui in eo bono ſunt, et per feram ſignificatur falſum mali cupiens deſtruere, ita quoque illi qui in falſo mali ſunt et cupiunt deſtruere; inde patet, quid ſignificatur per ne des feræ animam turturis tui; per miſeros intelliguntur qui infeſtantur a falſis, et inde in anxietate ſunt et exſpectant liberationem. Apud Ezechielem, "*Oves diſperſæ ſunt ſine paſtore, et factæ ſunt in cibum omni feræ agri, ac diſperſæ ſunt,*" xxxiv. 5, 8; per hæc ſignificatur, quod bona charitatis per falſa deſtructa ſint, et prorſus conſumta per omnis generis mala inde; fera agri ſunt mala vitæ oriunda ex falſis doctrinæ; per oves in Verbo intelliguntur qui in bono charitatis ſunt, ſed quia genuinus ſenſus ſpiritualis eſt abſtractus a perſonis, per oves ſignificantur bona charitatis, per paſtores ſignificantur qui per vera ducunt ad bonum, et abſtracte ipſa vera per quæ bonum, ideo ſine paſtore ſignificat non verum per quod bonum, ita falſum; per fieri in cibum ſignificatur conſumi, ſimiliter ac per comedi cum de feris; per feram agri ſignificantur mala ex falſis. Apud Hiobum, “*Beatus homo quem caſtigat Deus, in fame redimet te a morte, et in bello a manibus gladii, vaſtitatem et famem ridebis, et a fera terræ non timebis,*” v. 17, 20, 22; hæc de tentationibus; beatus homo quem caſtigat Deus, ſignificat qui tentatur; in fame redimet te a morte, ſignificat liberationem a malis cum tentatur per defectum et non perceptionem boni; in bello a manibus gladii, ſignificat liberationem a falſis cum tentatur per defectum et non intellectum veri, bellum eſt tentatio; vaſtitatem et famem ridebis, ſignificat quod non ei defectus boni, et a fera terræ non timebis ſignificat quod ei non falſum. Apud Ezechielem, “*Sic dices ad eos, qui in vaſtitatibus gladio morientur, et qui ſuper faciebus agri feræ dabo eum ad devorandum; et qui in munitionibus et cavernis peſte morientur; dabo enim terram deſolationem et vaſtitatem,*” xxxiii. 27, 28; agitur hic de deſolatione omnis veri et de vaſtatione omnis boni in Eccleſia, ut quoque dicitur, dabo terram in deſolationem et vaſtitatem, terra ſignificat Eccleſiam; qui in vaſtitatibus gladio morientur, ſignificat quod qui in ſcientificis perituri ſint per falſa, ſcientifica enim naturalis hominis abſque luce ex ſpirituali intelliguntur hic per vaſtitates; qui ſuper faciebus agri feræ dabo eum ad devorandum, ſignificat quod qui in cognitionibus ex Verbo perituri ſint per mala falſi, facies agri ſunt illa quæ Eccleſiæ, hic cognitiones ex Verbo, fera eſt malum falſi; qui in munitionibus et cavernis peſte morientur, ſignificat qui ſe confirmaverunt in falſis et malis ex Verbo, et qui ex ſcientificis, quod prorſus ex malis et falſis perituri ſint, munitiones ſunt confirmationes ex Verbo, cavernæ ſunt confirmationes ex ſcientificis: quod hæc ſignificentur per illa verba, non videri poteſt niſi ex ſerie in ſenſu interno, agitur enim, ut dictum eſt, de totali vaſtatione Eccleſiæ. Apud Eundem, “*Mittam ſuper vos famem et feram malam, et orbam faciam te, et peſtes et ſanguis tranſibit per te, imprimis gladium adducam ſuper te,*” v. 17: apud Eundem, “*Quando miſero in terram famem, et exſcindam hominem et beſtiam, quando feram malam tranſire fecero per terram, et orbaverit illam, ut fiat deſolatio, ita ut non tranſiens propter feram; et quando adduxero gladium, et miſero peſtem: ita quando quatuor judicia mea mala, gladium, famem, feram malam et peſtem miſero ſuper Hieroſolymam, ad exſcindendum ex ea hominem et beſtiam,*” xiv. 13, 15, 17, 19, 21; in ſenſu interno per exſcindere hominem et beſtiam, ſignificatur deprivare omni affectione boni et veri tam interna ſeu ſpirituali quam externa ſeu naturali, quod hoc per hominem et beſtiam in Verbo ſignificetur, videatur n. 7424, 7523, 7872; per famem ſignificatur deprivatio boni amoris, per gladium deprivatio veri fidei, utrumque per falſum; per feram malam deprivatio utriuſque per mala amoris ſui et mundi;

et per peſtem deprivatio vitæ ſpiritualis inde: hæc vocantur ibi quatuor judicia, quia homo judicatur ex illis; ex horum et antecedentium explicatione conſtare poteſt, quid per ſingula ibi in ſerie intelligitur. Per feram malam intelliguntur omnes beſtiæ noxiæ, quæ rapiunt, diſcindunt animalia bona, ſicut agnos, oves, juvencos, boves et cætera, quæ ſunt leones, urſi, tigrides, pantheri, apri, lupi, dracones, ſerpentes et plures; quod per illas feras, et in genere per feram malam ſignificantur cupiditates oriundæ ex amore ſui et mundi, ex quibus omnia mala vitæ et falſa doctrinæ, eſt ex correſpondentia, ut conſtare poteſt ex apparentiis in Mundo ſpirituali; ibi omnes cupiditates mali et falſi apparent ſicut feræ varii generis; ſunt etiam illi, ex quibus talia apparent, ſimiles feris, ſummum enim eorum jucundum eſt bonos aggredi et perdere; hoc jucundum eſt jucundum infernale, ac ineſt amoribus ſui et mundi, in quibus ſunt inferna: ex his conſtare poteſt, unde eſt quod per feram malam in genere ſignificentur mala vitæ ſeu cupiditates et inde falſitates oriundæ ex amoribus ſui et mundi, quæ vaſtant omnia Eccleſiæ apud hominem. Hactenus ex Verbo oſtenſum eſt, quod feræ ſignificent cupiditates malas ac falſitates, in ſpecie cupiditates perdendi et deſtruendi bona et vera per falſa, ita vitam ſpiritualem hominis; nunc etiam oſtendetur, quod feræ etiam in Verbo ſignificent affectiones veri et boni, quæ ſunt oppoſitæ affectionibus falſi ex malo, quæ cupiditates vocantur: cauſa quod feræ in Verbo etiam affectiones veri et boni ſignificent, eſt quia vox, ex qua denominantur et vocantur, in Lingua originali ſignificat vitam, fera enim in illa Lingua vocatur Chajah, et Chajah ſignificat vitam, ac in affectione veri et boni eſt ipſa vita ſpiritualis homini; quapropter dum fera in bono hoc ſenſu nominatur in Verbo, potius vertendum et dicendum eſt Animal, quod ſignificat animam viventem: at cum in hoc ſenſu dicitur fera, tunc omnino exuenda eſt idea, quæ adhæret voci feræ in Lingua Latina, nam voci feræ in hac Lingua adhæret idea feri et ferocis, ita idea ſiniſtra et mala; aliter in Lingua Hebræa, ubi fera ſignificat vitam, et in genere animam viventem ſeu animal; in hoc ſenſu Chajah ſeu fera non vocari poteſt beſtia, quoniam paſſim in Verbo dicitur fera et beſtia, et per feram ibi ſignificatur affectio veri et per beſtiam affectio boni. Quia fera ſeu Chajah in oppoſito hoc ſenſu ſignificat affectionem veri et boni, ideo Evah uxor Adami vocatur Chavah ex illa voce, ut patet apud Moſen, "*Et vocavit Homo nomen uxoris ſuæ Chavah, quia illa futura eſſet mater omnis Chaj, hoc eſt, viventis,*" Geneſ. iii. 20: et quoque quatuor Animalia, quæ fuerunt Cherubi, dicuntur ex eadem voce Chajah in plurali, et quia voci feræ in Latino ſermone adhæret idea feri et ferocis, ut dictum eſt, ideo interpretes dixerunt Animalia; quod ex illa voce Cherubi, qui apparuerunt ſicut Animalia, dicantur, videatur apud Ezechielem, Cap. i. Verſ. 5, 13, 14, 15, 22. Cap. x. 15; et alibi. Similiter Animalia, quæ comedenda ſunt, ſicut agni, oves, capræ, arietes, hœdi, hirci, juvenci, boves, vaccæ, ut quoque animalia quæ non comedenda, communi voce dicuntur feræ, et tamen omnia animalia quæ comedenda ſignificant affectiones bonas, ſunt enim mitia et utilia, proinde non fera et ferocia; ita apud Moſen, "*Hæc fera quam comedetis de omni beſtia, inter omnes feras incedentes ſuper quatuor, ad diſtinguendum inter feram quæ comeditur et inter feram quæ non comeditur,*" Levit. xi. 2, 27, 47: et alibi, "*Qui venatur venationem feræ et avis, quæ comeditur,*" Exod. xvii. 13. Etiam Animalia, quæ ſacrificabantur, quæ fuerunt ſupra memorata, dicuntur feræ; ut apud Eſajam, "*Libanus non ſufficit ad incendendum, et fera ejus non ſufficit in holocauſtum,*" xl. 16: et apud Davidem, "*Non ſumam e domo tua juvencum, e caulis tuis hircos* (in ſacrificium), *quia Mihi omnis fera ſylvæ, beſtiæ in montibus millium: novi omnem avem montium, et fera agrorum meorum Mecum, ſi eſurirem non dicerem tibi, quia Mihi orbis et plenitudo ejus; ſacrifica Deo confeſſionem,*" Pſalm. l. 9, 10, 11, 12, 13, 14. Quod fera ſignificet affectionem veri et boni, conſtare ulterius poteſt ex ſequentibus his locis; apud Moſen, "*Septimo anno, qui eſt annus ſabbatharius, intermittes terram et relinques eam, ut comedant eam pauperes populi tui, et reſiduum eorum comedat fera agri,*" Exod. xxiii. 11: et alibi, "*In anno ſabbathi, erit omnis proventus, qui in terra tua, beſtiæ tuæ et feræ ad comedendum,*" Levit. xxv. 7; per beſtias et feras ibi intelliguntur agni, oves, capræ, hœdi, arietes, hirci, juvenci, boves, vaccæ, equi et aſini, non autem leones, urſi, apri, lupi et ſimiles feræ rapaces, quare per feras ibi intelliguntur feræ domeſticæ, quæ utiles, per quas ſignificantur affectiones veri et boni. Apud Davidem, "*Laudate Jehovam e terra balænæ et abyſſi, fera et omnis beſtia, reptile et avis alæ, reges terræ et omnes populi,*" Pſalm. cxlviii. 7, 10, 11; per hæc ſignificantur omnis generis bona et vera quæ apud hominem, ex quibus homo colit Deum; et quia homo colit Deum ex illis, et illa non ſunt hominis ſed Domini apud illum, ideo intelligendum eſt quod illa colant Deum, nemo enim rite colere poteſt Deum a ſe, ſed a Deo, hoc eſt, a bonis et veris quæ ſunt Dei apud illum; quod nemo poſſit nominare Jeſum a ſe, ſed ab Ipſo, notum eſt aliquibus in Eccleſia, et notiſſimum in Cœlo; per laudere Jehovam ſignificatur colere Ipſum; per balænas et abyſſos ſignificantur ſcientifica et cognitiones in communi ſeu in omni complexu; per feram et omnem beſtiam ſignificantur affectiones veri et boni; per reptile et avem omnis alæ, ſignificatur jucundum boni et veri naturalis et ſpiritualis hominis; ideo etiam dicitur, laudate Jehovam reges terræ et omnes populi, per quos ſignificantur vera boni omnis generis: quod talia ſignificentur per illa verba, patet ex ſignificatione eorum in ſenſu interno, et ex Verbo in Cœlo, ubi id eſt ſpirituale quia pro Angelis qui ſpirituales; quod etiam Verbum in Cœlis ſit, et id ſecundum ſenſum internum, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 259, 260, 261. Apud Eundem, "*Pluviam benevolentiarum ſtillare facis Deus, hæreditatem tuam laborantem confirmabis; fera tua habitabunt in ea,*" Pſalm. lxviii. 10, 11; hic quoque fera ſeu animal pro illis qui in affectionibus veri et boni ſunt, ſeu abſtracte ipſæ illæ affectiones; nam per pluviam benevolentiarum quam ſtillare facit Deus, ſignificatur Divinum Verum ex Divino Bono; per hæreditatem laborantem quam confirmabit Deus, ſignificatur Eccleſia quæ in Divino Vero eſt quoad Doctrinam et quoad vitam, hæreditas eſt Eccleſia ubi illa, quæ laborans dicitur ex ſtudio faciendi bonum; quod feræ habitabunt in illa, nempe in hæreditate ſeu Eccleſia, ſignificat quod affectiones veri et boni; quod non aliud per feram hic intelligatur, patet, non enim poteſt fera rapax, hoc eſt, cupiditas falſi et mali, habitare in hæreditate, in quam Deus pluviam benevolentiarum ſtillare facit. Apud Hoſcheam, “*In die illo feriam illis fœdus cum fera agri et cum ave cœlorum, et reptili terræ; et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos ſecure, et deſponſabo Me tibi in æternum,*” ii. 18, 19; hæc dicta ſunt de nova Eccleſia a Domino; et per feram agri, avem cœlorum et reptile terræ ſimile ſignificatur quod per illa ſupra apud Davidem, Pſalm. cxlviii. 7, 10, 11, quæ explicata ſunt; per fœdus ſignificatur conjunctio, ita per fœdus ferire ſignificatur conjungi, videatur n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632; non enim poteſt Jehovah fœdus ferire ſeu conjungi cum affectionibus mali et falſi ſeu cum cupiditatibus quæ ſignificantur per feras in priori ſenſu, ac in genere non poteſt ferire fœdus cum fera, ave et reptili, ſed cum talibus quæ ſignificantur per illa, ſed videantur hæc plenius explicata ſupra n. 357. Apud Ezechielem, “*Dic ad Pharaonem Regem Ægypti; ecce Aſchur Cedrus in Libano, pulchra ramo, et ſylva umbroſa, et alta altitudine; aquæ creſcere fecerunt eam, unde facta eſt altitudo ejus præ omnibus arboribus agri, in ramis ejus nidificarunt omnes aves cœlorum, et ſub ramis pepererunt omnis fera agri; et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnæ: omnis arbor in horto Dei non par fuit illi in pulchritudine,*” xxxi. 2 ad 9; per Pharaonem et Ægyptum hic ſignificatur ſcientificum quod naturalis hominis, et per Aſchurem rationale cui ſcientificum inſervit; hujus creſcentia per vera ſcientifica et cognitiones deſcribitur per Cedrum in Libano, per quam etiam rationale ſignificatur; per aquas quæ creſcere illam fecerunt ſignificantur vera; et per ramos ſignificatur extenſio, qualis eſt cogitationis rationalis hominis; inde conſtare poteſt quid ſignificatur per quod in ramis ejus nidificaverint omnes aves cœlorum, ſub ramis ejus pepererint omnis fera agri, et in umbra ejus habitaverint omnes gentes magnæ, quod nempe vera rationalia et ſpiritualia omnis generis, affectiones veri, et bona; per aves enim cœlorum ſignificantur vera rationalia et ſpiritualia omnis generis; per feram affectiones veri, per parere ſignificatur multiplicare, ex affectionibus enim veri fit omnis partus ſpiritualis ſeu multiplicatio, et per gentes magnas ſignificantur bona; quod aves ſignificent cogitationes, rationalia, intellectualia et ſpiritualia, ita vera, nam omnia cogitationis ſunt vel vera vel falſa, videatur n. 745, 776, 866, 988, 993, 3219, 5149, 7441: quod parere ſignificet multiplicare vera et bona, et quod id ſit partus ſpiritualis, n. 3860, 3868, 9325: quod gentes ſignificent illos qui in bonis, et inde abſtracte bona, n. 1059, 1159, 1258, 1260, 1416, 1849, 6005; et ſupra n. 175, 331: quod Pharao et Ægyptus ſignificent ſcientificum in utroque ſenſu, bono et malo, videatur n. 1164, 1165, 1186, 1462, 5700, 5702, 6015, 6651, 6679, 6683, 6692, 7296, 9340, 9391: et quod Aſchur ſignificet rationale in utroque ſenſu, n. 119, 1186: quod Ægyptus ſignificet verum ſcientificum, et Aſchur rationale, et quod omne rationale hominis naſcatur per ſcientifica, ſeu quod hæc inſerviant illi, ut ſupra dictum eſt, conſtare poteſt ex his apud Eſajam, “*In die illo erit ſemita ex Ægypto in Aſchurem, ut veniat Aſchur in Ægyptum, et Ægyptus in Aſchurem, ſerviantque Jehovæ Ægyptii* *cum Aſchure : in die illo erit Iſrael trina Ægypto et Aſchuri, benedictio in medio terræ ; cui benedicet Jehovah Zeboath dicendo, benedictus populus meus Ægyptus, opus manuum mearum Aſchur, et hæreditas mea Iſrael,*" xix. 23, 24, 25 ; ibi Ægyptus ſignificat ſcientificum, Aſchur rationale, et Iſrael ſpirituale. Ex his nunc allatis conſtare poteſt, quid ſignificatur per avem et per feram agri apud Ezechielem, "*Sic dixit Dominus Jehovih, dic avi omnis alæ, et omni feræ agri, congregamini et venite, congregate vos a circuitu ſuper ſacrificium meum, quod Ego ſacrifico vobis, ſacrificium magnum ſuper montibus Iſraelis, ut comedatis carnem et bibatis ſanguinem ; carnem fortium comedetis, et ſanguinem principum terræ bibetis, et comedetis adipem ad ſatietatem, et bibetis ſanguinem uſque ad ebrietatem, de ſacrificio meo quod ſacrificabo vobis : et ſatiabimini ſuper menſa mea, equo et curru, forti et omni viro belli : ſic dabo gloriam meam inter gentes,*" xxxix. 18, 19, 20, 21 ; quod hæc dicta ſint de Eccleſia a Domino inſtauranda apud gentes, patet a ſingulis ibi, quare per avem omnis alæ, et per omnem feram agri, quæ congregandæ ac invitandæ ſunt ad ſacrificium, ſignificantur omnes qui in affectione veri et boni ſunt, nam per carnem quam comederent ſignificatur bonum amoris, et per ſanguinem quem biberent verum ex illo bono, ac per ſacrificium ſignificatur ipſe cultus ex illis ; ſed hæc amplius explicata videantur ſupra n. 329. Aliquoties in Verbo dicitur fera et beſtia, aliquoties ſolum fera, ac ſolum beſtia, et aliquoties fera terræ, aut fera agri ; et quando dicitur fera et beſtia, tunc ſignificatur affectio ſeu amor falſi et mali, per feram affectio ſeu amor falſi et per beſtiam affectio ſeu amor mali, vel in oppoſito ſenſu per feram affectio ſeu amor veri, et per beſtiam affectio ſeu amor boni : at cum ſolum fera dicitur, ac cum ſolum beſtia, tunc per feram intelligitur affectio tam falſi quam mali, et in oppoſito ſenſu affectio tam veri quam boni, per beſtiam autem affectio mali et inde falſi, et in oppoſito ſenſu affectio boni et inde veri ; ſed de ſignificatione beſtiæ, videbitur infra in ſuo loco ; quum autem dicitur fera terræ, intelligitur fera quæ devorat animalia et homines ; cum autem dicitur fera agri, intelligitur fera quæ conſumit ſementem, ita fera terræ ſignificat illa quæ deſtruunt bona Eccleſiæ, et fera agri ſignificat illa quæ deſtruunt vera Eccleſiæ, nam per terram ſignificatur Eccleſia, et ſimiliter per agrum, ſed per terram ſignificatur Eccleſia ex gente et populo ibi, et per agrum Eccleſia ex ſemente et ex receptione ſeminum.

389. Verſ. 9, 10, 11. *Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſubter Altari animas occiſorum propter Verbum Dei, et propter Teſtimonium quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui ſanctus et verus, non judicas, et vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra. Et datæ ſingulis ſtolæ albæ ; et dictum eis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur, et conſervi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici ſicut et illi.* Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, ſignificat prædictionem adhuc ulteriorem : et vidi ſub altari, ſignificat qui ſub cœlo reſervati ſunt : animas occiſorum propter Verbum Dei et propter Teſtimonium quod habebant, ſignificat qui rejecti ſunt et abditi propter Divinum Verum, et propter confeſſionem Domini : et clamabant voce magna, ſignificat dolorem animi eorum : dicentes, uſque quo Domine, qui ſanctus et verus, non judicas et

vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra, ſignificat ſuſpiria ad Dominum qui Juſtitia de judicio et remotione illorum, qui perſequuntur et infeſtant illos qui profitentur Dominum, et in charitatis vita ſunt: et datæ ſingulis ſtolæ albæ, ſignificat Divinum Verum a Domino apud illos, et tutationem: et dictum eis ut requieſcerent adhuc tempus parvum, ſignificat aliquam adhuc durationem in illo ſtatu: uſque dum complentur, et conſervi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici ſicut et illi, ſignificat dum omnia conſummata ſunt.

390. Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, quod ſignificet prædictionem adhuc ulteriorem, conſtat ex ſignificatione aperire ſigilla libri, quod ſit revelare abſcondita et prædicere futura, de qua ſupra n. 352, 361, 369, 378.

391. Et vidi ſub altari, quod ſignificet qui ſub cœlo reſervati ſunt, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit manifeſtatum facere, ut ſupra n. 351; et ex ſignificatione Altaris, quod in proximo ſenſu ſit cultus ex bono amoris in Dominum, in ſenſu interiori Cœlum et Eccleſia quæ in illo amore, et in ſenſu intimo Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum Divini Amoris: quod per ſubter Altari ſignificentur illi qui ſub Cœlo reſervati ſunt, eſt quia dicitur quod viderit ſubter Altari animas occiſorum propter Verbum Dei et propter teſtimonium quod habebant, et per illos intelliguntur qui ſub Cœlo reſervati ſunt uſque ad ultimum Judicium; ſed hoc quia nondum in mundo notum eſt, volo dicere quomodo cum hoc ſe habet; in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO relatum eſt, quod ante ultimum Judicium fuerit inſtar Cœli, quod intelligitur per prius Cœlum quod tranſivit, Apoc. xxi. 1, et quod hoc Cœlum conſtiterit ex illis qui in externo cultu abſque interno fuerunt, et qui inde moralem vitam externam egerunt tametſi mere naturales et non ſpirituales eſſent; illi qui hoc Cœlum ante ultimum Judicium conſtituerunt, viſi ſunt ſupra terram, etiam ſuper montibus, collibus et petris in mundo ſpirituali, et inde crediderunt ſe eſſe in Cœlo; ſed illi qui hoc Cœlum conſtituerunt, quia ſolum in externa morali vita fuerunt, et non ſimul in interna ſpirituali, dejecti ſunt, et cum illi dejecti tunc elevati ſunt et tranſlati in eadem loca, hoc eſt, ſuper montes, colles et petras, ubi priores fuerunt, omnes illi qui reſervati ſunt a Domino, et abſconditi hic et illic, plerique in inferiore terra; et ex his formatum eſt novum Cœlum: hi qui reſervati ſunt et tunc elevati, fuerunt ex illis in mundo, qui vixerunt vitam charitatis, et qui fuerunt in affectione veri ſpirituali: elevatio horum in loca priorum ſæpius mihi viſa eſt; hi ſunt qui intelliguntur per animas occiſorum viſas ſubter Altari, et quia illi cuſtoditi fuerunt a Domino in terra inferiori, quæ terra eſt ſub Cœlo, inde per vidi ſubter Altari ſignificantur qui ſub Cœlo reſervati ſunt; ſed de his in ſpecie agitur in Apocalypſi, Cap. xx. 4, 5, 12, 13, ubi plura de illis dicenda ſunt: interea de priori Cœlo quod tranſivit, et de Novo Cœlo quod a Domino poſt ultimum Judicium formatum eſt, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 65 ad 72; hæc pauca ſufficiant pro aliqua illuſtratione ad intelligendum illa quæ in binis ſequentibus Verſibus dicuntur, nempe quod *qui ſub Altari clamaverint voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui ſanctus et verus, non judicas et vindicas*

dicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra; et datæ illis ſtolæ albæ, et dictum eis ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur et conſervi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici ſicut et illi. Quod ſub Altari ſignificet ſub Cœlo, eſt quia Altare in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum, in reſpectivo Cœlum et Eccleſiam, quia Dominus eſt Cœlum et Eccleſia, omne enim Cœli et Eccleſiæ, ſeu omne amoris et fidei quæ faciunt illa apud Angelum et hominem, eſt ab Ipſo et inde eſt Ipſius; in communi autem ſenſu Altare ſignificat omnem cultum Domini, in ſpecie cultum repræſentativum, qualis fuit apud filios Iſraelis; quod Altare ſignificet omnem cultum, eſt cauſa quia Cultus in illa Eccleſia principaliter conſtabat in holocauſtis et ſacrificiis offerendis, offerebantur enim pro omni peccato et reatu, etiam ex benevolentia ut placerent Jehovæ, quæ ſacrificia Euchariſtica ſeu gratuita vocabantur, et quoque pro mundationibus omnis generis; per holocauſta et ſacrificia fiebant etiam inaugurationes in omne ſanctum Eccleſiæ, ut conſtat ex ſacrificiis ad inaugurandum Aharonem et filios ejus in ſacerdotium, et ad inaugurandum Tentorium conventus, et poſtea Templum: et quia in holocauſtis et ſacrificiis principaliter conſtabat cultus Jehovæ, hoc eſt, Domini, ideo etiam quotidie, nempe quovis mane et veſpere offerebantur, quæ una voce vocabantur Juge, præter in magna copia quolibet feſto, inde in Verbo Juge ſignificat omnem Cultum repræſentativum; ex his conſtare poteſt, quod cultus, et in ſpecie cultus repræſentativus illius gentis principaliter in Holocauſtis et Sacrificiis conſtiterit; inde eſt, quod Altare ſuper quo fiebant, et quod erat continens eorum, in Verbo ſignificet in genere omnem cultum. Per Cultum non intelligitur ſolum Cultus externus, ſed etiam Cultus internus, et Cultus internus comprehendit omne amoris et omne fidei, ita omne id quod facit Eccleſiam ſeu Cœlum apud hominem, verbo quod facit ut Dominus ſit apud illum. Quod Cœlum coram Johanne repræſentatum ſit per Altare, etiam eſt cauſa quia totum Verbum per repræſentativa eſt conſcriptum, et per talia repræſentativa quæ fuerunt apud filios Iſraelis, quare ut Verbum ſibi ſimile eſſet in utroque Teſtamento, etiam in hoc Libro ſimilia ſunt, et viſa Johanni, ut quoque alibi, ut quod viſum Altare ſuffitus, et quod viſi ipſi ſuffitus cum thuribulis, tum quod viſum tabernaculum, ac viſa arca, et ſimilia alia; at hodie talia nuſquam alicui Angelo, nec alicui homini, cui viſus apertus eſt in Cœlum, apparent: quod non Altare, Arca, et ſimilia, hodie in Cœlo appareant, eſt quia Sacrificia nuſquam nota fuerunt Antiquis, et quia poſt adventum Domini prorſus abolita; incepta enim fuerunt ab Ebero, et dein apud poſteros ejus, qui vocati ſunt Hebræi, continuata, et apud filios Iſraelis, qui ex Ebero fuerunt, tolerata, præcipue ob cauſam, quia cultus ſemet inceptus et animis irradicatus non abolitur a Domino, ſed flectitur ad ſignificandum ſanctum religionis, de qua re videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1943, 2180, 2818, 10042. Quod Altare ſignificet in ſupremo ſenſu Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum Divini Amoris, et quod in ſenſu reſpectivo ſignificet Cœlum et Eccleſiam, ac in genere omnem Cultum, et in ſpecie Cultum repræſentativum, conſtare poteſt a ſequentibus his locis in Verbo; apud Davidem, "*Mitte lucem tuam et veritatem tuam,* *hæ ducant me, ducant me ad montem ſanctitatis tuæ, et ad habitacula tua, ut ingrediar ad Altare Dei, ad Deum,*" Pſalm. xliii. 3, 4; quod per Altare Dei hic intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, manifeſte patet, nam agitur ibi de via ad Cœlum et ad Dominum ibi; via ad Cœlum intelligitur per mitte lucem et veritatem tuam, hæ ducant me, lux eſt illuſtratio in qua apparent veritates; Cœlum in quod ducatur, intelligitur per ducant me ad montem ſanctitatis et ad habitacula tua, mons ſanctitatis eſt Cœlum ubi Regnum cœleſte Domini eſt, in quo regnat bonum amoris, habitacula dicuntur illi Cœli ubi eſt Regnum ſpirituale Domini, in quo regnat verum ex illo bono; et quia utrumque intelligitur, ideo dicitur ut ingrediar ad Altare Dei, ad Deum, ac per Altare Dei intelligitur ubi Dominus eſt in bono amoris, et per Deum intelligitur ubi Dominus eſt in vero ex illo bono, nam Dominus dicitur Deus ex Divino Vero, ac Jehovah ex Divino Bono. In Eccleſia Judaica erant duo quæ in ſupremo ſenſu ſignificabant Divinum Humanum Ipſius, nempe Altare et Templum, Altare Divinum Humanum quoad Divinum Bonum, Templum quoad Divinum Verum procedens ex illo Bono; quod duo illa ſignificaverint Dominum quoad Divinum Humanum Ipſius, erat cauſa, quia omnia Cultus in illa Eccleſia repræſentabant Divina quæ procedunt a Domino, quæ cœleſtia et ſpiritualia vocantur, et ipſe cultus principaliter peragebatur ſuper Altari et in Templo, quare per illa duo repræſentabatur Ipſe Dominus: quod Templum repræſentaverit Divinum Humanum Ipſius, apertis verbis Ipſe docet apud Johannem, "*Judæi dixerunt, quodnam ſignum monſtras quod hæc facias, reſpondit Jeſus et dixit, ſolvite Templum hoc, in tribus tamen diebus exſuſcitabo illud, ſed Ipſe loquebatur de Templo corporis ſui,*" ii. 18 ad 23: tum Matth. xxvi. 61; et alibi: quod Dominus dixerit, cum diſcipuli monſtrabant Ipſi ſtructuras Templi, "*quod non relinquetur lapis ſuper lapide qui non diſſolvetur,*" Matth. xxiv. 2, 3, ſignificabat quod Dominus prorſus negaretur apud illos; quare etiam Templum funditus deſtructum eſt. Quod etiam Altare ſignificaverit Divinum Humanum Domini, concludi poteſt a Domini verbis apud Matthæum, "*Væ vobis duces cæci, quia dicitis, quicunque juraverit per Templum, nihil eſt, quicunque vero juraverit per aurum Templi, reus eſt, ſtulti et cæci utrum majus eſt aurum, an Templum quod ſanctificat aurum. Tum quicunque juraverit per Altare, nihil eſt, quicunque vero juraverit per donum quod ſuper illo, reus eſt; ſtulti et cæci utrum majus eſt donum quam Altare, quod ſanctificat donum; qui enim jurat per Altare, jurat per illud et per omne id quod ſuper illo eſt; et qui jurat per Templum, jurat per illud, et per Eum qui habitat in illo: et qui jurat per Cœlum, jurat per thronum Dei, et per Eum qui ſedet ſuper illo,*" xxiii. 16 ad 22; dicitur quod Templum ſanctificet aurum quod in eo eſt, et quod Altare ſanctificet donum quod ſuper eo; et ſic quod Templum et Altare fuerint ſanctiſſima, ex quibus omnis ſanctificatio, quare per Templum et Altare ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum, ex Hoc enim omne ſanctum Cœli et Eccleſiæ procedit; an Templum et Altare, niſi hoc intelligatur, aliquid ſanctificare poteſt; nec poteſt ipſe cultus, ſed Dominus cui cultus, et a quo bonum et verum cultus, quare dicitur quod non donum ſanctificet ſed Altare, per donum intelliguntur ſacrificia quæ erant cultus: et quia hoc non intellexerunt Judæi, ſed docuerunt aliter, ideo dicti ſunt a Domino ſtulti et cæci. Quia hoc ſignificatum eſt per Altare, ideo ſanctificabantur omnes qui tetigerunt illud, ut conſtat apud Moſen, "*Septem dies ſanctificabis Altare, ut Altare ſit Sanctum ſanctorum; omnis qui tetigerit Altare ſanctificetur,*" Exod. xxix. 37; per tangere ſignificatur communicare, transferre, et recipere, videatur n. 10130, hic Divinum quod procedit a Domino, et quia hoc ſignificabatur per tangere, et qui tetigerunt ſanctificabantur, ſequitur quod Ipſe Dominus in ſupremo ſenſu ſignificetur per Altare, aliunde enim non eſt aliquod ſanctum; omnis etiam cultus eſt cultus Domini et a Domino, quare etiam, quia cultus in Eccleſia illa principaliter conſtabat in Holocauſtis et Sacrificiis, per Altare ſignificabatur Ipſum Divinum a Quo, et Hoc Divinum eſt Divinum Humanum Domini. Inde quoque erat, quod mandatum ſit, "*quod Ignis ſuper Altari jugiter arderet, et nuſquam exſtingueretur,*" Levit. vi. 5, 6; et quod ex illo igne accenderentur lucernæ in Tentorio conventus, et quod ex eodem deſumerent in thuribulis et ſuffirent, nam per ignem ſignificabatur Divinus Amor qui eſt in Solo Domino, videatur ſupra n. 68. Quia ignis Altaris ſignificat Divinum Amorem, ideo ſanctificabatur per illum propheta Eſajas, "*Volavit ad me unus Seraphim, in cujus manu pruna ignis, quam acceperat deſuper Altari, et tetigit os meum, et dixit, tetigit hæc labia tua, ideo receſſit iniquitas tua, et peccatum tuum expiatur,*" vi. 6, 7; quid hæc in ſerie ſignificant, videri poteſt, dum ſcitur, quod Altare ſignificet Dominum quoad Divinum Humanum, quod Ignis ſuper illo Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, quod os et labia prophetæ ſignificent doctrinam boni et veri, quod tangere ſignificet communicare, iniquitas quæ receſſit falſum, ac peccatum malum, nam iniquitas dicitur de vita falſi ſeu de vita contra vera, et peccatum de vita mali ſeu de vita contra bonum. Apud Eſajam, "*Omnia pecora Arabiæ congregabuntur Tibi, arietes Nebajoth miniſtrabunt Tibi, aſcendent ad beneplacitum Altare meum; ita Domum decoris mei decorabo,*" lx. 7; agitur ibi de adventu Domini, et hæc dicta ſunt de Ipſo Domino; per omnia pecora Arabiæ quæ congregabuntur, et per arietes Nebajoth qui miniſtrabunt, ſignificantur omnia bona ſpiritualia externa et interna, per pecora ſignificantur bona externa, et per arietes bona interna, ac per Arabiam et Nebajoth ſpiritualia; aſcendent ad beneplacitum Altare meum, ita domum decoris mei decorabo, ſignificat Divinum Humanum Domini in quo erunt, Altare ſignificat Divinum Humanum Ipſius quoad Divinum Bonum, ac domus decoris Illud quoad Divinum Verum: quod Dominus quoad Divinum Humanum hic intelligatur, conſtat ex præcedentibus hujus Capitis, ubi dicitur quod ſuper Te exorietur Jehovah, et Gloria Ejus ſuper Te videbitur, et quæ ſequuntur, per quæ deſcribitur Divina ſapientia qua Dominus quoad Humanum ſuum implebitur. Quoniam per Altare in ſupremo ſenſu ſignificatur Divinum Humanum Domini, ideo etiam per Altare ſignificatur Cœlum et Eccleſia, nam Cœlum Angelicum in ſe ſpectatum eſt ex Divino quod procedit ex Divino Humano Domini, inde eſt quod Cœlum Angelicum in toto complexu ſit ſicut Unus Homo, quare etiam Cœlum illud vocatur Maximus Homo, de qua re videantur quæ in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 86, oſtenſa ſunt, ſimiliter

Eccleſia, n. 57, ibi; et quia omnis Cultus eſt a Domino, eſt enim Divinum, quod communicatur homini a Domino, in quo eſt Ipſe Dominus, inde per Altare etiam ſignificatur in genere omne Cultus, qui procedit ex bono amoris, et per Templum cultus qui procedit ex Veris ab illo bono; omnis enim cultus eſt vel ex amore vel ex fide, aut ex bono vel ex vero; cultus ex bono amoris eſt qualis eſt in Regno cœleſti Domini, et cultus ex veris ex illo bono, quæ vera etiam vocantur vera fidei, eſt qualis eſt in Regno ſpirituali Domini, de quibus etiam videatur in eodem Opere, n. 20 ad 28. Ex his nunc conſtare poteſt quid per Altare ſignificatur in ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Quam amabilia ſunt Habitacula tua, Jehovah Zebaoth; deſideravit imo conſumta eſt anima mea erga atria Jehovæ, cor meum et caro mea jubilant erga Deum vivum; etiam avis invenit domum, et hirundo nidum ſibi, altaria tua Jehovah Zebaoth, Rex mi et Deus mi; beati habitatores domus tuæ,*" Pſalm. lxxxiv. 2, 3, 4, 5; per Altaria hic intelliguntur Cœli, nam dicitur quam amabilia ſunt habitacula tua, deſideravit imo conſumta eſt anima mea erga atria Jehovæ, et poſtea Altaria tua Jehovah Zebaoth; per habitacula intelliguntur cœli ſuperiores, et per atria cœli inferiores, ubi introitus, quæ etiam altaria dicuntur ex cultu; et quia omnis cultus eſt ex bono amoris per vera, ideo dicitur altaria tua Jehovah Zebaoth, Rex mi et Deus mi, Dominus enim dicitur Jehovah ex Divino Bono, ac Rex et Deus ex Divino Vero; et quia intelliguntur Cœli, etiam dicitur beati habitatores domus tuæ, domus Jehovæ Dei eſt cœlum in omni complexu; quod etiam dicatur, etiam avis invenit domum et hirundo nidum ſuum, eſt quia avis ſignificat verum ſpirituale, et hirundo verum naturale, per quæ cultus; et quia omne verum per quod cultus eſt ex bono amoris, ideo præmittitur cor meum et caro mea jubilant erga Deum vivum, per cor et per carnem ſignificatur bonum amoris, et per jubilare ſignificatur cultus ex jucundo boni. Cœlum et Eccleſia intelliguntur per Altare etiam in his in Apocalypſi, "*Datus eſt mihi calamus ſimilis baculo, et adſtitit Angelus et dixit mihi, ſurge et metire Templum Dei et Altare, et adorantes in illo,*" xi. 1: et poſtea, "*Audivi alium Angelum ex Altari dicentem, imo Domine Deus Omnipotens, vera et juſta ſunt judicia tua,*" xvi. 7. Apud Davidem, "*Lavo in innocentia manus meas, et circumdo Altare tuum Jehovah, ut audiri faciam vocem confeſſionis,*" Pſalm. xxvi. 6, 7; lavare in innocentia manus ſignificat purificari a malis et falſis; circumdare Altare tuum Jehovah, ſignificat conjunctionem cum Domino per cultum ex bono amoris, qui cultus, quia fit per vera ex bono, ideo adjicitur ut audiri faciam vocem confeſſionis, audiri facere vocem confeſſionis eſt cultus ex veris; quod circumdare altare tuum Jehovah ſignificet conjunctionem Domini per cultum ex bono amoris, eſt quia Jehovah dicitur de Bono amoris, et circumdare ſignificat cultu amplecti, ita conjungi. Apud Eſajam, "*In die illo erunt quinque urbes in terra Ægypti, loquentes labiis Canaanis, et jurantes Jehovæ Zebaoth; Ir Chæres dicetur unaquævis: in die illo erit Altare Jehovæ in medio terræ Ægypti, et ſtatua apud terminum ejus Jehovæ,*" xix. 18, 19; per Ægyptum ſignificatur naturalis homo et ejus ſcientificum; in die illo, ſignificat adventum Domini, et tunc ſtatum illorum qui in veris ſcientificis a Domino; quinque urbes in terra Ægypti loquentes labiis Canaanis, ſignificat vera doctrinæ plura quæ genuina Eccleſiæ, quinque ſunt plura, urbes ſunt vera doctrinæ, labia Canaanis ſunt doctrinalia Eccleſiæ genuina; jurantes Jehovæ Zebaoth, ſignificat confitentes Dominum; Jehovah Zebaoth dicitur hic et multis aliis in locis in Verbo, et intelligitur Dominus quoad omne bonum et verum, nam Zebaoth in lingua originali ſignificant Exercitus, ac Exercitus in ſenſu ſpirituali ſignificant omnia bona et vera Cœli et Eccleſiæ, videatur n. 3448, 7236, 7988, 8019; hoc itaque eſt Jehovah Zebaoth ſeu Jehovah Exercituum; Ir Chæres dicetur unaquævis, ſignificat doctrinam coruſcantem ex veris ſpiritualibus in naturali, Ir enim eſt urbs, et urbs ſignificat doctrinam, Chæres eſt coruſcatio ut ſolis; in die illo erit Altare Jehovæ in medio terræ Ægypti, ſignificat quod tunc erit cultus Domini ex bono amoris per vera ſcientifica quæ in naturali homine, Altare Jehovæ ſignificat cultum Domini ex bono amoris, in medio terræ Ægypti ſignificat per vera ſcientifica quæ in naturali homine, vera ſcientifica ſunt etiam cognitiones ex ſenſu literæ Verbi; et ſtatua apud terminum Jehovæ, ſignificat cultum Domini ex veris fidei, per ſtatuam ſignificatur cultus ex veris fidei, et per terminum Ægypti ſignificantur extrema, extrema naturalis hominis ſunt ſenſualia. Apud Eundem, "*Cum poſuerit omnes lapides Altaris ſicut lapides calcis diſperſos, non reſurrexerint luci et ſtatuæ ſolares,*" xxvii. 9; hæc de Jacobo et Iſraele, per quos ſignificatur Eccleſia, hic quæ deſtruenda; deſtructio ejus quoad vera cultus deſcribitur per ponere lapides altaris ſicut lapides calcis diſperſos, lapides Altaris ſunt vera cultus, ſicut lapides calcis diſperſi ſunt ſicut falſa non cohærentia; non reſurrexerint luci et ſtatuæ ſolares, ſignificat ut non amplius aliquis cultus ex veris ſpiritualibus et naturalibus, luci ſignificant cultum ex veris ſpiritualibus, et ſtatuæ ſolares cultum ex veris naturalibus. In Threnis, "*Deſeruït Dominus Altare ſuum, abominatus eſt Sanctuarium ſuum, concluſit in manus hoſtis muros palatiorum ejus,*" ii. 7; lamentatio ſuper vaſtatis omnibus Eccleſiæ; quod vaſtata ſit Eccleſia quoad omnia bona, ſignificatur per deſeruit Dominus Altare ſuum; quod vaſtata ſit quoad omnia vera, ſignificatur per abominatus eſt ſanctuarium ſuum, quod ſanctuarium dicatur de Eccleſia quoad vera, videatur ſupra n. 204; quod falſa et mala intraverint in omnia Eccleſiæ, ſignificatur per concluſit in manus hoſtis muros palatiorum ejus, hoſtis ſignificat malum et falſum, concludere in manus ejus ſignificat quod occupaverint et intraverint, muri palatiorum ſignificant omnia vera tutantia, palatia ſunt illa quæ doctrinæ. Apud Eſajam, "*Quiſquis cuſtodit ſabbathum et ſervat fœdus meum, introducam eos ſuper montem ſanctitatis meæ, et exhilarabo eos in domo precationis meæ; holocauſta eorum et ſacrificia eorum in beneplacitum ſuper Altari meo,*" lvi. 6, 7; per ſabbathum ſignificatur conjunctio Domini cum Cœlo et Eccleſia, ita cum illis qui ibi, quare per cuſtodire ſabbathum ſignificatur in conjunctione cum Domino eſſe; et per ſervare fœdus Ipſius ſignificatur conjunctio per vitam ſecundum præcepta Domini, fœdus eſt conjunctio, et vita ſecundum præcepta conjungit, præcepta decalogi inde dicta fuerunt fœdus; introducam eos ſuper montem ſanctitatis, ſignificat quod donaturus bono amoris, mons ſanctitatis eſt Cœlum ubi bonum amoris in Dominum, ita quoque bonum amoris quale ibi; exhilarabo eos in domo precationis meæ, ſignificat quod donaturus illos veris ſpiritualibus, domus precationis ſeu templum eſt Cœlum ubi vera ſpiritualia ſunt, ita quoque vera ſpiritualia qualia ibi; holocauſta et ſacrificia eorum in beneplacitum ſuper Altari meo, ſignificat cultum ex bono amoris per vera ſpiritualia gratum, holocauſta ſignificant cultum ex bono amoris, et ſacrificia cultum ex veris quæ ex illo bono; vera ex bono ſunt quæ vocantur vera ſpiritualia; ſuper altari ſignificat in Cœlo et Eccleſia. Apud Davidem, "*Benefac in beneplacito tuo Zioni, ædifica muros Hieroſolymæ, tunc delectaberis ſacrificiis juſtitiæ et ignito, tunc aſcendere facient ſuper Altare tuum juvencos,*" Pſalm. li. 20, 21; per Zionem intelligitur Eccleſia quæ in bono amoris, et per Hieroſolymam Eccleſia quæ in veris doctrinæ; inde per benefacere in beneplacito Zioni, et ædificare muros Hieroſolymæ, ſignificatur reſtaurare Eccleſiam ducendo in bonum amoris et docendo in veris doctrinæ; cultus tunc ex bono amoris ſignificatur per tunc delectaberis ſacrificiis juſtitiæ et ignito, juſtitia dicitur de bono cœleſti, et ignitum ſignificat amorem; et cultus tunc ex bono charitatis, ſignificatur per tunc aſcendere facient ſuper altare tuum juvencos, juvenci ſignificant bonum naturale ſpirituale, quod bonum eſt bonum charitatis. Apud Eundem, "*Deus Jehovah qui illuminat nos, ligate feſtum funibus uſque ad cornua altaris, Deus mi,*" Pſalm. cxviii. 27; per illuminare ſignificatur illuſtrare in veris; per ligare feſtum funibus uſque ad cornua altaris, ſignificatur conjungere omnia cultus, ligare funibus eſt conjungere, feſtum ad cornua altaris ſunt omnia cultus, cornua ſunt omnia quia ultima, ac feſtum et altare ſunt cultus; omnia cultus conjuncta ſunt quando externa cum internis, et quando bona cum veris. Apud Lucam, "*Requiretur ſanguis omnium Prophetarum effuſus a fundatione mundi a generatione hac, a ſanguine Abelis uſque ad ſanguinem Zachariæ interfecti inter Altare et Templum,*" xi. 50, 51; per hæc non intelligitur, quod a Gente Judaica requiretur ſanguis omnium prophetarum a fundatione mundi a ſanguine Abelis, non enim ab aliquo requiritur ſanguis quam ab illo qui effudit eum, ſed per illa verba intelligitur quod ab illa gente falſificatum ſit omne verum, et adulteratum omne bonum; ſanguis enim omnium prophetarum effuſus a fundatione mundi, ſignificat falſificationem omnis veri quod uſquam in Eccleſia fuit, ſanguis eſt falſificatio, prophetæ ſunt vera doctrinæ, et a fundatione mundi eſt quod uſquam in Eccleſia fuit, fundatio mundi eſt inſtauratio Eccleſiæ; a ſanguine Abelis uſque ad ſanguinem Zachariæ interfecti inter Altare et Templum, ſignificat adulterationem omnis boni, et inde exſtinctionem cultus Domini, ſanguis Abelis uſque ad Zachariam eſt adulteratio omnis boni, interfici inter Altare et Templum eſt exſtinguere omne bonum et omne verum in cultu, altare enim ſignificat cultum ex bono, et templum cultum ex vero, ut ſupra quoque dictum eſt, inter utrumque eſt ubi conjunctio, et ubi non conjunctio ibi non bonum nec verum; altare erat extra Tentorium conventus et extra Templum, quod itaque fiebat inter utrumque ſignificabat communicationem et conjunctionem, videatur in Arcanis Cœleſtibus, n. 10001, 10015; et quod Abel ſignificet bonum charitatis, n. 342, 374, 1179, 9325; quod non Abel nec Zacharias hic in ſpirituali ſenſu intelligatur, conſtat ex eo, quod nomina in Verbo ſignificent res.

Apud Matthæum, "*Jeſus dixit, ſi obtuleris munus tuum ſuper Altari, et apud hoc recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid contra te, relinque munus coram Altari, et abi prius reconciliare fratri, et tunc veniens offer munus tuum,*" v. 23, 24; per offerre munus ſuper Altari in ſenſu ſpirituali intelligitur colere Deum, et per colere Deum intelligitur cultus tam internus quam externus, nempe qui eſt amoris et fidei et inde vitæ, hoc intelligitur quia cultus in Eccleſia Judaica principaliter conſtabat in ſacrificiis ſeu muneribus offerendis ſuper Altari, ac principale ſumitur pro omni; ex his conſtare poteſt, quid in ſenſu ſpirituali intelligitur per verba Domini, quod nempe cultus Divinus primario conſiſtat in charitate erga proximum, et non in pietate abſque illa, offerre munus ſuper altari eſt cultus ex pietate, et reconciliari fratri eſt cultus ex charitate, et quod hic ſit vere cultus, et qualis hic talis ille; de qua re videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 123 ad 129, 325; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 222, 224, 358, 359, 360, 528, 529, 535; et ſupra n. 325; quod ſi obtuleris munus tuum ſuper Altari, ſignificet in omni cultu, patet a Domini verbis apud Lucam, Cap. xvii. 4, ubi dicitur quod omni tempore remittendum ſit fratri ſeu proximo, ſeptuagies ſeptem ibi ſignificat jugiter. Quoniam per Altare talia ſignificata ſunt, ideo Altare factum eſt vel ex ligno, vel ex humo, vel ex lapidibus integris ſuper quos non moveretur ferrum, et quoque circumdatum eſt ære: quod factum ſit ex ligno, erat cauſa, quia lignum ſignificat bonum; ſimiliter quod ex humo, nam humus ſimile ſignificat; quod ex lapidibus integris, erat cauſa, quia illi lapides ſignificabant vera formata ex bono, ſeu bonum in forma, et ne accederet aliquid ex propria intelligentia quod ſimul formaret id, prohibitum fuit ne lapides illi aptarentur per aliquem malleum, ſecurim aut ferrum; quod circumdatum fuerit ære ſignificabat quod repræſentaret bonum undequaque, æs enim ſignificat bonum in externis. Quod Altare ex ligno factum fuerit, conſtat apud Moſen, "*Facies Altare ex lignis Schittim, quinque cubiti longitudo et latitudo, quadratum erit, et facies ei cornua; et facies ei cribrum opus retis æris; cavum tabulatum erit,*" Exod. xxvii. 1 ad 8: et apud Ezechielem, "*Altare erat ex ligno, tres ulnas altum, et longitudo ejus duæ ulnæ, cui anguli, longitudo ejus et parietes ejus ex ligno: tunc loquutus eſt ad me, hæc menſa quæ coram Jehovah,*" xli. 2; quod Altare ex ligno factum ſit et obductum ære, fuit etiam propter uſum ut portari ac transferri poſſet a loco in locum in deſerto, ubi tunc fuerunt filii Iſraelis, tum quia lignum ſignificat bonum, et lignum ſchittim bonum juſtitiæ ſeu meriti Domini; quod lignum ſignificet bonum, videatur n. 643, 3720, 8354; et quod lignum ſchittim bonum juſtitiæ ſeu meriti, quod Soli Domino, n. 9472, 9486, 9528, 9715, 10178. Quod autem Altare ex humo ædificaretur, et ſi ex lapidibus, quod ex integris et non per aliquod inſtrumentum ferri cæſis, conſtat etiam apud Moſen, "*Altare facies Mihi, ut ſacrifices ſuper illo holocauſta tua et Euchariſtica tua. Quod ſi Altare lapidum facies Mihi, non ædificabis illos cæſos, quia ſi cælum moveris ſuper illos, prophanabis illud,*" Exod. xx. 21, 22: et alibi, "*Si Altare* *lapidum ædificatur, non impelletur ferrum ſuper lapides,*" Deut. xxvii. 6. Hactenus oſtenſum eſt quid per Altare ſignificatum eſt in genuino ſenſu; exinde patet, quid per Altare ſignificatur in ſenſu oppoſito, quod nempe cultus idololatricus ſeu cultus infernalis, qui ſolum eſt apud illos, qui quidem religionem profitentur, ſed uſque ſe et mundum ſuper omnia amant, et ſic colunt, et cum hoc faciunt, amant malum et falſum, quare per Altare, cum de illis, ſignificatur cultus ex malo, et per ſtatuas, quæ etiam erant illis, cultus ex falſo, proinde etiam infernum: quod hoc ſignificetur per Altare in oppoſito ſenſu, conſtat ex his ſequentibus locis; apud Eſajam, "*In die illo reſpiciet homo ad Factorem ſuum, et oculi ejus ad Sanctum Iſraelis ſpectabunt; et non reſpiciet ad Altaria opus manuum ſuarum, et quod fecerunt digiti illius ſpectabunt, aut ad lucos aut ſubdiales ſtatuas,*" xvii. 7, 8; hæc de inſtauratione novæ Eccleſiæ a Domino; quod tunc ducendi erunt in bonis vitæ et informandi in veris doctrinæ, intelligitur per quod homo in die illo reſpiciet ad Factorem ſuum, et oculi ejus ad Sanctum Iſraelis ſpectabunt, Dominus dicitur Factor ex eo quod ducat in bona vitæ, nam hæc faciunt hominem, et Sanctus Iſraelis ex eo quod doceat vera doctrinæ, quare etiam dicitur quod homo reſpiciet, et oculi ejus ſpectabunt, homo dicitur homo ex bono vitæ, et oculi dicuntur de intellectu veri, ita de veris doctrinæ; quod tunc non cultus ex proprio amore, ex quo mala vitæ, nec ex propria intelligentia, ex qua falſa doctrinæ, ſignificatur per quod non reſpiciet ad Altaria opus manuum ſuarum, et quod fecerunt digiti ejus ſpectabunt, per altaria opus manuum ſuarum intelligitur cultus ex proprio amore, ex quo mala vitæ, et per quod fecerunt digiti ejus, intelligitur cultus ex propria intelligentia ex qua falſa doctrinæ; per lucos et ſubdiales ſtatuas ſignificatur religioſum ex falſis et inde malis, per lucos religioſum ex falſis, et per ſubdiales ſtatuas ex malis falſi. Apud Jeremiam, "*Peccatum Jehudæ ſcriptum eſt ſtylo ferri, ſcalpro adamantis, ſcriptum ſuper tabula cordis eorum, et in cornubus Altarium veſtrorum: ſicut recordor filiorum eorum, Altarium eorum, et lucorum eorum cum arbore viridi, ſuper collibus altis,*" xvii. 1, 2; per hæc deſcribitur, quod cultus idololatricus genti Judaicæ ita irradicatus fuerit, ut auferri nequiret; quod irradicatus ut non auferri poſſet, ſignificatur per quod peccatum Jehudæ ſcriptum ſit ſtylo ferri, ſcalpro adamantis, ſculptum ſuper tabula cordis eorum, et in cornubus altarium eorum, falſum irradicatum intelligitur per ſcriptum ſtylo ferri et ſcalpro adamantis, et malum irradicatum intelligitur per ſculptum ſuper tabula cordis, et in cornubus altarium illorum, ſuper cornubus altarium dicitur quia intelligitur cultus idololatricus; per filios quorum recordatur, ſignificantur falſa mali, per altaria cultus ille ex malo, per lucos cum arbore viridi cultus ille ex falſo, ſuper collibus altis ſignificatur adulteratio boni et falſificatio veri: illo enim tempore, quando omnia cultus erant repræſentativa cœleſtium et ſpiritualium, cultum habebant in lucis et ſuper collibus, quia arbores, ex quibus luci, ſignificabant cognitiones et perceptiones veri et boni, et hoc ſecundum ſpecies arborum; et quia colles ſignificabant bona charitatis, in quibus ſpirituales Angeli ſunt, qui in mundo ſpirituali habitant ſuper collibus, inde erat quod cultus antiquis temporibus peragetur ſuper collibus; at hoc prohibitum fuit Genti Judaicæ et Iſraeliticæ, ne prophanarent ſancta quæ repræſentabantur, erat enim gens illa ſolum in externis quoad cultum, internum eorum erat mere idololatricum: quod arbores ſignificent cognitiones et perceptiones veri et boni ſecundum ſpecies illarum, videatur n. 2163, 2682, 2722, 2972, 7692: quod inde Antiqui Divinum Cultum habuerint in Lucis ſub arboribus ſecundum earum ſignificationes, n. 2722, 4512: quod hoc prohibitum fuerit genti Judaicæ et Iſraeliticæ, cauſa, n. 2722: quod colles ſignificent bona charitatis, cauſa, n. 6435, 10438. Apud Hoſcheam, "*Vitis vacua Iſrael, fructum facit ſimilem ſibi, quando multus fructus ejus multiplicat altaria, quando bene eſt terræ ejus bonas faciunt ſtatuas: adblanditur cor eorum, jam deſolati ſunt, ille evertet altaria illorum, devaſtabit ſtatuas illorum,*" x. 1, 2; Iſrael hic ſignificat Eccleſiam, quæ vitis vacua dicitur cum non verum amplius; cultus ejus ex malis intelligitur per altaria quæ multiplicat; et cultus ex falſis intelligitur per ſtatuas quas bonas facit; quod hoc faciant quantum abundant, ſignificatur per quando multus eſt fructus ejus, et quando bene eſt terræ ejus; quod cultus ex malis et ex falſis deſtruetur, ſignificatur per quod evertet altaria illorum, et devaſtabit ſtatuas illorum: quod ſtatuæ ſignificaverint cultum ex veris, ac in oppoſito ſenſu cultum ex falſis, ita idololatricum, videatur n. 3727, 4580, 10643. Apud Ezechielem, "*Sic dixit Dominus Jehovih montibus et collibus, alveis et vallibus, Ego adducens ſuper vos gladium, et perdam excelſa veſtra, et deſtruentur Altaria veſtra, frangentur ſolares ſtatuæ veſtræ, imo faciam cadere confoſſos veſtros coram idolis veſtris,*" vi. 3, 4, 6, 13; dixit Dominus Jehovih montibus, collibus, alveis et vallibus, non ſignificat omnibus qui ibi habitant, ſed omnibus idololatris, qui nempe ſuper montibus et collibus et ad alveos et in vallibus inſtituerunt cultum, quod fecerunt propter repræſentationes et inde ſignificationes eorum; adducere ſuper vos gladium, et perdere excelſa, deſtruere altaria, et frangere ſolares ſtatuas, ſignificat deſtruere omnia cultus idololatrici per falſa et mala, nam cultus idololatricus ſemet per illa deſtruit, gladius enim ſignificat falſa deſtruentia, excelſa cultum idololatricum in genere, altaria eundem ex malis amoribus, et ſtatuæ ſolares eundem ex falſis doctrinæ; facere cadere confoſſos coram idolis, ſignificat damnationem eorum qui pereunt per falſa, confoſſi ſignificant illos qui pereunt per falſa, idola ſignificant falſa cultus in genere, et cadere ſignificat damnari. Apud Hoſcheam, "*Multiplicavit Ephraim Altaria ad peccandum; fecerunt illi Altaria ad peccandum,*" viii. 11; per Ephraim ſignificatur intellectuale Eccleſiæ, hic intellectuale perverſum; multiplicare altaria ad peccandum, ſignificat pervertere cultum per falſa; et facere altaria ad peccandum, ſignificat pervertere cultum per mala; nam in Verbo multiplicare dicitur de veris ac in oppoſito ſenſu de falſis, et facere dicitur de bono et in oppoſito ſenſu de malo, inde eſt quod illa duo dicantur, et tamen non eſt repetitio vana. Apud Eundem, "*Exciſa eſt Samaria, rex ejus ſicut ſpuma ſuper faciebus aquarum; et perdentur excelſa aven, peccatum Iſraelis, tribulus et ſpina aſcendit ſuper altaria illorum,*" x. 7, 8; per Samariam ſignificata eſt Eccleſia ſpiritualis, ſeu Eccleſia in qua charitas et fides unum faciunt, at poſtquam perverſa facta eſt, tunc per Samariam ſignificata eſt Eccleſia in qua charitas ſeparata eſt a fide, et hæc uſque eſſentialis pronuntiata, quare etiam tunc per illam ſignificatum ubi non verum amplius quia non bonum, ſed loco boni malum vitæ, et loco veri falſum doctrinæ; hoc ſignificatur hic per quod exciſa ſit Samaria; falſum doctrinæ ejus ſignificatur per regem ejus qui ſicut ſpuma ſuper faciebus aquarum, rex ſignificat verum, et in oppoſito ſenſu, ut hic, falſum, ſpuma ſuper faciebus aquarum ſignificat vacuum et ſeparatum a veris, aquæ ſunt vera; per quod perdentur excelſa aven, ſignificatur quod deſtruentur principia falſi et inde ratiocinationes qui ſunt illis qui in cultu illo, qui in ſe ſpectatus eſt interior idololatricus, nam qui in malo vitæ et in falſis doctrinæ ſunt ſe colunt et mundum; per quod tribulus et ſpina aſcendet ſuper altaria eorum, ſignificatur quod verum falſificatum et malum inde in omni cultu eorum, altaria ſunt omnis cultus. Apud Amos, “*In die illo, quo viſitaturus ſum prævaricationes Iſraelis ſuper illum, viſitabo ſuper altaria Bethelis, ut excidantur cornua Altaris, cadantque in terram,*” iii. 14; per viſitare prævaricationes Iſraelis ſuper illum, ſignificatur ſtatus illorum ultimus, in ſenſu ſpirituali ſtatus poſt mortem quando judicandi, viſitare pro judicare dicitur quia viſitatio ſemper præcedit judicium; per altaria Bethelis ſignificatur cultus ex malo; per cornua altaris ſignificatur cultus ex falſis, ita per hæc ſignificantur omnia cultus, quæ quod deſtruenda ſint, ſignificatur per quod cornua exſcindentur et cadent in terram. Dicitur quod viſitabitur ſuper Altaria Bethelis, quia Jeroboamus ſeparavit Iſraelitas a Judæis, et erexit duo altaria, unum in Bethele et alterum in Dane, et quia per Bethelem et Danem ſignificantur ultima in Eccleſia, et ultima in homine Eccleſiæ vocantur naturalia ſenſualia, ſeu naturalia mundana et corporea, ideo hæc per Bethelem et Danem ſignificantur, per Bethelem ultimum boni et per Danem ultimum veri, inde per bina illa Altaria ſignificatur cultus in ultimis ſeu in extremis, qualis cultus eſt apud illos qui ſeparant charitatem a fide, et hanc ſolam pro medio ſalutis agnoſcunt; hi inde de religione cogitant in naturali ſenſuali; quapropter omnia quæ dicunt ſe credere, non intelligunt nec volunt intelligere, dicendo quod intellectus erit ſub obedientia fidei; et qui tales ſunt, repræſentati ſunt per Iſraelitas ſeparatos a Judæis, ſeu per Samariam ſeparatam a Hieroſolyma, ac cultus eorum repræſentatus eſt per Altaria in Bethele et Dane; qui cultus, quatenus eſt ſeparatus a charitate, eſt nullus cultus, nam in illo os loquitur abſque intellectu et voluntate, ſeu abſque mente, abſque intellectu quia dicunt credendum eſſe tametſi non intelligunt, et abſque voluntate quia removent facta ſeu bona charitatis; quod is cultus nullus cultus ſit, ſignificatur per hæc in Libro 1 Regum, “*Cum ſtetit Jeroboamus ſuper Altari in Bethele, Vir Dei clamavit ad illum, quod Altare diffinderetur et cinis effunderetur; quod etiam factum eſt,*” xii. 26 ad fin.: et Cap. xiii. 1 ad 6: quod prorſus nullus cultus eſſet, ſignificatur per quod altare diffinderetur, et cinis effunderetur. Quod fides ſeparata a charitate, ſignificata ſit tunc per Samariam, eſt quia Regnum Judaicum ſignificabat Eccleſiam cœleſtem ſeu Eccleſiam quæ in bono amoris, et Regnum Iſraeliticum ſignificabat Eccleſiam ſpiritualem quæ eſt in veris ex illo bono; hoc ſignificatum eſt per Regnum Judaicum et Iſraeliticum quando ſub uno Rege erant, ſeu quando conjuncta; cum autem ſeparata ſunt, tunc per Regnum Iſraeliticum ſignificatum eſt Verum ſeparatum a bono, ſeu quod idem, fides ſeparata a charitate. Præterea Cultus ſignificatur per Altare, quia per holocauſta et ſacrificia quæ offerebantur ſuper eo, plurimis aliis in locis, quæ ob copiam non adducuntur: et quia Cultus idololatricus per Altaria gentium ſignificatus eſt, ideo mandatum eſt ut ubivis deſtruerentur, videatur Deut. vii. 5. Cap. xii. 3. Judic. ii. 2; et alibi: ex quo patet, quod Altaria in uſu fuerint apud omnem poſteritatem ex Ebero, ita apud omnes qui Hebræi vocabantur, qui quoad plurimam partem fuerunt in terra Canaane, et proxime circum illam, tum etiam in Syria, unde Abram; quod fuerint in terra Canaane et proxime circum illam, conſtat ex Altaribus, quæ ibi, memoratis et deſtructis; quod in Syria, conſtat ex Altaribus a Bileamo, qui e Syria erat, ædificatis, Num. xxiii. 1; et ex Altari in Damaſco, II Reg. xvi. 10 ad 15: et ex eo, quod Ægyptii abominati ſint Hebræos propter ſacrificia, Exod. viii. 22, uſque adeo ut non vellent panem cum illis comedere, Geneſ. xliii. 32; cauſa erat, quia Antiqua Eccleſia quæ fuit Eccleſia repræſentativa, ac per multum Orbis Aſiatici extenſa, ignoravit ſacrificia, et aſpexit illa, quando ab Ebero inſtituta fuerunt, ſicut abominanda, quod nempe vellent placare Deum per cædem diverſorum Animalium, et ſic per ſanguinem: inter eos, qui ab Antiqua Eccleſia fuerunt, erant etiam Ægyptii, ſed hi quia applicuerunt repræſentativa ad magica, Eccleſia illa apud eos exſtincta fuit: quod non panem cum illis vellent comedere, erat cauſa, quia per prandia et cœnas eo tempore repræſentabatur et inde ſignificabatur conſociatio ſpiritualis, quæ eſt conſociatio et conjunctio per illa quæ Eccleſiæ ſunt, et per panem in genere ſignificabatur omnis cibus ſpiritualis, et inde per prandium et cœnam omnis conjunctio. Quod Antiqua Eccleſia per multum Orbis Aſiatici, nempe per Aſſyriam, Meſopotamiam, Syriam, Æthiopiam, Arabiam, Lybiam, Ægyptum, Philiſthæam uſque ad Tyrum et Zidonem, per terram Canaanem cis et trans Jordanem, fuerit extenſa, videatur n. 1238, 2385: quod fuerit Eccleſia repræſentativa, n. 519, 521, 2896: de Eccleſia ab Ebero inſtituta, quæ vocata eſt Eccleſia Hebræa, n. 1238, 1241, 1343, 4516, 4517: quod Sacrificia ab Ebero primum incepta fuerint, et dein in uſu apud poſteros ejus, n. 1128, 1343, 2180, 10042: quod Sacrificia non mandata fuerint, ſed modo permiſſa, oſtenſum ex Verbo, cauſa quod dicantur mandata, n. 922, 2180, 2818: Et quia Verbum conſcriptum eſt apud illam gentem, et Verbum Hiſtoricum de illa gente, quod non aliter potuerit, quàm ut Altaria et ſacrificia nominarentur, et quod cultus Divinus per illa ſignificaretur, n. 10453, 10461, 10603, 10604.

392. Animas occiſorum propter Verbum Dei et propter Teſtimonium quod habebant, quod ſignificet qui rejecti ſunt et abditi ſunt propter

Divinum Verum et propter confeſſionem Domini, conſtat ex ſignificatione occiſorum, quod ſint illi qui rejecti ſint a malis et abditi a Domino, de qua ſequitur; ex ſignificatione Verbi Dei, quod ſit Divinum Verum, Verbum Dei dicitur quod Dominus loquitur, et hoc eſt Divinum Verum; Verbum ſeu ſcriptura ſacra non aliud eſt, nam omne Divinum Verum ibi continetur, ſed ipſum Verum ibi in ſua gloria non apparet niſi coram angelis, quia interiora Verbi, quæ ſunt ſpiritualia et cœleſtia, ad illos perveniunt, et quoque faciunt ſapientiam eorum, quare per Verbum Dei in genuino ſenſu ſignificatur Divinum Verum, et in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus, qui id loquutus eſt, nam loquutus eſt a Se ſeu a Divino Suo, et quod ab Ipſo procedit, hoc quoque Ipſe eſt: quod Divinum procedens ſit Ipſe, illuſtrabitur per hoc; circum unumquemvis Angelum eſt ſphæra quæ vocatur ſphæra vitæ ejus, hæc ad multam diſtantiam ab eo ſe effundit, hæc ſphæra effluit ſeu procedit ex vita affectionis ſeu amoris ejus, quare eſt extenſio vitæ qualis eſt in illo extra illum, extenſio illa fit media athmoſphæra ſeu aura ſpirituali, quæ eſt aura cœli; per illam ſphæram percipitur Angelus qualis eſt ad diſtantiam ab aliis quoad affectionem, quod etiam datum eſt mihi aliquoties percipere: at circum Dominum eſt ſphæra Divina, quæ prope Ipſum apparet ut Sol, qui eſt Divinus Amor Ipſius, ex quo procedit illa in univerſum Cœlum, et implet illud, et facit lucem quæ ibi, hæc ſphæra eſt Divinum procedens ex Domino, quod in ſua eſſentia eſt Divinum Verum: hæc comparative cum Angelis propter illuſtrationem dicta ſunt, ut ſciatur quod Divinum procedens a Domino ſit Ipſe Dominus, quia eſt procedens amoris Ipſius, et procedens eſt Ipſe extra ſe: et ex ſignificatione Teſtimonii, quod ſit confeſſio Domini et Ipſe Dominus, de qua ſequitur. Quod per occiſos hic intelligantur illi qui rejecti ſint a malis ſpiritibus et abditi a Domino, ſeu ab oculis aliorum ſemoti, et reſervati ad diem ultimi Judicii, conſtare poteſt ex illis quæ in ſuperiori Articulo dicta ſunt, et quoque ex illis quæ ſequuntur in binis Verſibus, in quibus unice de illis agitur: in ſuperiori Articulo dictum eſt, quod prius Cœlum quod tranſivit, conſtiterit ex illis qui moraliter vixerunt in externis, ſed uſque non ſpirituales, verum mere naturales fuerunt, ſeu qui vitam quaſi ſpiritualem egerunt ſolum ex affectione ſeu amore famæ, honoris, gloriæ, lucri, ita propter apparentiam; hi tametſi interius mali fuerunt, uſque tolerati ſunt, et conſtituerunt ſocietates in locis editioribus in Mundo ſpirituali; hæ ſocietates ſimul ſumtæ dictæ fuerunt Cœlum, ſed prius Cœlum quod poſtea tranſivit; inde factum eſt, quod omnes illi qui ſpirituales fuerunt, hoc eſt, non ſolum exterius ſed etiam interius boni, non ſimul cum illis eſſe potuerint, ſed ab illis ſeceſſerint vel ſua ſponte, vel profugati, ac ubi inventi perſequutiones paſſi ſint, quapropter illi a Domino abditi ſunt, ac in ſuis locis reſervati ad diem Judicii, ut novum Cœlum conſtituerent: hi itaque ſunt, qui intelliguntur per animas occiſorum viſas ſub Altari; inde patet quod per occiſos ſignificentur qui rejecti et abditi; erant enim odio habiti a reliquis propter Divinum Verum et propter confeſſionem Domini; et qui odio habentur illi dicuntur occiſi, nam odio habere eſt ſpiritualiter occidere: quod illi intelligantur per animas occiſorum, conſtare etiam poteſt ex illis quæ ſequuntur in binis Verſibus, ubi de illis ita dicitur, "*Et clamabant voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra: et datæ ſingulis ſtolæ albæ, et dictum eis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur et conſervi eorum et fratres eorum qui futuri interfici ſicut et illi;*" quod illi, de quibus nunc dictum eſt, per occiſos intelligantur, nemo ſcire poteſt, niſi cui revelatum eſt; quis enim ſcit, niſi ex revelatione, ex quibus prius Cœlum, de quo in Apocalypſi, Cap. xxi. 1, conſtiterat, et ex quibus novum Cœlum formatum eſt; et quod illi, ex quibus novum Cœlum formandum eſt, interea a Domino reconditi et reſervati fuerint; et niſi illa alicui revelata fuiſſent, latuiſſent omnia illa quæ in Apocalypſi in ſenſu interno continentur, nam ibi agitur principaliter de talibus quæ futura erant in Mundo ſpirituali ante Ultimum Judicium, tum quæ in illo, ac poſt illud. Quod per Teſtimonium ſignificetur confeſſio Domini et Ipſe Dominus, conſtare poteſt ex locis in Verbo, quæ ſequuntur; ſignificatio illa trahit inde originem, quia Verbum in omnibus et ſingulis teſtatur de Domino, in ſenſu enim ejus intimo agitur de Solo Domino, ac in ſenſu interno de cœleſtibus et ſpiritualibus quæ procedunt a Domino, et in particulari teſtatur Dominus de Se apud ſingulos qui in vita amoris et charitatis ſunt, influit enim Dominus in illorum cor et vitam ac docet, imprimis de Divino Humano ſuo; nam dat illis qui in vita amoris ſunt, cogitare Deum ſub Humana forma, et Deus ſub Humana forma eſt Dominus; ita cogitant ſimplices in Chriſtiano orbe, ita quoque gentiles qui in charitate ſecundum religioſum ſuum vivunt; hi et illi obſtupeſcunt, quando audiunt Eruditos loquentes de Deo, quod percipiendus ſit non in aliqua forma Humana, ſcientes tunc quod nullum Deum cogitatione videant, et inde quod parum fidei de exiſtentia Dei habeant, quoniam fides, quæ eſt fides charitatis, comprehendere aliquo modo vult quod creditur, nam fides eſt cogitationis, et cogitare incomprehenſibile non eſt cogitare, ſed modo eſt ſcire et inde loqui abſque idea; Angeli etiam ſapientiſſimi non aliter de Deo cogitant quam in Humana forma, aliter cogitare illis impoſſibile eſt, ex cauſa quia perceptiones eorum vadunt ſecundum formam Cœli, quæ eſt forma Humana ex Divino Humano Domini, de qua re videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 59 ad 86, tum quia affectiones, ex quibus cogitationes eorum, ſunt ex influxu, et influxus eſt a Domino: hæc dicta ſunt, ut ſciatur, unde eſt quod Teſtimonium ſignificet Dominum, quod nempe, quia Dominus de Se teſtatur apud omnes qui recipiunt teſtificationem, qui ſunt qui vitam amoris in Dominum et vitam charitatis erga proximum vivunt; quod hi recipiant teſtificationem, et confiteantur Ipſum, eſt cauſa, quia vita amoris et charitatis aperit interiorem mentem per influxum lucis e Cœlo, eſt enim vita amoris et charitatis ipſa vita Divina, Dominus enim amat unumquemque et benefacit unicuique ex amore, quare ubi illa vita recipitur, ibi eſt Dominus præſens, et ei conjungitur, proinde influit in mentem ejus ſuperiorem, quæ mens ſpiritualis vocatur, et per lucem a Se aperit illam. Quod Teſtimonium ſignificet Dominum, et apud hominem confeſſionem

Domini ex corde, et in ſpecie agnitionem Divini Domini in Humano Ipſius, conſtare poteſt ex eo, quod Lex quæ lata fuit in monte Sinai, et inſcripta duabus Tabulis, et dein poſita in Arca, dicatur Teſtimonium, unde etiam Arca vocabatur Arca Teſtimonii, et quoque Tabulæ vocabantur Tabulæ Teſtimonii: et quia hoc ſanctiſſimum erat, ideo Propitiatorium datum fuit ſuper Arcam, et ſuper Propitiatorio ſculpti erant duo Cherubi, inter quos Jehovah, hoc eſt, Dominus loquutus eſt cum Moſe et cum Aharone; inde patet, quod Teſtimonium ſignificet Ipſum Dominum; alioquin Propitiatorium non poſitum fuiſſet ſuper Arcam, nec loquutus fuiſſet Dominus cum Moſe et Aharone inter Cherubos qui ſuper Propitiatorio: cum etiam Aharon intraret intra velum, quod fiebat ſemel quotannis, primum ſanctificabatur, et dein ſuffiebat uſque ut fumus ſuffimenti obtegeret Propitiatorium, quod niſi feciſſet, dicitur quod moriturus eſſet: ex his manifeſte conſtat, quod Teſtimonium, quod in Arca, quod erat Lex lata ſuper Monte Sinai, et inſcripta duabus Tabulis lapideis, ſignificaverit Ipſum Dominum; quod Lex illa dicatur Teſtimonium, conſtat apud Moſen, “*Dabis in Arcam Teſtimonium, quod daturus ſum tibi,*” Exod. xxv. 16: “*Dedit Teſtimonium in Arcam,*” Exod. xl. 20: “*Propitiatorium quod ſuper Teſtimonio,*” Levit. xvi. 13: “*Relinque baculos Tribuum coram Teſtimonio,*” Num. xvii. 19: quod Tabulæ et Arca inde dictæ fuerint Tabulæ et Arca Teſtimonii, Exod. xxv. 22. Cap. xxxi. 7, 18. Cap. xxxii. 15. Quod Propitiatorium poſitum fuerit ſuper illud, et ſuper Propitiatorio ſculpti bini Cherubi, Exod. xxv. 17 ad 23. Cap. xxvi. 34. Quod Dominus loquutus ſit cum Moſe et cum Aharone inter duos Cherubos, Exod. xxv. 16, 21, 22. Num. xvii. 19; et alibi. Quod ſanctificarent ſe antequam illuc intrarent; et quod fumus ſuffimenti tegeret Propitiatorium, ne morerentur, Levit. xvi. Quod Teſtimonium ſignificet Dominum, etiam conſtat ex eo, quod id quod ſuper Arca erat, vocatum fuerit Propitiatorium, et Dominus eſt Propitiator: Arca etiam ex Teſtimonio in illo erat ſanctum ſanctorum tam in Tentorio quam in Templo, et inde Tentorium erat Sanctum et quoque Templum; Tentorium repræſentabat Cœlum, et quoque Templum, ac Cœlum eſt Cœlum ex Divino Humano Domini, inde ſequitur quod per Teſtimonium ſignificetur Dominus quoad Divinum Humanum ſuum: quod Tentorium conventus repræſentaverit Cœlum, videatur n. 9457, 9481, 9485, 10505. Quod ſimiliter Templum, ſupra n. 220; et quod Cœlum ſit Cœlum ex Divino Humano Domini, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 59 ad 86. Quod Lex e Monte Sinai promulgata dicatur Teſtimonium, eſt quia Lex illa in lato ſenſu ſignificat totum Verbum, tam Hiſtoricum quam Propheticum, et Verbum eſt Dominus, ſecundum hæc apud Johannem, “*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, ac Verbum Caro factum eſt,*” i. 1, 14; quod Verbum ſit Dominus, eſt quia Verbum ſignificat Divinum Verum, et omne Divinum Verum procedit a Domino, eſt enim Lux in Cœlo, quæ illuminat mentes Angelorum et quoque mentes hominum, ac illis dat ſapientiam, eſt illa Lux in ſua eſſentia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole, de qua Luce videatur in Opere de Cœlo et

INFERNO, n. 126 ad 140: inde eſt, quod poſtquam dicitur, quod Verbum eſſet apud Deum, et Deus eſſet Verbum, etiam dicatur apud Johannem, "*In Ipſo vita erat, et vita erat Lux hominum; erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum,*" Verſ. 4, 9, ibi. Ex his etiam patet, quod Dominus intelligatur per Teſtimonium, quoniam Lex ſuper duabus Tabulis ſcripta, quæ vocatur Teſtimonium, ſignificat Verbum in toto complexu, et Dominus eſt Verbum: quod Lex in lato ſenſu ſignificet Verbum in toto complexu, in minus lato Verbum Hiſtoricum, et in ſtricto decem præcepta decalogi, videatur n. 6752. Lex illa etiam vocabatur fœdus, et inde Tabulæ quibus inſcripta fuit, vocabantur Tabulæ fœderis, et quoque Arca vocabatur Arca fœderis, videatur Exod. xxiv. 28. Num. xiv. 44. Deutr. ix. 9, 15. Apoc. xi. 19; et alibi; et hoc ex cauſa, quia fœdus ſignificat conjunctionem, ac Verbum ſeu Divinum Verum eſt quod conjungit hominem cum Domino, non aliunde eſt aliqua conjunctio; quod fœdus ſignificet conjunctionem, videatur n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632. Quod Lex illa dicta ſit et fœdus et teſtimonium, eſt quia cum illa dicitur fœdus, intelligatur Verbum per quod conjunctio, et cum illa dicitur teſtimonium intelligatur Ipſe Dominus qui conjungit, et a parte hominis confeſſio Domini et agnitio Divini Ipſius in Humano Ipſius, quæ conjungit. Ex his videri poteſt, unde eſt quod Verbum in Eccleſia dicatur fœdus, illud Verbum quod fuit ante adventum Domini vetus fœdus, et quod poſt adventum Ipſius novum fœdus; dicitur etiam Teſtamentum vetus et novum, ſed dicendum eſt Teſtimonium. Quod per Teſtimonium ſignificetur Dominus, et a parte hominis confeſſio Domini et agnitio Divini Ipſius in Humano Ipſius, conſtat etiam ex his locis in Verbo, in Apocalypſi, "*Illi vicerunt draconem per ſanguinem Agni, et per Verbum Teſtimonii: et iratus draco abivit, ut faceret bellum cum reliquis ſeminis ejus, qui tenebant mandata Dei, et habent teſtimonium Jeſu Chriſti,*" xii. 11, 17: et alibi, "*Conſervus tuus ſum et fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu: teſtimonium Jeſu eſt ſpiritus prophetiæ,*" xix. 10; quod teſtimonium Jeſu ſit ſpiritus prophetiæ, ſignificat quod confeſſio Domini et agnitio Divini Ipſius in Humano Ipſius ſit vita omnis veri tam in Verbo, quam in doctrina ex Verbo: et alibi, "*Animæ ſecuri percuſſorum propter Teſtimonium Jeſu, et propter Verbum Dei, non acceperunt characterem ſuper frontem ſuam et ſuper manum ſuam,*" xx. 4; ſed de his in explicatione in ſequentibus. Apud Davidem, "*Hieroſolyma ædificata ſicut urbs quæ cohæret ſibi una, et eo aſcendunt Tribus, Tribus Jah, Teſtimonium Iſraeli, ad confitendum Nomini Jehovæ, quia ibi ſedent throni ad judicium,*" Pſalm. cxxii. 3, 4, 5; per Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam; quæ ædificata dicitur, cum inſtaurata a Domino; ſicut urbs quæ cohæret ſibi una, ſignificat doctrina, in qua omnia in ordine, urbs eſt doctrina; eo aſcendunt tribus, tribus Jah, ſignificat quod in illa ſint omnia vera et bona in complexu; teſtimonium Iſraeli, ad confitendum Nomini Jehovæ, ſignificat quod ibi agnitio et confeſſio Domini; quia ibi ſedent throni ad judicium, ſignificat quod ibi Divinum Verum ſecundum quod Judicium, quod throni id ſignificent, videatur ſupra n. 253. Apud Eundem, "*Jehovah erexit Teſtimonium in Jacobo, et Legem in Iſraele,*" Pſalm. lxxviii. 5; per

Jacobum et Iſraelem ſignificatur Eccleſia, per Jacobum Eccleſia externa, et per Iſraelem Eccleſia interna, ac per Teſtimonium et per Legem ſignificatur Verbum, per Teſtimonium quod ibi docet bona vitæ, et per Legem quod ibi docet vera doctrinæ; quoniam illi qui in externa Eccleſia ſunt, in bono vitæ ſunt ſecundum vera doctrinæ, et illi qui in interna Eccleſia in veris doctrinæ ſunt, ſecundum quæ vita, ideo de Jacobo dicitur Teſtimonium, et de Iſraele Lex. Apud Eundem, "*Si cuſtodiverint filii tui fœdus meum, et teſtimonium quod docebo eos, etiam filii tui in æternum ſedebunt ſuper throno tibi,*" Pſalm. cxxxii. 12; hæc de Davide, ſed per Davidem ibi intelligitur Dominus; per filios ejus intelliguntur qui faciunt præcepta Domini; de his dicitur, ſi cuſtodiverint filii tui fœdus meum et teſtimonium meum, per fœdus ſimile intelligitur quod ſupra per legem, nempe verum doctrinæ, et per teſtimonium ſimile quod ſupra per teſtimonium, nempe bonum vitæ ſecundum vera doctrinæ. Similia per fœdus et teſtimonia ſignificantur apud Davidem, Pſalm. xxv. 10. Pluribus in locis dicuntur Teſtimonia, et ſimul Lex, Præcepta, Mandata, Statuta et Judicia, ac ibi per Teſtimonia et Mandata ſignificantur quæ docent vitam, per Legem et Præcepta quæ docent doctrinam, per Statuta et Judicia quæ docent ritus, ut in his ſequentibus, apud Davidem, "*Lex Jehovæ perfecta recreans animam, Teſtimonium Jehovæ firmum ſapientem reddens ſimplicem, Mandata Jehovæ recta lætificantia cor, præceptum Jehovæ purum illuminans oculos, Judicia Jehovæ veritas, juſta ſunt ſimul,*" Pſalm. xix. 8, 9, 10: apud Eundem, "*Beati integri via ambulantes in Lege Jehovæ, beati cuſtodientes Teſtimonia Ipſius, in toto corde quærunt Ipſum, Tu præcepiſti Mandata tua ad cuſtodiendum valde; utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendum Statuta tua; tunc non pudefiam quando reſpicio ad omnia Præcepta tua; confitebor Tibi in rectitudine cordis, quum didicero Judicia juſtitiæ tuæ,*" Pſalm. cxix. 2 ad 7, pariter ibi Verſ. 12 ad 15, 88, 89, 151 ad 156; et alibi.

393. Et clamabant voce magna, quod ſignificet dolorem animi eorum, conſtat ex ſignificatione clamare, quod ſit dolor animi vehemens, quia ille ſe manifeſtat per clamoris ſonum in loquela, quare etiam clamor in Verbo ſignificat dolorem: omnis etiam affectio ſive ſit doloris ſive gaudii, ſe exſerit per ſonos, et ideæ cogitationis per voces in ſono; inde eſt quod ſonus in loquela manifeſtet affectionis tam quale quam quantum, et hoc in mundo ſpirituali clarius quam in mundo naturali, ex cauſa quia ibi producere alias affectiones, quam quæ ſunt propriæ mentis, non licet, quapropter ibi quiſque ſapiens poteſt audire et percipere alterius affectionem ſolum ex loquela ejus; quod ſoni ſint affectionis et voces ſint idearum cogitationis apud ſpiritus et angelos, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 241; et ſupra n. 323. Quod clamare et clamor in Verbo ſignificet dolorem, conſtat ex pluribus locis ibi, ex quibus ſolum volo afferre hunc apud Eſajam, "*Clamavit Cheſbon et Elealeh, uſque ad Jahazan audita eſt vox eorum, propterea armati Moabi vociferabuntur, anima ejus ægra erit ſibi: cor meum ſuper Moabo clamat, nam circumdedit clamor terminum Moabi, uſque ad Eglaim ejulatus ejus,*" xv. 4, 5, 8. Quia clamor ſignificat dolorem, inde receptum eſt dicere clamare ad Deum, quando dolor animo eſt, ut apud Eſajam,

Cap. xix. 20. Cap. xxx. 19. Cap. lxv. 19. Apud Jeremiam, Cap. xiv. 2; et alibi. Quod Clamor in Verbo dicatur de variis affectionibus, ut de lamentatione interiore, de imploratione et ſupplicatione ex indolentia, de conteſtatione, et indignatione, de confeſſione, et de aliis, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 2240, 2821, 3782, 5016, 5018, 5027, 5323, 5365, 5870, 6801, 6802, 6862, 7119, 7142, 8179, 8353, 9202.

394. Dicentes uſque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra, quod ſignificet ſuſpiria ad Dominum, qui Juſtitia, de judicio et remotione illorum qui perſequuntur et infeſtant illos qui profitentur Dominum et in charitatis vita ſunt, conſtat ex ſignificatione clamare et dicere uſque quo Domine, quod ſit ex dolore ſuſpiria edere ad Dominum, ſunt enim voces gementium et ſuſpirantium, ac ſupplicantium de juſtitia; ex ſignificatione qui ſanctus et verus, quod ſit qui juſtitia, nam juſtitia, cum de Domino, ſignificat quod talia non toleret, et hoc quia eſt Sanctus et Verus; ex ſignificatione judicare et vindicare ſanguinem noſtrum, quod ſit judicare et removere illos qui perſequuntur et infeſtant illos qui profitentur Dominum et in vita charitatis ſunt; quod hæc per illa verba ſignificentur, eſt quia per ſanguinem ſignificatur omnis violentia illata Divino Bono et Divino Vero, ita Domino, proinde violentia illata illis qui in charitatis et fidei vita ſunt, his violentiam inferre eſt Ipſi Domino, ſecundum Ipſius Domini verba apud Matthæum, "*In quantum feciſtis uni ex fratribus meis minimis, Mihi feciſtis,*" xxv. 40, 45; quod hoc per ſanguinem in eo ſenſu ſignificetur, videatur ſupra n. 329; et ex ſignificatione habitantium ſuper terra, quod ſint qui in priori Cœlo quod poſtea tranſivit, illi enim habitaverunt ſuper terra, ſuper montibus, collibus et petris in Mundo ſpirituali, et tunc illi qui agnoverunt Dominum et in charitatis vita fuerunt, commorati ſunt ſub terra ſeu ſub Cœlo, et ibi reconditi et reſervati, videatur ſupra n. 391, 392. Ex his conſtare poteſt, quid per illa verba in ſuo ſenſu genuino intelligitur; ſed ſcire quod talia intelligantur, nemo poteſt, niſi cui revelatum eſt, quis enim alioquin ſciturus eſt, quinam intelliguntur per Animas occiſorum, et quid intelligitur per vindicare ſanguinem ſuum de habitantibus ſuper terra; qui non ſcit ex revelatione quinam ſunt, opinaturus eſt quod ſolum martyres intelligantur, cum tamen non martyres, ſed omnes illi, qui perſequutionem paſſi et infeſtati ſunt ab illis qui in priori Cœlo quod tranſivit, fuerunt; illi enim tales fuerunt, ut a ſemet ejecerint omnes qui Dominum profeſſi ſunt, et in charitatis vita fuerunt, quoniam interius mali fuerunt, ut ſupra etiam, n. 391, 392, dictum eſt: quibus hæc addam, omnes illi in Mundo ſpirituali qui interius mali ſunt, utcunque moralem vitam in externis in mundo egerunt, prorſus non ſuſtinere poſſunt aliquem qui Dominum adorat, et qui charitatis vitam vivit, hos ut primum vident, infeſtant, et vel damno vel probro afficiunt; quod ita ſit ſæpe miratus ſum, et quoque omnes qui non id ſciunt miraturi ſunt; quoniam iidem ſuſtinuerunt in mundo prædicationes de Domino et quoque de charitate, et quoque doctrinaliter de illis ipſi loquuti ſunt, at uſque dum ſpiritus fiunt, non ſuſtinent: ſed cauſa eſt, quia hoc inſitum eſt malo eorum in quo ſunt, in malo enim eorum eſt inimicitia,

citia, imo odium contra Dominum, et quoque contra illos qui ducuntur a Domino, qui ſunt qui in charitatis vita ſunt; ſed inimicitia illa et odium illud latet in ſpiritu eorum, quapropter in illis ſunt quando fiunt ſpiritus, prodit tunc antipathia illa ſeu oppoſitio inſita malo. Sint pro exemplo illi, apud quos amor regnandi prædominatus eſt, illorum jucundum eſt dominari ſuper alios, et ſi poſſunt, ſuper omnes; hoc jucundum ineſt illis poſt mortem, nec poteſt auferri, quoniam omne jucundum eſt amoris, et amor prædominans facit vitam cujuſvis, et hæc vita manet in æternum; hi, quando fiunt ſpiritus, cum ex jucundo amoris ſui affectant continue dominium ſuper alios, ſicut in mundo, et non poſſunt, iraſcuntur Domino, et quia Ipſum non poſſunt damno afficere, iraſcuntur illis qui Dominum profitentur; jucundum enim amoris eorum eſt oppoſitum jucundo amoris cœleſtis, hoc jucundum eſt ut Dominus regnet, illud autem jucundum eſt ut ipſi regnent, quæ cauſa eſt quod huic jucundo inſitum ſit odium contra Dominum, et contra omnes qui ab Ipſo ducuntur, qui ſunt qui in charitatis vita ſunt. Ex his videri poteſt cauſa, cur illi qui profeſſi ſunt Dominum et charitatis vitam egerunt, a Domino exemti ſint talium violentiæ, ac reconditi in terra inferiore, et ibi reſervati uſque ad Judicium; poſt Judicium autem illi qui habitaverunt ſupra terram, ſuper montibus, collibus et petris ibi, qui fuerunt, ut ſupra dictum, interius mali, ejecti ſunt, et illi qui reconditi ſub terra ſeu ſub Cœlo, elevati, ac hæreditatem ſortiti in locis unde priores ejecti ſunt. Ex his nunc plenius comprehendi poteſt, quid intelligitur per hæc in Verſu ſequenti, quod dictum ſit eis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur.

395. Et datæ ſingulis ſtolæ albæ, quod ſignificet Divinum Verum a Domino apud illos, et tutationem, conſtat ex ſignificatione ſtolæ albæ, quod ſit Divinum Verum a Domino, ſtola enim ſignificat verum in communi, quia eſt commune indumentum, et album dicitur de veris quæ a Domino, album enim eſt lucis, et Lux procedens a Domino ut Sole, in ſua eſſentia eſt Divinum Verum: quod per datas ſingulis ſtolas albas etiam ſignificetur tutatio, dicetur infra; primum tamen, unde eſt quod ſtola alba ſignificet Divinum Verum a Domino; omnes ſpiritus et angeli veſtiuntur ſecundum intelligentiam ſuam, ſeu ſecundum receptionem veri in vita, nam hoc eſt intelligentia, formatur enim lux intelligentiæ eorum in veſtes, quæ cum inde formatæ ſunt, non modo apparent ut veſtes, ſed etiam ſunt veſtes; omnia enim quæ in Mundo ſpirituali exiſtunt, et apparent coram oculis eorum, ex luce et calore, quæ procedunt a Domino ut Sole, exiſtunt; ex illa origine non modo omnia in Mundo ſpirituali creata et formata ſunt, ſed etiam omnia in Mundo naturali, nam Mundus naturalis exſtitit et ſubſiſtit per Mundum ſpiritualem a Domino: inde conſtare poteſt, quod Apparentiæ, quæ in Cœlo coram Angelis exiſtunt, ſint prorſus reales; ſimiliter etiam veſtes. Quoniam ſpiritus et angeli veſtiuntur ſecundum intelligentiam, et omnis intelligentia eſt veri, et Angelica intelligentia eſt Divini Veri, ideo veſtiuntur ſecundum vera; quapropter veſtes ſignificant vera, veſtes quæ proximæ corpori ſunt, et inde interiores, ſignificant interiora vera, veſtes autem quæ circum ſunt et cingunt illas, ſignificant exteriora vera, inde

Stola, Toga et Pallium, quæ communia indumenta ſunt, ſignificant vera in communi, et toga alba Divinum Verum in communi quod apud illos a Domino: ſed videantur quæ de Veſtibus quibus induti ſunt Angeli, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 177 ad 182, oſtenſa ſunt; et quæ ſupra de ſignificatione Veſtium, n. 64, 65, 195, 271, dicta. Quod ſtolæ albæ datæ illis qui ſub Altari, etiam ſignificet tutationem a Domino, eſt quia ſtolæ albæ, quæ illis datæ erant, repræſentabant præſentiam Domini cum Divino Vero circum illos, et Dominus per Divinum Verum tutatur ſuos, circumdat enim illos ſphæra lucis, ex qua illis ſtolæ albæ; qua cum circumdati ſunt, non amplius infeſtari poſſunt a malis ſpiritibus, nam, ut ſupra dictum eſt, infeſtabantur ab illis, ac ideo a Domino recondebantur: hoc etiam fit apud illos, qui elevantur a Domino in Cœlum, induuntur tunc veſtibus albis, quod indicium eſt, quod ſint in Divino Vero, et ſic in tuto: ſed de his, qui induti ſtolis albis, plura videbuntur in Explicatione Capitis ſequentis ad Verſus 9, 13, 14, 15, 16, 17, ibi. Quod Stola, Toga, et Pallium, ſignificent Divinum Verum in communi, conſtare etiam poteſt a ſequentibus his locis; apud Sachariam, “*Pudeſient prophetæ, quiſque propter viſionem ſuam quam prophetavit, neque induent togam pili ut mentiantur,*” xiii. 4; per Prophetas ſignificantur qui docent vera ex Verbo, et in ſenſu abſtracto vera doctrinæ ex Verbo, et quia hæc per prophetas ſignificabantur, ideo illi induebantur toga pili; per togam enim pili ſignificabatur Divinum Verum in ultimis, quod eſt Divinum Verum in communi, nam ultimum continet omnia interiora, pilus etiam ſignificat ultimum: inde erat, quod etiam Elias ex toga ſua dictus fuerit vir piloſus, II Reg. i, 7, 8: et quod Johannes Baptiſta, qui ſicut Elias fuit, quia ſimile repræſentabat, habuerit veſtimentum ex pilis camelinis, Matth. iii. 4: ex his patet, quid ſignificatur per, quod prophetæ non induent togam pili ut mentiantur, nempe quod non dicent vera eſſe falſa et falſa eſſe vera, mentiri hoc ſignificat. Quoniam Elias repræſentavit Dominum quoad Verbum, quod eſt ipſa doctrina veri, et Eliſæus continuabat repræſentationem, et quia toga ſignificabat Divinum Verum in communi, quod eſt Verbum in ultimis, ideo toga Eliæ pervenit ad Eliſæum, et quoque per togam Eliæ diviſæ ſunt aquæ Jordanis, ſecundum hæc in Libris Regum, “*Cum Elias invenit Eliſæum, projecit togam ſuam ſuper illum,*” I Reg. xix. 19. “*Elias ſumſit togam ſuam, et convolvit illam, et percuſſit aquas Jordanis, quæ diviſæ ſunt huc et illuc, et tranſiverunt ambo in ſicco,*” II Reg. ii. 8. “*Eliſæus videns cum ablatus eſt Elias turbine in cælum, ſuſtulit togam Eliæ, quæ deciderat deſuper illo, et reverſus eſt ſtetit ad litus Jordanis; et ſumſit togam illam, et percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt huc et illuc, et tranſivit,*” II Reg. ii. 12, 13, 14; quod Elias togam projecerit ſuper Eliſæum, ſignificabat quod transferret repræſentationem Domini quoad Verbum ſuper Eliſæum; et quod toga deciderit de Elia cum ablatus eſt, et quod ſumta ſit ab Eliſæo, ſignificabat quod repræſentatio illa tranſlata ſit ſuper Eliſæum, nam Elias et Eliſæus repræſentabant Dominum quoad Verbum, ac veſtiti ſunt ſecundum id quod repræſentabant, et toga ſignificabat Verbum in ultimis, quod eſt Divinum Verum in communi, ſeu Divinum Verum in omni complexu: quod per togam Eliæ diviſæ ſint aquæ Jordanis, primum ab Elia et poſtea ab Eliſæo, ſignificabat potentiam Divini Veri in ultimis; aquæ etiam Jordanis ſignificabant prima vera per quæ intratur in Eccleſiam, et hæc prima ſunt quæ in Verbi ultimis; inde quoque conſtare poteſt quod toga et ſtola ſignificent Divinum Verum in communi. Quod Elias repræſentaverit Dominum quoad Verbum, et ſimiliter Eliſæus, videatur n. 2762, 5247. Quod ultimum contineat interiora, et inde ſignificet omnia in communi, n. 634, 6239, 6465, 9216, 9217, 9828: quod inde in ultimis ſit robur et potentia, n. 9836: quod Jordanes ſignificet introitum in Eccleſiam, et quod inde aquæ Jordanis ſignificent prima vera per quæ intratur, n. 1585, 4255: quod aquæ ſint vera, ſupra n. 71: prima vera ſunt quoque ultima, qualia ſunt Verbi in ſenſu literæ, nam per illa fit introitus, primum enim diſcuntur, et in illis ſunt interiora omnia, quæ faciunt Verbi ſenſum internum. Qui non ſcit quid ſtola ſeu toga ſignificat, nec ſcit quid pallium, nam pallium æque ac toga erat veſtis communis, circumcinxit enim tunicam ſeu veſtem interiorem, unde ſimilis ei quoque ſignificatio eſt; unde nec ſcit, quid ſignificavit, quod Schaul abruperit alam pallii Samuelis; quod David abſciderit alam pallii Schaulis; quod Jonathan dederit Davidi pallium ſuum et veſtes ſuas; et quod filiæ regis amictæ fuerint palliis fruſtatim variegatis, et plura alia ubi pallia nominantur in Verbo: de Schaule quod abruperit alam pallii Samuelis, ita legitur, "*Convertit ſe Samuel ad abeundum, ſed apprehendit alam pallii ejus, et abrupta eſt; et dixit Samuel, abrupit Jehovah regnum Iſraelis deſuper te hodie, et dedit illud ſocio tuo, qui melior te*," 1 Sam. xv. 27, 28; ex Verbis Samuelis patet, quod abruptio alæ pallii ſignificaverit abruptionem regni a Schaule, nam dixit, poſtquam id factum eſt, quod Jehovah abruperit regnum Iſraelis deſuper te hodie; per regem enim et per regnum ejus ſignificatur Divinum Verum Eccleſiæ, et per alam pallii ſignificatur Divinum Verum in ultimis ſeu omne in communi; reges enim ſuper filios Iſraelis repræſentabant Dominum quoad Divinum Verum, et regnum eorum ſignificabat Eccleſiam quoad illud; quare per Hiſtoricum illud ſignificatur, quod Schaul rex non amplius repræſentare poſſet, quia non talis, et quod aliter repræſentativum Eccleſiæ periret: quod Reges repræſentaverint Dominum quoad Divinum Verum, et quod regnum inde ſignificaverit Eccleſiam quoad illud, videatur ſupra n. 29, 31. Simile ſignificatur per quod David abſciderit alam Pallii Schaulis, de quo ita legitur, "*David intravit in ſpeluncam ubi Schaul, et abſcidit alam pallii ejus; et cum dein oſtendit illam Schauli, dixit Schaul, nunc novi quod regnabis, et conſiſtet in manu tua Regnum Iſraelis*," 1 Sam. xxiv. 5, 6, 12, 21; hoc factum eſt a Davide ex Divina Providentia ut ſimile repræſentaretur, quod ſupra, nam per alam pallii, et per Schaulem Regem ac per Regnum ejus ſimilia ſignificantur. Simile etiam ſignificatur per quod Jonathan filius Schaulis exuerit ſe pallio et veſtibus ſuis, et dederit Davidi, de qua re ita legitur, "*Exuit Jonathan pallium quod ſuper illo, et dedit Davidi, et veſtes ſuas, et uſque ad gladium ſuum, et uſque ad arcum ſuum, et uſque ad cingulum ſuum*," 1 Sam. xviii. 24; per hæc ſignificabatur, quod Jonathan hæres regni omne jus ſuum tranſtulerit in Davidem, omnia enim illa, quæ Jonathan dedit Davidi, repræſentativa erant Regni, hoc eſt, Divini Veri Eccleſiæ, quod Schaul repræſentabat, nam ut ſupra dictum eſt, omnes Reges qui fuerunt filiis Iſraelis repræſentaverunt Dominum quoad Divinum Verum, et Regnum eorum Eccleſiam quoad illud. Quia Pallia et Togæ ſignificabant Divinum Verum in communi, ideo "*filiæ regis virgines veſtiebantur togis fruſtatim variegatis*," 11 Sam. xiii. 18; filiæ regis virgines ſignificabant affectiones veri, et inde Eccleſiam, ut conſtare poteſt ex mille locis ubi in Verbo nominatur filia regis, filia Zionis, et filia Hieroſolymæ, et quoque virgo Zion et virgo Hieroſolyma; quare etiam filiæ regis repræſentabant vera affectionis illius per veſtes, et in commune per togas, quæ inde fruſtis variegatæ erant; ſicut etiam repræſentantur vera ex bono ſeu vera ex affectione per veſtes virginum in Cœlo; quæ vera amplius deſcribuntur per veſtes filiæ Regis apud Davidem, Pſalm. xlv. 10, 11, 14, 15. Quoniam Luctus in Antiquis Eccleſiis ſignificabat luctum ſpiritualem, qui eſt propter deprivationem veri, quare hæc repræſentabatur in luctu tunc per quod diſruperint togas ſuas ſeu pallia ſua; ut conſtat apud Hiobum, "*Cum Hiob amiſerat omnia, tunc ſurrexit, ſcidit togam ſuam, et dixit, nudus egreſſus ſum ex utero matris meæ, et nudus revertar*," i. 20, 21: et alibi, "*Tres amici Hiobi, cum viderunt eum, fleverunt et ſciderunt pallia ſua*," ii. 12; quod diſcindere veſtes fuerit repræſentativum luctus propter verum læſum aut deperditum, videatur n. 4763: et præterea apud Ezechielem, "*Deſcendent deſuper thronis ſuis omnes principes maris, et abjicient pallia ſua, et veſtes acupicturæ ſuæ exuent, terroribus induentur, ſuper terra ſedebunt*," xxvi. 16; hæc dicta ſunt de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri et boni, hic Eccleſia ubi illæ deperditæ ſunt; quod non amplius illis vera ſint per quæ Eccleſia, ſignificatur per quod deſcendent deſuper thronis ſuis omnes principes maris, principes maris ſunt vera ſcientifica primaria, deſcendere deſuper thronis ſignificat quod illa deperdita ſint, et inde quod non aliqua intelligentia; ſimile ſignificatur per quod abjicient pallia ſua, et exuent veſtes acupicturæ ſuæ, pallia ſunt vera in communi, et veſtes acupicturæ ſunt cognitiones veri; damnatio inde ſignificatur per quod terroribus induentur, ſuper terra ſedebunt. Apud Micham, "*Populus meus pro hoſte ſibi ſtatuit propter veſtem, togam extrahitis a tranſeuntibus ſecure, reducibus belli*," ii. 8; per hæc non ſignificatur, quod filii Iſraelis pro hoſte ſtatuerint propter veſtem, et quod extraxerint togam a tranſeuntibus ſecure, ſed quod pro inimicis habuerint illos qui vera loquuti ſunt, et deprivaverint omni vero illos qui bene vixerunt, et diſcuſſerunt falſa, veſtis eſt verum, toga eſt omne verum quia eſt verum in communi, tranſire ſecure eſt bene vivere, reduces belli ſunt qui diſcuſſerunt falſa, bellum eſt pugna veri contra falſum; quis non videre poteſt, quod hoc ſpirituale Verbi ſit, et non quod habuerint pro hoſte propter veſtem, et extraxerint tunicam a tranſeuntibus. Apud Matthæum, "*Scribæ et Phariſæi omnia opera ſua faciunt ut ſpectentur ab hominibus, et dilatant phylacteria ſua, et magnificant fimbrias palliorum ſuorum*," xxiii. 5; hæc fecerunt Scribæ et Phariſæi, at uſque per hoc repræſentabatur et ſignificabatur, quod ex ultimis Verbi multa loquerentur et applicarent vitæ et traditionibus ſuis, et hoc ut apparerent ſancti et docti; per phylacteria quæ dilatant, ſignificantur bona in externa forma, nam erant ſuper manus, et per manus ſignificantur facta, quia manus faciunt; et per fimbrias palliorum quas magnificant, ſignificantur vera externa, vera externa ſunt quæ in ultimo ſenſu literæ, pallia ſunt vera in communi, et fimbriæ ſunt ultima eorum; quod fimbriæ palliorum talia vera ſignificent, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9917. Apud Eſajam, "*Lætabor in Jehovah, exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtibus ſalutis, pallio juſtitiæ texit me,*" lxi. 10; lætari in Jehovah, ſignificat in Divino Bono; exultare in Deo, ſignificat in Divino Vero, nam Dominus Jehovah dicitur ex Divino Bono, et Deus ex Divino Vero; et omne gaudium ſpirituale eſt ex illis; induere veſtibus ſalutis, ſignificat inſtruere et donare veris; et tegere pallio juſtitiæ, ſignificat implere omni vero ex bono, pallium eſt omne verum quia eſt verum in communi, ac juſtitia dicitur de bono. Apud Eundem, "*Induit veſtes vindictæ, et texit ſe zelo ſicut pallio,*" lix. 17; hæc dicta ſunt de Domino, ac de Ipſius pugna cum Infernis, cum enim in Mundo fuit redegit omnia in Infernis et in Cœlis in ordinem, et hoc per Divinum Verum ex Divino Amore; veſtes vindictæ ſignificant vera per quæ, zelus ſicut pallium ſignificat Divinum amorem ex quo; pallium dicitur, quia ſignificatur per Divina vera ex Divino amore. Quid autem ſignificat Pallium Ephodi, quo Aharon amictus fuit, ſuper cujus fimbriis malogranata et tintinnabula, de quo in Exod. Cap. viii. 31 ad 35; et Levit. viii. 7, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 9910 ad 9929.

396. Et dictum eis ut requieſcerent adhuc tempus parvum, quod ſignificet adhuc aliquam durationem in illo ſtatu, conſtat abſque ulteriore explicatione; quod in illo ſtatu, eſt quia tempus ſignificat ſtatum; quod tempus ſignificet ſtatum vitæ, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 162 ad 169.

397. Uſque dum complentur et conſervi eorum et fratres eorum qui futuri interfici ſicut et illi, quod ſignificet dum mala conſummata ſunt, conſtat ex ſignificatione uſque dum complentur, quod ſit dum conſummata ſunt; et ex ſignificatione et conſervi eorum et fratres eorum qui futuri interfici ſicut et illi, quod ſint mala, nam interficere illos eſt malum; per conſervos intelliguntur qui in veris, et per fratres intelliguntur qui in bonis, ac per conſervos et fratres ſimul intelliguntur qui in veris ex bono ſunt, in ſenſu enim interno duo conjunguntur in unum. Aliquibus in locis in Verbo dicitur conſummatio, tum quando mala conſummata, ſed vix aliquis hodie novit, quid per id ſignificatur; ſupra in tribus Articulis, n. 391, 392, 394, dictum eſt, quod prius Cœlum conſtiterit ex talibus qui moralem vitam in externis egerunt, et tamen in internis fuerunt mali, et quod hi habitaverint in altis locis in Mundo ſpirituali, et inde putaverint quod eſſent in Cœlo; hi quia interius mali fuerunt, non apud ſe toleraverunt illos qui interius boni fuerunt, et hoc propter diſcrepantiam affectionum et cogitationum, omnes enim conſociationes in Mundo ſpirituali fiunt ſecundum concordantiam affectionum et inde cogitationum, nam Angeli et ſpiritus non ſunt niſi quam affectiones et inde cogitationes in forma humana, et quia illi qui in altis tunc erant, non potuerunt ſufferre præſentiam illorum qui interius boni erant, ideo ejecerunt illos a ſe, et illos, ubicunque viderunt, malis et probris affecerunt, quapropter a Domino ab illorum

violentia exemti ſunt, et reconditi ſub Cœlo, ac conſervati; et hoc factum eſt a tempore quum Dominus fuit in mundo ad hoc uſque tempus, quando Judicium factum eſt, et tunc illi, qui ſuper altis erant, dejecti ſunt, et illi qui ſub Cœlo, elevati: quod mali tam diu tolerati fuerint ſuper altis, ac boni tam diu detenti ſub Cœlo, fuit cauſa ut complerentur hi et illi, hoc eſt, ut boni tali numero eſſent, ut ſufficerent ad novum Cœlum ex illis formandum, et quoque ut mali ex ſe deciderent ad infernum, Dominus enim neminem in infernum dejicit, ſed ipſum malum, quod apud malos ſpiritus, dejicit illos, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 545 ad 550: hoc tunc fit, quando mala conſummata, hoc eſt, completa ſunt; hoc quoque eſt quod intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "*Accedentes ſervi Patrisfamilias dixerunt, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde ergo ſunt zizania, et dixerunt, vis ergo abeamus et colligamus ea; at ille dixit, non, ne colligendo zizania eradicetis ſimul cum eis triticum, ſinite itaque utraque creſcere ad meſſem, et tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite primum zizania, et ligate ea in faſciculos ad comburendum, tritica vero colligite in horrea: ſic erit in Conſummatione ſæculi,*" xiii. 27 ad 30, 37 ad 42; conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus quando judicium, tempus meſſis eſt quando omnia conſummata ſeu completa ſunt, zizania ſunt mala, ſeu in quibus mala ſunt, ac tritica ſunt bona, ſeu in quibus bona ſunt, ſed de his plura videantur in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 65 ad 72. Ex his aliquantum ſciri poteſt, unde eſt quod dictum ſit illis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur et conſervi eorum et fratres eorum qui futuri interfici ſicut et illi; per interfici hic ſimile ſignificatur quod per occidi ſupra n. 392, nempe a malis rejici propter Divinum Verum ac propter confeſſionem Domini. Ex his cognitis ſciri poteſt, quid ſignificatur per conſummationem, et per iniquitatem conſummatam in his ſequentibus locis, apud Moſen, "*Dixit Jehovah, deſcendam et videbo, num juxta clamorem, qui venit ad Me, fecerint conſummationem,*" Geneſ. xvii. 21; de Sodoma: apud Eundem, "*Quia nondum conſummata* (impleta) *eſt iniquitas Emorræorum,*" Geneſ. x. 22, 23: apud Eſajam, "*Conſummationem et deciſionem audivi a cum Domino Jehovih Zebaoth ſuper univerſam terram,*" xxviii. 22: apud Eundem, "*Conſummatio definita, inundata juſtitia, nam conſummationem et deciſionem Dominus Jehovih Zebaoth faciens in tota terra,*" x. 22, 23: apud Zephaniam, "*In igne zeli Jehovæ Zebaoth comedetur tota terra, quia conſummationem et quidem feſtinatam faciet cum omnibus habitatoribus terræ,*" i. 18: apud Danielem, "*Tandem ſuper avem abominationum deſolatio, et uſque ad conſummationem et deciſionem ſtillabit ſuper devaſtationem,*" ix. 27, et alibi; per conſummationem et deciſionem in his locis ſignificatur ſtatus ultimus Eccleſiæ, qui eſt quando non verum amplius quia non bonum, ſeu quando non fides amplius quia non charitas; et cum ille ſtatus Eccleſiæ eſt, tunc venit ultimum judicium: quod tunc ultimum judicium veniat, eſt quoque quia Humanum Genus eſt baſis ſeu fundamentum Cœli Angelici, nam conjunctio Cœli Angelici cum Humano Genere eſt perpetua, ac unum ſubſiſtit per alterum, quare cum baſis non correſpondet, Cœlum Angelicum vacillat, ideo tunc Judicium ſuper illos qui in Mundo ſpirituali ſunt, ut omnia tam in Cœlis quam in infernis in ordinem redigantur: quod Humanum Genus ſit baſis et fundamentum Cœli Angelici, et quod conjunctio perpetua ſit, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 291 ad 302; et n. 303 ad 310. Ex his ſciri poteſt, quod per Conſummationem intelligatur Ultimus Status Eccleſiæ, quando non fides amplius quia non charitas; qui ſtatus Eccleſiæ etiam in Verbo vocatur Vaſtatio, et Deſolatio, et a Domino Conſummatio ſæculi, Matth. xiii. 39, 40, 49. Cap. xxiv. 3. Cap. xxviii. 20.

398. Verſ. 12, 13, 14. *Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, et ecce terræ motus magnus factus eſt; et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta eſt tanquam ſanguis. Et ſtellæ Cœli ceciderunt in terram, ſicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento concuſſa. Et Cœlum abſceſſit tanquam liber convolutus; et omnis mons et inſula e locis ſuis emota ſunt.* Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, ſignificat prædictionem Eccleſiæ adhuc ulteriorem: et ecce terræ motus magnus factus eſt, ſignificat ſtatum Eccleſiæ prorſus immutatum: et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta eſt tanquam ſanguis, ſignificat quod omne bonum amoris diſparatum ſit, et inde omne verum fidei falſificatum: et ſtellæ cœli ceciderunt in terram, ſignificat quod cognitiones boni et veri perierint: ſicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento concuſſa, ſignificat quos naturalis homo per ratiocinationes depopulatus eſt: et Cœlum abſceſſit tanquam liber convolutus, ſignificat quod ſpiritualis homo occluſus ſit: et omnis mons et inſula e locis ſuis emota ſint, ſignificat quod omne bonum amoris et verum fidei perierit.

399. Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, quod ſignificet prædictionem de ſtatu Eccleſiæ adhuc ulteriorem, conſtat ex ſignificatione aperire ſigilla libri qui in manu Domini, quod ſit revelare abſcondita, et prædicere futura, de qua ſupra n. 352, 361, 369, 378, 390.

400. Et ecce terræ motus magnus factus eſt, quod ſignificet ſtatum Eccleſiæ prorſus immutatum, conſtat ex ſignificatione terræ motus, quod ſit mutatio ſtatus Eccleſiæ, terra enim eſt Eccleſia, et motus eſt mutatio ſtatus; quod terra ſit Eccleſia, videatur ſupra n. 304: et quod motus ſit mutatio ſtatus, in Arcanis Cœleſtibus, n. 1273, 1274, 1275, 1377, 3356. Quod hæc prædictio, quæ ſignificatur per apertum ſigillum ſextum, involvat quod Eccleſiæ ſtatus prorſus immutatus ſit, patet a præcedentibus et a ſequentibus in eo Capite, in præcedentibus prædictum eſt, quod perierit intellectus Verbi quoad bonum, et dein quoad verum, et tandem quod nullus intellectus Verbi eſſet ex malis vitæ et inde falſis doctrinæ; quod intellectus Verbi deperditus ſit quoad bonum, ſignificatum eſt per Equum rufum, qui viſus eſt exire ex aperto ſigillo libri, de quo ſupra n. 364; quod intellectus Verbi deperditus ſit quoad verum, ſignificatum eſt per Equum nigrum viſum, de quo ſupra n. 372; et quod inde nullus intellectus Verbi eſſet ex malis vitæ et falſis doctrinæ, ſignificatum eſt per Equum pallidum, de quo ſupra n. 381; inde nunc ſequitur, quod ſtatus Eccleſiæ prorſus immutatus ſit; hæc a præcedentibus; a ſequentibus etiam, nam dicitur quod ſol factus ſit niger tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta ſit ſicut ſanguis, et quod ſtellæ Cœli ceci-

derint in terram, præter plura, per quæ ſignificatur quod non amplius aliquod bonum amoris nec verum fidei, nec aliquæ cognitiones boni et veri eſſent, ex quibus etiam patet, quod per terræ motum magnum hic ſignificetur quod Eccleſiæ ſtatus prorſus immutatus ſit. Præterea, quod terræ motus ſignificet mutationem ſtatus Eccleſiæ, ex pluribus locis in Verbo conſtat, quorum aliqua in ſequentibus adducentur: quod terræ motus id ſignificet, eſt ex apparentiis in Mundo ſpirituali; in eo Mundo æque ſunt Terræ, Valles, Colles, Montes, ut in Mundo naturali, et ſuper illis habitant ſpirituum et Angelorum Societates; illa loca, antequam ſuper illis formatum eſt Novum Cœlum, viſa ſunt inſignes mutationes ſubire, quædam apparuerunt ſubſidere, quædam concuti et commoveri, et quædam convolvi ſicut ſolet volumen libri convolvi, et auferri; et quædam quaſſari et tremere ſicut a terræ motu magno; hæc mihi ſæpe viſa ſunt antequam novum Cœlum formatum eſt, et ſemper indicia fuerunt, quod ſtatus Eccleſiæ ibi immutatus ſit; quando quaſſata fuerunt et tremuerunt ſicut a terræ motu, indicium fuit, quod ibi ſtatus Eccleſiæ mutatus ſit, et in quantum mutatus conſtabat a terræ motus quanto et quali; et quando Eccleſiæ ſtatus apud illos plane converſus eſt a bono in malum et a vero in falſum, tunc apparuit terra ibi convolvi ſicut volumen libri, et auferri, hæc intelliguntur per verba in Verſu 14 hujus Capitis, nempe, "et Cœlum abſceſſit tanquam liber convolutus." Similia etiam viſa ſunt Johanni, nam is cum illa vidit, fuit in ſpiritu, ut quoque ipſe dixit Cap. i. 10. Cap. iv. 2; et qui videt in ſpiritu, is videt quæ exiſtunt et apparent in Mundo ſpirituali: ex his nunc etiam patet, quod per terræ motum ſignificetur mutatio ſtatus Eccleſiæ, nempe a bono in malum et a vero in falſum. Quod per terræ motus et contremiſcentias non aliud in Verbo intelligatur, conſtare etiam poteſt a ſequentibus his locis; apud Joelem, "*Coram Ipſo commota eſt terra, contremuerunt Cœli, ſol et luna atrati ſunt, et ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum,*" ii. 10; per terram et per cœlos hic, ut pluries alibi, ſignificatur Eccleſia, per terram Eccleſia externa, et per Cœlos Eccleſia interna; per Eccleſiam externam intelligitur cultus ex bono et vero in naturali homine, et per Eccleſiam internam bonum amoris et fidei, quod in ſpirituali homine, ex quo cultus, datur enim homo internus et externus, ſeu ſpiritualis et naturalis, ita quoque Eccleſia, nam Eccleſia eſt in homine et ex hominibus in quibus Eccleſia; immutatio et perverſio Eccleſiæ ſignificatur per quod commota ſit terra et contremuerint Cœli; per quod ſol et luna atrati ſint, ſignificatur quod non bonum amoris et verum fidei; et per quod ſtellæ contraxerint ſplendorem ſuum, ſignificatur quod non amplius aliquæ cognitiones veri et boni. Apud Eſajam, "*Rarum reddam virum hominem præ auro puro, propterea commovebo cœlum, et commovebitur terra e loco ſuo, in indignatione Jehovæ Zebaoth, in die excandeſcentiæ iræ Ejus,*" xiii. 12, 13; per virum hominem intelligitur intelligentia, et per rarum reddere illum præ auro puro intelligitur quod intelligentia vix amplius; per intelligentiam intelligitur intelligentia ex veris, nam ex veris eſt omnis intelligentia; propterea commovebo Cœlum et commovebitur terra e loco ſuo, ſignificat quod diſſipatum ſit bonum amoris et verum fidei, et quod cultus in externis inde; per Cœlum et terram ſignificatur hic ut ſupra internum et externum Eccleſiæ, internum Eccleſiæ eſt bonum amoris et bonum fidei, et externum ejus eſt cultus inde, nam quale eſt internum hominis Eccleſiæ, tale eſt externum ejus, hoc non aliunde procedit quam ex interno, abſque hoc eſt cultus externus inanimatus, et vox abſque ſpiritu, et cogitatio ex qua vox, ac voluntas ex qua geſtus abſque vita, nam non ineſt ſpirituale ex quo vita; quid per indignationem Jehovæ et excandeſcentiam iræ Ejus ſignificatur, dicetur in explicatione ad Verſum 17 infra. Apud Eundem, "*Cataractæ ab alto apertæ ſunt, et concuſſa ſunt fundamenta terræ, confringendo confracta eſt terra, commovendo commota eſt terra, nutando nutat terrra ſicut ebrius, vacillat ſicut tugurium, et gravis ſuper illam prævaricatio ejus, et cadet et non addet reſurgere amplius,*" xxiv. 18, 19, 20; quod hæc non de terra, ſed de Eccleſia, dicta ſint, manifeſte patet, nam quis poteſt intelligere, quod fundamenta terræ concuſſa ſint, quod terra commota, nutet ſicut ebrius, vacillet ſicut tugurium, ſed quiſque illa poteſt intelligere dum pro terra cogitatur Eccleſia; quod per illa verba ſignificetur immutatio et perverſio ejus, patet, nam dicitur, gravis ſuper illam prævaricatio ejus, et cadet et non reſurget amplius; et per cataractas quæ ab alto apertæ ſunt, etiam intelligitur inundatio mali et falſi. Apud Davidem, "*Concuſſa et commota eſt terra, et fundamenta montium tremuerunt, quia exarſit illi,*" Pſalm. xviii. 7, 8; per hæc non intelligitur, quod terra et fundamenta ejus concuſſa et commota ſint, ſed quod Eccleſia, et quod vera ſuper quibus fundatur, terra enim ſignificat Eccleſiam, et fundamenta montium ſignificant vera ſuper quibus fundatur, quæ ſunt vera ex bono; quia exarſit Ipſi, ſignificat ſimile quod in Verbo excandeſcentia Jehovæ: quod terra concutiatur et commoveatur, et quod fundamenta montium tremiſcant, eſt ex apparentiis in Mundo ſpirituali; ita enim ibi fit, quando ſtatus Eccleſiæ mutatur apud illos qui ibi habitant; præterea ſub montibus ibi ſunt illi, qui in veris ſunt, nam omnes habitationes Angelorum in eo ordine ſunt, ut ſuper montibus ſint qui in bono amoris in Dominum ſunt, et infra illos qui in veris ex illo bono, quando ſtatus horum quoad vera mutatur, tunc contremiſcunt habitationes horum, ita fundamenta montium: quod talia ſint in Mundo ſpirituali, et quod ex mutationibus ſtatus Eccleſiæ apud illos talia exiſtant, nemo ſcit niſi cui revelatum eſt. Apud Nahum, "*Montes contremiſcunt coram Jehovah, et colles liquefiunt, et comburitur terra coram Ipſo, et orbis et omnes habitantes in eo: excandeſcentia Ipſius effunditur ſicut ignis, et petræ evertuntur coram Ipſo,*" i. 5, 6; montes ſignificant Eccleſiam ubi amor in Dominum eſt, et colles Eccleſiam ubi amor erga proximum, inde per montes ſignificatur amor in Dominum, et per colles amor erga proximum, cauſa eſt, quia Angeli qui in amore in Dominum ſunt, habitant ſuper montibus, et qui in amore erga proximum ſuper collibus; quando loco amoris in Dominum regnat amor ſui, et loco amoris erga proximum regnat amor mundi, tunc dicuntur montes contremiſcere, et colles liquefieri, ita enim fit in mundo ſpirituali, ſed non apud Angelos qui in Cœlo ſunt, ſed apud ſpiritus qui ſibi inſtar Cœli fecerunt ſuper montibus et collibus ante ultimum Judicium: quia amor ſui et mundi intelligitur, ideo dicitur liquefieri, et quoque et comburitur terra coram Ipſo, et orbis et omnes habitantes in eo, tum excandeſcentia Ejus effunditur ſicut ignis, ignis enim ſignificat illos amores, et liquefieri ac comburi ſignificat ab illis perire; per petras quæ evertuntur, ſignificantur vera fidei, ex cauſa quia illi qui in fide ſunt, et ex obedientia, tametſi non ex charitate, bonum faciunt, ſuper Petris in Mundo ſpirituali habitant. Apud Hiobum, "*Jehovah qui tremefacit terram e loco ſuo, ita ut columnæ ejus contremiſcant,*" ix. 6: et apud Jeremiam, "*Jehovah Deus in veritate, Ille Deus vivus et Rex ſæculi; ab ira Ipſius contremiſcit terra, neque ſuſtinere poſſunt gentes indignationem Ejus,*" x. 10; per terram etiam hic ſignificatur Eccleſia, ſed Eccleſia ubi falſa, quæ contremiſcere dicitur quando falſa creduntur ac dicuntur vera; per gentes ſignificantur mala falſi; dejectio eorum in infernum et exitium ſignificatur per quod gentes non poſſint ſuſtinere indignationem ejus: quia per terram hic ſignificatur Eccleſia ubi falſa, ideo dicitur Deus in veritate, Ille Deus vivus et Rex ſæculi, Jehovah enim Deus et Rex dicitur ex Divino Vero, Deus vivus ex Divino Vero in Cœlis, et Rex ſæculi ex Divino Vero in terris; et quia in Verbo ubi agitur de Vero etiam agitur de Bono, ob conjugium Cœleſte in ſingulis Verbi, et inde viciſſim ubi de falſo etiam de malo, ideo etiam additur de gentibus, per quas ſignificantur mala falſi: quid mala falſi, quæ fluunt ex falſis doctrinæ, illuſtrabitur per hoc, ubi doctrina eſt, quod ſola fides ſalvet, et non bonum vitæ, tum quod nihil mali imputetur ei qui fidem habet, et quod ſalvari poſſit homo per ſolam fidem etiam in extremis vitæ ſuæ, modo tunc credat, quod Dominus liberaverit omnes a jugo legis per impletionem ejus, ac quod propitiaverit per ſanguinem ſuum, tunc mala, quæ homo facit ex illa fide, ſunt mala falſi. Apud Ezechielem, "*In die quo veniet Gog ſuper terram Iſraelis, aſcendet excandeſcentia in ira mea, et in zelo meo, et in igne indignationis loquar, ſi non in die hoc fuerit terræ motus magnus ſuper terra Iſraelis, ut contremiſcant coram Me piſces maris, et avis cœlorum, et fera agri, et omne reptile reptans ſuper terra, et omnis homo qui ſuper faciebus terræ, et evertentur montes, et cadent gradus, et omnis murus in terram ruet,*" xxxviii. 18, 19, 20; per Gogum ſignificatur cultus externus abſque interno, per terram Iſraelis ſignificatur Eccleſia; inde patet, quid ſignificat quod in die illo veniet Gogus ſuper terram Iſraelis; quod tunc erit terræ motus magnus, ſignificat mutationem Eccleſiæ ac inverſionem ejus, cultus enim externus omne ſuum habet ex cultu interno, adeo ut qualis hic talis ille, quare ubi non eſt cultus internus ibi eſt cultus externus non cultus, ſed modo geſtus et loquela, cogitatio quæ ſimul adeſt, eſt ex ſola memoria naturali, et affectio eſt ex corpore, qualis eſt coram homine ex habitu; per quod contremiſcent piſces maris, avis cœlorum, fera agri, et omne reptile reptans ſuper terra, ſignificantur omnia hominis, nam per piſces maris ſignificantur naturalia in communi, et in ſpecie ſcientifica ibi, per aves cœlorum ſignificantur intellectualia in communi, in ſpecie cogitationes ex veris, hic autem ex falſis; per feram agri ſignificatur affectio et cupiditas falſi et mali, et per reptile reptans ſuper terra ſignificatur ſenſuale quod eſt ultimum naturalis cum jucundis et ſcientificis ibi; et quia per illa ſignificantur omnia hominis, ideo dicitur, et omnis homo qui ſuper faciebus terræ, omnis homo in ſenſu ſpirituali eſt omne hominis quoad intelligentiam et ſapientiam; quod evertentur montes, cadent gradus, et omnis murus in terram ruet, ſignificatur quod periturum omne bonum amoris, et omne verum ejus, et quod ſic abſque reſiſtentia irrupturum ſit omne malum et falſum, per montes ſignificantur bona amoris, per gradus vera inde, et per murum tutamen, et ubi non tutamen, illuc irrumpit abſque reſiſtentia omne malum et falſum: quis non videt, quod non intelligantur piſces maris, aves cœlorum, fera agri, et reptile terræ, quæ contremiſcent coram Jehovah. Apud Jeremiam, “*A voce caſus Edomi et habitatorum Themanis contremuit terra, clamor, in mari Suph audita eſt vox ejus,*” xlix. 21; per Edomum et habitatores Themanis non illi intelliguntur, ſed mala et falſa oppoſita bonis et veris Regni cœleſtis, inde per a voce caſus Edomi et habitatorum Themanis contremuit terra, ſignificatur quod Eccleſia mutata ſit et perierit a malis et falſis illis; clamor, in mari Suph audita eſt vox ejus, ſignificat damnationem eorum, mare Suph eſt damnatio, clamor dicitur de damnatione mali, et vox de damnatione falſi; quod mare Suph ſignificet damnationem et infernum, videatur n. 8099. Apud Davidem, “*Deus deſeruiſti nos, rupturam feciſti in nobis, ſuccenſuiſti, reduc nobis quietem, tremefeciſti terram, diffregiſti, ſana fracturas ejus quia commota eſt,*” Pſalm. lx. 3, 4; per rupturam ſignificatur labefactatio Eccleſiæ, et inde perverſio veri ac irruptio falſi; hoc itaque ſignificatur per tremefeciſti terram, diffregiſti, et per quod terra commota ſit, terra eſt Eccleſia. Apud Haggæum, “*Adhuc ſemel, brevi illud, quando Ego commovens Cœlos, et terram, et mare et aridam, et tunc commovebo omnes gentes, ut veniat electio omnium gentium, et impleam domum hanc gloria,*” ii. 6, 7; hæc dicta ſunt de reædificatione Templi in Hieroſolyma, et per novum Templum ibi ſignificatur nova Eccleſia quæ inſtauranda a Domino; hoc intelligitur per adhuc ſemel, brevi illud, et per quod tunc commovebo omnes gentes, ut veniat eo electio gentium, et impleam domum hanc gloria, per gentes et electionem gentium ſignificantur omnes qui in bono, videatur ſupra n. 175, 331, et per domum ſignificatur Eccleſia, ac per gloriam Divinum Verum; nova illa Eccleſia per Templum deſcribitur amplius in eo Capite ita, “*Major erit gloria domus hujus poſterioris quam prioris, nam in loco hoc dabo pacem,*” Verſ. 9; Judicium quod præcedet in Mundo ſpirituali deſcribitur per quod Ego commovens Cœlos et terram et mare et aridam, et per Cœlos et terram intelliguntur omnia interiora Eccleſiæ, et per mare et aridam omnia exteriora ejus. Apud Evangeliſtas, “*Excitabitur gens contra gentem, regnum contra regnum, erunt enim peſtes, fames et terræ motus in variis locis,*” Matth. xxiv. 7, 8. Marc. xiii. 8. Luc. xxi. 11; per excitabitur gens contra gentem et regnum contra regnum, ſignificatur quod pugnaturum malum cum malo et falſum cum falſo, per gentem ſignificatur bonum Eccleſiæ et in oppoſito ſenſu malum ejus, ac per regnum ſignificatur verum Eccleſiæ, et in oppoſito ſenſu falſum ejus; per erunt peſtes, fames et terræ motus in variis locis, ſignificatur quod non erunt amplius bona et vera ac cognitiones boni et veri, ac ita quod Eccleſiæ ſtatus ſit mutatus, quod eſt terræ motus: in his Capitibus apud Evangeliſtas prædicuntur ſtatus ſucceſſivi Eccleſiæ uſque ad conſummationem ejus, ſed deſcribuntur illi per meras correſpondentias, quæ explicantur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3353 ad 3356, 3486 ad 3489, 3650 ad 3655, 3751 ad 3759, 3897 ad 3901, 4056 ad 4060, 4229 ad 4231, 4332 ad 4335, 4417 ad 4424. Memoratur etiam in Verbo, quod terræ motus factus ſit, cum Dominus paſſus eſt ſuper cruce, et quoque cum Angelus deſcendit et devolvit lapidem ab oſtio ſepulchri, et per utrumque terræ motum ſignificabatur mutatio ſtatus Eccleſiæ; de terræ motu cum Dominus paſſus eſt, ita legitur, "*Velum in Templo diſruptum eſt in duas partes a ſummo ad imum, et terra commota eſt, et petræ diſciſſæ ſunt: Centurio et qui cum eo cuſtodientes Jeſum, videntes terræ motum, et quæ facta ſunt, perterriti ſunt valde, dicentes, revera Dei Filius erat Hic,*" Matth. xxvii. 51, 54: et de terræ motu, qui factus cum Angelus deſcendit et devolvit lapidem ab oſtio ſepulchri, ita legitur, "*Cum venit Maria Magdalena et altera Maria viſuræ ſepulchrum, et ecce terræ motus factus eſt magnus; Angelus enim Domini deſcendit e Cœlo, accedens devolvit lapidem ab oſtio, et ſedit ſuper illo,*" Matth. xxviii. 1, 2; illi terræ motus facti ſunt, ut indicaretur quod ſtatus Eccleſiæ tunc mutatus fuerit, Dominus enim per Ultimam ſuam Tentationem, quam ſuſtinuit in Gethſemane et ſuper cruce, vicit inferna, ac omnia ibi et in cœlis in ordine poſuit, et quoque Humanum ſuum glorificavit, hoc eſt, Divinum fecit, ideo terræ motus factus eſt, et petræ diſciſſæ ſunt. Quod Velum Templi diſruptum ſit in duas partes a ſummo ad imum, ſignificabat quod Humanum ſuum Divinum factum ſit, nam intra velum erat Arca in qua Teſtimonium, et per Teſtimonium ſignificabatur Dominus quoad Divinum Humanum ſuum, ut ſupra n. 392 oſtenſum videatur, Velum ſignificabat Externum Eccleſiæ, quod apud Judæos et Iſraelitas, quod obtexit oculos eorum, ut non viderent Dominum, ac Divinum Verum ſeu Verbum in ſua luce. Per terræ motum magnum, qui factus eſt cum Angelus deſcendit de Cœlo, et devolvit lapidem ab oſtio ſepulchri, ſimile ſignificatur, nempe quod ſtatus Eccleſiæ prorſus mutatus ſit, Dominus enim tunc reſurrexit, et quoad Humanum ſuum ſuſcepit omne dominium ſuper Cœlum et terram, ut Ipſe dicit apud Matthæum, Cap. xxviii. 18; quod Angelus devolverit lapidem ab oſtio, et ſederit ſuper illo, ſignificat quod Dominus amoverit omne falſum, quod intercluſerat aditum ad Ipſum, et aperuerit Divinum Verum; lapis enim ſignificat Divinum Verum, quod a Judæis per traditiones falſificatum fuit, nam dicitur, quod "*Pontifices et Phariſæi obſignaverint lapidem cum cuſtodia,*" Matth. xxvii. 66, at quod Angelus e cœlo amoverit eum et ſederit ſuper illo. Sed hæc pauca ſunt quæ dicta ſunt de his terræ motibus, tum de Velo Templi, et de lapide ante oſtium ſepulchri, ſunt uſque plura quæ per illa ſignificantur, nam omnia et ſingula quæ apud Evangeliſtas ſcripta ſunt de Paſſione Domini, involvunt arcana et ſignificant. Per terræ motus etiam alibi in Apocalypſi, ſignificantur mutationes ſtatus Eccleſiæ, ut Cap. xi. 33. Cap. xvi. 17, 18, 19.

401. Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, et luna facta eſt tanquam ſanguis, quod ſignificet quod omne bonum amoris diſparatum ſit, et inde omne verum fidei falſificatum, conſtat ex ſignificatione ſolis, quod in ſupremo ſenſu ſit Dominus quoad Divinum Amorem, et inde apud hominem bonum amoris in Dominum a Domino, de qua ſequitur; ex ſignificatione niger tanquam ſaccus cilicinus, quod ſit diſparatum, nigrum dicitur ex caligine, ita quod non ex aliqua luce apparet; tanquam ſaccus cilicinus ſeu piloſus dicitur, quia intelligitur ſenſuale hominis, quod infimum naturalis eſt, et inde circum interiora, ac illis inducet caliginem; ſunt binæ Mentes apud hominem, ſpiritualis et naturalis, ſpiritualis mens cogitat et percipit ex luce cœli, naturalis autem mens cogitat et percipit ex luce mundi, ex hac eſt homini lumen, quod lumen naturale vocatur, hæc mens eſt quæ vocatur naturalis homo, illa autem quæ vocatur ſpiritualis homo; quia mens naturalis eſt infra ſeu extra mentem ſpiritualem, inde quoque eſt circum eam, obvolvit enim eam undequaque, ideo dicitur ſaccus cilicinus ſeu piloſus; cum enim mens ſpiritualis, quæ ſuperior et interior mens eſt, occluſa eſt, tunc naturalis mens quæ inferior et exterior, eſt in caligine quoad omnia Cœli et Eccleſiæ, omnis enim lux, quæ eſt naturali menti, et facit ejus intelligentiam, eſt ex luce mentis ejus ſpiritualis, quæ lux eſt lux Cœli; ſenſuale, quod eſt ultimum naturalis, eſt quoque ſicut piloſum in luce Cœli; inde eſt quod pilus ſignificet ultimum naturalis hominis, quod eſt ſenſuale ejus, videatur n. 3301, 5247, 5569 ad 5573; hæc dicta ſunt, ut ſciatur, cur dictum eſt, quod ſol factus ſit niger tanquam ſaccus cilicinus; ex ſignificatione lunæ, quod ſit verum ſpirituale, quod vocatur verum fidei, de qua etiam ſequitur; et ex ſignificatione quod facta ſit ſicut ſanguis, quod ſit quod verum falſificatum ſit; ſanguis enim in genuino ſenſu ſignificat Divinum Verum, et in oppoſito violentiam ei illatam, ita Divinum Verum falſificatum, quod ſanguis in Verbo illa ſignificet, videatur ſupra n. 329; inde patet, quid ſignificat, quod luna facta ſit tanquam ſanguis. Quod ſol ſignificet Dominum quoad Divinum Amorem, et inde apud hominem bonum amoris in Dominum a Domino, et quod luna ſignificet verum ſpirituale, eſt cauſa quia Dominus in Cœlo ubi Angeli cœleſtes ſunt, apparet ut Sol, et in Cœlo ubi Angeli ſpirituales ſunt, ut Luna; quod appareat ut Sol, eſt ex Divino Ipſius amore, nam Divinus Amor apparet ſicut Ignis, unde Calor eſt Angelis in Cœlis, inde per Ignem cœleſtem et ſpiritualem in Verbo intelligitur amor; quod Dominus appareat ut Luna, eſt a luce ex illo Sole, Luna enim lumen ſuum trahit ex illo Sole, et Lux in Cœlo eſt Divinum Verum, inde per Lucem in Verbo ſignificatur Divinum Verum: ſed de Sole et de Luna in Cœlis, et de Luce et de Calore inde, videantur quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 116 ad 125, et n. 126 ad 140, oſtenſa ſunt.

Quod in Verbo per Solem ſignificetur Dominus quoad Divinum Amorem, et apud hominem, bonum amoris in Dominum, ac per Lunam Dominus quoad Divinum Verum ſpirituale, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Matthæum, "*Cum Jeſus coram Petro, Jacobo et Johanne transformatus eſt, ſplenduit facies Ipſius tanquam Sol, et veſtimenta Ipſius facta ſunt ſicut Lux,*" xvii. 1, 2; quia Dominus tunc viſus eſt in Divino ſuo, apparuit quoad faciem ut Sol, et quoad veſtimenta ut Lux, facies enim correſpondet amori, et veſtimenta correſpondent veris; et quia Divinus Amor in Ipſo fuit, ideo facies Ipſius ſplenduit ut Sol, et quia Divinum Verum ex Ipſo fuit, ideo veſtimenta Ipſius facta ſunt ſicut Lux, Lux etiam in Cœlo eſt Divinum Verum procedens a Domino ut Sole; quod facies, cum de Domino, ſit Amor et omne Bonum, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 5585, 9306, 9546, 9888; et quod veſtimenta, cum de Domino, ſignificent Divinum Verum, videatur ſupra n. 64, 195. Similiter apparet Dominus in Cœlo coram Angelis, quando Se illis præſentem ſiſtit, ſed tunc apparet extra Solem; quapropter etiam ſimiliter viſus eſt Johanni cum fuit in ſpiritu, ut conſtat in Apocalypſi, ubi dicitur, quod "*facies Filii Hominis viſa ſit tanquam Sol fulget in ſua potentia,*" Cap. i. 16; quod ſit Dominus qui viſus, patet, videatur ſupra n. 63. Similiter cum Dominus Johanni viſus eſt ſicut Angelus, de quo, "*Vidi Angelum fortem deſcendentem e Cœlo circumdatum nube, et iris circum caput, et facies Ejus ſicut Sol,*" Apoc. x. 1; per Angelos enim in Verbo in ſenſu ejus ſpirituali non intelliguntur Angeli, ſed aliquod Divinum ex Domino, quoniam Divinum quod apparet ex illis, non eſt illorum, ſed eſt Domini apud illos, ſimiliter Divinum Verum quod loquuntur, quod plenum eſt ſapientia, non loquuntur a ſe ſed a Domino, fuerunt enim homines, et omnis ſapientia et intelligentia eſt hominibus a Domino; inde conſtare poteſt, quod per Angelum in Verbo intelligatur Dominus, qui etiam tunc apparuit ſicut Sol: quod per Angelum in Verbo intelligatur aliquod Divinum a Domino, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 1925, 2821, 3039, 4085, 6280, 8129; quod Angeli inde in Verbo dicantur dii, n. 4295, 4402, 7268, 7873, 8301, 8792. Inde cum Eccleſia repræſentata eſt ſicut Mulier, etiam tunc apparuit circum illam Sol, de qua ita in Apocalypſi, "*Signum magnum viſum eſt in Cœlo, Mulier circumdata Sole, et Luna ſub pedibus ejus, et ſuper Capite corona ſtellarum duodecim,*" xii. 1; quod per mulierem ibi ſignificetur Eccleſia, videbitur in explicatione, quæ in ſequentibus dabitur; quod mulier ſignificet Eccleſiam, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 252, 253, 749, 770; et quia Eccleſia eſt a Domino, ideo viſa eſt circumdata Sole: quid ſignificatur per quod luna ſub pedibus ejus, et quod ſuper Capite corona ſtellarum duodecim, etiam in explicatione illa dicetur. Inde dicitur a Davide, "*Dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt Petra Iſraelis, ſicut lux matutæ, cum oritur Sol, matutæ ſine nubibus a ſplendore poſt pluviam,*" 11 Sam. xxiii. 3, 4; per Deum Iſraelis et per Petram Iſraelis intelligitur Dominus quoad Eccleſiam et quoad Divinum Verum ibi, per Deum Iſraelis quoad Eccleſiam, et per Petram Iſraelis quoad Divinum Verum ibi; et quia Dominus eſt Sol Cœli angelici, et Divinum Verum procedens ab

Ipſo eſt Lux illius Cœli, ideo dicitur de Divino quod loquutus eſt, quod eſt Divinum Verum, ſicut Lux matutæ cum oritur Sol; quia hoc eſt purum, et procedit ex Divino amore Ipſius, ideo additur, matutæ ſine nubibus a ſplendore poſt pluviam, ſpendor enim lucis ſeu Divini Veri procedentis ab Ipſo, eſt ex Divino Amore, poſt pluviam ſignificat poſt communicationem et receptionem, nam ſplendor ejus tunc eſt apud Angelos et homines cum quibus communicatur et a quibus recipitur: quod Petra et Lapis Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Verum, videatur n. 6426, 8581, 10580; et quod Lux ſit Divinum Verum procedens a Domino ut ſole, ita ex Divino Amore Ipſius, in Opere de Cœlo et Inferno, n. 126 ad 140. Similiter dicitur de amantibus Jehovam in Libro Judicum, "*Amantes Ipſum ſicut oriri ſolis in potentia ſua,*" v. 31: quod Jehovah in Verbo ſit Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 1736, 2921, 3035, 5041, 6303, 6281, 8864, 9315, 9373, 10146; de amantibus Ipſum dicitur, ſicut oriri ſolis in potentia ſua, per quod ſignificatur Divinus Domini Amor in illis; de illis etiam dicitur quod fulgebunt ſicut Sol, apud Matthæum, "*Juſti fulgebunt ut Sol in Regno Patris mei,*" xiii. 43; juſti in Verbo dicuntur qui amant Dominum, hoc eſt, ex amore faciunt præcepta Ipſius, et illi fulgent quod faciem jubare ſicut ex ſole, quia Divinus Amor Domini illis communicatur et ab illis recipitur, ex quo Dominus eſt in medio eorum, hoc eſt, in interioribus eorum, quæ ſe manifeſtant in facie; quod juſti dicantur qui in bono amoris in Dominum ſunt, videatur ſupra n. 204. Apud Davidem, "*Semen Ejus in æternum erit, et Thronus Ejus ſicut Sol coram Me, ſicut Luna firmus in æternum, et Teſtis in nubibus fidelis,*" Pſalm. lxxxix. 37, 38; hæc dicta ſunt de Domino, ac de Cœlo et Eccleſia Ipſius, nam per Davidem, de quo ibi in ſenſu literæ agitur, intelligitur Dominus, videatur ſupra n. 205; per ſemen Ipſius quod in æternum erit, ſignificatur Divinum Verum, et quoque ſignificantur illi qui id recipiunt; per Thronum Ejus qui ſicut Sol coram Me, ſignificatur Cœlum et Eccleſia Ipſius, quæ in bono cœleſti ſunt, quod eſt bonum Amoris; per Thronum qui ſicut Luna firmus in æternum ſignificatur Cœlum et Eccleſia quæ in Bono ſpirituali, quod eſt Divinum Verum; per Teſtem in nubibus fidelem ſignificatur Verbum in ſenſu literæ, quod teſtis vocatur quia id teſtatur, nubes eſt ſenſus literæ Verbi. Apud Eundem, "*Timebunt Te cum Sole, et coram Luna generatio generationum, florebit in die ejus juſtus, et multa pax uſque dum non luna: erit Nomen Ipſius in æternum, coram Sole Nomen Filii habebit; et benedicentur in Eo omnes gentes,*" Pſalm. lxxii. 5, 7, 17; hæc quoque dicta ſunt de Domino, nam agitur in toto illo Pſalmo de Ipſo; et quia Dominus in Cœlo apparet illis qui in cœleſti Regno Ipſius ut Sol, et illis qui in ſpirituali Regno Ipſius ut Luna, ideo dicitur, timebunt Te cum Sole, et coram Luna generatio generationum; quod florebit in die illo juſtus, et multa pax uſque dum non luna, ſignificatur quod qui in amore in Dominum ſunt, erunt in veris ex illo bono, nam vera apud illos qui in Regno cœleſti ſunt, ſeu qui in amore in Dominum, illis inſita ſunt, juſti enim dicuntur qui in bono amoris, et pax dicitur de illo bono; ſed ut ſciatur quomodo hoc intelligendum eſt, nempe uſque dum non luna, dicetur; lux procedens a Domino ut Sole, differt a luce quæ procedit a Domino ut Luna in Cœlis, ſicut lux ſolis in mundo interdiu a luce lunæ in mundo noctu; ſimiliter intelligentia illorum qui in luce Solis cœli ſunt ab intelligentia illorum qui in luce Lunæ ibi ſunt; quare illi qui in luce Solis ibi ſunt, in Divino Vero puro ſunt, at illi qui in luce Lunæ ibi ſunt, in Divino Vero non puro ſunt, ſunt enim in multis falſis, quæ traxerunt ex non intellecto Verbi ſenſu literæ, quæ falſa uſque apparent eis ſicut vera; ex his conſtare poteſt, quod per uſque dum non luna ſignificetur uſque dum apud illos falſum apparens ſicut verum, ſed verum purum, quod unum facit cum bono amoris: ſed ſciendum eſt, quod falſa illorum, qui in lumine Lunæ in cœlis ſunt, ſint falſa in quibus non malum, et quod ideo illa acceptentur a Domino ſicut forent vera, de quibus falſis videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 21; hoc itaque eſt quod ſignificatur per uſque dum non luna, nempe apud illos qui intelliguntur per juſtos, in quibus multa pax: in ſenſu autem ſupremo per illa verba intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum ſuum, quod Hoc erit Divinum Bonum Divini Amoris, quare etiam additur, coram Sole nomen Filii habebit, per Filium intelligitur Divinum Humanum Domini; et quia per Gentes intelliguntur omnes qui in bono ſunt, ſeu qui recipiunt bonum amoris a Domino, ideo dicitur, et benedicentur in Eo omnes gentes; quod per gentes ſignificentur qui in bono ſunt, et per populos qui in veris, videatur ſupra n. 331. Apud Eſajam, "*Erunt ſuper omni monte alto, et ſuper omni colle elato rivi, ductus aquarum in die cædis magnæ, cum cadent turres: et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, et lux Solis erit ſeptupla ſicut lux ſeptem dierum,*" XXX. 25, 26; hæc dicta ſunt de Ultimo Judicio, quod intelligitur per diem cædis magnæ cum cadent turres; per turres quæ cadent, intelliguntur qui in malis ſunt et inde falſis, in ſpecie qui in amore dominandi per ſancta Eccleſiæ, videatur in Opere de ULTIMO JUDICIO, n. 56, 58; quod tunc illis, qui in amore in Dominum ſunt, et in charitate erga proximum, dabitur intelligere vera, ſignificatur per quod erunt ſuper omni monte alto et ſuper omni colle elato, rivi, ductus aquarum; qui ſuper monte alto, ſunt qui in bono amoris in Dominum, nam mons altus ſignificat id bonum; qui ſuper colle elato, ſunt qui in bono charitatis erga proximum, collis enim ſignificat id bonum; rivi et ductus aquarum ſignificant intelligentiam ex veris; quod tunc erit verum in Regno ſpirituali Domini ſicut fuit verum prius in Regno cœleſti, et quod tunc erit verum in Regno cœleſti bonum amoris, intelligitur per quod erit lux Lunæ ſicut lux Solis, et lux Solis erit ſeptupla ſicut lux ſeptem dierum, per lucem enim intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, per lucem Lunæ Divinum Verum in Regno ſpirituali, et per lucem Solis Divinum Verum in Regno cœleſti, per ſeptuplum ſignificatur plenum et perfectum, et tunc verum eſt plenum et perfectum, cum eſt bonum ſeu bonum in forma: quod non intelligantur Sol et Luna in terris, ſed Sol et Luna in cœlis, conſtare poteſt: ſciendum eſt, quod cum Ultimum

Judicium peragitur, appareat Dominus in Cœlis in multo majori jubare et ſplendore, quam alias, et hoc ex cauſa, quia tunc Angeli ibi fortius tutandi ſunt, inferiora enim tunc cum quibus exteriora Angelorum communicationem habent, in perturbatione ſunt, inde quoque eſt, quia de Ultimo Judicio hic agitur, quod dicatur, quod lux Lunæ erit ſicut lux Solis, et quod lux Solis erit ſeptupla ſicut lux ſeptem dierum; ac ideo dicitur quod tunc erunt rivi ductus aquarum ſuper omni monte alto et ſuper omni colle elato, per quæ intelligentia abundans apud illos qui in ſuperioribus montibus et ſuperioribus collibus ſunt, nam inferiores montes et colles ſunt ſuper quos tunc judicium: quod Dominus appareat illis qui in Regno cœleſti Ipſius ſunt ut Sol, et illis qui in Regno ſpirituali Ipſius ſunt ut Luna, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 116 ad 127; et quod Lux ex illis ſit Divinum Verum, n. 127 ad 140 ibi. Apud Eundem, "*Non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem æternitatis, et implebuntur dies luctus tui,*" lx. 20: agitur ibi de Domino, et de novo cœlo et nova terra, hoc eſt, de Eccleſia ab Ipſo inſtauranda; quod non periturum bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum illis qui in ea Eccleſia, intelligitur per quod non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur, Dominus enim apparet illis qui in bono amoris in Ipſum ſunt ut Sol, et illis qui in veris ex bono charitatis erga proximum ut Luna, inde per ſolem tuum ſignificatur bonum amoris in Dominum, et per Lunam tuam bonum charitatis, quod in ſua eſſentia eſt Verum ex bono: quod in æternum erunt in veris ex bono amoris et in veris ex bono charitatis, intelligitur per quod Jehovah erit tibi in lucem æternitatis, et quod implebuntur dies luctus tui, lux æternitatis dicitur de illis qui in bono amoris in Dominum ſunt, et impletio dierum luctus de illis qui in bono charitatis erga proximum ſeu in veris ex bono, luctus enim apud illos qui ab Eccleſiis Antiquis fuerunt, repræſentabat dolorem propter amiſſum ſeu deperditum verum et bonum, quod implebuntur ſignificat quod finientur, et ſic quod in veris ex bono erunt. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod Sol factus ſit ſicut ſaccus cilicinus, et Luna facta ſit ſicut ſanguis, quod nempe bonum amoris in Dominum diſparatum ſit, et inde verum falſificatum; ſimilia pæne ſignificantur in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Ecce dies Jehovæ venit ſævus, et indignationis et excandeſcentiæ iræ, ad ponendum terram in vaſtitatem, et peccatores ejus perdat ex ea; nam ſtellæ cœlorum et ſidera eorum non lucent luce ſua; obtenebratur Sol in ortu ſuo, et Luna non ſplendere facit lumen ſuum: viſitabo ſuper orbem malitiam, et ſuper impios iniquitatem eorum,*" xxiv. 21, 23; per diem Jehovæ ſævum, indignationis et excandeſcentiæ iræ, ſignificatur dies ultimi Judicii; per quod ſtellæ cœlorum et ſidera eorum non luceant luce ſua, obtenebretur Sol in ſuo ortu, et Luna non ſplendere faciat lucem ſuam, ſignificatur quod perierint cognitiones boni et veri, tum bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum, et inde verum quod verum fidei vocatur, per ſtellas enim ſignificantur cognitiones boni, per ſidera cognitiones veri, per ſolem bonum amoris in Dominum, et per lunam bonum charitatis erga proximum, quod in ſua eſſentia eſt verum ex bono, et vocatur verum fidei; Sol dicitur obtenebrari in ortu ſuo, et Luna non ſplendere facere lucem ſuam, non quod Sol et Luna in Cœlis Angelicis obtenebretur, nam Sol ibi ſemper in ſuo jubare eſt, et Luna in ſuo ſplendore, ſed coram illis qui in malis et inde falſis ſunt, bona et vera ita ſunt, quare ſecundum apparentiam ita dictum eſt, illi enim qui in malis et inde falſis ſunt, avertunt ſe a bono amoris et charitatis, proinde a Domino, et tunc non volunt niſi quam malum et non cogitant niſi quam falſum, et qui non aliud volunt et cogitant, non vident niſi caliginem et tenebras in talibus quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt: quia tales intelliguntur apud quos Sol obtenebratur et Luna non ſplendere facit lucem ſuam, ideo dicitur, ad ponendum terram in vaſtitatem, et peccatores ejus perdat ex ea, et dein, viſitabo ſuper orbem malitiam et ſuper impios iniquitatem eorum, per terram et orbem ſignificatur Eccleſia, et per poni illa in vaſtitatem ſignificatur quod non amplius aliquod bonum, et per viſitare ſuper orbem malitiam et ſuper impios iniquitatem eorum, ſignificatur Ultimum Judicium. Apud Ezechielem, "*Obtegam, cum exſtinxero te, Cœlos, et atrabo ſtellas eorum, Solem nube obtegam, et Luna non lucere faciet lucem ſuam; omnia luminaria lucis in Cœlis atrabo ſuper te, et dabo tenebras ſuper terra tua,*" xxxii. 7, 8; hæc dicta ſunt de Pharaone rege Ægypti, per quem ibi ſignificatur naturalis homo ſeparatus a ſpirituali, is cum ſeparatus eſt prorſus in caligine et tenebris eſt quoad omnia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, et quantum ſeparatus eſt tantum negat illa, nam naturalis homo nihil videt in talibus a ſe, ſed per ſpiritualem a Domino, naturalis enim homo eſt in mundi calore et luce, at ſpiritualis eſt in cœli calore et luce; ex his patet quid per ſingula ibi intelligitur, quod nempe per obtegam, cum exſtinxero te, cœlos, ſignificentur interiora quæ ſunt in luce cœli; per atrabo ſtellas eorum, ſignificentur cognitiones boni et veri; per Solem nube obtegam, ſignificetur bonum amoris in Dominum, per Luna non lucere faciet lucem ſuam, ſignificetur bonum charitatis erga proximum et inde verum fidei; per omnia luminaria lucis atrabo ſuper te, ſignificantur omnia vera; et per dabo tenebras ſuper terra tua, ſignificantur falſa. Apud Joelem, "*Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obſcuritatis, coram Ipſo commota eſt terra, Sol et Luna atrati ſunt, et ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum,*" ii. 10: apud Eundem, "*Sol vertetur in tenebras, et Luna in ſanguinem, antequam venit dies Jehovæ magnus et terribilis,*" iii. 4: Apud Eundem, "*Propinquus eſt dies Jehovæ in valle deciſa, Sol et Luna atrati ſunt, et ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum,*" iv. 15: Apud Evangeliſtas, "*Statim poſt afflictionem dierum illorum, Sol obſcurabitur, et Luna non dabit lucem ſuam, et ſtellæ cadent de Cœlo,*" Matth. xxiv. 29. Marc. xiii. 24, 25. In Apocalypſi, "*Quartus Angelus clanxit, et percuſſa eſt tertia pars Solis, et tertia pars Lunæ, et tertia pars ſtellarum, et tertia pars eorum obtenebrabatur, et dies non lucebat tertia ſui parte, noxque ſimiliter,*" vii. 12: et alibi, "*Aſcendit fumus e puteo abyſſi, ſicut fumus fornacis magnæ, et obſcuratus eſt Sol et aer e fumo,*" ix. 2; quod in his locis per Solem et Lunam atratos et obtenebratos, intelligatur quod non bonum amplius nec verum, conſtat ex illis quæ ſupra dicta ſunt, quare non ulterius explicantur. Quoniam talia per obtenebratum Solem ſignificantur, ideo cum Dominus ſuper cruce fuit, quia ab Eccleſia, quæ tunc apud Judæos erat, prorſus rejectus fuit, et inde illi in denſis tenebris ſeu falſis fuerunt, Sol obſcuratus eſt, de quo ita apud Lucam, "*Hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, uſque ad horam nonam, obtenebratus enim eſt Sol,*" xxiii. 44, 45; hoc factum eſt in ſignum et indicium, quod negatus ſit Dominus, et quod inde non aliquod bonum et verum eſſet apud illos qui ab Eccleſia, omnia enim ſigna e cœlis apud illos repræſentabant et ſignificabant talia quæ Eccleſiæ ſunt, ex cauſa quia Eccleſia apud illos erat Eccleſia repræſentativa, ſeu conſtabat ex talibus in externis quæ repræſentabant et inde ſignificabant interna Eccleſiæ; quod tenebræ factæ fuerint ſuper totam terram, ſignificabat quod non niſi quam falſa mali eſſent apud illos qui ab Eccleſia, tota terra eſt tota Eccleſia, et tenebræ ſignificant falſa; quod tribus horis, nempe ab hora ſexta ad nonam, ſignificabat quod merum falſum et prorſus non aliquod verum, tria enim ſignificant plenum, totum et prorſus, ac ſex et novem ſignificant omnia in complexu, hic falſa et mala; et quoniam falſa et mala apud illos erant quia negatus eſt Dominus, ideo dicitur, et tenebræ factæ ſunt et obtenebratus eſt Sol, per Solem qui obſcuratus intelligitur Dominus, qui obſcuratus dicitur quando falſa in Eccleſia tantum regnant ut non agnoſcatur, ac tantum mala ut crucifigatur; quod omnia et ſingula quæ in Verbo de Paſſione Domini memorantur, ſignificent, videatur ſupra n. 64, 83, 195 f. Apud Micham, "*Dixit Jehovah contra Prophetas ſeducentes populum; nox erit vobis pro viſione, et tenebræ orientur vobis pro divinatione, et occidet Sol ſuper prophetas, et nigreſcet ſuper iis dies,*" iii. 5, 6; quid hæc in ſenſu ſpirituali ſignificant, videatur ſupra n. 372, ubi explicata ſunt. Apud Amos, "*Fiet in die illo, occidere faciam Solem in meridie, et obtenebrabo terram in die lucis,*" viii. 9; per hæc ſignificatur, quod in Eccleſia ubi Verbum, ex quo ſciri poteſt quid bonum et verum, uſque non ſit niſi quam malum et falſum; occidere facere Solem, et obtenebrare terram, ſignificat malum vitæ et falſum doctrinæ in Eccleſia, per ſolis enim ortum ſignificatur bonum amoris quod eſt bonum vitæ, et per ſolis occaſum ſignificatur malum amoris quod eſt malum vitæ, et per obtenebrationem terræ ſignificatur falſum doctrinæ inde, tenebræ ſignificant falſa, et terra Eccleſiam; per in meridie et in die lucis, ſignificatur quando ibi poſſunt eſſe cognitiones boni et veri, quia Verbum habent, meridies ſignificat ubi cognitiones boni, et dies lucis ubi cognitiones veri; quod ex Verbo, eſt quia hæc dicuntur de Eccleſia ubi Verbum. Apud Habakuk, "*Commoti ſunt montes, inundatio aquarum tranſivit, Sol, Luna ſtetit ſede, in lucem tela tua abeunt, in ſplendorem fulmen haſtæ tuæ,*" iii. 10, 11; in eo Capite agitur de adventu Domini, et de Ultimo Judicio tunc ab Ipſo; per quod commoti ſunt montes, inundatio aquarum tranſivit, ſignificatur quod rejecti ſint qui in amore ſui et mundi per falſa mali in quæ immiſſi, montes ſignificant amores ſui et mundi, et inundatio aquarum ſignificat immiſſionem in falſa inde, aquæ ſunt falſa, et inundatio eſt immiſſio; quod tunc illis non appareant vera et bona genuina, ſed loco illorum vera et bona fatua, quæ in ſe ſunt falſa et mala, ſignificatur per in lucem tela tua abeunt, in ſplendorem fulmen haſtæ, tela ſeu fulgura ſignificant vera fatua quæ in ſe ſunt falſa, ac fulmen haſtæ ſignificat bona fatua quæ in ſe ſunt mala falſi; talia etiam ſigna apparent in Mundo ſpirituali apud illos qui in falſis ex amoribus ſui et mundi ſunt, quando ultimum Judicium eſt, et tales rejiciuntur. Quoniam apud eum Prophetam dicitur, *Sol et Luna ſteterunt ſede ſua*, explicabitur etiam quid ſignificatur per quod Sol in Gibeone quieverit et Luna in valle Ajalonis, de quo ita apud Joſuam, "*Tunc loquutus eſt Joſua Jehovæ, et dixit in oculis Iſraelis, Sol in Gibeone quieſce, et Luna in valle Ajalonis; et quievit Sol et Luna ſtetit, uſque dum ulta eſt gens hoſtes ſuos: nonne hoc ſcriptum eſt ſuper Libro Recti; et ſtetit Sol in medio cæli, nec feſtinavit occidere quaſi diem integrum*," x. 12, 13; quod dicatur Sol ſtetiſſe in Gibeone, et Luna in valle Ajalonis, ſignificabat quod Eccleſia prorſus vaſtata fuerit quoad omne bonum et verum, pugnabatur enim tunc contra Regem Hieroſolymæ et reges Emorræorum, et per Regem Hieroſolymæ ſignificatur Verum Eccleſiæ prorſus vaſtatum per falſa, et per reges Emorræorum ſignificatur bonum Eccleſiæ vaſtatum per mala, ideo illi Reges percuſſi fuerunt lapidibus grandinis, per quos ſignificantur tetra falſa mali; dicitur quod Sol et Luna ſteterint ſede, nempe coram filiis Iſraelis ut hoſtes ſuos viderent, ſed hoc eſt propheticum, tametſi hiſtorice relatum eſt, ut conſtare poteſt ex eo, quod dicatur *nonne hoc ſcriptum eſt ſuper Libro Recti*, qui Liber fuit propheticus, a quo illa deſumpta ſunt, quapropter ex illo Libro etiam dicitur, *uſque dum ulta eſt Gens hoſtes ſuos*, et non *uſque dum filii Iſraelis ulti ſunt hoſtes ſuos*, Gens enim prophetice dicitur; idem etiam conſtare poteſt ex eo, quod hoc Miraculum, ſi prorſus ita factum fuiſſet, invertiſſet univerſam Mundi naturam, quod non faciunt reliqua Miracula in Verbo; quare ut ſciretur quod hoc prophetice dictum eſſet, dicitur *nonne ita ſcriptum eſt ſuper Libro Recti*: quin uſque quod Lux illis e Cœlo data ſit, Lux ſicut Solis in Gibeone, et Lux ſicut Lunæ in valle Ajalonis, non dubitandum eſt. Apud Jeremiam, "*Elangueſcet quæ pepererat ſeptem, exſpirabit animam ſuam, occidet ſol ejus cum adhuc dies, pudefiet et erubeſcet, et reliquias eorum gladio dabo coram hoſtibus eorum*," xv. 9; per elangueſcet quæ pepererat ſeptem, exſpirabit animam ſuam, ſignificatur Eccleſia cui Verbum, et per id omnia vera data ſunt quod peritura, parere ſeptem eſt donari omnibus veris Eccleſiæ, ſimiliter ac in Libro I Samuelis, Cap. ii. 5, videatur ſupra n. 356; per occidet ſol ejus cum adhuc dies, ſignificatur quod periturum bonum Eccleſiæ, tametſi Verbum ei eſt, et per id poteſt in luce eſſe; pudefiet et erubeſcet nempe Sol, ſignificat quia bonum et verum non recipiuntur, ſed malum et falſum, ut quoque patet a mox ſequente loco apud Eſajam; reliquias eorum gladio dabo coram hoſtibus eorum, ſignificat quod omne reſiduum bonum et verum periturum ſit per falſum ex malo, reliquiæ ſunt omne reſiduum, gladio dari eſt perire per falſa, hoſtes ſunt mala. Apud Eſajam, "*Viſitabit Jehovah ſuper exercitum altitudinis in altitudine, et ſuper reges terræ ſuper terra, tunc erubeſcet luna et pudefiet ſol*," xxiv. 21, 23; viſitare ſignificat deſtruere, quia viſitatio præcedit Judicium, quando deſtruuntur illi qui in malis et inde falſis ſunt; per exercitum altitudinis in altitudine, ſignificantur omnia mala quæ ex amore ſui, per exercitum omnia mala, per reges terræ falſa omnis generis, et per terram ſignificatur Eccleſia; inde conſtare poteſt, quid ſignificatur per viſitabit Jehovah ſuper exercitum altitudinis in altitudine,

dine, et ſuper reges terræ ſuper terra ; quod dicatur ſuper exercitum altitudinis in altitudine, eſt quia illi qui in amore ſui ſunt, in Mundo ſpirituali alta loca petunt ; per tunc erubeſcet Luna et pudefiet Sol, ſignificatur quod non amplius receptio Divini Veri ac Divini Boni, luna et ſol ſignificant verum fidei et bonum amoris, quæ dicuntur erubeſcere et pudefieri quando non amplius recipiuntur, ſed loco eorum falſum et malum. Apud Davidem, “ *Jehovah qui fecit cælos per intelligentiam ſuam, expandit terram ſuper aquis, fecit luminaria magna, Solem in dominium in die, Lunam et ſtellas in dominium in nocte : percuſſit Ægyptum in primogenitis eorum, et eduxit Iſraelem e medio eorum,*” Pſalm. cxxxvi. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11 ; qui nihil novit de ſenſu ſpirituali Verbi, opinaturus eſt quod hæc nihil aliud involvant, quam quæ exſtant in ſenſu literæ, ſed uſque ſingula involvunt talia quæ ſunt ſapientiæ Angelicæ, quæ omnia ſunt Divina cœleſtia et ſpiritualia ; nova creatio ſeu regeneratio hominum Eccleſiæ, a quibus Eccleſia, per illa deſcribitur ; per Cœlos quos per intelligentiam ſuam fecit, ſignificantur interna hominum Eccleſiæ, quæ una voce ſpiritualis homo vocatur, ubi intelligentia reſidet, et ubi cœlum illorum eſt ; per terram quam ſuper aquis expandit ſignificatur externum Eccleſiæ, quod una voce naturalis homo vocatur, hic expandi ſuper aquis dicitur, quia ibi ſunt vera per quæ regeneratur, aquæ ſunt vera ; per luminaria magna, Solem, Lunam et ſtellas, ſignificantur bonum amoris, verum ex illo bono, et cognitiones boni et veri, per Solem bonum amoris, per Lunam verum ex illo bono, et per ſtellas cognitiones boni et veri ; quod Sol dicatur factus in dominium in die, eſt quia dies ſignificat lucem ſpiritualis hominis, ei enim eſt illuſtratio et perceptio ex bono amoris ; et quod dicatur quod Luna et ſtellæ ſint factæ in dominium in nocte, eſt quia nox ſignificat lucem naturalis hominis, hujus enim lux ad lucem ſpiritualis hominis eſt comparative ſicut lux noctis a luna et ſtellis ad lucem diei a ſole ; quia agitur de regeneratione hominum Eccleſiæ, ideo etiam ſequitur, percuſſit Ægyptum in primogenitis eorum, et eduxit Iſraelem e medio illorum, per Ægyptum enim ſignificatur naturalis homo qualis eſt a nativitate, quod nempe in meris falſis ex malo, primogenita ejus ſunt quæ primaria, deſtructio horum, dum regeneratur homo, intelligitur per quod percuſſit Ægyptum in primogenitis eorum ; per Iſraelem ſignificatur ſpiritualis homo ; et per educere eum e medio eorum, ſignificatur aperire illum, et ſic regenerare ; homo enim Eccleſiæ regeneratur a Domino per diſſipationem falſorum ex malis quæ in naturali homine, et per aperitionem ſpiritualis hominis, quod fit a Domino per lucem ſpiritualem, quæ eſt Divinum Verum. Similia ſignificantur per hæc in Geneſi, “ *Fecit Deus duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum die, et Luminare minus ad dominandum nocte, et ſtellas,*” i. 16 ; agitur enim in eo Capite de nova creatione ſeu regeneratione hominum, ex quibus Eccleſia Antiquiſſima, quæ deſcribitur in ſenſu literæ per Creationem Cœli et Terræ. Similia etiam ſignificantur per hæc apud Jeremiam, “ *Sic dixit Dominus Jehovih, dans Solem in lucem diei, ſtatuta Lunæ et Stellarum in lucem noctis,*” xxxi. 35 ; per ſtatuta Lunæ et ſtellarum ſignificantur omnia quæ in naturali homine ſecundum leges ordinis fiunt. Apud Davidem, “ *Laudate Jehovam omnes Angeli Ejus, laudate Ipſum omnes*

Exercitus Ejus, laudate Ipſum Sol et Luna, laudate Ipſum omnes ſtellæ lucis, laudate Ipſum Cœli cœlorum," cxlviii. 2, 3, 4; per laudare Jehovam ſignificatur colere Ipſum; per Angelos ſignificantur qui in Divinis Veris ex bono amoris ſunt, quia illi ſunt Angeli; per omnes exercitus ſignificantur bona et vera in omni complexu; per Solem et Lunam ſignificatur bonum amoris et verum ex illo bono; per ſtellas lucis ſignificantur cognitiones veri ex bono; per cœlos cœlorum ſignificantur bona et vera tam interna quam externa; quia homo colit Dominum ex illis quæ apud ſe ex Domino ſunt, ita ex bonis et veris quæ apud illum, homo etiam eſt homo ex illis, ideo dicitur ad illa, nempe ad Solem, Lunam et ſtellas, per quæ ſignificantur bona et vera, ut laudent, hoc eſt, colant Jehovam; quis non ſcit, quod non Sol, Luna et ſtellæ laudent, hoc eſt, colant. Apud Moſen, "*De Joſepho dixit, benedicta a Jehovah terra ejus, de pretioſis Cœli, de rore, de abyſſo etiam jacente infra, et de pretioſis proventuum Solis, et de pretioſis producti menſium,*" Deutr. xxxiii. 13, 14; hæc in Benedictione filiorum Iſraelis a Moſe, et quia per Joſephum intelliguntur ſpirituales cœleſtes, qui ſunt qui in Regno ſpirituali ſupremi ſunt, et inde communicant proxime cum illis qui in Regno cœleſti Domini ſunt; per terram ejus ſignificatur Regnum ſpirituale illud, tum Eccleſia quæ ex illis; per pretioſa cœli, rorem et abyſſum etiam jacentem infra, ſignificantur ſpiritualia cœleſtia in interno et externo homine; per pretioſa proventuum ſolis et pretioſa producti menſium, ſignificantur omnia quæ procedunt ex cœleſti Regno et quæ procedunt ex ſpirituali Regno Domini, ita bona et vera inde, per ſolem enim ſignificatur bonum amoris in Dominum a Domino, quod bonum eſt illis qui in cœleſti Regno Domini ſunt; per proventus ejus ſignificantur omnia quæ inde procedunt; per producta menſium ſignificantur omnia quæ procedunt ex ſpirituali Regno Domini, menſes hic ſignificant ſimilia quæ lunæ, nempe vera ex bono, eadem enim vox eſt utriſque in Lingua originali; ſed qui non ſcit aliquid de binis Regnis Cœli, Cœleſti et Spirituali, et de conjunctione illorum per intermedios, in obſcuro erunt de illis quæ nunc dicta ſunt; at de Regnis illis et de intermediis videantur quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 20 ad 28, allata ſunt. Apud Eſajam, "*Ponam pyropum ſoles tuos, et portas tuas in lapides carbunculi, et omnem finem tuum in lapides deſiderii,*" liv. 12; hæc dicta ſunt de Gentibus extra Eccleſiam, a quibus nova Eccleſia a Domino inſtauranda erat; et per ponam ſicut pyropes ſoles tuos, ſignificatur quod bona ex igne amoris coruſcantia, ſoles ibi ſunt bona amoris, et pyropus eſt coruſcatio ſicut ex igne; per ponam portas tuas in lapides carbunculi, ſignificatur quod vera ex bono ſplendentia, portæ ſunt vera intromittentia, in ſpecie doctrinalia quæ ex bono, nam omnia vera doctrinæ, quæ genuina, procedunt ex bono, et ſunt boni, et lapides carbunculi ſignificant illorum ſplendorem ex bono; omnes enim lapides pretioſi ſignificant vera ex bono, color, ſplendor et ignis eorum indigitant quale veri ex bono; per ponam omnem finem eorum in lapides deſiderii, ſignificatur quod vera ſcientifica, quæ naturalis hominis, ex bono amœna et jucunda erunt, per finem enim ſimile intelligitur quod per fundamentum, et hoc eſt naturalis homo, quia in illis, quæ ibi, terminantur bona et vera ſpiritualis hominis, et lapides deſiderii ſunt vera ex bono amœna et jucunda: per illa intelliguntur bona et vera Verbi, quæ apud illos qui e nova Eccleſia, quæ talia erunt: quod ſol ſignificet bonum amoris, patet etiam ex eo, quod dicantur ſoles in plurali. Apud Hiobum, “*Num lætatus, quod multæ facultates mihi, et quod ingentes inveniſſet manus mea; num vidi lucem quod ſplenderet, et lunam quod clara ingrederetur, et ſeduxit ſe in occulto cor meum, et oſculata eſt manus mea os meum,*” xxxi. 25, 26, 27; per hæc in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod non ex proprio acquiſiverit ſibi intelligentiam, et quod non ex illa ſibi meritum fecerit et gloriatus ſit; nam num lætatus quod multæ facultates mihi, et quod ingentes inveniſſet manus mea, ſignificat num gloriatus ſit quod ei intelligentia, et quod ex proprio ſibi illam acquiſiviſſet; facultates ſunt cognitiones boni et veri, per quas intelligentia, et quod ingentes inveniſſet manus mea, eſt num ex proprio acquiſiviſſet; num vidi lucem quod ſplenderet, et lunam quod clara ingrederetur, ſignificat num vera ſpiritualia, quæ faciunt intelligentiam, lux et luna ſignificant vera ſpiritualia; et ſeduxit ſe in occulto cor meum, et oſculata eſt manus mea os meum, ſignificat num inde intus gloriatus ſim, et num vindicaverim illa mihi. Apud Matthæum, “*Ut ſitis filii Patris veſtri qui in Cœlis, qui ſolem ſuum exoriri facit ſuper malos et bonos, et pluviam mittit ſuper juſtos et injuſtos,*” v. 45; agitur ibi de charitate erga proximum, ut patet ab antecedentibus et ſequentibus ibi, et in ſpecie de Judæis, qui pro inimicis habebant gentes, et pro amicis ſuos; quod illos diligerent æque ac ſuos, illuſtratur a Domino per hanc comparationem; ſed quia omnes comparationes in Verbo ex correſpondentiis ſunt, et inde ſignificant, ſicut reliqua quæ non comparative dicta ſunt, ideo quoque hæc comparatio, et per quod Pater in Cœlis ſolem ſuum exoriri faciat ſuper malos et bonos, et pluviam mittat ſuper juſtos et injuſtos, ſignificatur quod Dominus e Cœlo æque influat cum Divino Bono amoris et cum Divino Vero apud illos qui extra Eccleſiam Judaicam ſunt ac apud illos qui intra illam, ſol etiam ibi ſignificat bonum amoris, ac pluvia Divinum Verum; mali et injuſti ſignificant in ſenſu interno illos qui ab Eccleſia Judaica erant, quia illi non receperunt, ac boni et juſti illos qui extra Eccleſiam illam et receperunt: in genere ſunt omnes mali et boni ac juſti et injuſti qui intelliguntur, nam Dominus æque influit cum bono et vero apud omnes, ſed non omnes æque recipiunt. Quia Sol ſignificat Dominum quoad Divinum Amorem, ideo vocatur *Sol juſtitiæ* apud Malachiam, Cap. iii. 20; ac *Sol et ſcutum* apud Davidem, Pſalm. lxxxiv. 12. Quia Sol ſignificat bonum amoris in Dominum apud hominem, inde ab ortu ſolis ad occaſum ejus, ſignificantur omnes qui in bono amoris in Dominum ſunt a primis ad ultimos, ab ortu ſolis a primis, et ad occaſum ſolis ad ultimos, ut in ſequentibus his locis; apud Malachiam, “*Ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum Nomen meum inter gentes,*” i. 11: apud Davidem, “*Ab ortu Solis uſque ad occaſum laudatum Nomen Jehovæ,*” Pſalm. cxiii. 3: apud Eundem, “*Deus Deus Jehovah loquitur, et convocabit terram ab ortu Solis ad occaſum ejus,*” Pſalm. l. 1: apud Eſajam, “*Ut cognoſcant ab ortu Solis et ab occaſu quod non præter Me,*” xlv. 6: apud Eundem, “*Timebunt ab occaſu Solis Nomen Jehovæ, et ab ortu Solis gloriam Ipſius,*” lix. 19: apud Eundem, *Excitabo a ſeptentrione qui veniet,* *et ab ortu Solis qui invocabit Nomen meum,*" xli. 25; quod ab ortu ſolis ad occaſum ejus ſignificet omnes a primis ad ultimos qui in bono amoris in Dominum ſunt, eſt quia omnes in Cœlo habitant ſecundum plagas, illi qui in bono amoris in Dominum ſunt ab oriente ſolis ad occidentem, illi qui in oriente habitant, ſunt qui in bono amoris claro ſunt, et illi qui in occidente qui in bono amoris obſcuro, inde eſt quod per ab ortu ſolis ad occaſum ejus ſignificentur omnes a primis ad ultimos qui in bono amoris: quod apud Eſajam dicatur, excitabo a ſeptentrione qui veniet et ab ortu ſolis, ſignificat quod qui extra Eccleſiam ſunt et qui intra illam, nam ſeptentrio ſignificat obſcurum veri, ita illos qui extra Eccleſiam ſunt, quia illi in obſcuro quoad vera ſunt, ex cauſa quia non habent Verbum et inde non ſciunt aliquid de Domino, et ortus ſolis ſignificat illos qui intra Eccleſiam ſunt, quia habent Verbum, in quo Dominus ſemper eſt præſens, et ſic in ortu: quod per Orientem ſeu Ortum ſolis, et per Occidentem ſeu Occaſum ſolis intelligatur bonum amoris in claro et bonum amoris in obſcuro, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 141, 148, 149, 150; et quod per Septentrionem verum in obſcuro, in eodem Capite, n. 148, 149, 150, ibi enim agitur de quatuor Plagis in Mundo ſpirituali. Per Occaſum ſolis etiam ſignificatur ſtatus Eccleſiæ cum in ignorantia eſt, qui ſtatus eſt ejus primus, et per ortum ſolis ſignificatur ſtatus ejus cum in luce eſt. Per Occaſum ſolis etiam ſignificatur ſtatus Eccleſiæ cum in malis et inde falſis eſt, et per ortum ſolis cum in bonis et inde veris eſt. Primus ſtatus Eccleſiæ cum adhuc in ignorantia eſt, ſignificatur per inchoationem Paſchatis in Veſpera cum occidit ſol, ſecundum hæc apud Moſen, "*Sacrificabis Paſcha in Veſpera cum occiderit Sol, tempore ſtato exitus tui ex Ægypto,*" Deutr. xvi. 6; per feſtum enim Paſchatis ſignificabatur celebratio Domini propter liberationem a damnatione, quæ fit per regenerationem, et in ſupremo ſenſu recordatio glorificationis Humani Domini, quia inde liberatio, videatur n. 7093, 7867, 9286 ad 9292, 10655; et quia primus ſtatus regenerationis eſt ſtatus ignorantiæ, ideo inchoabatur feſtum illud in veſpera cum occidit Sol; is ſtatus etiam ſignificatur per exitum filiorum Iſraelis ex Ægypto, nam in Ægypto in ſtatu ſervo erant, et inde in ſtatu ignorantiæ, quare dicitur in tempore ſtato exitus ab Ægypto. Ultimus ſtatus Eccleſiæ, qui eſt quando Eccleſia in falſis et malis eſt, qui ſtatus eſt ultimus ejus, ſignificatur per occaſum ſolis apud Moſen, "*Cum prope eſſet Sol ad occidendum, ſomnus gravis cecidit ſuper Abramum; et ecce terror et tenebræ magnæ ceciderunt ſuper eum: tandem cum ſol occidiſſet, et tenebræ factæ eſſent, ecce furnus fumi et fax ignis, quæ tranſivit inter fruſta illa,*" Geneſ. xv. 11, 17; hæc dicta ſunt de poſteritate Abrami ex Jacobo, ſeu de Gente Iſraelitica et Judaica, et per cum eſſet ſol prope ad occidendum, et per tandem cum ſol occidiſſet, ſignificatur ultimus ſtatus Eccleſiæ apud illam gentem, quod eſſent in meris falſis et malis; tenebræ magnæ et furnus fumi ſignificant falſa ex malo, et fax ignis ſignificat tetrum amorem ſui, ex quo illis mala et falſa. Sicut pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ita quoque Sol et Luna, et in eo ſenſu ſignificat Sol amorem ſui, et Luna falſa inde; cauſa quod per Solem et Lunam illa ſignificentur, eſt quia illi qui ſolum in naturali idea ſunt et non in ſpirituali, non ultra naturam cogitant, et inde cum vident a duobus illis Luminaribus, ſeu ab eorum luce et calore omnia oriri et quaſi vivere in Tellure, putant ibi eſſe dominia univerſi; ſuperius non elevant cogitationes; hæc faciunt omnes illi qui in amore ſui ſunt et inde in malis et falſis, ſunt enim mere naturales et ſenſuales homines, et mere naturalis et ſenſualis homo non ultra naturam cogitat, quod enim non videt et tangit, hoc credit nihil eſſe: Antiqui, apud quos omnia Eccleſiæ conſtabant ex repræſentativis ſpiritualium in naturalibus, et apud quos ideo Sol ſignificabat Dominum quoad Divinum Bonum, ac Luna Ipſum quoad Divinum Verum, et qui ideo in cultu verterunt facies ſuas ad ortum Solis, illi ex iis qui in amore ſui fuerunt, et inde mere naturales et ſenſuales, cœperunt Solem et Lunam oculis viſos colere pro ſummis diis; et quia ſolum illi hoc fecerunt ſeu perſuaſerunt aliis facere, qui in amore ſui et inde in malis et falſis fuerunt, ideo per Solem ſignificatur amor ſui, et per Lunam falſum inde: hoc adhuc evidentius conſtat ex ſpiritibus in altera vita, qui tales fuerunt in mundo, hi avertunt faciem a Domino, et vertunt illam ad quoddam caliginoſum et tenebricoſum ibi, quæ loco ſolis et lunæ mundi ſunt, ex oppoſito ad Solem et Lunam Cœli Angelici, de quibus videantur plura in Opere de Cœlo et Inferno, n. 122, 123: antiquitus, cum omnis Cultus Divinus repræſentativus fuit, a talibus Cultus Solis et Lunæ inſtitutus eſt; at hodie, cum repræſentativa ceſſarunt, in Orbe Chriſtiano non datur cultus ſolis et lunæ, ſed pro illis cultus ſui, qui eſt apud quos amor imperandi prædominatur: inde nunc patet, quid ſignificatur per ſolem et lunam in oppoſito ſenſu. Quod antiquitus coluerint ſolem et lunam, manifeſtum eſt a Gentilibus, qui poſuerunt illis fana, de quibus in multis Hiſtoriis: quod etiam Ægyptii, ac Judæi et Iſraelitæ, conſtat ex Verbo: quod Ægyptii, apud Jeremiam, “*Rex Babelis veniet et percutiet terram Ægypti, et confringet ſtatuas domus Solis in terra Ægypti,*” xliii. 10, 13: quod etiam Judæi et Iſraelitæ, apud Ezechielem, “*Vidi facies eorum verſus orientem, iidemque incurvabant ſe verſus orientem Solis,*” viii. 16; agitur ibi de abominationibus Hieroſolymæ: in II Libro Regum, “*Chiſkias Rex abolevit ſacerdotes idololatricos ſuffientes Baali, Soli, Lunæ et Aſtris, et omni exercitui cælorum: abolevit inſuper equos, quos poſuerunt reges Jehudæ Soli ab introitu domus Jehovæ, et currus Solis combuſſit igne,*” xxiii. 5, 11: apud Jeremiam, “*Extrahent oſſa regum Jehudæ, oſſa principum ejus, et oſſa ſacerdotum ejus, et oſſa prophetarum ejus, et oſſa habitatorum Hieroſolymæ, et expandent ea Soli et Lunæ et omni exercitui cælorum, quæ adamaverunt, et quibus ſerviverunt,*” viii. 1, 2: et præterea Cap. xliv. 17, 18, 19, 25. Deutr. iv. 19. Cap. xvii. 3, 5. Quoniam per Moabum in Verbo ſignificantur illi qui in vita falſi ſunt ex amore ſui, et per cultum eorum cultus ſui, ideo cum populus Iſraeliticus acceſſit ad cultum populi Moabitici, mandatum eſt ut Capita populi ſuſpenderentur coram Sole, de qua re ita apud Moſen, “*Filiæ Moabi vocarunt populum ad ſacrificia deorum ſuorum, et comedit populus, et incurvavit ſe diis eorum, imprimis adjunxit ſe Iſrael Baalpeori; quare dixit Jehovah ad Moſen, ſume omnia Capita populi, et ſuſpende ea coram Sole,*” Num. xxv. 1, 2, 3, 4; quod Moabus ſignificet illos qui in vita falſi ſunt ex amore ſui, et inde qui adulterant bona Eccleſiæ, videatur

n. 2468, 8315; inde etiam patet, quod Sol mundi ſignificet amorem ſui. Quoniam amor ſui mittit hominem in ſuum proprium, et in eo detinet illum, ſpectat enim ſe jugiter, et proprium hominis non eſt niſi quam malum, et ex malo eſt omne falſum, ideo per æſtum ſolis ſignificatur adulteratum Verum, quod in ſua eſſentia eſt falſum mali; hoc per æſtum ſolis ſignificatur in ſequentibus his locis; in Apocalypſi, "*Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem, et datum eſt illi æſtu adurere homines per ignem,*" xvi. 8: et alibi, "*Non eſurient amplius, neque cadet ſuper eos ſol, neque ullus æſtus,*" vii. 16. Apud Davidem, "*Interdiu Sol non percutiet te, aut Luna in nocte, Jehovah cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam,*" Pſalm. cxxi. 6, 7; per ſolem ibi intelligitur amor ſui, et per lunam falſum inde; quia ex illo amore eſt omne malum et ex hoc falſum, ideo dicitur quod Jehovah cuſtodiet te ab omni malo, et cuſtodiet animam tuam, per animam ſignificatur vita veri. Apud Matthæum, "*Alia ſemina ceciderunt ſuper petroſa, ubi non habebant humum multam; et cum Sol exortus eſt, exuſta ſunt, et propterea quia non habebant radicem, exaruerunt,*" xiii. 5, 6. Marc. iv. 5, 6; per ſemina ſignificantur vera ex Verbo, ſeu quæ homo recipit a Domino, nam dicitur poſtea, quod Filius hominis ſit qui ſeminat; per petroſa ſignificatur fides hiſtorica, quæ fides eſt fides alterius in ſe, credit enim verum eſſe, non quod videat id in ſe, ſed quia alter, cui fidet, ita dixit; per humum ſignificatur bonum ſpirituale, quia hoc recipit vera ſicut humus ſemina; per ſolis exortum ſignificatur amor ſui, et per exuri et exareſcere ſignificatur adulterari et perire; inde patet, quid per illa Domini verba in ſerie ſignificatur, nempe quod vera ab infantia implantata ex Verbo ſeu ex prædicatione, cum homo incipit ex ſe cogitare, per concupiſcentias ex amore ſui adulterentur ac pereant; ſunt quidem omnia, quæ in Verbo ſunt, vera, ſed adulterantur per ideas cogitationis de illis et per applicationes, unde vera apud illos non ſunt vera niſi quoad ſolam enuntiationem eorum; cauſa quod ita, eſt quia omnis vita veri eſt ex bono ſpirituali, et bonum ſpirituale reſidet in mente ſuperiore ſeu interiore, quæ vocatur mens ſpiritualis; hæc mens non aperiri poteſt apud illos qui in amore ſui ſunt, nam in ſingulis ſpectant ad ſe, ſi elevant oculos ſuos ad Cœlum, uſque tamen cogitatio ſpiritus eorum hæret in intuitione ſui, et inde ex igne gloriæ ſuæ excitat ſenſualia externa et corporea, quæ a pueritia edocta ſunt, ad imitandum affectiones, quales ſunt ſpirituali homini. Legitur apud Jonam quod exareſceret Kikajon qui aſcendit ſuper illum, et quod percuteret Sol caput ejus ut ægre haberet; hæc quia non intelliguntur abſque explicatione per ſenſum internum, paucis explicanda ſunt; de his ita legitur apud Jonam, "*Jehovah præparavit Kikajonem, qui aſcendit ſuper Jonam, ut eſſet umbra ſuper capite ejus, ad avertendum malum illius, et Jona lætatus ſuper Kikajone; et præparavit Deus vermem cum aſcenderet aurora die poſtero, qui percuſſit Kikajonem ut exareſceret: inſuper factum eſt cum oriretur ſol, ut præpararet Deus ventum orientalem exſiccantem, et percuteret ſol caput Jonæ, et ægre haberet, unde petiit animæ ſuæ mori: tunc dixit Deus ad Jonam, num* *juſte exarſit tibi ſuper Kikajone, dixit juſte exarſit mihi uſque ad mortem; dixit Jehovah, tu clementia uſus es ſuper Kikajone, in quo non laboraſti; non perfectum feciſti, quia filius mortis factus es, et filius mortis perit: Ego non clementia utar ſuper Ninive, urbe magna, in qua ſunt plures quam duodecim millia hominum,"* iv. 5 ad 11; deſcribitur per hæc genius gentis Judaicæ, quod ſint in amore ſui et inde in falſis; Jonas erat ex illa gente, quare etiam miſſus eſt ad Niniven, apud gentem enim Judaicam erat Verbum, unde docere potuerunt illos qui extra Eccleſiam erant, quæ Gentes vocantur, hæ per Niniven ſignificantur: quia gens Judaica erat præ aliis in amore ſui et in falſis ex illo amore, inde non aliis bene voluerunt quam ſibi ipſis, non autem gentibus, ſed has oderunt; et quia talis fuit illa gens et Jonas repræſentavit illam, ideo exarſit illi valde, quod Jehovah pepercerit Ninive, nam dicitur, *ægre fuit Jonæ ægritudine magna, ita ut exarſerit illi*, et ex ægritudine iræ dixerit, "*ſume Jehovah animam meam a me, quia bona mors mea præ vita mea,*" Verſ. 13; hoc malum apud illam gentem ſignificatur per Kikajonem, quem vermis percuſſit, ut exareſceret; per ſolem qui percuteret caput Jonæ ſignificatur amor ſui qui fuit illi genti, et per ventum orientalem exſiccantem falſum inde, et per vermem qui percuſſit Kikajonem ſignificatur deſtructio mali et inde falſi; quod hoc per Kikajonem ſignificetur, patet ex his in deſcriptione illa, quod Jonas primum lætatus ſit ſuper Kikajonem, et poſtquam Kikajon percuſſus eſſet a verme et exaruiſſet, quod exarſerit illi uſque ad mortem, et ex eo quod dicatur quod clementia uſus eſſet ſuper Kikajone; quod Gens Judaica, quia in tali amore et in tali inde falſo, damnationi obnoxia ſit, intelligitur per hæc verba ad Jonam, "non perfectum feciſti, quia filius mortis factus es, et filius mortis perit:" qualis Gens Judaica fuerat, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ, n. 248. Quod Amor ſui hic et in præcedentibus locis ſignificetur, eſt quia per ſolem in genuino ſpirituali ſenſu ſignificatur amor in Dominum, et huic amori oppoſitus eſt amor ſui; etiam Amor Divinus Domini, qui eſt præſens apud unumquemvis, vertitur in amorem ſui apud malos, nam omne influens in ſubjecto recipiente vertitur in conveniens ſuæ naturæ; prout calor ſolis purus in graveolentia in ſubjectis talis naturæ, et lux ſolis pura in tetros colores in objectis talis receptionis: inde eſt, quod per ſolem qui percuſſit caput Jonæ ſignificetur amor ſui, nempe in illo, et quoque apud Matthæum, per ſolem exortum, quo exuſta ſunt ſemina ſuper petroſis. In Apocalypſi, "*Civitas nova Hieroſolyma non opus habet ſole et luna, ut luceant in illa, gloria enim Dei illuſtrat illam, et Lucerna ejus Agnus,*" xxi. 23. Cap. xxii. 5; per Solem ibi, quo non opus habebit Civitas nova Hieroſolyma, ſignificatur amor naturalis, qui in ſe ſpectatus eſt amor ſui et mundi, et per lunam ſignificatur lumen naturale, nam lumen naturale in ſe ſpectatum eſt ex amore naturali, et quale luminis ſecundum quale amoris: at amor ſpiritualis et lux ſpiritualis ſignificatur per quod gloria Dei illuſtrabit illam, et Lucerna ejus Agnus: quod talis ſenſus illorum Verborum ſit, patet manifeſte ex his apud Eſajam, "*Non erit tibi ſol amplius in lucem interdiu, et in ſplendorem luna* *non lucebit tibi, ſed erit tibi Jehovah in lucem æternitatis, et Deus tuus in decus tuum: non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem æternitatis, et implebuntur dies luctus tui,"* lx. 19, 20; ſimilia per Solem et Lunam in priori loco ſignificantur, quæ ſupra in Apocalypſi, nempe per ſolem amor mere naturalis, et per lunam lumen naturale inde: at per Solem et Lunam in poſteriori loco intelligitur Sol et Luna Cœli Angelici, et per ſolem illum ſignificatur Divinus Amor Domini, et per Lunam Divinum Verum, ut ſupra explicatum eſt; nam primum dicitur, non erit tibi amplius ſol in lucem interdiu, et in ſplendorem luna non lucebit tibi; et poſtea dicitur, non occidet amplius ſol tuus, et luna tua non colligetur. Ex his nunc patet, quid Sol et Luna ſignificant in utroque ſenſu.

402. Et ſtellæ Cœli ceciderunt in terram, quod ſignificet quod cognitiones boni et veri perierint, conſtat ex ſignificatione ſtellarum, quod ſint cognitiones boni et veri, de qua ſupra n. 72; et ex ſignificatione cadere in terram, quod ſit perire, nam ſtellæ cum cadunt in terram pereunt: ſimiliter ſignificatur, per quod *ſtellæ cadant de Cœlo*, apud Matthæum, Cap. xxiv. 29, et apud Marcum, Cap. xiii. 25: quiſque videre poteſt, quod per ſtellas non intelligantur ſtellæ, illæ enim non poſſunt cadere e Cœlo, ſunt enim fixæ ſeu in loco ſuo ſtatæ, nec poſſunt cadere in terram, quia ſunt majores terra, quare per illas ſignificantur talia quæ ſunt lucis cœli, et dant lucem, quæ ſunt cognitiones boni et veri: apparent etiam in Cœlo Angelico ſtellæ, ſed illæ ſunt apparentiæ ex cognitionibus boni et veri, quare apparent circum illos qui in cognitionibus illis ſunt, imprimis quando eas animo verſant, et cum in deſiderio ſciendi illas ſunt.

403. Sicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento concuſſa, quod ſignificet quas naturalis homo per ratiocinationes ſuas depopulatus eſt, conſtat ex ſignificatione ficus, quod ſit naturalis homo, de qua ſequitur; ex ſignificatione groſſorum ejus, quod ſint illa quæ in naturali homine, quæ imprimis ſunt cognitiones naturali homini implantatæ ab infantia, et nondum maturæ, quia ſolum auditæ et inde receptæ; et ex ſignificatione magno vento concuſſa, quod ſit quas naturalis homo per ratiocinationes depopulatus eſt, magno vento concuti ſignificat hic ratiocinationes ex falſis mali, nam magnum in Verbo dicitur de bono et de malo, ventus de vero et de falſo, et concuti ab illo de ratiocinatione inde: quod talia ſignificentur per illa verba, tametſi comparative ſunt dicta, eſt quia omnes comparationes in Verbo, ſimiliter ac reliqua ſignificant, ſunt enim æque correſpondentiæ. Cum his ita ſe habet, omnis homo naſcitur a parentibus naturalis, ſed fit a Domino ſpiritualis, quod dicitur e novo naſci ſeu regenerari; et quia naſcitur naturalis, ideo cognitiones, quas ab infantia haurit, antequam fit ſpiritualis, implantantur memoriæ ejus naturali; quando autem ætate provehitur, et incipit rationaliter intueri cognitiones boni et veri, quas ex Verbo ſeu ex prædicatione hauſit, ſi tunc vitam agit malam, arripit et imbuit falſa quæ cognitionibus illis oppoſita et contraria ſunt, ac tunc, quia ratiocinandi dote pollet, ratio-

cinatur ex falſis contra cognitiones infantiæ et pueritiæ ſuæ, quod cum fit, dejiciuntur illæ, et loco earum ſuccedunt falſa: hæc itaque ſunt, quæ ſignificantur per quod ſtellæ cadant in terram, tanquam ficus dejicit groſſos magno vento concuſſa. Quod ficus ſignificet naturalem hominem, eſt ex correſpondentia; in Cœlo enim apparent horti et paradiſi, ubi omnis generis arbores ſunt, et unaquævis arbor aliquid Divini, quod communicatur angelis a Domino, ſignificat; in genere olea ſignificat cœleſte quod eſt boni amoris, vitis ſpirituale quod eſt veri ex illo bono, ac ficus naturale quod ex ſpirituali aut ex cœleſti derivatur; et quia illæ arbores talia ſignificant, ideo etiam ſignificant Angelum aut hominem, apud quos illa ſunt; in communi autem ſenſu ſignificant totam ſocietatem, quia unaquævis ſocietas in Cœlis eſt formata ut ſiſtat imaginem unius hominis; in ſpirituali autem ſenſu ſignificant illæ arbores Eccleſiam, olea Eccleſiam cœleſtem, vitis Eccleſiam ſpiritualem, et ficus Eccleſiam naturalem, quæ eſt Eccleſia externa correſpondens internæ; ex his conſtare poteſt, unde eſt quod dicatur quod ficus ſignificet naturalem hominem, hoc eſt, naturale apud hominem; quod ficus illud, et in communi Eccleſiam externam ſignificet, patet quoque ab aliis locis in Verbo ubi nominatur, ut ab his ſequentibus; apud Eſajam, “*Contabeſcet omnis exercitus cœlorum, et convolventur, ſicut liber, cœli, et omnis exercitus ejus decidet, ſicut decidit folium de vite, et ſicut decidens de ficu,*” xxxiv. 4; hæc dicta ſunt de die ultimi Judicii, qui venturus; et qui etiam venit, nam ultimum Judicium prædictum a Prophetis Veteris Teſtamenti peractum eſt a Domino cum fuit in mundo; et quia tunc ſimilia facta ſunt quæ in ultimo Judicio quod in Apocalypſi prædictum eſt, et hodie a Domino peractum eſt, ideo hic pæne ſimilia dicuntur; ut apud Prophetam Eſajam quod omnis exercitus cœlorum decidet ſicut decidit folium de vite, et ſicut decidens de ficu, tum quod cœli convolventur ſicut volumen; in Apocalypſi, quod ſtellæ cadent in terram, ſicut ficus dejicit groſſos ſuos, et quod cœlum abſcedet ſicut liber convolutus; quod contabeſcet omnis exercitus cœlorum, ſignificat quod omnia bona et vera, quæ amoris et fidei, corrupta ſint; per exercitum enim cœlorum intelliguntur omnia bona et vera quæ amoris et fidei, nam ſol, luna et ſtellæ, per quæ illa ſignificabantur, vocabantur exercitus cœlorum; quod convolventur Cœli ſicut volumen, ſignificat diſſipationem eorum; quod omnis exercitus decidet ſicut folium de vite, et ſicut decidens de ficu, ſignificat depopulationem ex falſis mali. Apud Jeremiam, “*Conſumendo conſumam eos, non uvæ in vite, neque ficus in ficu, et folium defluet,*” viii. 13; non uvæ in vite, ſignificat quod non bonum ſpirituale, vitis enim ſignificat ſpiritualem hominem, ac uva, quia eſt fructus ejus, bonum illius, quod vocatur bonum ſpirituale; non ficus in ficu, ſignificat quod non bonum naturale, ficus enim arbor ſignificat naturalem hominem, ac ficus fructus ſignificat bonum illius, quod vocatur bonum naturale; quod vitis non ſignificet vitem, nec ficus ficum, patet, nam dicitur conſumendo conſumam eos, non uvæ in vite, non ficus in ficu, non enim ideo conſumentur; agitur etiam de vaſtatione Eccleſiæ, ut manifeſte conſtat ex præcedentibus et ſequentibus ibi. Apud Hoſcheam, "*Ceſſare faciam omne gaudium ejus, feſtum ejus, novilunium ejus, ſabbathum ejus, et devaſtabo vitem ejus et ficum ejus, de quibus dixit, merces meretricia illa mihi, et ponam ea in ſylvam, et comedet fera agri,*" ii. 11, 12; agitur ibi de Eccleſia, et de falſificatione veri ibi; quod de Eccleſia, patet a Verſ. 2 illius Capitis, ubi dicitur, contendite cum matre veſtra, quoniam illa non uxor mea, et Ego non Maritus ejus, per matrem et per uxorem intelligitur Eccleſia; etiam ſancta Eccleſiæ, ex quibus fiebat cultus, ac ipſe cultus ſignificantur per feſtum, novilunium et ſabbathum, quæ ceſſabunt; quare per devaſtabo vitem et ficum ejus, ſignificatur quod tam bonum ſpirituale quam bonum naturale periturum ſit; quod ponentur in ſylvam, et comedet ea fera agri, ſignificat quod utrumque erit mere naturale, et quod ſpirituale conſumetur a falſitatibus et cupiditatibus, ſylva ſignificat mere naturale, et fera agri falſitates et cupiditates; et quia falſitates in Eccleſia ſunt imprimis falſificata vera, et de his in eo Capite agitur, ideo dicitur, de quibus dixit merces meretricia illa mihi, merces meretricia ſignificat falſificationem. Apud Joelem, "*Gens aſcendet ſuper terram meam, robuſta, et non numerus, dentes ejus dentes leonis, et molares leonis immanes illi, redegit vitem meam in vaſtitatem, et ficum meam in ſpumam: dealbati ſunt palmites ejus, vitis exaruit et ficus languet, malus punica etiamque palma et malus, omnes arbores agri exſiccatæ ſunt,*" i. 6, 7, 12; agitur in toto illo Capite de devaſtata Eccleſia; et per gentem, quæ aſcendit ſuper terram, quæ robuſta et non numerus, cui dentes leonis, et molares leonis immanes, non ſignificatur aliqua gens quæ talis, ſed dirum malum et inde falſum; per terram ſuper quam aſcendit, ſignificatur Eccleſia, per dentes leonis ſignificantur falſa illius mali, et quia hæc deſtruunt omnia vera et bona Eccleſiæ, dicuntur dentes leonis ac molares ejus immanes, per leonem ſignificatur deſtruens; inde per redegit vitem meam in vaſtitatem, et ficum meam in ſpumam, ſignificatur quod Eccleſia interna et externa ex illis vaſtata ſit, vitis enim ſignificat Eccleſiam internam et ficus externam, ſpuma ſignificat ubi non eſt verum intus; et per denudando denudavit eam, et projecit, ſignificatur quod non bonum nec verum amplius quod non deſtructum, denudare, nempe a fructibus et foliis, eſt a bonis et veris, et projicere eſt prorſus deſtruere; per dealbati ſunt palmites ejus, ſignificatur quod non amplius aliquod ſpirituale; per malum punicam, palmam, malum, et omnes arbores agri quæ exſiccatæ ſunt, ſignificantur ſpecies bonorum et verorum Eccleſiæ, ac cognitiones ejus, quæ ex malis et falſis conſummata ſunt, arbores agri in genere ſignificant cognitiones boni et veri. Apud Eundem, "*Ne timete beſtiæ agrorum meorum, quia herboſa facta ſunt habitacula deſerti, quia arbor facit fructum ſuum, ficus atque vitis dabunt vim ſuam,*" ii. 22; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ, quare per beſtias agri non intelliguntur beſtiæ agri, ſed affectiones boni in naturali homine, inde illos apud quos illæ affectiones ſunt; quis non videt quod non beſtiæ ſint ad quas dicitur ne timete beſtiæ agrorum meorum; per quod habitacula deſerti herboſa facta ſint, ſignificatur quod apud illos erunt cognitiones veri ubi non prius fuerunt, habitacula deſerti ſunt interiora mentis illorum in quibus non prius fuerunt, herboſum ſignificat creſcentiam et multiplicationem earum; quoniam arbor facit fructum ſuum, ficus atque vitis dabunt vim ſuam, ſignificat quod illis bonum naturale et bonum ſpirituale, nam vis ibi eſt productio fructus. Apud Amos, “*Plurimos hortos veſtros, et vineas veſtras et ficus veſtras, et oleas veſtras comedit eruca, nec tamen reverſi eſtis ad me,*” iv. 9; per hortos ſignificantur omnia Eccleſiæ quæ faciunt intelligentiam et ſapientiam; per vineas bona et vera ſpiritualia; per ficus bona et vera naturalia; per oleas bona et vera cœleſtia; eruca eſt falſum deſtruens; ficus, vitis et olea proprie ſignificant Eccleſiam et hominem Eccleſiæ, ſed quia Eccleſia eſt Eccleſia et homo eſt homo ex bonis et veris, ideo quoque hæc per illas arbores ſignificantur, bona per fructus et vera per ramos et folia earum. Apud Haggæum, “*Ponite cor veſtrum a die hoc et deinceps, nonne adhuc ſemen in horreo, et uſque ad vitem et ficum, et malogranatum et arborem oleæ,*” ii. 18, 19; per hæc verba in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod adhuc reſidua ſint bona et vera; omnia bona et vera a primis ad ultima, intelliguntur per vitem, ficum, malogranatum et arborem oleæ, per vitem bonum et verum ſpirituale, per ficum bonum et verum naturale, per malogranatum in genere cognitivum et perceptivum, et in ſpecie cognitiones et perceptiones boni et veri, et per arborem oleæ perceptio boni et veri cœleſtis; horreum ſignificat ubi illa ſunt, ſive Eccleſia ſive homo in quo Eccleſia, ſive mens hominis quæ eſt ſubjectum. Apud Habakuk, “*Ficus non florebit, neque proventus in vitibus, mentietur opus olivæ, et agri non facient cibum,*” iii. 17; ficus non florebit, ſignificat quod non erit bonum naturale; neque proventus in vitibus, ſignificat quod non bonum ſpirituale; mentietur opus olivæ, ſignificat quod non bonum cœleſte; agri non facient fructum, ſignificat quod nulla nutritio ſpiritualis. Apud Moſen, “*Jehovah Deus ducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquæ, fontium et abyſſorum exeuntium e valle et e monte, terram tritici et hordei, et vitis et ficus et malogranati, terram olivæ olei et mellis,*” Deut. viii. 7, 8; per terram bonam, ad quam ducentur, intelligitur terra Canaan, per quam ſignificatur Eccleſia, quare hic ſimilia per vitem, ficum, malogranatum, et oleam ſignificantur quæ nunc ſupra, reliqua videantur explicata prius, n. 374. Quia per Terram Canaanem ſignificatur Eccleſia, ac per vitem, ficum et malogranatum ſignificantur Eccleſiæ interna et externa, ideo factum eſt, quod exploratores illius terræ deportaverint talia inde, de quare ita apud Moſen, “*Exploratores terræ Canaanis venerunt ad fluvium Eſkolen, et abſciderunt inde palmitem et botrum uvarum unum, quem portarunt in vecte per duos, ac de malogranatis et de ficubus,*” Num. xiii. 23. Quia vitis et ficus talia ſignificant, ideo dicitur in Verbo de illis qui in bonis et veris Eccleſiæ ſunt, et inde in tuto a malis et falſis, quod ſedeant ſub vite ſua et ſub ficu ſua in ſecuritate et non terrens, ut in Libro 1 Regum, “*Habitavit Jehudah et Iſrael in ſecuritate, quiſque ſub vite ſua et ſub ficu ſua a Dane uſque ad Beerſchebam omnibus diebus Salomonis,*” v. 5: apud Sachariam, “*Removebo iniquitatem terræ hujus in die uno: in die illo clamabitis vir ad ſocium, ad vitem et ad ficum,*” iv. 10: et apud Micham,

cham, “ *In extremitate dierum erit Mons domus Jehovæ conſtitutus in caput montium; non tollent gens ſuper gentem gladium, nec diſcent amplius bellum, ſed ſedebunt quiſque ſub vite ſua et ſub ficu ſua, nec terrens,*” iv. 1, 3, 4; hæc dicta ſunt de Regno Domini, quod eſt apud illos in cœlis et in terris, qui in amore in Ipſum ſunt; Regnum Domini ſignificatur per Montem Jehovæ qui conſtitutus in caput montium, mons enim Jehovæ ſignificat Regnum Domini ab illis qui in amore in Ipſum ſunt; et quia illi habitant ſupra reliquos in cœlis, dicitur de monte illo quod conſtitutus in caput montium, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 188; hi quia habent vera inſcripta cordibus, et ideo non diſceptant de illis, dicitur quod non tollent gens contra gentem gladium, nec diſcent amplius bellum, per quod ſignificatur quod in Regno illo nulla erit diſceptatio de veris, videatur in eodem Opere, n. 25, 26, 270, 271; quod per vera et bona, in quibus ſunt, tuti erunt a malis et falſis, ſignificatur per quod ſedebunt ſub vite ſua et ſub ficu ſua non terrens. Apud Jeremiam, “ *Ecce Ego adducens ſuper vos gentem e longinquo, quæ comedet meſſem tuam, et panem tuum, comedet filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum et armentum tuum, comedet vitem tuam et ficum tuam,*” v. 17; per gentem e longinquo ſignificatur malum oppoſitum bono cœleſti, per e longinquo ſignificatur diſtans ac remotum a bonis et veris, ac oppoſitum; quæ comedet meſſem tuam et panem tuum, ſignificat quod deſtruet omnia vera et bona per quæ nutritio ſpiritualis; quæ comedet filios tuos et filias tuas, ſignificat omnes affectiones veri et boni ſpirituales; quæ comedet gregem tuum et armentum tuum, ſignificat vera et bona interna et externa; quæ comedet vitem tuam et ficum tuam, ſignificat ſic Eccleſiæ internum et externum. Apud Hoſcheam, “ *Sicut uvas in deſerto vidi Iſraelem, ſicut primitivum in ficu in initio vidi patres veſtros,*” ix. 10; per Iſraelem et per patres ibi non intelliguntur patres tribuum ex filiis Jacobi, ſed qui ab Antiqua Eccleſia fuerunt, quia illi in bono, videatur in Arcanis Cœlestibus, n. 6050, 6075, 6846, 6876, 6884, 7648, 8055; quia illi in bono fuerunt, at in principio in ignorantia veri per quod tamen bonum, dicitur ſicut uvas in deſerto inveni Iſraelem, ſicut ficus in initio vidi patres veſtros, uvæ ſignificant bonum ſpirituale, deſertum ſignificat ignorantiam veri, primitivum in ficu ſignificat bonum naturale ex bono ſpirituali in infantia. Apud Lucam, “ *Quando hæc omnia incipiunt fieri, ſuſpicite et tollite capita veſtra: et dixit parabolam, ſpectate ficum et omnes arbores, quando protruſerint jam, videntes a vobiſmetipſis cognoſcetis quod jam prope æſtas ſit, ſic et vos quando videritis hoc fieri, cognoſcite quod prope ſit regnum Dei,*” xxi. 28, 29, 30, 31. Matth. xxiv. 22. Marc. xiii. 28, 29; agitur ibi de conſummatione ſæculi, quæ eſt ultimum Judicium, et enumerantur ſigna quæ præcedunt, quæ intelliguntur per quando hæc omnia incipiunt fieri; quod nova Eccleſia tunc inchoatura, quæ in initio externa erit, ſignificatur per ſpectate ficum et omnes arbores cum protruſerint; hæc parabola ſeu ſimilitudo dicta eſt, quia ficus ſignificat Eccleſiam externam, et arbores ſignificant cognitiones veri et boni; Regnum Dei quod tunc prope eſt, ſignificat novam Eccleſiam Domini; tempore enim Ultimi Judicii perit vetus Eccleſia et inchoatur nova. Apud Lucam, "*Omnis arbor a proprio fructu cognoſcitur, non enim ex ſpinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam,*" vi. 44. Matth. vii. 16; quoniam per fructum ſignificatur bonum vitæ, et bonum vitæ eſt bonum externum ab interno, ſeu bonum naturale ex ſpirituali, et quia homo ex hoc bono cognoſcitur, ideo dicit Dominus, omnis arbor ex proprio fructu cognoſcitur, ex ſpinis non colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam, ficus hic eſt bonum externi ſeu naturalis hominis, et uva eſt bonum interni ſeu ſpiritualis hominis; ſpinæ et rubus ſunt mala illis oppoſita. Quoniam Reges Jehudæ et Iſraelis repræſentabant Dominum quoad Divinum Verum, et Divinum Verum quaſi angitur et laborat apud hominem, quando non vivitur ſecundum id et fit bonum vitæ, at quando fit bonum vitæ, vivit; hoc ſignificatum eſt, quod "*ex juſſu Jehovæ ad Hiſkiam Regem Jehudæ ægrotantem adferrent maſſam ficuum, et contererent ſuper ulcus, et ſic viveret,*" II Reg. xx. 7. Eſaj. xxxviii. 21. Ex his conſtare poteſt, quod ficus in genuino ſenſu ſignificet naturalem hominem quoad bonum et verum, ipſa ficus ut arbor naturalem hominem, ficus ut fructus bonum naturalis hominis, ac folium ejus verum illius boni. Quod autem ficus in oppoſito ſenſu ſignificet naturalem hominem quoad malum et falſum, ficus ut arbor illum naturalem hominem, ficus ejus ut fructus malum naturalis illius hominis, et folium ejus falſum illius mali, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Jeremiam, "*Oſtendit mihi Jehovah, cum ecce duæ corbes ficuum conſtitutæ ante Templum Jehovæ, una corbis ficus bonæ valde, ſicut ficuum primitias ferentium; et altera corbis ficus malæ valde, quæ comedi non poterant præ malitia: dixit Jehovah, ſicut ficus bonæ ſunt, ita agnoſcam migrationem Jehudæ in terram Chaldæorum in bonum, et ponam oculum meum ſuper eos in bonum, et reducam eos ſuper terram hanc, et ædificabo eos, et plantabo eos: et ſicut ficus malæ, ita dabo relictos in terra hac in commotionem et in malum omnibus gentibus, et mittam in eos gladium, famem et peſtem, ut conſumantur,*" xxiv. 1 ad 10; per captivitatem Judæorum in terra Chaldæorum ſignificatur ſimile quod per captivitatem ſpiritualem ſeu remotionem bonorum a malis in Mundo ſpirituali, ſecundum illa quæ ſupra, n. 391, 392, 394, 397, memorata ſunt, nempe quod interius mali, qui uſque vitam moralem ſimilem vitæ ſpirituali in externis potuerunt agere, in Mundo ſpirituali remanſerint ſuper terra, et habitationes ſibi fecerint ſuper editioribus locis ibi; ac interius boni ab illis remoti fuerint, ac reconditi a Domino in terra inferiore; hoc repræſentatum eſt per tranſportationem Judæorum in terram Chaldæorum, et per remanentiam reliquorum in terra; quapropter dicitur de illis qui ſe tranſportari paſſi ſunt in terram Chaldæorum, agnoſco tranſmigrationem Jehudæ in terram Chaldæorum in bonum, et ponam oculum meum ſuper eos in bonum, et reducam eos ſuper terram hanc, et ædificabo eos et plantabo eos; at de illis qui remanſerunt dicitur, dabo relictos in terra hac in commotionem, et in malum omnibus gentibus, et mittam in eos gladium, famem et peſtem, ut conſumantur: quod hæc repræſentata fuerint, conſtat etiam ex eo quod Templum Salomonis,

monis deſtructum ſit ante deportationem, et quod novum ædificatum ſit, dum reverſi ſunt; per Templum ſignificatur cultus Divinus, et per novum Templum ille reſtauratus: ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per duas corbes ficuum conſtitutas ante Templum Jehovæ, in quarum una fuerunt ficus bonæ valde, ſicut ficuum primitias ferentium; et in altera ficus malæ valde, quæ comedi non poterant præ malitia, nempe quod illi qui interius boni ſunt, a quibus novum Cœlum formandum eſt, intelligantur per corbem ficuum bonarum, et illi qui interius mali, qui dejiciendi in infernum, intelligantur per corbem ficuum malarum; quare de his dicitur, quod non comedi poſſent præ malitia, per quod ſignificatur quod interius mali, et de illis, quod ſicut ficus primitias ferentes, per quod ſignificatur quod interius boni, ut novum Cœlum ab illis formetur; ficus enim ut fructus ſignificat bonum vitæ in interna et ſimul in externa forma, et in oppoſito ſenſu ſignificat bonum vitæ ſolum in externa forma, quod eſt malum vitæ, quia malum eſt interius, externum enim omne ſuum quale trahit ab interno, nam eſt effectus ejus; quod malum appareat in externis ut bonum apud illos, eſt quia mentiuntur bonum propter malum, quod intus eſt, ad obtinendum finem, cui bonum apparens ſervit ut medium. Simile dicitur de illis qui permanſerunt in terra Canaane alibi apud Eundem, "*Sic dixit Jehovah de Rege et de univerſo populo habitante in urbe hac, qui non exeunt vobiſcum in captivitatem, ecce Ego mittens in eos gladium, famem, et peſtem, et dabo eos ſicut ficus horridas, quæ non comedi poſſunt præ malitia*," xxix. 16, 17. Quod ficus ut arbor in oppoſito ſenſu ſignificet hominem mere naturalem, et Eccleſiam a ſimilibus, ſeu apud quos non eſt bonum naturale quia non eſt bonum intus, conſtat apud Lucam, "*Jeſus dixit hanc Parabolam, ficus habebat aliquis in vinea plantatam, venit ergo fructum quærens in ea ſed non invenit, dixit ad Vinitorem, ecce tres annos venio quærens fructum in ficu hac, non autem invenio, exſcinde illam, ut quid etiam terram infrugiferam faciat; hic vero reſpondens dixit, Domine, relinque illam etiam hoc anno, uſque dum fodiam circum illam, et adjiciam ſtercus, ſiquidem fecerit fructum, ſin minus in futurum exſcindas illam*," xiii. 6 ad 9; per vineam in qua erat ficus, ſignificatur Eccleſia ubi etiam illi qui in externis ſunt, nam Eccleſia Domini eſt internum et externum, internum Eccleſiæ eſt charitas et inde fides, externum autem Eccleſiæ eſt bonum vitæ; quia opera charitatis et fidei, quæ ſunt bonum vitæ, ſunt naturalis hominis, et ipſa charitas et inde fides ſunt ſpiritualis hominis, inde per vineam ſignificatur Eccleſiæ internum et per ficum externum ejus; apud Gentem Judaicam fuit modo externum Eccleſiæ, quia in cultu externo repræſentativo erat, quare per ficum Eccleſia apud illam gentem intelligitur; ſed quia in cultu externo erant, et in nullo interno, erant enim intus mali, et quia cultus externus abſque interno eſt nullus cultus, et apud malos eſt malus cultus, ideo apud illos non aliquod bonum naturale fuit; quare dicitur, quod per tres annos non invenerit fructum in ficu, et quod dixerit ad vinitorem ut exſcinderetur, per quod ſignificatur quod ab initio ad finem non fuerit bonum naturale apud illam gentem; per tres annos enim ſignificatur tota periodus, ſeu tempus ab initio ad finem, et per fructum ficus ſignificatur bonum naturale; per bonum naturale intelligitur bonum ſpirituale naturale, ſeu bonum in naturali ex ſpirituali; et quia Eccleſia a talibus, qui non in bono naturali, ut erat gens Judaica, non eſt Eccleſia, ideo etiam dicitur, quid etiam terram infrugiferam faciat, terra eſt Eccleſia; quod vinitor dixerit, ut adhuc relinqueretur, et foderetur circum illam, ſignificat quod relinquetur et quod inſtruentur poſthac a Chriſtianis, in quorum medio erunt; ſed quia nihil ad hoc reſpondebatur, intelligitur quod ficus uſque nullum fructum productura ſit, hoc eſt, quod Gens illa nullum bonum, quod ex aliquo ſpirituali procedit, factura ſit. Hoc ſignificatur per Ficum arefactam, propterea quod Dominus nullum fructum in ea invenerit, apud Matthæum, "*Mane revertens Jeſus in Urbem eſurivit, et videns ficum unam in via, venit ad eam, ſed nihil invenit in illa niſi folia, ideo dixit illi, ne poſthac ex te naſcatur in æternum, unde arefacta eſt ex tempore ficus,*" xxi. 18, 19. Marc. xi. 12, 13; per ficum etiam hic intelligitur Eccleſia apud Gentem Judaicam; quod apud illam gentem non aliquod bonum naturale eſſet, ſed modo verum falſificatum, quod in ſe eſt falſum, ſignificatur per quod Dominus venerit ad ficum, ſed nihil invenerit in illa niſi folia, fructus quem non invenit ſignificat bonum naturale, quale ſupra deſcriptum eſt, et folium ſignificat verum falſificatum, quod in ſe eſt falſum, nam folium in Verbo ſignificat verum, ſed folium arboris quæ eſt abſque fructu ſignificat falſum, at apud illam gentem verum falſificatum, quia habebant Verbum, in quo vera ſunt, ſed quæ falſificaverunt per applicationem ad ſe, unde traditiones eorum; quod Gens illa nuſquam aliquod bonum naturale ex origine ſpirituali, quod vocatur ſpirituale naturale, factura ſit, ſignificatur per verba quæ Dominus de illa dixit, nec poſthac ex te naſcetur in æternum, unde arefacta eſt ex tempore, per arefieri ſignificatur non bonum et verum amplius; quod Dominus hoc viderit et dixerit cum reverſus eſt in urbem et eſurivit, eſt quia per Urbem Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia, et per eſurire, cum de Domino, ſignificatur deſiderare bonum in Eccleſia, videatur ſupra n. 386: qui non ſcit, quid ſignificat ficus, et quod per illam ficum intellecta ſit Eccleſia apud illam Gentem, non aliud cogitat, quam quod hoc factum ſit a Domino ex indignatione quia eſurivit, at hoc non ideo factum eſt, ſed ut ſignificaretur quod Gens Judaica talis eſſet; omnia enim Miracula Domini involvunt et ſignificant talia quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, unde illa Miracula fuerunt Divina, videatur n. 7337, 8364, 9031 fin. Eccleſia perverſa ſeu homo Eccleſiæ perverſus quoad naturalem ſeu externum ſuum hominem etiam ſignificatur per ficum apud Davidem, "*Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flammarum in terra eorum; et percuſſit vitem eorum et ficum eorum, confregit arborem termini eorum,*" Pſalm. cv. 32, 33; hæc de Ægypto dicta ſunt, per quam ſignificatur naturalis homo qui in falſis et malis, ac per vitem, ficum et arborem termini ſignificantur omnia Eccleſiæ, per vitem interna ſeu ſpiritualia ejus, per ficum externa ſeu naturalia ejus, et per arborem termini omne cognitivum et perceptivum, per terminum ſignificatur ultimum, in quod interiora deſinunt et in quo ea ſimul ſunt, et per arbores cognitiones et perceptiones; quæ omnia quia perverſa fuerunt et ideo damnata, dicitur quod percuſſa et confracta, per quæ ſignificatur exitium et damnatio; quod ex falſis mali quæ ex amore mundi, ſignificatur per pluvias eorum grandinem, ignem flammarum in terra eorum, pluviæ ut grando ſignificant falſa mali, et ignis flammarum ſignificat amorem mundi. Apud Nahum, "*Omnia munimenta tua ut ficus cum primitiis, quæ ſi commoventur, decidunt ſuper os comedentis,*" iii. 12; hæc de urbe ſanguinum, per quam ſignificatur doctrina in qua vera falſificata et bona adulterata ſunt; hæc comparatur ficubus cum primitiis, quæ ſi commoventur, decidunt ſuper os comedentis, et per hoc ſignificatur, quod bona ibi non bona ſint, utcunque apparent ut bona, et quod non recipiantur, et ſi recipiuntur ſolum recipiantur memoria et non corde; quod decidant dum commoventur, ſignificat quod non bona ſint tametſi apparent ut bona, quia ſunt primitiæ; et ſuper os comedentis, ſignificat non receptionem, ne quidem memoria; quod os comedentis ſignificet non recipere, conſtat ex apparentiis in Mundo ſpirituali, apparent enim recipere ore, qui aliquid memoriæ tradunt, quare ſuper os ejus cadere ſignificat ne quidem memoria recipere, ſed modo audire, et quoque ſi recipiunt, quod modo memoria et non corde; per ficus cum primitiis etiam intelligi poſſunt bona genuina, cum quibus ſimile fit apud illos qui in falſis mali ſunt.

404. Quod Cœlum abſceſſit tanquam liber convolutus, quod ſignificet quod ſpiritualis homo occluſus ſit, conſtat ex ſignificatione cœli, quod ſit Eccleſia in communi et in particulari, nam Eccleſia eſt Cœlum Domini in terris, etiam Eccleſia unum facit cum Cœlo per conjunctionem; quare cum in Verbo dicitur Cœlum et terra, intelligitur Eccleſia interna et externa, internum enim hominum Eccleſiæ eſt Cœlum apud illos, et externum eſt mundus apud illos; et quia per Cœlum et terram ſignificatur Eccleſia interna et externa, inde quoque ſignificatur homo internus et externus, ſeu homo ſpiritualis et naturalis, nam homo eſt Eccleſia, in quo bonum amoris et fidei eſt, quare ex hominibus, in quibus eſt Eccleſia, exiſtit Eccleſia in communi; inde patet, unde eſt quod per Cœlum hic intelligatur homo internus ſeu ſpiritualis; homo ſpiritualis dicitur, et intelligitur mens ſpiritualis, quæ eſt mens ſuperior ſeu interior hominis, mens autem inferior ſeu exterior vocatur homo naturalis; et ex ſignificatione abſceſſit ſicut liber convolutus, quod ſit quod occluſus ſit; nam mens ſpiritualis, quæ eſt, ut dictum, mens ſuperior ſeu interior apud hominem, aperitur per vera applicata vitæ, ita per bona, at vero occcluditur per falſa applicata vitæ, ita per mala, et occluſio eſt ſicut convolvitur volumen libri; quod ita ſit, patuit manifeſte ex apparentiis in Mundo ſpirituali, cum ultimum Judicium factum eſt, ibi enim tunc apparuerunt montes et colles quandoque convolvi ſicut volumen libri convolvitur, et tunc illi, qui ſuper iis erant, devolvebantur in infernum; quæ apparentia trahit cauſam ex eo, quod interiora mentis eorum, per quæ aliquid lucis e cœlo prius influxit, occluſa fuerint; quod fit in communi apud plures, hoc fit apud unumquemvis talem in particulari, nam in Mundo ſpirituali, quale eſt commune, tale eſt particulare, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 73. Per librum intelligitur volumen, quoniam Antiquis temporibus non erant typi et inde libri quales hodie, ſed erant

volumina ex membranis, inde per Libros in Apocalypſi intelliguntur volumina, et per abſceſſit cœlum tanquam liber convolutus, intelligitur tanquam volumen convolutum, ſimiliter apud Eſajam, "*Contabeſcet omnis exercitus cœlorum, et convolventur, ſicut liber, cœli,*" xxxiv. 4.

405. Et omnis mons et inſula e locis ſuis emota ſunt, quod ſignificet quod omne bonum amoris et verum fidei perierit, conſtat ex ſignificatione montis, quod ſit bonum amoris in Dominum, de qua ſequitur; ex ſignificatione inſulæ, quod ſit verum fidei, de qua in ſequenti Articulo; et ex ſignificatione emoveri locis, quod ſit auferri et perire, quia intelligitur bonum amoris et verum fidei, quando enim illa emoventur locis ſuis, tunc ſuccedunt mala et falſa, ac bona et vera per mala et falſa pereunt. Quod Mons ſignificet bonum amoris, eſt quia in Cœlo ſuper montibus habitant qui in bono amoris in Dominum ſunt, et ſuper collibus qui in charitate erga proximum, ſeu quod idem, ſuper montibus habitant qui e cœleſti Regno Domini ſunt, et ſuper collibus qui e ſpirituali Regno Ipſius, et Regnum cœleſte diſtinguitur a Regno ſpirituali in eo, quod qui e Regno cœleſti ſunt, in Amore in Dominum ſint, et qui e Regno ſpirituali in charitate erga proximum; ſed de his et illis videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 20 ad 28; inde eſt, quod per Montem ſignificetur bonum amoris in Dominum. Quod bonum amoris in Dominum per Montem abſtracte intelligatur, eſt quia omnia, quæ in ſenſu interno Verbi ſunt, ſpiritualia ſunt; et ſpiritualia abſtracte a perſonis et locis intelligenda ſunt; quare etiam Angeli, quia ſpirituales, abſtracte ab illis cogitant et loquuntur, et per id eſt illis ſapientia et intelligentia; idea enim perſonarum et locorum finit cogitationem, nam determinat illam ad ea, et ſic finit; hæc idea cogitationis eſt proprie naturalis, idea autem abſtracta a perſonis et locis ſe extendit in cœlum quaquaverſum, nec finitur aliter ac viſus oculi, dum abſque obviis ſpectatur cœlum, talis idea eſt proprie ſpiritualis; exinde eſt, quod per Montem in Verbi ſenſu ſpirituali ſignificetur bonum amoris: ſimile eſt cum ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia; idea enim abſtracta a locis et a gentibus et populis ſuper terra, eſt de Eccleſia ibi ſeu apud illos, hæc ideo per terram in Verbo ſignificatur: ſimile eſt cum rebus aliis quæ in Verbi ſenſu naturali dicuntur, ut cum collibus, petris, vallibus, fluviis, maribus, urbibus, domibus, hortis, ſylvis, et aliis. Quod Mons ſignificet amorem in Dominum, et inde omne bonum quod ex illo, quod bonum cœleſte vocatur, et quod in oppoſito ſenſu ſignificet amorem ſui, et inde omne malum quod ex illo, conſtat ex locis ſequentibus in Verbo; apud Amos, "*Diſpone te erga Deum tuum Iſrael, nam ecce Formator montium, et creator ſpiritus, et enuntians homini quæ cogitatio ejus,*" iv. 12, 13; Deus dicitur formator montium, quia montes ſignificant bona amoris; ac creator ſpiritus quia ſpiritus ſignificat vitam ex illis; et quia per illa dat homini intelligentiam, additur, et enuntians homini quæ cogitatio ejus, intelligentia enim, quæ homini, eſt cogitationis ejus, quæ influit a Domino per bonum amoris in vitam ejus, quare enuntiare hic eſt influere. Apud Davidem, "*Deus qui firmat montes virtute ſua, accinctus eſt potentia,*" Pſalm. lxv. 7; per montes hic quoque ſignificantur bona amoris; hæc Dominus in Cœlo et in Eccleſia firmat per

Divinum ſuum Verum, cui omnis potentia, ideo dicitur firmat montes virtute ſua, accinctus eſt potentia; per Virtutem Dei in Verbo ſignificatur Divinum Verum, ac per potentiam, cum de Domino, omnis potentia ſeu omnipotentia: quod omnis potentia ſit Divino Vero quod procedit a Domino, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 228 ad 233, et ſupra n. 209, 333; et quod potentia, cum de Domino, ſit omnipotentia, ſupra n. 338. Apud Eundem, "*Tollo oculos meos ad montes, unde venit auxilium,*" Pſalm. cxxi. 1; per montes hic intelliguntur Cœli; et quia in Cœlis ſuper montibus et collibus habitant qui in bonis amoris et charitatis ſunt, ut ſupra dictum eſt, et in illis bonis eſt Dominus, ideo per tollere oculos ad montes, etiam intelligitur ad Dominum, a quo omne auxilium: cum montes in plurali dicuntur, intelliguntur et montes et colles, proinde tam bonum amoris in Dominum, quam bonum charitatis erga proximum. Apud Eſajam, "*Erunt ſuper omni monte alto, et ſuper omni colle elato rivi, ductus aquarum, in die cædis magnæ, cum cadent turres,*" xxx. 25; ultimum Judicium, de quo ibi agitur, intelligitur per diem cædis magnæ cum cadent turres, cædes magna eſt interitus malorum, turres quæ cadent ſunt falſa doctrinæ quæ ex amore ſui et mundi, quod illa per turres ſignificentur, eſt ex apparentiis in Mundo ſpirituali, qui enim per talia, quæ Eccleſiæ ſunt, dominatum quærunt, in altis ædificant ſibi turres, de quibus videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 56, 58; quod illi tunc qui in Amore in Dominum et in charitate erga proximum ſunt, eleventur in Cœlum et imbuantur intelligentia et ſapientia, intelligitur per quod erunt ſuper omni monte alto et colle elato rivi ductus aquarum, mons altus ſignificat ubi ſunt qui in amore in Dominum, et collis elatus ubi illi qui in charitate erga proximum, rivi ſignificant ſapientiam, et ductus aquarum intelligentiam, aquæ enim ſunt vera ex quibus intelligentia et ſapientia. Apud Joelem, "*Fiet in die illo, ſtillabunt montes muſtum, et colles fluent lacte, et omnes rivi Jehudæ fluent aquis,*" iv. 18; agitur ibi de adventu Domini, et de novo Cœlo et de nova terra tunc; et per quod montes ſtillabunt muſtum, intelligitur quod ex bono amoris in Dominum omne verum; per quod colles fluent lacte, intelligitur quod ex bono charitatis erga proximum vita ſpiritualis; et per quod omnes rivi Jehudæ fluent aquis, intelligitur quod ex ſingulis Verbi vera, per quæ intelligentia; ſed hæc plenius explicata videantur ſupra n. 376. Apud Nahum, "*En ſuper montibus pedes evangelizantis pacem,*" ii. 1: apud Eſajam, "*Quam jucundi ſunt pedes evangelizantis, audire facientis pacem, dicentis Zioni regnat Rex tuus,*" lii. 7: apud Eundem, "*Super montem altum aſcende tibi evangelizatrix Zion, extolle cum virtute vocem tuam evangelizatrix Hieroſolyma,*" xl. 9; hæc de adventu Domini, et de ſalvatione eorum tunc qui in bono amoris in Ipſum ſunt, et inde ex Verbo in veris doctrinæ; et quia de ſalvatione eorum agitur, ideo dicitur, en ſuper montibus pedes evangelizantis pacem, et aſcende montem altum evangelizatrix Zion; per evangelizare pacem ſignificatur prædicare adventum Domini, nam per pacem ſignificatur in ſupremo ſenſu Dominus, et in ſenſu interno omne bonum et verum quod a Domino, videatur ſupra n. 365; et per evangelizatricem Zionem intelligitur Eccleſia quæ in bono amoris in Dominum eſt, ac per evangelizatricem

Hieroſolymam Eccleſia quæ inde ex Verbo in veris doctrinæ. Apud Eſajam, “*Ponam omnes montes meos in viam, et ſemitæ meæ exaltabuntur: cantate cœli, et exulta terra, ac perſonate montes cantu, quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum,*” xlix. 11, 13; per montes in plurali intelliguntur et montes et colles, ita tam bonum amoris quam bonum charitatis; quod montes et colles ponentur in viam, et ſemitæ exaltabuntur, ſignificat quod illi qui in illis bonis ſunt, erunt in veris genuinis, poni in viam ſignificat eſſe in veris, et exaltari ſemitæ ſignificat eſſe in veris genuinis, viæ enim et ſemitæ ſignificant vera, quæ exaltari dicuntur a bono, et vera quæ a bono ſunt vera genuina; gaudium cordis eorum inde, ſignificatur per cantate cœli, exulta terra, gaudium internum per cantate cœli, gaudium externum per exulta terra; confeſſiones ex gaudio oriundo ex bono amoris ſignificantur per perſonate montes cantu; quod hoc ſit propter reformationem et regenerationem, ſignificatur per quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum: quod hic non montes in mundo intelligantur, patet; nam tunc quid foret, quod montes ponerentur in viam, et quod ſemitæ exaltabuntur, tum quod montes perſonarent cantu. Apud Eundem, “*Cantate cœli, jubilate inferiora terræ, perſonate montes cantu, ſylva et omnis arbor in ea, quia redemit Jehovah Jacobum, et in Iſraele glorioſum ſe exhibuit,*” xliv. 23; per cantate cœli, jubilate inferiora terræ, perſonate montes cantu, ſimilia ſignificantur quæ mox ſupra, ſed hic per montes ſignificantur bona charitatis; quare etiam dicitur, ſylva et omnis arbor in ea, nam per ſylvam intelligitur externus ſeu naturalis homo quoad omnia ejus, et per omnem arborem intelligitur cognitivum et ſcientificum ibi; reformatio eorum ſignificatur per redemit Jehovah Jacobum, et in Iſraele glorioſum ſe exhibuit, per Jacobum et Iſraelem intelligitur Eccleſia externa et interna, ita externum et internum apud illos in quibus Eccleſia. Apud Eundem, “*Montes et colles perſonabunt cantu, et omnes arbores agri complodent manum,*” lv. 12: apud Davidem, “*Laudate Jehovam montes et colles, arbor fructus, et omnes cedri,*” Pſalm. cxlviii. 9; in his deſcribitur gaudium cordis ex bono amoris et charitatis, et dicuntur montes, colles, arbores, cedri perſonare cantu, complodere manum, et laudare, quia per illa ſignificantur bona et vera, quæ faciunt gaudia apud hominem; homo enim non gaudet ex ſe, ſed ex bonis et veris, quæ apud illum, hæc gaudent, quia faciunt homini gaudium. Apud Eſajam, “*Extollent vocem deſertum, et urbes ejus, et villæ quas inhabitat Arabia, cantent habitatores petræ, e capite montium clament,*” xlii. 11; per deſertum ſignificatur obſcurum veri, per urbes ejus ſignificantur doctrinalia, per villas cognitiones et ſcientifica naturalia, per Arabiam ſignificatur naturalis homo, nam Arabs in deſerto eſt naturalis homo, per habitatores petræ ſignificantur bona fidei, ſeu illi qui in bonis fidei, per caput montium ſignificatur bonum amoris in Dominum, inde patet, quid ſingula in ordine ſignificant, nempe confeſſionem et cultum lætum ex bono amoris in illis quæ memorata ſunt, nam clamare e capite montium eſt ex bono amoris colere. Apud Davidem, “*Mons Dei mons Baſchanis, mons collium mons Baſchanis, quare ſubſilitis montes, colles montis, deſiderat Deus inhabitare illa, etiam Jehovah habitabit in perpetuum,*” Pſalm. lxviii. 16, 19; per Montem Baſchanis ſignificatur bonum voluntarium, quale eſt apud illos qui in externis Eccleſiæ ſunt; Baſchan enim erat regio trans Jordanem, quæ dimidiæ Tribui Menaſſis data erat in hæreditatem, videatur Joſuæ Cap. xiii. 29 ad 32, et per Menaſſen ſignificatur Bonum voluntarium externi ſeu naturalis hominis; bonum hoc voluntarium idem eſt cum bono amoris in externo homine, nam omne bonum amoris eſt voluntatis, et omne verum inde eſt intellectus, quare per Ephraimum fratrem ejus ſignificatur verum intellectuale illius boni: quia per montem Baſchanis illud bonum ſignificatur, ideo per colles montis illius ſignificantur bona actu: quia voluntas agit, eſt enim omne activum animi et corporis ex voluntate, ſicut eſt omne activum cogitationis et ſermonis ex intellectu, ideo gaudium oriundum ex bono amoris deſcribitur et intelligitur per ſaltare et ſubſilire; inde patet, quid ſignificatur per Mons Dei mons Baſchanis, mons collium mons Baſchanis, quare ſubſilitis montes, colles montis; quia Dominus apud hominem habitat in ejus bono voluntario, unde bona actu, ideo dicitur, deſiderat Deus inhabitare illum, etiam Jehovah habitabit in perpetuum. Apud Eundem, "*Factus eſt Jehudah in ſanctuarium Jehovæ; mare vidit et fugit, Jordan avertit ſe retrorſum, montes ſaltarunt ſicut arietes, colles ſicut filii gregis: quid tibi mare quod fugis, Jordan avertis te retrorſum, montes ſaltatis ſicut arietes, colles ſicut filii gregis; a coram Domino parturis terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit petram in ſtagnum aquarum, ſilicem in fontem aquarum,*" Pſalm. civ. 2 ad 6; ita deſcribitur exitus filiorum Iſraelis ex Ægypto, attamen abſque explicatione per ſenſum internum nemo ſcire poteſt quid ſignificant, quod tunc montes ſaltaverint ſicut arietes, et colles ſicut filii gregis, tum quid intelligitur per mare vidit et fugit, et Jordan avertit ſe retrorſum, quare explicabitur: intelligitur in ſenſu interno inſtauratio Eccleſiæ, ſeu regeneratio hominum Eccleſiæ, Eccleſia enim, quæ inſtauranda, ſignificatur per filios Iſraelis, inſtauratio per exitum illorum, diſcuſſio malorum per tranſitum per mare Suph, de quo dicitur quod fugerit, et introductio in Eccleſiam per tranſitum ſuper Jordanem, de quo dicitur quod averterit ſe; ſed ad ſingula; quod Jehudah factus ſit in ſanctuarium, et Iſrael in dominia, ſignificat quod bonum amoris in Dominum ſit ipſum ſanctum Cœli et Eccleſiæ, et quod verum ex illo bono ſit per quod regimen, per Jehudam enim ſignificatur bonum cœleſte quod eſt bonum amoris in Dominum, per ſanctuarium ipſum ſanctum Cœli et Eccleſiæ, per Iſraelem bonum ſpirituale quod eſt verum ex illo bono, per quod regimen, nam Divino Vero procedenti ex Divino Bono eſt omne regimen Domino; per mare vidit et fugit, Jordan avertit ſe retrorſum, ſignificatur quod, diſcuſſis malis et falſis quæ in naturali homine, ſucceſſerint vera ſcientifica et cognitiones veri et boni; montes ſaltarunt ſicut arietes, colles ſicut filii gregis, ſignificat quod bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris, ac bonum ſpirituale quod eſt verum ex illo bono, ex gaudio faciant bona ſeu edant effectum, montes ſignificant bonum amoris, colles bona charitatis, quæ in ſua eſſentia ſunt vera ex illo bono, ſaltare, quia de illis, ſignificat ex gaudio facere bona, dicitur ſicut arietes et ſicut filii gregis, quia arietes ſignificant bona charitatis et filii gregis vera inde; inſtauratio Eccleſiæ ab illis, ſeu regeneratio hominum Eccleſiæ, ſignificatur per coram Deo parturis terra, coram Deo Jacobi, qui convertit petram in ſtagnum

ſtagnum aquarum et ſilicem in fontem aquarum, terra eſt Eccleſia, et illa parturire dicitur quum inſtauratur ſeu homo Eccleſiæ e novo generatur, coram Domino et coram Deo Jacobi dicitur, quoniam ubi de bono amoris agitur, Dominus in Verbo dicitur Dominus, et cum de bonis actu Deus Jacobi; regeneratio per vera ex bono, ſignificatur per convertit petram in ſtagnum aquarum et ſilicem in fontem aquarum, per ſtagnum aquarum ſignificantur cognitiones veri, et per fontem aquarum ſignificatur Verbum ex quo illæ, et per petram naturalis homo quoad verum ante reformationem, et per ſilicem naturalis homo quoad bonum ante reformationem. Apud Eundem, “*Vitem ex Ægypto proficiſci feciſti, expuliſti gentes, et plantaſti eam, operti ſunt montes umbra ejus, et ramis ejus cedri Dei,*” Pſalm. lxxx. 9, 11; per vitem ex Ægypto ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, quæ incipit apud hominem per ſcientifica et cognitiones in naturali homine; vitis eſt Eccleſia ſpiritualis, et Ægyptus eſt ſcientificum quod in naturali homine; per expuliſti gentes et plantaſti eam, ſignificatur quod poſtquam mala inde ejecta ſunt Eccleſia inſtaurata ſit, gentes ſunt mala, et plantare vitem eſt inſtaurare illam Eccleſiam; per operti ſunt montes umbra ejus, et ramis ejus cedri Dei, ſignificatur quod tota ex bonis et veris ſpiritualibus, montes ſunt bona ſpiritualia, et cedri Dei ſunt vera ſpiritualia: quod eductio filiorum Iſraelis ex Ægypto, et introductio in terram Canaanem, unde expulſæ ſunt gentes, per hæc intelligantur, patet; ſed uſque per eadem illa in ſenſu interno intelliguntur quæ explicata ſunt; nec aliud per introductionem filiorum Iſraelis in terram Canaanem, et per expulſionem gentium inde, repræſentatum et ſignificatum eſt; omnia enim Hiſtorica Verbi æque ac Prophetica ejus involvunt ſpiritualia. Apud Eſajam, “*Omnes montes qui ſarculo ſarrientur, non veniet eo timor ſenticeti et vepreti, ſed erit miſſio bovis et calcatio ovis,*” vii. 25; per montes qui ſarculo ſarrientur, intelliguntur qui ex amore boni faciunt bona; quid per cætera ſignificatur, videatur ſupra n. 304, ubi explicata ſunt. Apud Eundem, “*Producam ex Jacobo ſemen, et ex Jehudah hæredem Montium meorum, ut poſſideant eum electi mei, et ſervi mei habitent ibi,*” lxv. 9; per Jacobum et per Jehudam ſignificatur Eccleſia, per Jacobum Eccleſia externa quæ in cognitionibus boni et veri, et per Jehudam Eccleſia quæ in bono amoris in Dominum, quare per ſemen ex Jacobo ſignificantur cognitiones boni et veri, et inde ii qui in illis ſunt; per montes quorum hæredes ex Jehudah, ſignificatur bonum amoris in Dominum, et inde ii qui in illo; per electos qui poſſidebunt montem ſignificantur qui in bono ſunt, et per ſervos qui in veris ex bono. Apud Jeremiam, “*Reducam filios Iſraelis ſuper terram eorum; ecce Ego mittens ad piſcatores multos qui piſcabuntur illos, et mittam ad multos venatores qui venabuntur eos ſuper omni monte, et deſuper omni colle, et ex foraminibus petrarum,*” xvi. 15, 16; agitur ibi de inſtauratione Eccleſiæ novæ, quæ repræſentabatur et ſignificabatur per reductionem Judæorum e captivitate e terra Babelis in terram Canaanem; qui non ſcit quid ſignificat piſcari et venari, quid mons, collis, et foramina petrarum, non aliud colliget ex illis verbis quam tale quod uſque non capitur; quod ex illis inſtauranda ſit Eccleſia, qui in bono naturali et in bono ſpirituali ſunt, intelligitur per mittam piſcatores qui piſcabuntur illos, et venatores qui venabuntur illos; congregare illos qui in bono naturali ſunt, intelligitur per mittere piſcatores qui piſcabuntur illos; et congregare illos qui in bono ſpirituali ſunt, intelligitur per venatores qui venabuntur illos; quia illi intelliguntur, etiam dicitur deſuper omni monte, et deſuper omni colle, et ex foraminibus petrarum; per illos qui ſuper monte intelliguntur qui in bono amoris, qui ſuper colle qui in bono charitatis, et qui ex foraminibus petrarum qui in obſcuris veri. Apud Ezechielem, “*Vos Montes Iſraelis dabitis ramum veſtrum, et fructum veſtrum feretis populo meo Iſraeli, cum appropinquant venire,*” xxxvi. 8; per montes Iſraelis ſignificantur bona charitatis; quod inde vera fidei et bona vitæ, ſignificatur per dabitis ramum veſtrum, et fructum veſtrum feretis, ramus eſt verum fidei, et fructus eſt bonum vitæ. Apud Amos, “*Ecce dies venientes, ut attingat arans metentem, et calcans uvas diſtrahentem, et ſtillent montes muſtum, et omnes colles diffluant, nam reducam captivitatem populi mei,*” ix. 13, 14; quid per hæc ſignificatur, videatur ſupra n. 376, ubi explicata ſunt; montes dicuntur ſtillare muſtum, et colles diffluere, quia per montes ſignificatur bonum amoris in Dominum, et per colles bonum charitatis erga proximum, ac per muſtum vera; et inde per illa verba, quod ex utroque illo bono erunt illis vera in abundantia, nam per reductionem populi ex captivitate, de qua illa dicuntur, ſignificatur inſtauratio novæ Eccleſiæ. Apud Davidem, “*Jehovah juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua ſicut abyſſus magna,*” Pſalm. xxxvi. 7; quia juſtitia in Verbo dicitur de bono, ac judicium de vero, ideo dicitur quod juſtitia Jehovæ ſit ſicut montes Dei, et judicia Ipſius ſicut abyſſus magna; montes Dei enim ſignificant bonum charitatis, et abyſſus ſignificat vera in communi, quæ vera fidei vocantur: quod juſtitia dicatur de bono, et judicium de vero, videatur n. 2235, 9857. Apud Eundem, “*Jehovah fundavit terram ſuper baſibus ſuis, abyſſo ſicut veſte obvelaſti eam, ſuper montibus ſtant aquæ, ab increpatione tua fugiunt, a voce tonitrui tui proripiunt ſe; aſcendunt montes, deſcendunt valles ad locum quem fundaſti illis, limitem poſuiſti, non tranſeunt, non revertuntur ad obtegendum terram; qui emittit fontes in fluvios, inter montes eant. Qui irrigat montes de conclavibus tuis; de fructu operum tuorum ſaturatur terra,*” Pſalm. civ. 5 ad 10, 13; deſcribitur per hæc in ſenſu ſpirituali intellecta proceſſus regenerationis, ſeu formationis Eccleſiæ apud hominem; et per fundavit terram ſuper baſibus ſuis, ſignificatur quod Eccleſiam apud hominem cum ſuis terminis et clauſuris; per abyſſo ſicut veſte obvelaſti eam, ſignificatur quod ſcientificis in naturali homine, quo interiora ejus, ubi Eccleſiæ ſpiritualia reſident, circumdata ſunt, abyſſus ſignificat ſcientifica in communi, et veſtis ſignificat vera ſcientifica ambientia et induentia; per ſuper montibus ſtant aquæ, ſignificatur quod falſa ſuper jucundis amorum naturalium, quæ jucunda in ſe ſunt mala, montes ſunt mala illorum amorum, et aquæ ſunt falſa inde; quod ab increpatione tua fugiant, a voce tonitrui tui proripiant ſe, ſignificat quod falſa per vera, ac mala per bona e Cœlo diſſipentur; per aſcendunt montes et deſcendunt valles ad locum quem fundaſti illis, ſignificatur quod loco amorum naturalium et malorum ex illis inſertentur amores cœleſtes et bona ex illis, et loco falſorum immittantur vera communia; per limitem poſuiſti, non tranſeunt, non revertuntur ad obtegendum terram, ſignificatur quod falſa et mala teneantur extra, ſeparata a veris et bonis, et limitata ne reinfluant et perdant; per emittit fontes in fluvios, inter montes eant, ſignificatur quod Dominus ex Verbi veris det intelligentiam, cujus omnia ex bono amoris cœleſtis ſunt, per fontes ſignificantur Verbi vera, per fontes immiſſos in fluvios, ſignificatur intelligentia inde, et per inter montes eant, ſignificatur quod ex bonis amoris cœleſtis, montes ſunt illa bona; per qui irrigat montes e conclavibus ſuis, ſignificatur quod omnia bona per vera ex cœlo, irrigare dicitur de veris, quia aquæ ſunt vera, montes ſunt bona amoris, et conclavia ſunt cœli unde illa; per de fructu operum tuorum ſaturatur terra, ſignificatur quod ex Divina operatione continue creſcat Eccleſia apud hominem, fructus operum, cum de Domino, eſt Divina operatio, et terra eſt Eccleſia apud hominem, de cujus formatione actum eſt, et hæc ſaturari dicitur per continuam creſcentiam: hæc arcana ſunt, quæ in illis verbis recondita ſunt, ſed quis videt illa, niſi ſciat illa ex ſenſu interno, et niſi in cognitionibus ſit, hic niſi in cognitione de homine interno et externo, ac de bonis et veris quæ faciunt Eccleſiam in illis. Apud Sachariam, "*Suſtuli oculos meos et vidi, cum ecce quatuor currus exeuntes inter montes, et montes montes æris,*" vi. 1; agitur in eo Capite de inſtauranda nova Eccleſia apud gentes, nam agitur de novo Templo, per quod ſignificatur nova Eccleſia; per currus exeuntes ab inter montes, ſignificatur doctrina quæ formanda ex bono per vera, currus ſignificant doctrinalia, montes bona amoris, inter montes ſignificat vera ex bonis, nam valles quæ ſunt inter montes ſignificant vera inferiora, quæ ſunt vera naturalis hominis: ut ſciatur quod per Montes ſignificentur bona naturalis hominis, ideo dicitur et montes montes æris, æs ſignificat bonum naturalis hominis. Apud Sachariam, "*Jehovah exibit et pugnabit contra gentes, ſtabunt pedes Ipſius in die illo ſuper monte olivarum ante facies Hieroſolymæ ab oriente, et diffidetur mons olivarum, pars ejus verſus ortum et verſus mare valle magna, et recedet pars montis verſus ſeptentrionem, et pars ejus verſus meridiem; tunc fugietis per vallem montium meorum, et pertinget vallis montium verſus Azal,*" xiv. 3, 4, 5; hæc dicta ſunt de ultimo Judicio quod a Domino cum fuit in Mundo, nam Dominus, cum fuit in Mundo, omnia in Cœlis et in infernis in ordinem redegit, quare tunc fecit Judicium ſuper malos et ſuper bonos; hoc Judicium eſt quod in Verbo Veteris Teſtamenti intelligitur per diem indignationis, iræ, excandeſcentiæ, vindictæ Jehovæ, ac per annum retributionum; de hoc Judicio videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 46: quod de adventu Domini, ac de Judicio tunc in eo Capite agatur, patet ab his verbis ibi, "*Tunc veniet Jehovah Deus meus, omnes Sancti Tecum, et erit in die illo non lux, ſplendor et coruſcatio; et erit dies unus qui notus erit Jehovæ, non dies nec nox, quia circa tempus veſperæ erit lux,*" Verſ. 5, 6, 7; tempus veſperæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quando Judicium, tunc veſpera eſt malis ſed lux bonis: dum hæc primum ſciuntur, patet dein per ſenſum ſpiritualem, quid ſingula ibi ſignificant; nempe, per Jehovah exibit et pugnabit contra gentes, ſignificatur ultimum Judicium ſuper malos, exire et pugnare eſt facere Judicium, et gentes ſunt mali; per ſtabunt pedes Ipſius ſuper monte olivarum ante facies Hieroſolymæ ab oriente, ſignificatur quod ex Divino Amore per Divina Vera procedentia ex Divino Bono Ipſius, mons enim olivarum, cum de Domino, ſignificat Divinum Amorem, Hieroſolyma Eccleſiam quoad vera, et inde Divina Vera Eccleſiæ, et oriens Divinum Bonum; per diffindetur mons olivarum, pars ejus verſus ortum et verſus mare valle magna, ſignificatur ſeparatio illorum qui in bono ſunt ab illis qui in malo, mons enim olivarum, ut dictum, eſt Divinus Amor, ortus eſt ubi illi qui in Divino bono, et mare eſt ubi illi qui in malo, mare enim in plaga occidentali in Mundo ſpirituali ſeparat; per recedet pars montis verſus ſeptentrionem et pars ejus verſus meridiem, ſignificatur ſeparatio illorum qui in falſis mali ab illis qui in veris boni, ſeptentrio eſt ubi illi qui in falſis mali, quia in tenebris, et meridies ubi illi qui in veris boni, quia in luce; per tunc fugietis per vallem montium meorum, ſignificatur quod tunc qui in veris ex bono ſunt eripientur, fugere ſignificat eripi, vallis montium ſignificat ubi illi qui in cognitionibus veri et inde in veris ex bono ſunt, nam in vallibus habitant illi qui in cognitionibus veri, et ſuper montibus illi qui in bono; et pertinget vallis montium uſque ad Azal, ſignificat ſeparationem a falſis mali, nam Azal ſignificat ſeparationem et liberationem. Quoniam Mons olivarum, qui erat ante Hieroſolymam ab oriente, ſignificabat Divinum Amorem, et Hieroſolyma ab oriente Divinum Verum procedens ex Divino Bono, ut ſupra memoratum eſt, ideo Dominus ex ſolito commoratus eſt ſuper illo Monte, ut patet apud Lucam, "*Jeſus erat diebus in Templo docens, noctibus vero egrediens pernoctavit in Monte qui dicitur Olivarum,*" xxi. 37. Cap. xxii. 39. Joh. viii. 1: ac ibi loquutus eſt cum diſcipulis de Adventu ſuo et conſummatione ſæculi, hoc eſt, de Ultimo Judicio, Matth. xxiv. 3, ſeq. Marc. xiii. 3, ſeq. Et quoque inde ivit Hieroſolymam, et paſſus, Matth. xxi. 1. Cap. xxvi. 30. Marc. xi. 1. Cap. xiv. 26. Luc. xix. 29, 37. Cap. xxi. 37. Cap. xxii. 39: et per hoc ſignificabatur, quod omnia ex Divino Amore egerit, Mons enim olivarum illum ſignificabat; quicquid enim Dominus in Mundo fecit, hoc repræſentabat, et quicquid loquutus eſt, ſignificabat; quod in repræſentativis et ſignificativis fuerit, cum in mundo, erat cauſa, ut in ultimis Cœli et Eccleſiæ et ſimul in primis eorum eſſet, et ſic ultima ex primis, et intermedia omnia ex primis per ultima regeret et diſponeret; repræſentativa et ſignificativa ſunt in ultimis. Quoniam Mons ſignificabat bonum amoris, et cum de Domino, Divinum Bonum Divini Amoris, et ex illo Bono procedit Divinum Verum, ideo Jehovah, hoc eſt, Dominus, deſcendit ſuper Montem Sinai, et promulgavit Legem, legitur enim quod "*deſcenderit ſuper illum Montem ad Caput Montis,*" Exod. xix. 20. Cap. xxiv. 17; et quod promulgaverit Legem ibi, Exod. xx; inde etiam per Sinai in Verbo ſignificatur Divinum Verum ex Divino Bono, ſimiliter per Legem ibi promulgatam. Et ideo quoque "*Dominus aſſumſit Petrum, Jacobum et Johannem in Montem altum cum transformatus,*" Matth. xvii. 1. Marc. ix. 2; et cum transformatus, apparuit in Divino Vero ex Divino Bono, nam Facies Ipſius quæ ſicut Sol repræſentabat Divinum Bonum, ac Veſtis quæ ſicut Lux Divinum Verum, ac Moſes et Elias, qui apparuerunt, ſignificabant Verbum, quod eſt Divinum Verum ex Divino Bono. Quoniam Mons ſignificabat Bonum amoris, et in ſupremo ſenſu Divinum Bonum, et ex Divino Bono procedit Divinum Verum, ideo Mons Zionis ædificatus eſt ſupra Hieroſolymam, et per Montem Zionis in Verbo ſignificatur Eccleſia quæ in bono amoris in Dominum eſt, et per Hieroſolymam Eccleſia quæ in veris ex illo bono, ſeu Eccleſia quoad doctrinam; ideo etiam Hieroſolyma vocatur Mons ſanctitatis, et quoque Collis, nam per Montem ſanctitatis ſignificatur bonum ſpirituale, quod in ſua eſſentia eſt Verum ex bono, ſimiliter ac per collem, ut conſtare poteſt ex ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Fiet in poſteritate dierum erit Mons Jehovæ in caput montium, et elatus præ collibus; unde confluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, ite aſcendamus ad Montem Jehovæ, ad domum Dei Jacobi,*" ii. 2, 3: apud Eundem, "*In die illo clangetur buccina magna, et venient pereuntes in terra Aſchuris, et expulſi in terra Ægypti, et incurvabunt ſe Jehovæ in monte ſanctitatis in Hieroſolyma,*" xxvii. 13: apud Joelem, "*Clangite buccina e Zione, et vociferamini in monte ſanctitatis,*" ii. 1: apud Danielem, "*Revertatur ira tua et excandeſcentia tua a civitate tua Hieroſolyma monte ſanctitatis tuæ,*" ix. 16: apud Eſajam, "*Adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus Jehovæ ad Montem ſanctitatis meæ Hieroſolymam,*" lxvi. 20: apud Eundem, "*Qui confidet in Me, poſſidebit in hæreditatem terram, et hæreditario accipiet montem ſanctitatis meæ,*" lvii. 13: apud Ezechielem, "*In Monte ſanctitatis meæ, in monte altitudinis Iſraelis, ſervient Mihi omnis domus Iſraelis, tota in terra,*" xx. 40: apud Micham, "*In extremitate dierum erit Mons domus Jehovæ conſtitutus in caput montium, et elatus præ collibus, et confluent ad illum populi,*" iv. 1, 2; præter alibi pluries ubi Mons ſanctitatis, Mons Zionis, et Mons Jehovæ nominatur, ut ubi Mons ſanctitatis, Eſaj. xi. 9. Cap. lvi. 7. Cap. lxv. 11, 25. Jerem. xxxi. 23. Ezech. xxviii. 14. Dan. ix. 20. Cap. xi. 45. Joel ii. 2, 14, 17. Obad. Verſ. 16. Zephan. iii. 11. Sachar. viii. 3. Pſalm. xv. 1. Pſalm. xliii. 3. Et ubi nominatur Mons Zionis, Eſaj. iv. 5. Cap. viii. 18. Cap. x. 12. Cap. xviii. 7. Cap. xxiv. 23. Cap. xxix. 8. Cap. xxxi. 4. Cap. xxxvii. 32. Joel, Cap. ii. 32. Obad. Verſ. 17, 21. Mich. iv. 7. Thren. v. 18. Pſalm. xlviii. 12. Pſalm. lxxiv. 2. Pſalm. lxxviii. 68. Pſalm. cxxv. 1. Quoniam Mons Zionis ſignificabat Divinum Bonum, et Eccleſiam quoad illud, ideo dicitur apud Eſajam, "*Mittite Dominatorem terræ de petra verſus deſertum ad Montem filiæ Zionis,*" xvi. 1: et in Apocalypſi, "*Agnus ſtans ſuper Monte Zionis, et cum Eo centum quadraginta quatuor millia,*" xiv. 1. Ex his quoque conſtare poteſt, unde eſt quod nova Hieroſolyma, in qua Templum, viſa ſit Ezechieli conſtructa ſuper Monte alto, de qua ita apud illum, "*In viſionibus Dei deductus ſum ſuper terram Iſraelis, demiſit me ſuper montem altum valde, ſuper quo quaſi ſtructura urbis a meridie,*" xl. 2; de quibus poſtea in Capitibus quæ ſequuntur, multis agitur. Apud Davidem, "*Magnus Jehovah et collaudatus valde in civitate Dei noſtri, in monte ſanctitatis*

titatis ſuæ, pulcher tractu, gaudium totius terræ Mons Zionis, latera ſeptentrionis, civitas Regis magni, Deus in palatiis ejus notus, tanquam refugium," Pſalm. xlviii. 3, 4; per hæc deſcribitur cultus Domini ex veris quæ ex bono; cultus Ipſius ex veris et bonis ſpiritualibus, et amœnum animæ inde, ſignificatur per magnus eſt Jehovah et collaudatus valde in civitate Dei noſtri, in monte ſanctitatis ſuæ, pulcher tractu, cultus intelligitur per magnus eſſe et collaudatus valde, verum ſpirituale quod ex bono ſpirituali, per in civitate Dei noſtri, mons ſanctitatis ſuæ, et amœnum animæ inde per pulcher tractu; cultus Domini ex bonis et veris cœleſtibus, deſcribitur per gaudium totius terræ, mons Zionis, latera ſeptentrionis, civitas Regis magni, cultus ex bono cœleſti intelligitur per gaudium totius terræ, mons Zionis, et vera ex illo bono intelliguntur per latera ſeptentrionis, civitatem Regis magni, latera ſeptentrionis ſunt vera ex bono cœleſti, et civitas Regis magni eſt doctrina veri inde; quod vera ſint illis, qui in bono cœleſti ſunt, inſcripta, ſignificatur per Deus in palatiis ejus notus. Quod latera ſeptentrionis ſignificent vera ex bono cœleſti, eſt quia illi qui in Regno cœleſti Domini ſunt, in Cœlo habitant in oriente, et illi qui in Veris ex illo bono ſunt, verſus ſeptentrionem ibi. Apud Eſajam, "*Lucifer tu dixiſti in corde tuo, Cælos aſcendam, ſupra ſtellas Dei exaltabo thronum meum, et ſedebo in monte conventus, in lateribus ſeptentrionis,*" xiv. 13; per Luciferum intelligitur Babel, ut patet ex antecedentibus et conſequentibus in eo Capite; amor imperandi ejus ſuper Cœlum et Eccleſiam, deſcribitur per quod aſcendet cœlos, et ſuper ſtellas Dei exaltabit thronum ſuum, per quæ intelligitur affectatio dominii ſuper Cœlos illos qui conſtituunt Regnum ſpirituale Domini, nam vera ac cognitiones veri apud illos apparent ſicut ſtellæ; et per quod ſedebit in monte conventus, lateribus ſeptentrionis, ſignificatur ſuper cœlos qui conſtituunt Regnum cœleſte Domini, nam mons conventus et latera ſeptentrionis ſunt bona et vera ibi, ut ſupra: quia Mons Zionis et Hieroſolyma ad formam Cœli, quantum fieri potuit, ædificata ſunt, conſtare poteſt quid ſignificatur per verba apud Davidem ſupra allata, "*Mons Zionis, latera ſeptentrionis, civitas Regis magni,*" et per verba apud Eſajam, "*Mons conventus in lateribus ſeptentrionis.*" Apud Eſajam, "*Sancheribus Rex Aſchuris dixit, per multitudinem currus mei ego aſcendam altitudinem montium ad latera Libani, ubi exſcindam proceritatem cedrorum ejus, electionem abietum ejus,*" xxxvii. 24; per hæc in ſenſu interno deſcribitur faſtus illorum qui per ratiocinationes ex falſis deſtruere volunt bona et vera Eccleſiæ; rex Aſſyriæ ſignificat rationale perverſum; multitudo currus ejus, ſignificat ratiocinationes ex falſis doctrinæ; aſcendere altitudinem montium, latera Libani, et exſcindere proceritatem cedrorum ejus, et electionem abietum ejus, ſignificat conatum deſtruendi bona et vera Eccleſiæ tam interna quam externa, montes ſunt bona Eccleſiæ, latera Libani ſunt ubi illa conjuncta ſunt veris, Libanus eſt Eccleſia ſpiritualis, ac cedri ſunt vera ejus interna quæ ex bono, et abietes ſunt vera ejus externa etiam ex bono: hæc per illa verba intelliguntur in ſenſu ſpirituali, proinde in Cœlo. Mons et Montes etiam ſignificant bona amoris et charitatis in ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Jehovah qui obtegit cœlos nubibus, qui præparat terræ pluviam, qui germinare facit montes gramen,*" cxlvii. 8; per nubes, quibus Jehovah obtegit cœlos, ſignificantur externa vera, qualia ſunt in ſenſu literæ Verbi, nam quæ in illo ſenſu ſunt, in Verbo vocantur nubes, et quæ in ſenſu interno gloria; per cœlos intelliguntur interna vera, quia in illis ſunt qui in cœlis; per pluviam quam terræ præparat, ſignificatur influxus veri, terra eſt Eccleſia, et inde illi ibi qui recipiunt verum, nam ex illis eſt Eccleſia; per montes quos germinare facit gramen, ſignificantur bona amoris, et inde illi qui in bonis amoris ſunt; gramen ſignificat nutritionem ſpiritualem, quæ eſt illis, nam intelligitur gramen pro beſtiis, ac beſtiæ ſignificant affectiones boni naturalis hominis. Apud Moſen, "*Joſepho dixit, benedicta a Jehovah terra Joſephi, de pretioſis Cœli, de rore, de abyſſo jacente infra, de primitiis montium orientis, et de pretioſis collium ſæculi,*" Deut. xxxiii. 13, 14, 15; hæc eſt benedictio Joſephi ſeu Tribus a Joſepho nominatæ a Moſe; et hæc benedictio dicta eſt illi, quia per Joſephum ſignificatur Regnum ſpirituale Domini, et ibi id Cœlum quod proxime communicat cum Regno cœleſti Domini; per terram Joſephi intelligitur id Cœlum, et quoque Eccleſia quæ ab illis qui erunt in illo Cœlo; per pretioſa cœli, per rorem, et abyſſum jacentem infra, ſignificantur Divina ſpiritualia et ſpiritualia naturalia ex origine cœleſti; per pretioſa Cœli Divina ſpiritualia, per rorem ſpiritualia communicantia, et per abyſſum jacentem infra ſpiritualia naturalia; per primitias montium orientis et per pretioſa collium ſæculi, ſignificantur genuina bona tam amoris in Dominum quam charitatis erga proximum, montes orientis ſunt bona amoris in Dominum, primitiæ ſunt genuina, et colles ſæculi ſunt bona charitatis erga proximum: qui non ſcit, quid per Joſephum et ejus Tribum repræſentatur, et præterea quid per rorem, abyſſum jacentem infra, montes orientis, et colles ſæculi, vix aliquid ſciet quid talia verba involvunt, et in genere vix aliquid ſciet quid ſignificant omnia illa, quæ de Tribubus Iſraelis a Moſe in toto illo Capite dicta ſunt, et quid a patre Iſraele, Cap. xlix. Geneſ. Apud Matthæum, "*Vox eſtis lux Mundi, non poteſt lux quæ in monte expoſita eſt, occulta eſſe,*" v. 14; hæc ad diſcipulos, per quos intelligitur Eccleſia quæ in veris ex bono; quare dicitur vos eſtis lux mundi; lux mundi eſt verum Eccleſiæ; quod id non ſit niſi ſit ex bono, ſignificatur per non poteſt lux quæ in monte expoſita eſt occulta eſſe, lux in monte eſt verum ex bono. Apud Eundem, "*Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex illis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus, abiens quærit errantem,*" xviii. 12; dicitur nonne relinquet nonaginta novem in montibus, quia per oves in montibus ſignificantur qui in bono amoris et charitatis ſunt; per errantem autem ſignificatur qui non in illo eſt, quia ex ignorantia in falſis, nam ubi falſum eſt ibi non bonum, quoniam bonum eſt veri. Apud Evangeliſtas, "*Quando videritis abominationem devaſtationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, tunc qui in Judæa fugiunto ſuper montes, et qui ſuper tecto ne deſcendito in domum,*" Marc. xiii. 14, 15. Matth. xxiv. 16. Luc.

xxi. 21; deſcribitur in iis Capitibus a Domino ſucceſſiva vaſtatio Eccleſiæ, ſed deſcribitur per meras correſpondentias; cum videritis abominationem devaſtationis, ſignificat cum diſcipuli, hoc eſt, illi qui in veris ex bono, percipiunt devaſtari Eccleſiam, quod fit quando non amplius verum eſt quia non bonum, ſeu non fides quia non charitas; tunc qui in Judæa fugiunto ſuper montes, ſignificat quod qui ab Eccleſia Domini ſunt permanſuri ſint in bono amoris, per Judæam ſignificatur Eccleſia Domini, et per montes bona amoris, fugere in illos eſt in illis manere; qui ſuper tecto ne deſcendito in domum, ſignificat qui in genuinis veris maneat in illis, domus ſignificat hominem quoad omnia interiora, quæ mentis ejus ſunt, et inde tectum domus ſignificat intelligentiam quæ ex genuinis veris, ita quoque genuina vera per quæ intelligentia: ſi non ſenſus ſpiritualis illuſtraret ſingula quæ in illis Capitibus apud Evangeliſtas a Domino dicta ſunt, vix ſciretur aliquid quod ibi continetur, ita quid foret quod qui ſuper tecto ne deſcendat in domum, et alibi, quod qui in agro ne revertatur retro ad tollendum veſtimenta ſua; et plura alia. Hactenus oſtenſum eſt, quod Montes in Verbo ſignificent bona amoris; et quia pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ita etiam montes, qui in eo ſenſu ſignificant mala amoris, ſeu mala quæ ex amoribus ſui et mundi ſcaturiunt; in hoc ſenſu dicuntur montes in ſequentibus locis in Verbo; apud Eſajam, "*Dies Jehovæ Zebaoth veniet ſuper omnem magnificum et altum, et ſuper omnes montes altos, et ſuper omnes colles elatos,*" ii. 12, 14; per diem Jehovæ Zebaoth intelligitur ultimum Judicium, quando mali e montibus et collibus, quos in Mundo ſpirituali occupaverunt, dejecti ſunt, ut in initio hujus Articuli dictum eſt, et quia tales ſuper montibus et collibus ante ultimum Judicium fuerunt, ideo per montes et colles intelliguntur amores et inde mala in quibus fuerunt, per montes mala amoris ſui, et per colles mala amoris mundi: ſciendum eſt, quod omnes qui in amore ſui ſunt, imprimis qui in amore imperandi, in ſumma cupidine ſint, dum in Mundum ſpiritualem veniunt, in alta loca ſe efferre, hoc enim inſitum eſt illi amori; unde etiam in ſermonem communem venit dicere, alto et elato animo eſſe, et alta ſpirare; ipſa cauſa, quod amori imperandi talis cupido inſit, eſt quia deos ſe facere volunt, et Deus eſt in altiſſimis: quod montes et colles illos amores et inde eorum mala ſignificent, patet, nam dicitur, dies Jehovæ Zebaoth veniet ſuper omnem magnificum et altum, et ſuper omnes montes altos et ſuper omnes colles elatos; quid alioquin foret, quod venturus ſuper montes et colles. Apud Eundem, "*Vox clamantis in deſerto, parate viam Jehovæ, complanate ſemitam Deo noſtro; omnis vallis extolletur, et omnis Mons et Collis humiliabitur,*" xl. 3, 4; etiam ibi de adventu Domini, et de ultimo Judicio tunc, agitur; et per vocem clamantis in deſerto parate viam Jehovæ et ſemitam Deo noſtro, ſignificatur ut præparent ſe ad recipiendum Dominum, deſertum ſignificat ubi non bonum quia non verum, ita ubi nondum Eccleſia; per quod omnis vallis extolletur, et omnis mons et collis humiliabitur, ſignificatur quod omnes humiles corde, qui ſunt qui in bonis et veris ſunt, recipiantur, nam qui recipiuntur a Domino, illi extolluntur

ad

cœlum; et per quod omnis mons et collis humiliabitur, ſignificatur quod omnes elati animo, qui ſunt qui in amore ſui et mundi ſunt, deprimentur. Apud Ezechielem, "*Dabo terram deſolationem et vaſtitatem, ut ceſſet ſuperbia roboris, et deſolati ſunt montes Iſraelis, ut non tranſiens,*" xxxiii. 28; per hæc deſcribitur deſolatio et vaſtatio Eccleſiæ ſpiritualis, quam Iſraelitæ repræſentaverunt; Judæi enim repræſentaverunt Regnum cœleſte Domini, ſeu Eccleſiam cœleſtem, Iſraelitæ autem Regnum ſpirituale Domini, ſeu Eccleſiam ſpiritualem; deſolatio et vaſtatio hujus ſignificat ultimum illius Eccleſiæ ſtatum, qui erat quando non verum amplius quia non bonum, ſeu quando non fides quia non charitas, deſolatio dicitur de vero quod fidei, et vaſtatio de bono quod charitatis; jactantia et elatio animi ex falſis quæ dicunt eſſe vera, ſignificatur per ſuperbiam roboris, robur et potentia dicitur de veris ex bono, quia illis eſt omne robur et omnis potentia, hic autem quia ex jactantia et elatione animi, de falſis; quod non bonum charitatis et fidei amplius ſit, ſignificatur per deſolati ſint montes Iſraelis; quod prorſus non bonum ſed malum, ſignificatur per ut non tranſiens. Apud Eundem, "*Fili hominis, pone facies tuas ad montes Iſraelis, et propheta contra illos, et dices, montes Iſraelis audite verbum Domini Jehovih, ſic dixit Dominus Jehovih montibus et collibus, alveis et vallibus, ecce Ego adduco ſuper vos gladium,*" vi. 3, 4; etiam hic per montes Iſraelis ſignificantur mala procedentia ex amore ſui et mundi, quæ apud illos qui in Eccleſia ſpirituali ſunt, exiſtunt, dum illis non amplius bonum vitæ, ſed malum vitæ et inde falſum doctrinæ; per montes, colles, alveos et valles ſignificantur omnia Eccleſiæ, tam interiora ſeu ſpiritualia, quam exteriora ſeu naturalia; montes et colles ſignificant interiora ſeu ſpiritualia, alvei et valles exteriora ſeu naturalia; quod perituri per falſa, ſignificatur per ecce Ego adduco ſuper vos gladium; gladius eſt deſtructio falſi per vera, et in oppoſito ſenſu, ut hic, deſtructio veri per falſa. Apud Eundem, "*In die illo, quo veniet Gogus ſuper terram Iſraelis, contremiſcent coram Me piſces maris, et avis cœlorum, et fera agri, et omne reptile reptans ſuper terra, et omnis homo qui ſuper faciebus terræ: et evertentur montes, et cadent gradus, et omnis murus in terram cadet; tunc vocabo ſuper eum omnibus montibus meis gladium,*" xxxviii. 20, 21; quid per omnia hæc ſignificatur, videatur ſupra n. 406, ubi explicata ſunt, nempe quid per Gogum, per piſces maris, avem cœlorum, feram agri, reptile reptans ſuper terra; et quod per montes Iſraelis ſignificentur bona amoris ſpiritualis, at hic mala amoris bonis illis oppoſita. Apud Micham, "*Surge, contende cum montibus, ut audiant colles vocem tuam; audite montes litem Jehovæ, et robora fundamenta terræ, quia lis Jehovæ cum populo ſuo, et cum Iſraele diſceptat,*" vi. 1, 2; hæc quoque dicta ſunt de Eccleſia ſpirituali, quam Iſraelitæ ſeparati a Judæis repræſentabant; et per montes intelliguntur bona charitatis, et per colles bona fidei, ibi autem mala et falſa oppoſita illis bonis, ideo dicitur, contende cum montibus, et audiant colles vocem meam; robora fundamenta terræ, ſunt principia falſi in illa Eccleſia, terra eſt Eccleſia, et fundamenta ſunt principia ſuper quibus fundantur reliqua; dicitur cum populo ſuo, cum Iſraele, quia per populum intelliguntur qui in veris et qui in falſis ſunt, et per Iſraelem qui in bonis et qui in malis. Apud Jeremiam, "*Ecce Ego contra te mons perdens, perdens univerſam terram, et extendam manum contra te, et devolvam te de petris, et dem te in montem combuſtionis*," li. 25; hæc de Babele dicta ſunt, per quam intelliguntur illi qui in falſis mali et in malis falſi ex amore ſui ſunt, abutuntur enim ſanctis Eccleſiæ pro mediis imperandi; ex illo amore et inde falſis et malis eſt quod dicatur mons perdens, perdens univerſam terram, terra eſt Eccleſia; interitus et damnatio eorum per falſa mali, ſignificatur per devolvam te de petris, petræ ſunt ubi vera fidei, hic falſa mali; ac interitus et damnatio eorum per mala falſi, ſignificatur per dem te in montem combuſtionis, combuſtio dicitur de amore ſui, quia ignis illum ſignificat, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 566 ad 573: ex his manifeſte patet, quod per montes ſignificentur mala amoris ſui et mundi, nam Babel vocatur mons perdens, et quod dabitur in montem combuſtionis. Apud Nahum, "*Montes contremiſcunt coram Ipſo, et colles liquefiunt, et comburitur tota terra coram Ipſo, coram increpatione Ipſius quis conſiſtet*," i. 5, 6; quid hæc in ſerie ſignificant, videatur ſupra n. 400, ubi ſingula explicata ſunt; et quod montes et colles ibi ſint mala amoris ſui et mundi. Apud Eundem, "*Jehovah exiens e loco ſuo, deſcendit et calcat ſuper excelſa terræ, unde liquefacti ſunt montes ſub Ipſo, et valles diſciſſæ ſunt, ſicut cera coram igne, ſicut aquæ effuſæ in deſcenſu; propter prævaricationes Jacobi omne hoc, et propter peccata domus Iſraelis*," i. 3, 4, 5; hæc quoque dicta ſunt de ultimo Judicio, et de illis tunc qui ſuper montibus et collibus fecerunt ſibi inſtar cœli, de quibus ſupra aliquoties; ultimum Judicium intelligitur per Jehovah exiens e loco ſuo, deſcendit et calcat ſuper excelſa terræ, ſuper excelſa terræ ſignificat ſuper illos qui in altis, nempe ſuper quos judicium, nam in Mundo ſpirituali æque ſunt terræ, montes, colles et valles ſicut in Mundo naturali; interitus eorum qui ſuper montibus et in vallibus, qui ſunt qui in malis ex amore ſui et mundi et in falſis inde, ſignificatur per quod liquefacti ſint montes ſub Ipſo, et valles diſciſſæ ſunt, ſicut cera coram igne, ſicut aquæ effuſæ in deſcenſu, montes ſignificant mala amorum ſui et mundi, et valles falſa inde; de malis amorum ſui et mundi, quæ per montes ſignificantur, dicitur quod liquefacti ſint ſicut cera coram igne, quoniam ignis ſignificat illos amores; et de falſis quæ ſignificantur per valles, dicitur ſicut aquæ effuſæ in deſcenſu, quoniam aquæ ſignificant falſa; quod ſit propter mala et falſa, patet, nam dicitur propter prævaricationem Jacobi omne hoc, et propter peccata domus Iſraelis. Apud Jeremiam, "*Vidi terram, et ecce vacuum et inane, et verſus cœlos et non lux eorum; vidi montes et ecce commoventur, et omnes colles evertuntur; vidi cum ecce non homo, et omnis avis cœli avolarunt*," iv. 23, 24, 25; per commotionem montium ſignificatur deſtructio illorum qui in malis amoris ſui ſunt, et per everſionem collium deſtructio illorum qui in malis amoris mundi, et in falſis: reliqua videantur explicata ſupra n. 280 et 304. Apud Eſajam, "*Jehovah utinam rumperes cœlos, deſcenderes, coram Te montes diffluerent*," lxiii. 19; hæc ſimilia cum illis quæ ſupra apud

Nahum, Cap. i. 3, 4, 5, ſignificant, quæ explicata ſunt. Apud Davidem, "*Jehovah inclina cœlos tuos et deſcende, tange montes ut fumigent, emitte fulmen, et diſperge illos*," Pſalm. cxliv. 5, 6; per inclinare cœlos et deſcendere, ſimile ſignificatur quod ſupra per rumpere cœlos et deſcendere, per exire e loco ſuo, deſcendere et calcare excelſa terræ, nempe viſitare et judicare; per tangere montes ut fumigent, ſignificatur per præſentiam deſtruere illos qui in malis amorum ſui et mundi ſunt, et inde in falſis, fumigare ſignificat mitti in mala amorum illorum et in eorum falſa, nam ignis ſignificat amores illos et fumus falſa eorum; per emitte fulmen et diſperge illos, ſignificatur Divinum Verum per quod diſſipantur, nam per præſentiam Divini Veri revelantur mala et falſa, et ex colliſione tunc apparent ſicut fulmina. Apud Moſen, "*Ignis accenſus eſt in ira mea, et ardebit uſque ad infernum infimum, et comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium*," Deut. xxxii. 22; dicitur quod ignis accenſus ſit Jehovæ in ira ſua, qui ardebit uſque ad infernum infimum, tametſi Jehovæ non aliquis ignis iræ eſt, minus qui ardet ad infernum infimum, nam Jehovah, hoc eſt, Dominus nulli iraſcitur et nulli malum facit, quod nec aliquem in infernum dejiciat, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 545 ad 550; ſed ita in ſenſu literæ Verbi dicitur, quia ita apparet coram homine malo, et quoque coram homine ſimplici, Verbum enim in litera eſt ſecundum apparentiam, quia ſecundum captum hominum naturalium; at quia Angeli, qui ſpirituales ſunt, ipſa vera Verbi non vident apparenter ſecundum hominis captum, ſed ſpiritualiter, ideo talium verborum ſenſus inverſus eſt apud illos, qui etiam eſt ſenſus internus ſeu ſpiritualis, nempe quod Amor infernalis apud hominem talis ignis ſit, et ardeat uſque ad infernum infimum; et quia ille ignis, hoc eſt, ille amor omnia Eccleſiæ apud hominem funditus deſtruit, ideo dicitur quod comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium, terra eſt Eccleſia, proventus eſt omne Eccleſiæ, fundamenta montium ſunt vera ſuper quibus fundantur bona amoris, quæ inflammari dicuntur ab igne amoris ſui et mundi. Apud Davidem, "*Concuſſa eſt et commota terra, et fundamenta montium contremuerunt et commoverunt ſe, quando exarſit illi*," Pſalm. xviii. 8; per hæc ſimilia intelliguntur; ſed quæ ſingillatim, explicata videantur ſupra n. 400. Apud Eundem, "*Deus nobis refugium, propterea non timebimus, cum mutabitur terra, et cum commovebuntur montes in corde marium; tumultuabuntur, turbabuntur aquæ ejus, contremiſcent montes in exaltatione ejus*," Pſalm. xlvi. 2, 3, 4; hæc quoque explicata videantur prius, n. 304; ibi quoque quid ſignificatur per quod montes commovebuntur in corde marium, et quod montes contremiſcent in exaltatione, nempe quod mala amorum ſui et mundi perſtringent ſecundum incrementa. Apud Eſajam, "*Ira Jehovæ contra omnes gentes, et excandeſcentia contra omnem exercitum earum, devovit eas, tradidit eas ad mactationem, ita ut confoſſi earum projiciantur, et cadaverum earum aſcendet putor; et liqueſcent montes a ſanguine earum*," xxxiv. 2, 3; hæc dicta ſunt de Ultimo Judicio, et per iram Jehovæ contra omnes gentes, et per excandeſcentiam Ipſius contra omnem exercitum earum, ſignificatur interitus et damnatio omnium qui in malis et inde falſis ſunt ex ex propoſito et ex corde; gentes ſignificant mala illa, et exercitus ſignificat omnia falſa inde; quod damnandi ſunt et quod perituri qui in illis, ſignificatur per devovit eas, et tradidit eas ad mactationem; damnatio eorum qui perituri per falſa, ſignificatur per quod confoſſi earum projicientur, confoſſi in Verbo dicuntur qui perierunt per falſa, et projici ſignificat damnari; damnatio eorum qui perituri per mala, ſignificatur per quod cadaverum earum aſcendet putor, cadavera in Verbo dicuntur qui perierunt per mala, et putor ſignificat damnationem eorum; quod montes liqueſcent ſanguine earum, ſignificat quod mala amorum apud illos falſis referta ſint, montes ſunt mala amorum ſui et mundi, ſanguis eſt falſum. Apud Eundem, "*Vaſtabo montes et colles, et omnem herbam eorum areſaciam, et ponam fluvios in inſulas, et ſtagna exſiccabo,*" xlii. 15; per vaſtare montes et colles, ſignificatur perdere omne bonum amoris in Dominum, et erga proximum; per areſacere omnem herbam, ſignificatur inde perdere omnia vera, herba ſignificat vera ex bono naſcentia; per ponere fluvios in inſulas, et exſiccare ſtagna, ſignificatur annihilare omnem intellectum et perceptionem veri, fluvii ſignificant intelligentiam quæ eſt veri, inſulæ ubi non intelligentia, ſtagna ſignificant perceptionem veri, intellectus veri eſt ex luce veri, perceptio autem veri eſt ex calore ſeu amore veri. Apud Eundem, "*Ecce Jacob, poſui te in tribulam tribulæ recentis præditæ aculeis, tritures montes et conteras, et colles ſicut glumam ponas; diſperges eos, ut ventus auferat eos, et procella diſſipet eos,*" xli. 15, 16; per Jacobum intelligitur Eccleſia externa quoad bonum et verum, et inde quoque bonum et verum externum, quod bonum et verum eſt ex ſenſu literæ Verbi, in his ſunt illi qui ab Eccleſia externa; quod hæc comparentur tribulæ recenti præditæ aculeis, eſt quia tribula excutit triticum, hordeam et reliqua meſſis ex ſpicis, et per illa ſignificantur bona et vera Eccleſiæ, videatur ſupra n. 374, 375, hic itaque quod comminuet et conteret mala et falſa, quare dicitur tribula prædita aculeis, ut tritures montes et conteras, et colles ſicut glumam ponas, per quæ ſignificatur deſtructio malorum oriundorum ex amore ſui et mundi, et quoque falſorum inde; et quoque dicitur, diſperges eos ut ventus auferat eos et procella diſſipet eos, per quæ ſignificatur quod ſicut nihili erunt; ventus et procella dicitur, quia intelliguntur falſa et mala, nam ventus dicitur de veris et in oppoſito ſenſu de falſis, et procella de malis falſi. Apud Eundem, "*Montes recedent, et colles dimovebuntur, ſed Miſericordia mea a tecum non recedet,*" liv. 10; quod montes recedent et colles dimovebuntur, non intelligitur quod illi montes et colles qui in tellure ſunt, receſſuri ſint et dimovebuntur, ſed illi qui in malis amoribus et inde falſis ſunt; agitur enim in eo Capite de gentibus, a quibus nova Eccleſia formanda eſt, quare per montes et colles in ſpecie intelliguntur qui a priori Eccleſia, proinde Judæi, apud quos mera mala falſi et falſa mali fuerunt, ex cauſa quia in amoribus ſui et mundi. Apud Jeremiam, "*Propter Montes tollam fletum, et lamentum, et propter habitacula deſerti lamentationem, quia vaſtata ſunt, ut non ſit vir tranſiens,*" ix. 9; Montes ſuper quos fletus et lamentum, ſunt mala omnis generis ſcaturientia ex binis amoribus ſupra memoratis; et per habitacula deſerti ſignificantur falſa inde, nam per deſertum ſignificatur ubi non bonum quia non verum, et per habitacula ubi illa, hic itaque habitacula deſerti ſunt falſa ex malis ſupradictis; quod prorſus non aliquod bonum et verum ſit, intelligitur per quod vaſtata ſint, ut non ſit vir tranſiens; ſolenne eſt in Verbo dicere ubi de vaſtatione, ut non ſit vir tranſiens, et per id ſignificatur quod amplius non aliquod verum, et inde non aliqua intelligentia; quod non ſint montes et habitacula deſerti, ſuper quæ fletus et lamentum, patet. Apud Eundem, "*Oves perditæ fuerunt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos, montes averterunt, de monte ſuper colle iverunt, obliti ſunt cubilis ſui*," l. 6: apud Ezechielem, "*Oberrant oves meæ in omnibus montibus et ſuper omni colle alto, et ſuper omnes facies terræ diſperſæ ſunt oves meæ, et non inquirens nec quærens*," xxxiv. 6; quod oves de monte ſuper colle iverint, et quod oberrent ſuper omnibus montibus et ſuper omni colle alto, ſignificat quod quærant bona et vera, ſed non inveniant, et quod loco eorum mala et falſa arripiant; quod montes ſe averterint, ſignificat quod pro bonis ſint mala. Apud Eundem, "*Date Jehovæ Deo noſtro gloriam, antequam tenebras inducat, et antequam offendant pedes noſtri ad montes crepuſculi*," xiii. 16; per hæc ſignificatur, quod agnoſcendum ſit Divinum Verum, ne falſa et inde mala e naturali homine irrumpant; dare Deo gloriam, ſignificat agnoſcere Divinum Verum, gloria in Verbo ſignificat Divinum Verum, et hoc agnoſcere et vivere ſecundum id eſt gloria quam vult Dominus, et quæ datur Ipſi; antequam tenebras inducat, ſignificat ne falſa occupent, tenebræ ſunt falſa; et antequam offendant pedes noſtri ad montes crepuſculi, ſignificat ne inde mala e naturali, montes crepuſculi ſunt mala falſi, nam montes ſunt mala, ac crepuſculum eſt cum non videtur verum ſed loco ejus falſum, ac pedes ſignificant naturalem hominem, in naturali enim homine ſunt omnia mala et inde falſa, quoniam ille ex hæreditario ſecum fert amare ſe præ Deo et mundum præ Cœlo, ac mala eis amoribus adhærentia ex parentibus, hæc mala et inde falſa non removentur niſi per Divinum Verum et vitam ſecundum illud, per hæc aperitur mens ſuperior ſeu interior hominis, quæ videt ex luce Cœli, et per hanc lucem diſcutit Dominus mala et inde falſa quæ in mente naturali ſunt: quod pedes ſignificent naturalem hominem, videatur ſupra n. 65, 69; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938 ad 4952. Apud Evangeliſtas, "*Jeſus dicit diſcipulis, habete fidem Dei, amen dico vobis, quicunque dixerit monti, tollere et projice te in mare, nec dubitaverit in corde ſuo, ſed crediderit quod quæ dicit futura ſint, fiet illi quæ dixit*," Marc. xi. 22, 23. Matth. xvii. 20; qui non ſcit arcana cœli, et ſenſum ſpiritualem Verbi, credere poteſt quod Dominus hæc loquutus ſit non de fide ſalvante, ſed de alia fide quam vocant hiſtoricam et miraculoſam, ſed illa loquutus eſt Dominus de fide ſalvante, quæ fides unum facit cum charitate, et omnis eſt a Domino, quapropter vocat Dominus fidem hanc fidem Dei; et quia Dominus per hanc fidem, quæ eſt fides charitatis ab Ipſo, removet omnia mala ſcaturientia ex amoribus ſui et mundi, et illa dejicit in infernum unde ſunt, quare dicit, quod ſi dixerit monti, tollere et projice te in mare, fiet quæ dixit, per montem enim ſignificantur mala illorum amorum, et per mare ſignificatur infernum, inde per dicere monti tollere, ſignificatur removeri illa, et per projici in mare ſignificatur dejici in infernum unde ſunt; ex hac ſignificatione montis et maris hoc apud Antiquos in communem ſermonem venit, cum de fidei potentia ſermo fuit, non quod montes in tellure poſſunt per illam projici in mare, ſed mala quæ ab inferno poſſunt; etiam montes in ſpirituali mundo, ſuper quibus habitant mali, ſolent per fidem, quæ a Domino, everti et projici, nam cum mala apud illos projiciuntur, etiam projiciuntur montes ſuper quibus habitant, ut ſupra aliquoties dictum eſt, et quoque mihi ſæpe viſum: quod non alia fides quam fides charitatis a Domino hic intelligatur, patet a continuato ſermone Domini apud Marcum, ubi dicitur, "*Propterea dico vobis, omnia quæcunque precantes petitis, credite quod accepturi ſitis, tunc fiet vobis: cum vero ſteteritis orantes, dimittite ſi quid habetis contra quenquam, ut etiam Pater veſter, qui in Cœlis, dimittat vobis lapſus veſtros; ſi vero vos non dimiſeritis, neque Pater veſter, qui in Cœlis, dimittet lapſus veſtros,*" Verſ. 24, 25, 26; ex quibus patet, quod fides Dei, de qua Dominus ibi loquitur, ſit fides charitatis, hoc eſt, fides quæ unum facit cum charitate, et inde quæ omnis eſt a Domino: præterea Dominus illa dixit ad diſcipulos, cum crediderunt quod miracula poſſent facere ex ſua fide, ita a ſe, cum tamen illa fiunt a fide quæ a Domino, ita a Domino, ut quoque patet apud Matthæum, Cap. xvii. 19, 20, ubi ſimilia dicta ſunt. Quoniam Montes ſignificabant bona amoris cœleſtis, et Colles bona amoris ſpiritualis, ideo Antiqui, apud quos Eccleſia repræſentativa fuit, cultum ſuum Divinum habuerunt ſuper montibus et collibus, et ideo Zion ſuper monte fuit, ac Hieroſolyma ſuper montanis infra illum; ne itaque Judæi et Iſraelitæ, qui idololatriæ dediti erant, verterent cultum Divinum in cultum idololatricum, mandatum illis eſt, ut ſolum in Hieroſolyma haberent cultum, et non alibi; ſed quia corde idololatræ fuerunt, non contenti erant cultum habere in Hieroſolyma, ſed ſecundum morem gentium ab Antiquis tractum, cultum fecerunt ſuper montibus et collibus quibuſcunque, et ibi ſacrificarunt et ſuffierunt; quapropter quia id idololatricum fuit apud illos, per cultum eorum ſuper montibus et collibus aliis ſignificatur cultus ex malis et falſis; ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Super monte alto et elato poſuiſti cubile tuum, etiam eo aſcendiſti ad ſacrificandum ſacrificia,*" lvii. 7: apud Hoſcheam, "*Super verticibus montium ſacrificant, et ſuper collibus ſuffiunt,*" iv. 13: apud Jeremiam, "*Averſa Iſrael abiens ſuper omnem montem altum, et ſub omni arbore viridi, et ſcortabaris,*" iii. 6; per ſcortari ſignificatur falſificare cultum: quod hoc idololatricum fuerit, patet ex his apud Moſen, "*Perdetis loca ubi ſerviverunt gentes diis ſuis, ſuper montibus, et ſuper collibus, et ſub omni arbore viridi,*" Deutr. xii. 2; in his itaque locis per cultum ſuper montibus et collibus ſignificatur cultus ex malis et falſis. Ex hoc etiam derivatum eſt, quod Gentiles in Græcia Heliconem poſuerint in alto monte, et Parnaſſum in colle infra illum, et ibi deos et deas ſuas habitare crediderint; hoc derivatum eſt ab Antiquis in Aſia, et præcipue in terra Canaane non inde remota, apud quos omnis cultus ex repræſentativis conſtabat. Dicitur apud Evangeliſtas, "*Quod diabolus aſſumſerit Jeſum ſuper Montem altum, et monſtraverit Ipſi omnia regna mundi et gloriam, ac tentaverit Ipſum ibi,*" Matth. iv. 8. Luc. iv. 5; per hoc ſignificatur, quod diabolus tentaverit Dominum per Amorem ſui, hic enim ſignificatur per Montem altum; tres enim Tentationes deſcriptæ in illis locis ſignificant et involvunt omnes Tentationes, quas Dominus ſuſtinuit cum in Mundo fuit; Dominus enim per Tentationes ab infernis in ſe admiſſas et per victorias tunc, redegit omnia in Infernis in ordinem, et quoque Humanum ſuum glorificavit, hoc eſt, Divinum fecit: quod omnes Tentationes Domini tam paucis deſcriptæ fuerint, eſt quia non aliter revelavit illas; ſed uſque in interno ſenſu Verbi deſcribuntur ample: verum de Tentationibus Domini videantur quæ in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 201, 293, 302, allata ſunt.

406. Hactenus oſtenſum eſt, quid ſignificat mons, ſequitur ut oſtendatur quid ſignificat Inſula, nam dicitur, *omnis mons et inſula e locis ſuis emota ſunt*, et alibi, "*Omnis inſula fugit, et montes non inventi ſunt*," Apoc. xvi. 20. Per Inſulas in Verbo non intelliguntur Inſulæ, nec illi qui habitant ſuper inſulis, ſed intelligitur naturalis homo quoad vera quæ in illo, et inde abſtracte ſignificantur vera naturalis hominis: vera naturalis hominis ſunt vera ſcientifica, quæ ſub intuitione rationalis hominis ſunt, et ſunt cognitiones veri, quæ ſub intuitione ſpiritualis hominis ſunt; cognitiones veri ſunt quæ ſcit naturalis homo ex Verbo, et vera ſcientifica ſunt quæ videt naturalis homo ex rationali, per quæ etiam ſolet confirmare vera Eccleſiæ: ſunt apud hominem binæ Mentes, una ſuperior ſeu interior, quæ mens ſpiritualis vocatur, et altera inferior ſeu exterior, quæ mens naturalis vocatur; mens naturalis primum apud homines aperitur et excolitur, quia hæc proxime exſtat Mundo; mens autem ſpiritualis poſtea aperitur et excolitur, ſed quantum homo vita recipit cognitiones veri quæ ex Verbo ſeu ex doctrina e Verbo, quare non aperitur apud illos qui non applicant illas vitæ; et cum aperitur Mens ſpiritualis, tunc influit lux Cœli per illam mentem in naturalem, et illuſtrat eam, ex quo hæc Mens fit ſpiritualis naturalis, nam tunc videt mens ſpiritualis in naturali pæne ſicut homo faciem ſuam in ſpeculo, et agnoſcit illa quæ concordant ſecum; at cum ſpiritualis Mens non aperta eſt, ut fit apud illos qui non vitæ ſuæ applicant cognitiones veri et boni quæ in Verbo, tunc formatur uſque Mens apud illum interius in naturali, ſed hæc Mens conſiſtit ex meris falſis et malis, ex cauſa quia Mens ſpiritualis non aperta eſt, per quam lux Cœli immittitur in naturale per viam rectam, ſed ſolum per rimas circumcirca, unde ei facultas cogitandi, ratiocinandi et loquendi, et quoque facultas intelligendi vera, ſed uſque non facultas amandi illa, ſeu ex affectione faciendi illa, nam facultas amandi vera quia vera ſunt datur ſolum per influxum lucis Cœli per ſpiritualem mentem, lux enim Cœli per ſpiritualem mentem conjuncta eſt cum calore Cœli, qui eſt amor, qualis eſt comparative lux mundi tempore veris, at lux cœli influens per rimas in naturale, eſt lux ſeparata a calore cœli, qui eſt amor, qualis eſt comparative lux mundi tempore hyemis; inde patere poteſt, quod homo, apud quem ſpiritualis mens aperta eſt, fit ſicut hortus et paradiſus, et quod homo, apud quem ſpiritualis mens non aperta eſt, fit ſicut ſolitudo, et ſicut terra nive obtecta: quoniam Mens facit hominem, Mens enim ejus eſt intellectus et voluntas, inde idem eſt, ſive dicas Mentem ſive hominem, ita ſive dicas Mentem ſpiritualem et naturalem, ſive dicas hominem ſpiritualem,

tualem et naturalem. Mens naturalis ſeu homo naturalis quoad vera ejus et quoad falſa ejus ſignificatur per Inſulas in Verbo; quoad vera apud illos, apud quos ſpiritualis Mens aperta eſt, et quoad falſa apud illos, apud quos ſpiritualis Mens occluſa eſt; quod illa ſignificentur per Inſulas, conſtare poteſt ex ſequentibus locis in Verbo; apud Ezechielem, "*Sic dixit Dominus Jehovih Tyro, nonne ob ſonum caſus tui, cum gemet confoſſus, cum peragetur cædes in medio tui, contremiſcent Inſulæ, et deſcendent ſuper thronis ſuis omnes principes maris: contremiſcent Inſulæ die caſus tui, et perturbabuntur Inſulæ quæ in mari ob exitum tuum. Omnes habitatores Inſularum obſtupuerunt ſuper te, et reges earum cohorruerunt horrore; turbatæ ſunt facies ejus,*" xxvi. 15, 16, 18. Cap. xxvii. 35; agitur in binis illis Capitibus de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri et boni, et inde ſignificantur cognitiones veri et boni abſtracte; et primum ibi agitur de intelligentia et ſapientia hominum Eccleſiæ per cognitiones veri et boni ex Verbo; et poſtea de Eccleſia vaſtata quoad illas; Eccleſia vaſtata quoad illas, ſeu ubi cognitiones veri et boni perierunt, deſcribitur per illa quæ apud Prophetam in illis Verſibus; vaſtatio cognitionum veri et boni per cum gemet confoſſus, et cum peragetur cædes in medio tui, per confoſſos enim intelliguntur illi apud quos exſtincta ſunt vera, et per cædem intelligitur ipſa exſtinctio veri et boni; quod tunc omnes cognitiones quas homo hauſit ex Verbo ab infantia, et omnia vera ſcientifica per quæ confirmavit illas, perturbentur, emoveantur loco, et recedant, ſignificatur per quod contremiſcent Inſulæ, et deſcendent deſuper thronis ſuis omnes principes maris, tum per tremiſcent Inſulæ die caſus tui, et perturbabuntur Inſulæ quæ in mari, Inſulæ ſunt illæ cognitiones et illa ſcientifica quæ in naturali homine, principes maris ſunt primaria ibi, mare ſignificat naturalem hominem et omnia ibi in communi; quod omnia bona veri naturalis hominis ex vaſtatis cognitionibus veri quoad ſtatum ſuum mutabuntur, ſignificatur per quod omnes habitatores inſularum obſtupuerunt, et reges earum cohorruerunt, turbatæ ſunt facies, habitatores inſularum ſunt bona veri naturalis hominis, per habitare enim in Verbo ſignificatur vivere, et per habitatores bona vitæ, reges ſunt omnia vera ex bono; facies ſignificant interiora et affectiones; obſtupeſcere, cohorrere, et turbari, ſignificant prorſus mutari quoad ſtatum: ex his patet, quid illa in ſenſu interno involvunt, nempe quod omnes cognitiones veri et boni, ac ſcientifica confirmantia, quæ homo ex Verbo et ex magiſtris ab infantia hauſit, mutent ſua loca et ſuum ſtatum in naturali homine, et pereant e conſpectu, quando falſa intrant. Apud Eſajam, "*Ducet rex Aſchuris captivitatem Ægypti, et turbam deportandam Kuſchi; tunc conſternabuntur et erubeſcent ob Kuſchum, exſpectationem eorum, et ob Ægyptum decus eorum: et dicet habitator Inſulæ hujus in die illo, ecce ſic exſpectatio noſtra quo fugimus in auxilium, ut eriperemur a coram rege Aſchuris, et quomodo liberabimur nos,*" xx. 4, 5, 6; nemo aliquid Eccleſiæ ex his percepturus eſt, ſed modo aliquod obſcurum hiſtoricum, quod non ſcitur num exſtiterit, ut quod rex Aſſyriæ in captivitatem abducet Ægyptum et Kuſchum, et quod habitatores alicujus inſulæ corde dolerent ſuper id; at uſque hic ut alibi de re Eccleſiæ agitur, quæ res patet, cum ſcitur quod rex Aſchuris ſignificet rationale perverſum, et inde ratiocinationem ex ſcientificis falſis faventibus jucundo amorum naturalium, ſuper quo dolet naturalis homo quia per id pervertitur; nam per ducet rex Aſchuris captivitatem Ægypti, et turbam deportandam Kuſchi, ſignificatur quod rationale perverſum ſibi addicet ſcientifica naturalis hominis, et ſe confirmabit per illa et per jucunda ejus quibus favent; rex Aſchuris eſt rationale perverſum, captivitatem ducere et turbam deportare eſt per ratiocinationes addicere ſibi et confirmare ſe, Ægyptus eſt ſcientificum naturalis hominis, et Kuſch eſt jucundum cui favet; quod bona veri naturalis hominis propter illa doleant, ſeu quod naturalis homo, in quo ſunt bona veri, doleat, ſignificatur per omnia illa quæ ſequuntur, nempe quod conſternabuntur et erubeſcent propter Kuſchum, exſpectationem illorum, et propter Ægyptum decus eorum, et dicet habitator Inſulæ in die hoc, ſeqq. habitator inſulæ eſt bonum veri naturalis hominis, ſeu naturalis homo in quo eſt bonum veri, habitator enim ſignificat bonum, et inſula verum, utrumque in naturali homine, ut ſupra; quod talis ſenſus illis verbis inſit, vix creditur, cum tamen ineſt. Apud Eundem, “*Illi extollent vocem ſuam, jubilabunt, ob magnificentiam Jehovæ clamabunt a mari; propterea in Urim honorate Jehovam, in Inſulis maris nomen Dei Iſraelis,*” xxiv. 14, 15; agitur in eo Capite de vaſtatione Eccleſiæ, et in his Verſibus de inſtauratione Eccleſiæ novæ apud gentes, harum gaudium eſt quod deſcribitur per quod extollent vocem ſuam, jubilabunt, ob magnificentiam Jehovæ clamabunt a mari ſeu ab occidente, per mare enim, cum per illud intelligitur occidens, ſignificatur naturale, ex cauſa quia illi qui in occidentali plaga in Mundo ſpirituali habitant, in bono naturali ſunt, at in orientali plaga qui in bono cœleſti, et quia gentes, ex quibus Eccleſia, in bono naturali fuerunt, ideo dicitur in Urim honorate Jehovam, in Inſulis maris nomen Dei Iſraelis, per quæ ſignificatur quod adoraturi Dominum ex bonis et veris quæ in naturali homine, Urim enim ſignificat ignem et focum, per quos ſignificatur bonum amoris naturalis hominis, inſulæ maris ſignificant cognitiones veri et boni, quæ ſunt vera naturalis hominis, et honorare ſignificat colere et adorare; per Jehovam et Deum Iſraelis intelligitur Dominus, qui vocatur Jehovah ubi agitur de bono ac Deus Iſraelis ubi de vero, ideo dicitur in Urim honorate Jehovam, hoc eſt, ex bono, et in inſulis maris nomen Dei Iſraelis, hoc eſt, ex veris, inde etiam patet, quod per inſulas maris ſignificentur vera naturalis hominis. Apud Eundem, “*Non exſtinguet neque confringet, donec poſuerit in terra judicium, et in lege ejus Inſulæ ſperent. Cantate Jehovæ Canticum novum, laudem ejus extremitas terræ, deſcendentes mare, plenitudo ejus, inſulæ et habitatores ejus. Extollant deſertum et urbes ejus, villæ, quas inhabitat Arabia, cantent habitatores petræ, e capite montium clament, ponant Jehovæ gloriam, et laudem ejus in Inſulis annuntient,*” xlii. 10, 11; agitur etiam ibi de Domino, et de nova Eccleſia ab Ipſo inſtauranda, et per Inſulas intelliguntur qui ſolum in veris ex naturali homine, et inde qui remoti adhuc a vero cultu, inde per donec poſuerit in terra judicium, et in lege ejus inſulæ ſperent, ſignificatur dum intelligentiam dederit illis qui ab Eccleſia, et cognitiones veri illis qui remotiores ab Eccleſia, ponere judicium eſt dare intelligentiam, in lege ſperare eſt dare cognitiones veri, nam terra ſignificat illos qui ab Eccleſia, et abſtracte ipſam Eccleſiam quoad intelligentiam ex veris ſpiritualibus, et inſulæ illos qui remoti ab Eccleſia, et abſtracte Eccleſiam quoad cognitiones veri et boni, ſeu Eccleſiam quoad vera naturalis hominis correſpondentia veris ſpiritualibus; per cantate Jehovæ canticum novum, laudem ejus extremitas terræ, deſcendentes mare, et plenitudo ejus, inſulæ et habitatores ejus, ſignificatur cultus Domini ab illis qui remoti ab Eccleſia, et in ſenſu abſtracto cultus naturalis hominis ex veris et bonis, cantare canticum et laudare ſignificat cultum ex læto animo, extremitas terræ ſignificat illos qui in ultimis Eccleſiæ, et in ſenſu abſtracto ultima ejus, mare et plenitudo ejus ſignificant naturalem hominem et omnia quæ ibi; inſulæ et habitatores ſignificant vera et bona naturalis hominis, inſulæ vera ejus et habitatores bona ejus, ut ſupra; quid ſignificatur per extollant deſertum et urbes ejus et villæ, quas inhabitat Arabia, cantent habitatores petræ, e capite montium clament, vide ſupra n. 405, ubi explicata ſunt; per ponant Jehovæ gloriam et laudem Ejus inſulæ annuntient, ſignificatur cultus ab internis et externis, ponere gloriam eſt cultus ab internis, et annuntiare laudem eſt colere ab externis, externa enim annuntiant, et inſulæ ſunt vera naturalis hominis ex quibus cultus. Apud Eundem, "*Attendite ad Me popule mi, et gens mea ad Me advertite aures, nam Lex a Mecum exibit, et judicium meum in lucem populorum excitabo, propinqua juſtitia mea, exivit ſalus mea, et brachia mea populos judicabunt; in Me Inſulæ ſperabunt, et ſuper brachio meo confident,*" li. 5, 6; hæc de Domino; attendite ad Me popule mi, et gens mea advertite aures, ſignificat omnes qui ab Eccleſia qui in veris et bonis ſunt, populus ſunt qui in veris, et gens qui in bonis, dicitur attendite et advertite aures in plurali, quia intelliguntur omnes; lex a Mecum exibit, et judicium meum in lucem populorum excitabo, ſignificat quod ab Ipſo Divinum Bonum et Divinum Verum, ex quo illuſtratio, lex ſignificat Divinum Bonum Verbi, et Judicium Divinum Verum Verbi, in lucem populorum ſignificat illuſtrationem; propinqua Juſtitia mea, exivit ſalus mea, ſignificat judicium quando ſalvantur qui in bono amoris et qui in veris inde ſunt, juſtitia dicitur de ſalvatione illorum qui in bono die judicii, et ſalus de ſalvatione illorum qui in veris; brachia mea populos judicabunt, ſignificat judicium ſuper illos qui ab Eccleſia in falſis, hic populi in oppoſito ſenſu; in Me inſulæ ſperabunt, et ſuper brachio meo confident, ſignificat acceſſum illorum ad Eccleſiam qui remoti a veris Eccleſiæ ſunt, et eorum fiduciam in Dominum, inſulæ ſignificant illos qui remoti a veris Eccleſiæ ſunt, quia in lumine naturali ſunt, et nondum in luce ſpirituali ex Verbo, et confidere ſuper brachio Ipſius ſignificat fiduciam in Dominum cui omnis potentia, brachium cum de Domino eſt omnipotentia. Apud Eundem, "*Audite Inſulæ, et auſcultate populi e longinquo,*" xlix. 1; Inſulæ pro illis qui in veris, ac populi e longinquo pro illis qui in bonis, et abſtracte vera et bona, utraque in naturali homine, e longinquo dicitur de bonis quæ in naturali homine, propinquum autem de bonis quæ in ſpirituali homine; populi hic ſignificant bona, quia ex alia voce in Lingua originali dicuntur quam populi per quos ſignificantur vera, ex hac voce enim denominantur etiam gentes, per quas ſignificantur bona, ut patet ex voce illa, Cap. xxv. 26, Geneſ. Apud Jeremiam, "*Audite Verbum Jehovæ gentes, et annuntiate in inſulis e longinquo*," xxxi. 10; gentes pro illis qui in bonis, et abſtracte pro bonis; ac inſulæ pro illis qui in veris, et abſtracte pro veris in naturali homine; e longinquo ſignificat remotum ab Eccleſiæ veris quæ ſunt ſpiritualia, quod e longinquo id ſignificet, videatur n. 8918: ſed illa verba in ſpirituali ſenſu puro ſignificant, quod internus homo docebit externum, ſeu ſpiritualis naturalem totum vera Verbi, hoc enim eſt ut gentes annuntient in inſulis e longinquo; ſed hic ſenſus purus, qui eſt Angelis, ægre percipitur ab hominibus, quoniam homines ægre cogitare poſſunt abſtracte a perſonis et a locis, ex cauſa quia cogitatio hominum eſt naturalis, et cogitatio naturalis in eo differt a cogitatione ſpirituali, quod alligata ſit locis et perſonis, et inde eſt finita præ ſpirituali; quæ etiam cauſa eſt, quod plura, quæ explicata ſunt, ægre forte cadant in ideas cogitationis illorum, qui fixe tenent viſum mentis in ſenſu vocum. Apud Davidem, "*Reges Tharſchiſh et Inſularum munus adducent, reges Schebæ et Sebæ munus adferent*," Pſalm. lxxii. 10; hæc de Domino; et per munus adducere et adferre intelligitur colere; et per reges Tharſchiſh et inſularum intelliguntur vera interiora et exteriora naturalis hominis, per reges Tharſchiſh vera interiora ejus, et per inſulas vera exteriora ejus; per reges Schebæ et Sebæ intelliguntur bona interiora et exteriora naturalis hominis, per Schebam bona interiora ejus, et per Sebam bona exteriora ejus, per vera naturalis hominis intelliguntur cognitiones veri, et per bona naturalis hominis intelliguntur cognitiones boni; quod hæ per Schebam et Sebam intelliguntur, videatur n. 1171, 3240; et quod illæ per Tharſchiſh, videbitur mox infra: et quia illæ intelliguntur, etiam intelliguntur illi qui in cognitionibus veri et boni ſunt. Apud Eſajam, "*Qui illi ſicut nubes advolant, et ſicut columbæ ad feneſtras ſuas, quia Mihi inſulæ confident, et naves Tharſchiſh in principio ad adducendum filios tuos e longinquo*," lx. 8, 9; hæc quoque de Domino dicta ſunt; et per illa ſignificatur quod Ipſum recepturi et agnituri qui in ſimplici vero et bono ſunt, qui ſunt qui vera Verbi percipiunt naturali modo, quod eſt ſecundum ſenſum literæ, et faciunt illa; inſulæ ſignificant illos qui Verbum naturali modo, hoc eſt, ſecundum ſenſum literæ percipiunt, et naves Tharſchiſh in principio ſunt bona quæ ferunt et faciunt; Tharſchiſh enim ſignificat naturalem hominem quoad cognitiones, et Tharſchiſh in principio naturalem hominem quoad cognitiones boni, quoniam in Tharſchiſh erat aurum, et argentum, et naves inde portabant illa, 1 Reg. x. 22, ac in principio aurum, per quod ſignificatur bonum; et quia ex bono ſunt vera, ideo etiam dicitur, ad adducendum filios tuos e longinquo; et quia per inſulas et naves Tharſchiſh ſignificantur cognitiones veri et boni naturalis hominis, ideo dicitur, qui hic ſicut nubes volant, et ſicut columbæ ad feneſtras ſuas, nubes ſignificant vera ſenſus literæ Verbi, columbæ bona ibi, ac feneſtræ vera ex bono in luce: quod naves ſignificent cognitiones veri et boni ex Verbo, videatur n. 1977, 6385: et quod feneſtræ ſignificent vera in luce, et inde intellectuale, n. 655, 658, 3391. Apud Eundem, "*Ejulate naves Tharſchiſhi, quia devaſtata eſt Tyrus, ut non ſit domus, nec intret quiſquam, e terra Kittim manifeſte veniet illis; ſilent habitatores inſulæ, mercator Zidonis* *tranſiens mare, impleverunt te. Erubeſce Zidon, nam dicit mare, munimentum maris, non parturivi, nec peperi, et non educavi juvenes, adoleſcere feci virgines, cum fama ex Ægypto, dolore corripientur, ſicut ad famam Tyri, tranſite in Tharſchiſh, ejulate habitatores inſulæ,*" xxiii. 1, 2, 4, 5, 6; ita deſcribitur deſolatio veri in Eccleſia, nam per naves Tharſchiſh ſignificantur cognitiones boni e Verbo, et per Tyrum cognitiones veri inde; quod non ſit bonum quia non vera, ſignificatur per ejulate naves Tharſchiſh quia devaſtata eſt Tyrus ut non ſit domus nec intret quiſquam; quod falſa tunc intrent, uſque ut non amplius aliqua bona veri et vera boni ſint in naturali homine, ſignificatur per e terra Kitthim manifeſte veniet illis, ſilent habitatores inſulæ, mercator Zidonis tranſiens mare, impleverunt te, terra Kitthim ſignificat falſa, habitatores inſulæ ſignificant bona veri in naturali homine, ut ſupra, mercator Zidonis ſignificat cognitiones ex Verbo, tranſiens mare ſignificat quæ in naturali homine, qui impleverunt te nempe naves Tharſchiſh, ſignificat qui ditarunt te illis; vaſtatio veri et boni in naturali homine ulterius deſcribitur per erubeſce Zidon, nam dixit mare, munimentum maris, non parturivi et non peperi, et non educavi juvenes, adoleſcere feci virgines, per Zidonem ſignificantur æque ac per Tyrum cognitiones veri et boni in Eccleſia, per mare, munimentum maris ſignificatur naturalis homo totus, per non parturivi non peperi ſignificatur non aliquid Eccleſiæ conceptum et generatum, per juvenes ſignificantur affectiones veri, et per virgines affectiones boni; quod hoc factum ſit quia cognitiones ex Verbo et ſcientifica confirmantia applicata ſunt falſis et malis, ſignificatur per cum fama ab Ægypto, dolore corripientur ſicut ad famam Tyri, Ægyptus ſignificat ſcientifica, Tyrus cognitiones ex Verbo, hic illa vaſtata per falſa et mala quibus applicata, et quia lamentum eſt propterea, ideo dicitur dolore corripientur; quod ſic perierit omne bonum in naturali et verum ibi, ſignificatur per tranſite in Tharſchiſh, ejulate habitatores inſulæ, Tharſchiſh ſignificat bona et vera interiora in naturali, habitatores inſulæ bona et vera exteriora ibi, ut quoque ſupra, ejulare ſignificat dolorem ob vaſtationem. Apud Jeremiam, "*Accepi calicem e manu Jehovæ, et bibere feci omnes gentes ad quas me miſit Jehovah, omnes reges Tyri et omnes reges Zidonis, et reges inſulæ quæ in tranſitu maris,*" xxv. 17; recenſentur ibi plures gentes quæ hic non inde adferuntur, per quas omnes ſignificantur bona et vera Eccleſiæ in genere et in ſpecie quæ vaſtata ſunt; et per reges Tyri et Zidonis ſignificantur cognitiones veri et boni e Verbo in naturali homine, nam omnes cognitiones veri et boni, quatenus cognitiones, ſunt in naturali homine, quæ fiunt vera et bona cum vivitur ſecundum illas, quia per vitam recipiuntur in ſpirituali homine; per reges inſulæ quæ in tranſitu maris ſignificantur cognitiones veri in ultimo naturalis hominis, quod vocatur naturale ſenſuale, quia per hoc eſt tranſitus in interiora naturalis hominis, mare ſignificat naturalem hominem in communi, videatur ſupra n. 275, 342; vaſtatio illorum intelligitur per calicem Jehovæ quam bibere fecit gentes. Apud Eundem, "*Propter diem venientem ad vaſtandum omnes Philiſthæos, ad excidendum Tyro et Zidoni omnem reſiduum auxiliantem, quia vaſtans Jehovah Philiſthæos, reliquias Inſulæ Caphtor,*" xlvii. 4; per Philiſthæos intelliguntur qui in ſola fide, ſeu in fide ſeparata a charitate, quare etiam præputiati vocabantur, per quod ſignificatur quod non illis charitas, videatur n. 2049, 3412, 3413, 8093, 8313; per excidendum Tyro et Zidoni omnem reſiduum auxiliantem, ſignificatur quod illis non aliqua cognitio veri et boni, reſiduus auxilians ſignificat non concordans amplius; ſimile quod per reſiduum auxiliantem etiam per reliquias inſulæ Caphtor ſignificatur. Apud Eundem, "*Tranſite in Inſulas Kitthæorum et videte, in Arabiam mittite et attendite probe, et videte num factum ſit ſicut hoc, num mutaverit gens deos,*" ii. 10, 11; quod tranſirent et mitterent in inſulas Kitthæorum et in Arabiam, non ſignificat quod illuc mitterent, ſed ad omnes qui naturaliter in veris et bonis ſecundum religioſum ſuum vivunt, inſulæ Kitthæorum ſunt ubi qui naturaliter vivunt in veris, et Arabia ubi qui naturaliter vivunt in bonis, nempe ſecundum religioſum ſuum, Kitthæi et Arabia illos ac illa ſignificant; omnes enim qui non habent Verbum, aut aliquam revelationem e Cœlo, et vivunt ſecundum religioſum ſuum, naturaliter vivunt; nam ſpiritualiter vivere eſt unice ſecundum vera et bona e Verbo, et ex revelatione e Cœlo. Apud Zephaniam, "*Formidabilis Jehovah ſuper illis, quia emaciabit omnes deos gentium, ut adorent Ipſum quiſque e loco ſuo; omnes inſulæ gentium, etiam vos Kuſhii, confoſſi gladio meo erunt,*" ii. 11, 12; per hæc in ſenſu interno ſignificatur, quod falſa mali diſſipabuntur, et quod vera et bona dabuntur illis qui quidem in falſis ſunt, ſed non in falſis mali; per deos gentium quos emaciabit, ſignificantur falſa mali, per deos falſa, et per gentes mala, et per emaciare ſignificatur ex falſis amovere mala; per inſulas gentium et per Kuſhios ſignificantur qui quidem in falſis ſunt ſed non in falſis mali, et abſtracte falſa ſed non falſa mali; et quia falſa non mali ſunt in naturali homine, ideo per inſulas gentium ſignificatur naturalis homo quoad illa, ſeu quoad illa in naturali homine, hæc falſa ſignificantur per confoſſos gladio meo: de falſis mali et de falſis non mali videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 21. Apud Davidem, "*Dominabitur a mari ad mare, et a fluvio uſque ad fines terræ, coram Ipſo incurvabunt ſe Inſulæ, et hoſtes Ejus pulverem lambent,*" Pſalm. lxxii. 8, 9; hæc de Domino; et per dominari a mari ad mare, et a fluvio uſque ad fines terræ, intelligitur dominium Ipſius ſuper omnia Cœli et Eccleſiæ; in Mundo enim ſpirituali ſunt Maria termini, ac intermedia ſunt terræ, ubi habitationes pro Angelis et ſpiritibus, inde per a mari ad mare ſignificantur omnia Cœli, et quia omnia Cœli, ſignificantur etiam omnia Eccleſiæ, ſunt enim bona amoris et inde vera quæ faciunt Cœlum et quoque Eccleſiam, ideo per a mari ad mare ſignificantur etiam omnia Eccleſiæ; omnia Cœli et Eccleſiæ ſignificantur per a fluvio ad fines terræ, ſed per hæc ſignificantur omnia Cœli et Eccleſiæ quoad vera, et per a mari ad mare omnia Cœli et Eccleſiæ quoad bona; nam Maria in Mundo ſpirituali ſunt termini terræ Orientalis et Occidentalis ibi, et in terris ab Oriente verſus Occidentem habitant qui in bono amoris ſunt; fluvius autem ſignificat primum terminum, ac fines terræ ultimos a Meridie ad Septentrionem, ubi habitant qui in veris ex bono ſunt, quos terminos etiam repræſentabant fluvii Jordanes et Euphrates reſpective ad terram Canaanem; loca quæ circa ultimos terminos ſunt, intelliguntur per Inſulas, per quas ideo ſignificantur vera in ultimis, quæ tametſi non vera ſunt uſque ut vera acceptantur; vera enim genuina diminuuntur a medio verſus fines, ex cauſa quia circa fines ſunt qui in luce naturali, et non ita in luce ſpirituali; per hoſtes ſignificantur mala, de quibus dicitur quod pulverem lambent, hoc eſt, quod damnati ſint. Apud Eundem, "*Jehovah regnat, exultabit terra, gaudebunt Inſulæ multæ,*" Pſalm. xcvii. 1; per hæc ſignificatur quod Eccleſia ubi Verbum et Eccleſia ubi non Verbum, proinde qui in veris ſpiritualibus et in veris non ſpiritualibus, gaudebunt propter Regnum Domini; per terram ſignificatur Eccleſia ubi Verbum, et per Inſulas ubi non Verbum, proinde qui remoti a veris ſpiritualibus ſunt, nam vera Verbi ſunt ſolum ſpiritualia, apud illos autem qui extra Eccleſiam ſunt, quia non habent vera ex Verbo, ſunt ſolum vera naturalia, inde eſt quod Inſulæ dicantur. Per Inſulas in Verbo non intelliguntur aliquæ Inſulæ maris, ſed intelliguntur loca in Mundo ſpirituali habitata ab illis qui in naturali ſcientia cognitionum aliquatenus concordantium cum cognitionibus veri et boni quæ in Verbo, quæ loca ibi quandoque apparent ſicut inſulæ in mari, inde in ſenſu abſtracto per Inſulas ſignificantur vera naturalis hominis; denominatio illa eſt ex mari in quo Inſulæ, nam mare ſignificat communia veri, ſeu vera naturalis hominis in communi; hæc per Inſulas ſignificantur in Geneſi, "*Filii Javan erant Eliſhah et Tharſchiſh, Kittim et Dodanim: ex his diſperſæ ſunt Inſulæ gentium in terris ſuis, quiſque juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, in gentibus ſuis,*" x. 4, 5: et apud Eſajam, "*Veniet ad congregandum omnes gentes et linguas, ut veniant et videant gloriam meam, et ponam inter illos ſignum, et mittam ex illis evaſores ad gentes Tharſchiſh, Pul et Lud trahentes arcum, Thubal et Javan, Inſulas longinquas, quæ non audiverunt famam meam, nec viderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam inter gentes,*" lxvi. 18, 19: tum Cap. xi. 10, 11. Quoniam pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ita quoque Inſulæ, in quo ſenſu Inſulæ ſignificant falſa oppoſita veris quæ in naturali homine: in hoc ſenſu dicuntur Inſulæ in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Vaſtabo montes et colles, et omnem herbam eorum areſaciam; et ponam fluvios in Inſulas, et ſtagna exſiccabo,*" xlii. 15, 16; quæ explicata videantur in præcedente Articulo: apud Ezechielem, "*Mittam ignem in Magogum, et in habitatores Inſularum ſecuros,*" xxxix. 6: apud Eſajam, "*Iram inimicis ſuis, retributionem hoſtibus ſuis, Inſulis retributionem retaliabit,*" lix. 18: apud Eundem, "*Ecce gentes ſicut gutta de ſitula, et ſicut ſcoriæ libræ reputantur; ecce Inſulas ſicut minutiſſimum tollit,*" xl. 14, 15; gentes pro malis, et inſulæ pro falſis: apud Eundem, "*Tacete Inſulæ, populi innovent vires, appropinquent, tunc loquantur, una ad judicium accedamus; viderunt Inſulæ et timuerunt, fines terræ trepidarunt,*" xli. 1, 5.

407. Verſ. 15, 16, 17. *Et reges terræ, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes, et omnis ſervus et omnis liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis et in petris montium. Et dicebant montibus et petris, cadite ſuper nos, et*

abſcondite nos a facie Sedentis ſuper throno, et ab ira Agni. Quia venit dies magnus iræ Ejus, et quis poteſt ſtare. Et reges terræ, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes, ſignificat omnia bona et vera interna, et omnia bona et vera externa, per quæ ſapientia et intelligentia: et omnis ſervus et omnis liber, ſignificat hominem naturalem et hominem ſpiritualem: abſconderunt ſeipſos in ſpeluncis et in petris montium, ſignificat illa deperdita per mala vitæ et per falſa inde: et dicebant montibus et petris, cadite ſuper nos, ſignificat obtectionem a malis et falſis inde: et abſcondite nos a facie Sedentis ſuper throno et ab ira Agni, ſignificat ne dira patiantur ab influxu Divini Boni uniti Divino Vero procedentis a Domino: quia venit dies magnus iræ Ejus, ſignificat ultimum Judicium ſuper malos: et quis poteſt ſtare, ſignificat quis vivet et ſuſtinebit.

408. Et reges terræ, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes, quod ſignificent omnia bona et vera interna et omnia bona et vera externa, per quæ ſapientia et intelligentia, conſtat ex ſignificatione Regum, quod ſint vera ex bono in omni complexu, de qua ſupra, n. 31; ex ſignificatione magnatum et divitum, quod ſint bona et vera interna, de qua ſequitur; ex ſignificatione chiliarchorum et potentium, quod ſint bona et vera externa, chiliarchi bona illa et potentes vera illa, de qua etiam ſequitur: dicitur etiam, per quæ ſapientia et intelligentia, quia ex bonis et veris internis, quæ ſunt bona et vera ſpiritualia, eſt ſapientia, et ex bonis et veris externis, quæ ſunt bona et vera naturalia ex ſpiritualibus, eſt intelligentia; ſapientia diſtinguitur ab intelligentia in eo, quod ſapientia ſit ex luce Cœli, et quod intelligentia ſit ex luce mundi illuſtrata ex luce Cœli; inde eſt quod de bonis et veris ſpiritualibus prædicetur ſapientia, et de bonis et veris naturalibus intelligentia, nam bona et vera ſpiritualia ſunt ex luce cœli, quia mens ſpiritualis ſeu mens interna eſt in luce cœli, et bona et vera naturalia ſunt ex luce mundi, quia mens naturalis ſeu externa eſt in luce mundi; ſed quantum hæc mens recipit lucem cœli per ſpiritualem mentem, tantum in intelligentia eſt; qui credit, quod in intelligentia ſit ex ſola luce mundi, quæ vocatur lumen naturale, multum fallitur; per intelligentiam intelligitur videre vera et bona ex ſe, vel civilia vel moralia vel ſpiritualia ſint, at videre illa ex alio, hoc non eſt intelligentia ſed ſcientia: aſt ut ſciatur quomodo hæc intelligenda ſunt, videantur quæ in Articulo præcedente, n. 406, dicta ſunt, nempe quod binæ Mentes homini ſint, una ſpiritualis ſeu interna, altera naturalis ſeu externa; et quod Mens ſpiritualis ſeu interna aperiatur apud illos qui bona et vera Verbi applicant vitæ, ac non aperiatur apud illos qui non bona et vera Verbi applicant vitæ, ſed ſolum Mens naturalis ſeu externa; hi inde vocantur naturales homines, illi autem ſpirituales: quibus addendum eſt, quod quantum aperitur Mens ſpiritualis ſeu interna, tantum per illam a Domino influat lux ſpiritualis, quæ eſt lux cœli, in mentem naturalem ſeu externam, et illuſtrat eam, et dat intelligentiam. Bona et vera, quæ faciunt ſpiritualem ſeu internam mentem, intelliguntur per magnates et divites, bona per magnates, et vera per divitas;

divites; ac bona et vera, quæ faciunt naturalem ſeu externam Mentem, intelliguntur per chiliarchos et potentes, bona illa per chiliarchos et vera illa per potentes: inde patet, quod hæc verba in ſenſu interno includant omnia quæ apud hominem ſunt, nam in ſequentibus agitur de exſtinctione omnium; omnia apud hominem ſe referunt ad bonum et verum, ſicut etiam omnia in univerſo, omnis ſapientia et intelligentia eſt homini ex illis et ſecundum illa. Qui ſenſum literæ modo ſpectat, non videre poteſt aliter, quam quod reges ac primarii in regnis illorum intelligantur, et quod tot nominentur, ut ſenſus elevetur, ſed in Verbo nulla vocula eſt inanis, quoniam Divinum eſt in omnibus et ſingulis ibi, quare per illa intelligenda ſunt Divina, quæ Cœli et Eccleſiæ ſunt, ac communi voce vocantur cœleſtia et ſpiritualia, ex quibus Verbum eſt Divinum, cœleſte et ſpirituale; Verbum etiam datum eſt, ut per id ſit conjunctio Cœli cum Eccleſia, ſeu Angelorum Cœli cum hominibus Eccleſiæ, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 303 ad 310, et illa conjunctio non dari poteſt, ſi non aliud per illa verba intelligeretur, quam quod in ſenſu literæ exſtat, nempe quod reges terræ, magnates, divites, chiliarchi et potentes, tum omnis ſervus et omnis liber, abſconderint ſe in ſpeluncis et in petris montium, hæc etiam ſunt naturalia; ſed tunc conjunctio eſt, cum per illa intelliguntur ſimul ſpiritualia; aliter enim non conjungi poſſunt Angeli cum hominibus, nam Angeli ſpirituales ſunt, quia in ſpirituali Mundo, et inde cogitant ſpiritualiter et quoque loquuntur ſpiritualiter, at homines naturales ſunt, quia in naturali mundo, et inde cogitant naturaliter et loquuntur naturaliter: hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod per reges terræ, magnates, divites, chiliarchos et potentes ſignificentur etiam ſpiritualia: quod ſpiritualia per illos intelligantur, nempe per magnates et divites bona et vera interna, et per chiliarchos et potentes bona et vera externa, conſtare poteſt ex ſignificatione eorum, ubi nominantur in Verbo. Quod Magnates in Verbo ſignificent bona interna, quæ ſunt bona interni ſeu ſpiritualis hominis, eſt quia magnum et magnitudo in Verbo dicitur de bono, at multum et multitudo de vero, videatur ſupra n. 336, 337: quod bona interna per Magnates ſignificentur, eſt quia per quatuor illos, nempe magnates, divites, chiliarchos, potentes, ſignificantur omnia bona et vera quæ apud hominem, ita bona et vera interni ſeu ſpiritualis hominis ut et externi ſeu naturalis hominis, per magnates et divites bona et vera interni ſeu ſpiritualis hominis, ac per chiliarchos et potentes bona et vera externi ſeu naturalis hominis, ideo etiam ſequitur omnis ſervus et omnis liber, et per ſervum ſignificatur externum hominis quod vocatur naturalis homo, et per liberum internum hominis, quod vocatur ſpiritualis homo. Similia per Magnates in Verbo etiam alibi ſignificantur, nempe apud Jeremiam, Cap. v. 5: apud Nahum, Cap. iii. 10: et apud Jonam, Cap. iii. 7. Quod Divites ſignificent vera interna, quæ ſunt vera ſpiritualia, ſeu illos qui in illis veris ſunt, conſtat ex illis quæ ſupra, n. 118, 236, oſtenſa ſunt: quod Chiliarchi ſignificent bona externa, quæ ſunt bona naturalis hominis, etiam ſupra, n. 336, oſtenſum eſt; quare ſuperſedetur plura de illis adducere. Quod autem Potentes ſignificent vera externa ſeu vera naturalis hominis, conſtat ex pluribus locis in Verbo, ubi potentes et fortes, tum potentia et fortitudo nominantur; cauſa eſt, quia omnis potentia eſt veris ex bono, et quidem veris quæ in naturali homine; quod veris ex bono ſit omnis potentia, eſt quia bonum non ex ſe agit ſed per vera, bonum enim ſe format in vera, et ſe induit illis ſicut anima corpore, et ſic agit; quod agat per vera in naturali homine, eſt quia ibi ſunt omnia interiora ſimul et in ſuo pleno: quod omnis potentia ſit veris ex bono, ſeu bono per vera, videatur ſupra, n. 209, 333; et in Opere de Cœlo et Inferno, n. 231, 232, 539: et quod omnis potentia ſit in ultimis, quia Divinum ibi eſt in ſuo pleno, ſupra, n. 346, et in Arcanis Cœlestibus, n. 9836, 10044: ex his conſtare poteſt, quod per potentes intelligantur vera externa, ſeu vera naturalis hominis.

409. Et omnis ſervus et omnis liber, quod ſignificet hominem naturalem et hominem ſpiritualem, conſtat ex ſignificatione ſervi, quod ſit homo naturalis, de qua ſequitur; et ex ſignificatione liberi, quod ſit homo ſpiritualis: quod homo ſpiritualis intelligatur per liberum, et homo naturalis per ſervum, eſt quia homo ſpiritualis ducitur e cœlo a Domino, et duci a Domino eſt liberum, ac homo naturalis ei obedit et inſervit, præſtat enim illa quæ ſpiritualis homo vult et cogitat. In Verbo in pluribus locis dicitur ſervus, et qui non ſcit quod in illis per ſervum intelligatur inſerviens et efficiens illa quæ ſpiritualis homo vult et cogitat, opinari poteſt quod per ſervum ibi intelligatur ſervus qui in ſervitute eſt, ita ſecundum communem notionem de ſervo; ſed quod ſit inſerviens et efficiens qui intelligitur, patebit ex locis in Verbo quæ mox adducentur: cum ſervus in hoc ſenſu in Verbo dicitur, tunc homo naturalis, qui per illum intelligitur, non aliter eſt ſervus quam ſicut corpus eſt ſervus ſuæ animæ; et quia inſerviens ac efficiens intelligitur per ſervum, ideo etiam ſervus dicitur non ſolum de naturali homine reſpective ad ſpiritualem, ſed etiam de hominibus qui aliis operam præſtant, deque Angelis qui efficiunt mandata Dei, imo de Ipſo Domino quoad Divinum Humanum Ipſius cum fuit in Mundo; et quoque dicitur de veris ex bono, quia bonum per vera agit et efficit, ac quia vera præſtant operam bono quod vult et quod amat, et ſic porro: præterea ſervus dicitur de naturali homine ex obedientia et effectu, tametſi homo naturalis apud regeneratum æque eſt liber et ſpiritualis, quoniam unum agunt ſicut principale et inſtrumentale, ſed uſque naturalis homo reſpective ad ſpiritualem vocatur ſervus, ex cauſa, quæ dicta eſt, quod naturalis inſerviat ſpirituali efficiendo; at vero apud illos, apud quos ſpiritualis homo occluſus eſt, et modo naturalis homo apertus, eſt totus homo ſervus in communi ſenſu, tametſi quoad apparentiam eſt ſicut liber, inſervit enim exterior naturalis homo malis et falſis quæ interior vult et cogitat, ſic enim ducitur ab inferno, et duci ab inferno eſt prorſus ſervum, et quoque talis homo fit prorſus ſervus et vile mancipium in inferno poſt mortem; poſt mortem enim jucunda vitæ cujuſvis vertuntur in correſpondentia, et jucunda mali in ſervitia et in tetra, videatur in Opere de Cœlo

ET INFERNO, n. 485 ad 490; in hoc ſenſu etiam nominatur ſervus in Verbo: ſed hic præcipue oſtendetur, quod per ſervum ibi intelligatur inſerviens et efficiens, et hoc in omni reſpectu. Quod per ſervum intelligatur inſerviens et efficiens, patet manifeſte ex eo, quod Dominus quoad Divinum Humanum ſuum dicatur Servus et Miniſter, ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Ecce Servus meus in quem incumbo, Electus meus beneplacitum habet anima mea, dedi Spiritum meum ſuper Illum: quis cæcus niſi Servus meus, aut ſurdus ſicut Angelus meus quem mitto; quis cæcus ſicut conſummatus, et cæcus ſicut Servus meus,*" xlii. 1, 19; hæc de Domino, de quo in toto illo Capite agitur, et Dominus ibi quoad Divinum Humanum ſuum vocatur Servus, quia inſervivit Patri ſuo faciendo voluntatem Ipſius, ut pluries dicit, per quod intelligitur, quod redegerit omnia in Mundo ſpirituali in ordinem, et ſimul docuerit homines viam ad cœlum; eſt itaque Divinum Humanum, quod intelligitur per Servum meum in quem incumbo, et per Electum meum in quo beneplacitum habet anima mea, Servus dicitur ex Divino Vero per quod effecit, et Electus ex Divino Bono; quod Ipſi fuerit Divinum Verum, per quod effecit, intelligitur per dedi Spiritum meum ſuper Illum, judicium gentibus proferet, Spiritus Jehovæ eſt Divinum Verum, et judicium proferre gentibus eſt inſtruere; quod dicatur cæcus et ſurdus, eſt quia Dominus eſt ſicut non videat et percipiat peccata hominum, ducit enim homines leniter, nam flectit et non frangit, ſic abducendo a malis et ducendo ad bonum, quare nec caſtigat et punit ſicut qui videns eſt et percipiens; hoc intelligitur per quis cæcus niſi ſervus meus, aut ſurdus ſicut Angelus meus, cæcus dicitur et inde ſervus ex Divino Vero, et ſurdus et inde Angelus ex Divino Bono, nam cæcus ſe refert ad intellectum et inde perceptionem, ac ſurdus ad perceptionem et inde voluntatem, ibi itaque quod ſicut non videat tametſi Ipſi Divinum Verum e quo intelligit omnia, et non ſecundum quod percipit velit, tametſi Ipſi Divinum Bonum, e quo omnia poteſt. Apud Eundem, "*Ex labore animæ ſuæ videbit, ſaturabitur, per ſcientiam ſuam juſtificabit juſtus Servus meus multos, eo quod iniquitates eorum Ipſe portaverit,*" liii. 11; hæc quoque de Domino, de quo in toto Capite manifeſte agitur, et quidem de Divino Humano Ipſius; pugnæ Ipſius cum infernis et ſubjugatio eorum ſignificatur per laborem animæ Ipſius, et per quod iniquitates eorum portaverit; per iniquitates eorum portare, non intelligitur quod in Se tranſtulerit eas, ſed quod admiſerit in Se mala quæ ab infernis ut ſubjugaret illa, hoc itaque intelligitur per portare iniquitates; ſalvatio inde eorum qui in fide ſpirituali, quæ eſt charitatis, ſunt, intelligitur per quod per ſcientiam ſuam juſtificaverit juſtus ſervus meus multos, ſcientia ſignificat Divinum Verum, et inde Divinam ſapientiam et intelligentiam, et multi ſignificant omnes qui recipiunt, nam multum in Verbo dicitur de veris, magnum autem de bono, inde multi ſunt omnes qui in veris ex bono ab Ipſo ſunt; quod hos juſtificaverit dicitur, quia juſtificare ſignificat ſalvare ex Divino Bono, ex quo etiam dicitur juſtus; quia illa ex Divino Humano ſuo peregit et effecit, dicitur Servus Jehovæ; inde patet, quod Jehovah

vah Divinum Humanum ſuum vocet Servum ſuum ex inſerviendo et efficiendo. Apud Eundem, "*Ecce prudenter aget Servus meus, extolletur et exaltabitur et evehetur valde,*" lii. 13; etiam hæc de Domino, Cujus Divinum Humanum vocatur Servus, ex eadem cauſa, de qua mox ſupra; glorificatio Humani Ipſius intelligitur per extolletur, exaltabitur et evehetur valde. Apud Eundem, "*Vos teſtes mei, et Servus meus quem elegi, ut ſciatis et credatis Mihi,*" xliii. 10; per Servum etiam hic intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum. Quod Ipſe Dominus ſe dicat Miniſtrum ex inſerviendo, patet apud Evangeliſtas, "*Quiſquis voluerit inter vos magnus fieri, eſſe debebit veſter miniſter, et quiſquis voluerit eſſe primus, debebit eſſe veſter ſervus; ſicut Filius hominis non venit ut Ipſi miniſtretur, ſed ut miniſtret,*" Matth. xx. 25, 26, 27, 28. Marc. x. 42, 43, 44. Luc. xxii. 27; hoc explicatum videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 218: et apud Lucam, "*Beati ſervi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes, amen dico vobis, quod cincturus ſit Se, et accumbere facturus eos, Ipſeque accedens miniſtraturus illis,*" xii. 36, 37. Quoniam per Davidem in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ac Divinum Verum inſervit, ideo David, ubi etiam per illum intelligitur Dominus, paſſim dicitur ſervus; ut apud Ezechielem, "*Ego Jehovah ero illis in Deum, et Servus meus David princeps in medio eorum,*" xxxiv. 24: apud Eundem, "*Servus meus David erit Rex ſuper illos, ut Paſtor unus ſit omnibus illis,*" xxxvii. 24; hæc de Davide dicta ſunt poſt illius tempora, qui nuſquam reſurrecturus erit princeps in medio illorum et Rex ſuper illos: apud Eſajam, "*Protegam urbem hanc ad ſervandum eam propter Me et propter Davidem ſervum meum,*" xxxvii. 35: apud Davidem, "*Pepegit fœdus Electo meo, juravi Davidi ſervo meo, in æternum uſque firmabo ſemen tuum: inveni Davidem ſervum meum, oleo ſanctitatis meæ unxi Eum,*" Pſalm. lxxxix. 4, 5, 21; agitur in toto illo Pſalmo de Domino, qui per Davidem ibi intelligitur: apud Eundem, "*Elegit Davidem ſervum ſuum, a poſt lactantes adduxit eum ad paſcendum Jacobum populum ſuum, et Iſraelem hæreditatem ſuam, qui pavit eos in integritate cordis ſui, et in rectitudinibus manuum ſuarum duxit eos,*" Pſalm. lxxviii. 70, 71, 72; præter alibi; quod Dominus quoad Divinum Verum per Davidem in Verbo intelligatur, videatur ſupra, n. 205, et quoque quod in illis locis. Dominus etiam Servus dicitur in Verbo, ubi per Iſraelem intelligitur, ut apud Eſajam, "*Servus meus tu Iſrael, in quo glorioſus reddar; leve eſt ut ſis Mihi ſervus ad erigendum Tribus Jacobi, et ſervatos Iſraelis ad reducendum, ſed dedi Te in lucem gentibus, ut ſis ſalus mea ad extremitatem terræ,*" xlix. 3, 6; quod Dominus in ſupremo ſenſu intelligatur per Iſraelem, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 4286: et quod Lapis Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Verum, n. 6426 ibi. Quoniam Dominus quoad Divinum Verum ex inſerviendo in Verbo dicitur Servus, ideo illi ibi ſervi dicuntur qui in Divino Vero a Domino ſunt, ac per id aliis inſerviunt, ſicut Prophetæ, in his locis; apud Jeremiam, "*Miſit Jehovah ad vos omnes ſervos ſuos Prophetas,*" xv. 4: apud Amos, "*Revelavit arcanum ſuum ſervis ſuis Prophetis,*" iii. 7: apud Danielem, "*Dedit coram* *vobis per manum ſervorum ſuorum Prophetarum,*" ix. 10: inde quoque *Moſes* vocatur "*ſervus Jehovæ,*" Malach. iii. 22; tum *Eſajas* apud illum, Cap. x. 3. Cap. lii. 10; per Prophetas enim in Verbo ſignificatur Doctrina Divini Veri, ita Divinum Verum quoad doctrinam, videatur n. 2534, 7269. Inde quoque David ſe vocat ſervum Jehovæ, ut in his apud illum, "*In ſtatutis tuis delector, non obliviſcor Verbi tui; ſervus tuus meditatur in ſtatutis tuis. Bonum feciſti cum ſervo tuo Jehovah, juxta verbum tuum. Fac cum ſervo tuo juxta miſericordiam tuam, et ſtatuta tua doce me. Servus tuus ego, erudi me, ut cognoſcam teſtimonia tua. Facies tuas illumina ſuper ſervum tuum, et doce me ſtatuta tua. Erravi ſicut pecus periens, quære ſervum tuum,*" Pſalm. cxix. 17, 18, 65, 124, 125, 135, 176: apud Eundem, "*Cuſtodi animam meam quia ſanctus ego, ſerva ſervum tuum quia confido in Te: lætifica animam ſervi tui, quia ad Te Domine attollo animam meam: da robur ſervo tuo, et ſerva filium ancillæ tuæ,*" Pſalm. lxxxvi. 2, 4, 16; præter alibi, ut Pſalm. xxvii. 9. Pſalm. xxxi. 17. Pſalm. xxxv. 27. Pſalm. cxvi. 16. Luc. i. 59; quoniam Dominus quoad Divinum Verum in ſuprallatis locis per Davidem intelligitur, et quia inde per Davidem intelligitur Divinum Verum, ſimile quod per prophetas, ideo per ſervum etiam in his locis in ſenſu ſpirituali intelligitur inſerviens: qui non ſcit ſenſum ſpiritualem Verbi, credere poteſt, quod non ſolum David, ſed etiam reliqui, de quibus in Verbo, ſe dixerint ſervos ex cauſa quia omnes ſunt ſervi Dei, at uſque ubi in Verbo nominantur ſervi, in ſpirituali ſenſu intelliguntur inſervientes et efficientes: ex qua cauſa etiam "*Nebuchadnezar Rex Babelis vocatur ſervus Jehovæ,*" Jerem. xxv. 9. Cap. xliii. 10: at in ſpecie per ſervum et ſervos in Verbo intelliguntur illi qui recipiunt Divinum Verum, ac qui docent illud, quoniam Divinum Verum inſervit, et per id Divinum Bonum efficit; inde eſt, quod paſſim dicantur ſervi et ſimul electi, ſervi qui recipiunt Divinum Verum et docent, ac electi qui recipiunt Divinum Bonum et ducunt, ut apud Eſajam, "*Producam ex Jacobo ſemen, et ex Jehudah hæredem montium meorum, ut poſſideant eum Electi mei, et ſervi mei habitent ibi,*" lxv. 9: apud Eundem, "*Tu Iſrael ſervus meus, et Jacobus quem elegi,*" xli. 8: apud Eundem, "*Audi Jacob ſerve mi, Iſrael quem elegi; ne time ſerve mi Jacob, et Jeſchurun quem elegi,*" xli. 1, 2; quod Electi dicantur qui in vita charitatis ſunt, videatur n. 3755 fin. 3900. Quia nunc ſervi in Verbo dicuntur ex inſerviendo et efficiendo, proinde illi qui inſerviunt et efficiunt, inde eſt quod naturalis homo dicatur ſervus, is enim inſervit ſpirituali efficiendo quod vult; et inde quoque ſpiritualis homo dicitur liber, ut et dominus; hoc quoque intelligitur per ſervum et dominum apud Lucam, "*Nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, et alterum amabit, aut unum præferet et alterum contemnet, non poteſtis Deo ſervire et mammonæ,*" xvi. 13; hoc non intelligendum eſt de ſervis in mundo, quoniam illi poſſunt ſervire duobus dominis, et uſque non odio habere et contemnere unum, ſed de ſervis in ſpirituali ſenſu, qui ſunt qui volunt amare Dominum et æque ſemet, ac Cœlum et æque mundum; illi ſunt ſicut qui uno oculo volunt ſpectare ſurſum et altero deorſum, ſeu uno oculo ad cœlum et altero ad infernum, et ſic pendere inter utrumque; cum tamen prædominium erit amorum, unius præ altero; et ubi prædominium eſt, ibi odio habetur et contemnitur, quod ſe opponit, et cum ſe opponit; nam amor ſui et mundi eſt oppoſitus amori in Dominum et amori erga proximum; inde eſt, quod qui in amore cœleſti ſunt, potius velint mori, ac deprivari honoribus et facultatibus in mundo, quam ut per illa abſtrahantur a Domino et a Cœlo, hoc enim conſiderant ut omne quia eſt æternum, at illud ut nihili reſpective quia finem cum vita in mundo habet: viciſſim autem illi, qui ſe et mundum ſuper omnia amant, vilipendunt reſpective Dominum et Cœlum, imo etiam negant, et quando oppoſitum in illis vident, odio habent; hoc manifeſte apparet apud omnes tales in altera vita: apud illos qui Dominum et Cœlum ſuper omnia amant, eſt internus ſeu ſpiritualis homo apertus, et ei inſervit externus ſeu naturalis homo, hic tunc eſt ſervus quia inſerviens, et ille eſt dominus quia volens; at apud illos, qui ſe et mundum ſuper omnia amant, eſt internus ſeu ſpiritualis homo occluſus, et externus ſeu naturalis homo apertus, et quando hic apertus et ille occluſus eſt, tunc amat unum dominum, nempe ſe et mundum, ac odio habet alterum, nempe Dominum et Cœlum; idem quoque teſtari poſſum ab experientia, omnes enim qui ſibi et mundo vixerunt, et non, ſicut oportet, Deo et Cœlo, in altera vita Dominum odio habent, et illos qui Ipſius ſunt perſequuntur, qualitercunque in mundo loquuti ſunt de Cœlo et quoque de Domino: ex quibus conſtare poteſt, quod impoſſibile ſit duobus dominis ſervire: quod illa Domini verba ſpiritualiter intelligenda ſint, patet ab Ipſius Domini verbis, nam dicit, non poteſtis Deo ſervire et mammonæ. Apud Matthæum, “ *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus ſupra dominum, ſufficiens eſt diſcipulo ut ſit ſicut inagiſter ſuus, et ſervo ſicut dominus ſuus,*” x. 24, 25; per hoc in univerſali ſenſu intelligitur, quod homo non æquiparabit ſe Domino, et quod ſufficiat ei quod omne ſuum ab Ipſo habeat, et tunc eſt diſcipulus ſicut magiſter, et ſervus ſicut Dominus, nam tunc eſt Dominus in illo, ac facit eum velle bonum et cogitare verum, diſcipulus dicitur ex bono, et ſervus ex vero: ſimile eſt in ſenſu ſingulari, nempe apud unumquemque hominem, qui ducitur a Domino, Externus ſeu naturalis homo apud illum eſt diſcipulus et ſervus, ac Internus et ſpiritualis homo eſt magiſter et dominus, quando Externus ſeu naturalis homo inſervit Interno ſeu ſpirituali, obediendo et efficiendo, tunc eſt is etiam ſicut magiſter et ſicut dominus, unum enim agunt, ſicut dicitur de cauſa principali et inſtrumentali, quod unam cauſam agant: ſingularis hic ſenſus coincidit in eo cum univerſali, quod, cum ſpiritualis et naturalis homo unum agunt, tunc Ipſe Dominus agat, nam ſpiritualis homo nihil ex ſe agit, ſed quod agit unice agat ex Domino; quantum enim ſpiritualis homo apertus eſt, hic enim aperitur in cœlum, tantum non agit ex ſe ſed a Domino; hic ſpiritualis homo eſt in proprio ſenſu ſpiritualis homo. Apud Johannem, “ *Cognoſcetis veritatem, veritas vos liberos facit: reſponderunt Judæi, ſemen Abrahami ſumus, et nemini ſervi fuimus unquam, quomodo Tu dicis, quod liberi fietis; reſpondit illis Jeſus, amen amen dico vobis, quod omnis faciens peccatum eſt ſervus peccati, ſervus non manet in domo in perpetuum, filius manet in perpetuum, ſi ergo filius vos liberos facit, vere liberi eritis,*” viii. 32, 33, 34, 35, 36; per hæc intelligitur quod liberum ſit duci a Domino, et quod ſervum ſit duci ab inferno; per Veritatem, quæ liberum facit, intelligitur Divinum Verum quod a Domino, qui enim id recipit doctrina et vita, is liber eſt, quia ſpiritualis fit, et ducitur a Domino; quare etiam dicitur, quod filius maneat in domo in perpetuum, ſi Filius vos liberos facit, vere liberi eritis, per filium intelligitur Dominus, et quoque Veritas, videatur ſupra n. 63, 151, 166, et manere in domo eſt in cœlo; quod duci ab inferno ſit ſervum, docetur per hæc verba, omnis faciens peccatum ſervus eſt peccati, peccatum eſt infernum quia ab inferno. Quod recipere Divinum Verum a Domino doctrina et vita ſit liber eſſe, etiam Dominus docet apud Johannem, "*Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæcunque mando vobis, non amplius vos dico ſervos, quia ſervus non ſcit quid ejus Dominus facit; vos potius dico amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis; non vos elegiſtis Me, ſed Ego elegi vos, et poſui vos ut vos abeatis et fructum feratis, et fructus veſter maneat,*" xv. 14, 15, 16; per amicos hic intelliguntur liberi, quoniam amici ibi opponuntur ſervis; quod illi non ſervi ſint ſed amici ſeu liberi, qui recipiunt Divinum verum doctrina et vita a Domino, docetur per hæc verba, ſi feceritis quæcunque mando vobis, non amplius vos dico ſervos ſed amicos, tum per hæc, omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis, ut vos abeatis et fructum feratis, mandare et nota facere eſt doctrinæ, ac fructum ferre eſt vitæ; quod hæc a Domino, docetur ita, non vos elegiſtis Me, ſed Ego elegi vos, et poſui vos. Simile pæne per ſervos Hebræos, qui anno ſeptimo et anno Jubilæi in libertatem miſſi ſunt, repræſentatum eſt, de quibus Exod. xxi. 2, 3. Levit. xxv. 39, 40, 41. Deutr. xv. 12, ſeq. Jerem. xxxix. 9, ſeq.: ſed de his videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 8973 ad 9005. Ex his, quæ hactenus allata ſunt, conſtare poteſt, quod Servi in Verbo dicantur qui inſerviunt et efficiunt, et quod inde naturalis homo per ſervum intelligatur, quia is inſervit ſpirituali ſuo homini efficiendo quod is vult et cogitat; tum quod liberi dicantur qui ex amore veri et boni, ita qui a Domino a quo amor veri et boni, agunt. Præterea per ſervos in Verbo etiam intelliguntur, qui a ſemet et mundo, et inde a malis et falſis, ducuntur, conſequenter qui a naturali homine et non ſimul a ſpirituali; ſed de his ſervis, alibi, volente Domino, dicetur.

410. Abſconderunt ſeipſos in ſpeluncis et in petris montium, quod ſignificet illa deperdita per mala vitæ et per falſa inde, conſtat ex ſignificatione abſcondere ſe, quod ſit quod deperdita ſint, nempe bona et vera interna et externa, ſeu quæ in naturali et ſpirituali homine, quæ ſignificantur per reges terræ, magnates, divites, chiliarchos, potentes et per omnem ſervum et omnem liberum, ut ſupra oſtenſum eſt, inde ſequitur quod per quod hi abſconderint ſe ſignificetur quod illa deperdita ſint, quæ deperdita ſunt etiam in abſcondito ſunt; ex ſignificatione ſpeluncarum, quod ſint mala vitæ, de qua ſequitur; et ex ſignificatione petrarum montium, quod ſint falſa inde; petræ enim ſignificant vera fidei, et in oppoſito ſenſu falſa fidei, hic falſa ex malis, nam montes ſignificant mala ex amoribus ſui et mundi ſcaturientia, ut mox ſupra, n. 405, oſtenſum eſt; ſed de ſignificatione petrarum in mox ſequente Articulo videbitur; hic nunc de ſpeluncis. Supra dictum eſt, quod in Mundo ſpirituali ſint montes, colles, petræ, valles,

terræ, ſicut in Tellure noſtra, et quod ſuper illis habitent Angeli et ſpiritus; ſed in Mundo ſpirituali uſque eſt alia facies illorum, ſuper montibus ibi habitant qui in ſumma luce ſunt, infra illos in eodem monte habitant qui in minore luce, et infra hos qui in adhuc minore, et in infimis habitant qui in tenebris et caligine reſpective ad lucem quæ eſt ſuperioribus; proinde Cœli ſunt in ſuperiore parte montium, ac inferna ſunt in infimis, ita ſtratim ſuccedunt montium expanſa; cauſa eſt, ut inferiores regantur per ſuperiores a Domino, influit enim Dominus immediate a Se in omnia Mundi ſpiritualis, ac mediate per Cœlos ſuperiores in inferiores, et per hos in inferna; hæc ordinatio eſt ob illam cauſam, ut omnes teneantur in nexu per influxum; talis eſt diſpoſitio coordinata et ſubordinata per totum Mundum ſpiritualem. In Inferna quæ ſub montibus et in petris ſunt, patent aditus vel in imis lateribus, vel per cavernas e vallibus; ac aditus in imis lateribus apparent ſicut aditus in ſpeluncas ubi feræ, prorſus caliginoſi, qui aperiuntur quando immittuntur infernales ſpiritus, at occluduntur quando immiſſi ſunt; aditus illi in Verbo vocantur portæ inferni; in petris autem apparent aditus illi ſicut fiſſuræ in rupe, et in quibuſdam locis ſicut foramina variæ aperturæ; caliginoſum in portis illis ſeu oſtiis apparet caliginoſum bonis ſpiritibus et angelis, ſed ut luminoſum malis ſpiritibus, cauſa eſt quia non lux Cœli ibi eſt, ſed lumen fatuum, quod eſt lumen naturale abſque ſpirituali; at luminoſum illorum non eſt ſicut luminoſum in mundo interdiu, ſed ſicut nocturnum pro bubonibus, talpis, noctuis et veſpertilionibus, quæ in luce diei nihil vident, et inde illis lux diei caligo eſt, ſed tenebræ noctis lumen; viſus illorum talis eſt, quia formatus ex falſis et malis, quæ in ſe ſunt tenebræ et caligo; quapropter etiam per tenebras in Verbo ſignificantur falſa omnis generis, et per caliginem falſa mali. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod abſconderint ſe in ſpeluncis, quod nempe in malis vitæ, bonis apud illos deperditis: quod mala vitæ per ſpeluncas ſignificentur, eſt ex eadem cauſa, ex qua montes ſignificant bona vitæ, nempe quia tales ſunt qui ibi, nam ſenſus ſpiritualis modo ſpectat mala aut bona abſtracte a locis et perſonis, qualia ſunt in illis et apud illos, ut quoque ſupra aliquoties dictum eſt. Ex his conſtare poteſt, quid in Verbo ſignificatur per ſpeluncas, cavernas, cryptas, foramina, fiſſuras et rimas petrarum et montium, in ſequentibus locis; apud Eſajam, “*Intra in petram et abſconde te in pulvere, propter pavorem Jehovæ, et præ gloria magnificentiæ Ipſius; nam dies Jehovæ Zebaoth ſuper omnem magnificum et altum, et ſuper omnem elatum et humilem; et ſuper omnes cedros Libani altas et elatas, et ſuper omnes quercus Baſhanis, et ſuper omnes montes altos, et ſuper omnes colles elatos, et ſuper omnem turrim excelſam, et ſuper omnem murum munitum, et ſuper omnes naves Tharſhiſh, et ſuper omnes imagines deſiderii, ut deprimatur ſuperbia hominis, et humilietur altitudo virorum, et exaltetur Jehovah ſolus in die illo; et idola in fumum abibunt, et intrabunt in ſpeluncas petrarum, et in fiſſuras pulveris, propter pavorem Jehovæ, et præ gloria magnificentiæ Ipſius, quando ſurget ad terrendum terram: in die illo projiciet homo idola argenti et idola auri ſui, quæ fecerunt ſibi ad incurvandum ſe talpis et veſpertilionibus, ad intrandum in ſciſſuras petrarum, et in fiſſuras rupium*,” ii. 10 ad 21; hæc omnia non intellecturus eſt quiſquam niſi ex ſenſu interno, et niſi ſciat qualis eſt facies rerum in Mundo ſpirituali, nam quis abſque ſenſu interno ſciturus eſt, quid ſit quod dies Jehovæ erit ſuper cedros Libani et quercus Baſhanis, ſuper montes et colles, ſuper turrim et murum, ſuper naves Tharſchiſh et imagines deſiderii, et quid ſit incurvare ſe talpis et veſpertilionibus; et quis niſi ex cognita facie rerum in Mundo ſpirituali ſciturus eſt, quid ſit quod intrarent in petram, et abſconderent ſe in pulvere, intrarent in ſpeluncas petrarum, et in fiſſuras pulveris, tum in ſciſſuras petrarum et fiſſuras rupium: at ex ſenſu interno ſcitur, quod per illa omnia deſcribatur ſtatus illorum qui in amore ſui et mundi ſunt et inde in malis et falſis tempore Ultimi Judicii; quare dicitur, quod dies Jehovæ erit ſuper omnem magnificum et altum, et ſuper omnem elatum et humilem; dies Jehovæ eſt ultimum Judicium, omnis magnificus et altus ſunt qui in amore ſui et mundi, et omnis elatus et humilis ſunt qui in amore propriæ intelligentiæ: hoc deſcribitur amplius per quod dies Jehovæ erit ſuper omnes cedros altas et elatas, et ſuper omnes quercus Baſchanis, ſuper omnes montes altos et colles elatos, ſuper omnem turrim excelſam et murum munitum, et ſuper omnes naves Tharſchiſh et imagines deſiderii; per cedros Libani et per quercus Baſchanis ſignificatur faſtus ex propria intelligentia, faſtus interior per cedros Libani et exterior per quercus Baſchanis; per montes et colles ſignificantur amores ſui et mundi, et inde ſcaturientia mala et falſa, ut ſupra, n. 405, oſtenſum eſt; per turrim et murum ſignificantur falſa doctrinæ confirmata; per naves Tharſchiſh et imagines deſiderii ſignificantur cognitiones et perceptiones falſi ex malo; cultus eorum ex malis et falſis, ſignificatur per idola quæ fecerunt ſibi ad incurvandum ſe talpis et veſpertilionibus, cultus ex talibus quæ ſunt ex propria intelligentia ſignificatur per idola quæ fecerunt ſibi ad incurvandum ſe, mala et falſa doctrinæ ex quibus cultus ſignificatur per talpas et veſpertiliones, quia viſus earum eſt in tenebris et fugiunt lucem; judicium ſuper illos deſcribitur per quod intrabunt ſpeluncas petrarum et in fiſſuras pulveris, tum in ſciſſuras petrarum et in fiſſuras rupium, ac per intrare in ſpeluncas petrarum et fiſſuras pulveris ſignificatur damnatio illorum qui in malis et falſis ex amoribus ſui et mundi, et ex faſtu propriæ intelligentiæ ſunt, inferna enim eorum apparent ut ſpeluncæ in petris, ac aditus in illa ut ſciſſuræ petrarum et fiſſuræ rupium, petræ et rupes etiam ſignificant falſa fidei et doctrinæ, ac pulvis ſignificat damnatum. Apud Jeremiam, "*Terror tuus decepit te, ſuperbia cordis tui, habitans in foraminibus petrarum, tenens altitudinem collis; ſi exaltares ſicut aquila nidum tuum, inde dejicerem te,*" xlix. 16; hæc dicta ſunt de Eſavo et Edomo, et per Eſavum hic ſignificatur amor ſui et inde malum perdens Eccleſiam, et per Edomum faſtus propriæ intelligentiæ, et inde falſum perdens Eccleſiam; quod amor ſui et faſtus ille intelligatur, patet ex eo, quod dicatur, ſuperbia cordis tui decepit te, ſi exaltares ſicut aquila nidum tuum, inde dejicerem te; illi qui in falſis ex propria intelligentia ſunt infra in petris habitant, et aditus ad illos apparent ſicut foramina ibi, quæ etiam mihi quoque viſa ſunt; intus tamen ſunt cellæ lacunatæ et cameræ, ubi ſedent in phantaſiis ſuis; ſed antequam illuc injiciuntur, apparent illi ſupra montes et colles, evehunt enim ſe in altitudines per phantaſias, et quia non in veris ſunt, putant quod corpore ibi ſint, cum tamen corpore ſunt in cavernis petrarum; hoc itaque eſt quod intelligitur per habitans in foraminibus petrarum, tenens altitudinem collis: inde conſtat quale eſt Verbum, quod nempe multis in locis ſecundum facies et apparentias in Mundo ſpirituali ignotas homini, ſed notas ſpiritibus et angelis; ex quo patet, quod Verbum etiam ſit pro illis ſcriptum. Apud Obadiam, "*Superbia cordis tui decepit te, qui habitans in fiſſuris petræ, altitudine ſedis tuæ, qui dicit corde ſuo, quis detrahet me in terram; ſi exaltaveris te ſicut aquila, etſi inter ſtellas ponis nidum tuum, inde detraham te,*" Verſ. 3; hæc quoque de Edomo, per quem hic ſignificatur faſtus eruditionis quæ eſt ex propria intelligentia, et inde falſum perdens Eccleſiam; quia pæne ſimilia hic dicuntur ut mox ſupra, etiam ſimilia ſignificantur; per ſciſſuras petræ ſignificantur falſa fidei et doctrinæ, quoniam ibi habitant qui in illis; comparantur aquilæ, quia per aquilam ex volatu in altis, ſignificatur faſtus propriæ intelligentiæ, ex eo etiam dicitur nidus pro habitatione, ponere illum inter ſtellas ſignificat in altis ubi habitant qui in cognitionibus veri, nam per ſtellas ſignificantur cognitiones veri. Apud Hiobum, "*In fiſſura vallium ad habitandum, in foraminibus terræ et petris,*" xxx. 6; etiam hic per fiſſuras vallium, foramina terræ, et petras ſignificantur falſa mali, agitur enim ibi de falſis mali. Apud Eſajam, "*Fiet in die illo, ſibilabit Jehovah muſcæ quæ in extremitate fluviorum Ægypti, et api quæ in terra Aſchuris, quæ venient et quieſcent omnes in fluviis deſolationum et in fiſſuris petrarum, et in omnibus virgultis et in omnibus ductibus,*" vii. 18, 19; ita deſcribitur Eccleſia vaſtata per ſcientifica falſe applicata et per ratiocinia inde, per quæ ipſæ cognitiones veri ex Verbo pervertuntur; muſca in extremitate fluviorum Ægypti ſignificat falſum in extremis naturalis hominis, extrema naturalis hominis ſunt quæ vocantur ſenſualia, eſt enim naturalis homo interior, medius et exterior, interior communicat cum ſpirituali homine per rationale, exterior autem cum mundo per ſenſus corporis, ac medius conjungit utrumque, exterior eſt qui vocatur ſenſualis quia a ſenſibus corporis pendet et ſua haurit, falſa ibi et inde ſignificantur per muſcas in extremitate fluviorum Ægypti; per apem autem in terra Aſchuris ſignificantur ratiocinia falſa inde; per Aſchurem enim ſignificatur rationale, et per Ægyptum ſcientificum naturalis hominis, et quia rationale omne ſuum haurit ex ſcientificis naturalis hominis, inde ratiocinia ejus ſignificantur per apes, quia apes exſugunt et trahunt ſua ex floribus, ita rationale ex ſcientificis naturalis hominis, hic autem per apes ſignificantur ratiocinia falſa, quia rationale colligit ſua ex ſcientificis falſe applicatis: quod illa aſſimilentur muſcis et apibus, eſt etiam ex correſpondentia, apparent enim in mundo ſpirituali varii generis volatilia, ſed ſunt apparentiæ ex ideis cogitationum ſpirituum, et volatilia noxia, inter illa ſunt talis generis muſcæ et apes; muſcæ in extremitate fluviorum Ægypti trahunt correſpondentiam ex enaſcentia eorum ex fœtore fluviorum; quod dicatur, quod venient et quieſcent in fluviis deſolationum et in fiſſuris petrarum, ſignificat quod falſa ſcientificorum et inde ratiociniorum reſideant ubi nulla vera ſunt et ubi fides falſi, fluvii deſolationum ſunt ubi nulla vera, et fiſſuræ petrarum ubi fides falſi; quod in omnibus virgultis et in omnibus ductibus ſignificat quod per illa falſificatæ ſint cognitiones et perceptiones veri, virgulta ſunt cognitiones veri, et ductus ſunt perceptiones, quæ falſificantur ex falſis ſupra memoratis dum influunt; quod hæc arcana illis verbis inſint, nemo niſi ex ſenſu interno, et ſimul ex mundo ſpirituali videre et ſcire poteſt. Apud Eundem, "*Palatium erit deſertum, multitudo urbis derelicta, clivus et ſpecula erunt ſuper ſpeluncis in æternum uſque, gaudium onagrorum et paſcuum gregum,*" xxxii. 14; per hæc deſcribitur Eccleſiæ vaſtatio totalis, ubi non amplius aliquod bonum vitæ ac verum doctrinæ; ſed uſque nemo ſcire poteſt quid illa involvunt, niſi qui ſcit ſtatum rerum in Mundo ſpirituali, et ſimul ſenſum internum; devaſtatio totius Eccleſiæ intelligitur per palatium erit deſertum, et multitudo urbis derelicta, palatium ſignificat totam Eccleſiam quoad vera ex bono, ac deſertum ſignificat non bonum quia non verum, inde palatium erit deſertum ſignificat Eccleſiam devaſtatam; multitudo urbis ſignificat omnia vera doctrinæ, urbs enim eſt doctrina, et multitudo dicitur de veris, quæ derelicta dicuntur, quando non ſunt; quod clivus et ſpecula erunt ſuper ſpeluncis in æternum uſque, ſignificat quod amplius nulla Eccleſia apud illos erit, quia non niſi quam malum vitæ et falſum doctrinæ, ſpeluncæ ſignificant illa, ex cauſa quia tales habitant in ſpeluncis, ut ſupra dictum eſt; et quia tales in Mundo ſpirituali in profundis habitant, et ſupra teguntur a clivis et ſpeculis, ita abſconditi ab illis qui ſupra terris ibi commorantur, ideo non modo dicitur quod clivus et ſpecula erunt ſuper ſpeluncis, ſed etiam quod gaudium onagrorum et paſcuum gregum; in illo Mundo etiam ſunt Inferna plura in profundis prorſus abſcondita per terras, petras et colles ſupra, ſeu per clivos et ſpeculas, ubi gramen ſicut paſcuum gregibus, unde fit quod ignota ſint habitantibus ſuper terra ibi, gaudium onagrorum etiam ſignificat affectionem ſeu amorem falſorum, ac paſcuum gregum nutritionem mali ex falſis, ac utrumque devaſtationem veri per falſa: ex his videri poteſt quodnam arcanum in his verbis latet. Apud Jeremiam, "*Num ſpelunca latronum facta eſt domus hæc, ſuper qua nominatur Nomen meum,*" vii. 11; per ſpeluncam latronum ſignificatur malum vitæ ex falſis doctrinæ, et per domum ſuper qua nominatur Nomen meum, ſignificatur Eccleſia ubi cultus ex bonis vitæ per vera doctrinæ, domus eſt Eccleſia, Nomen Jehovæ eſt omne per quod colitur, ita bonum et verum, hoc doctrinæ et illud vitæ: quod Eccleſia ubi malum vitæ ex falſis doctrinæ dicatur ſpelunca latronum, eſt quia ſpelunca ſignificat illud, et latrones dicuntur qui furantur ex Verbo vera, ac illa pervertunt et applicant falſis et malis, et ſic exſtinguunt illa. Ex his patet, quid intelligitur per Domini verba apud Evangeliſtas, "*Scriptum eſt, quod Domus mea Domus precum vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum,*" Matth. xxi. 13. Marc. xi. 17. Luc. xix. 46; per Domum ibi in univerſali ſenſu ſignificatur Eccleſia; et quia in Templo Hieroſolymæ peragebatur cultus, ideo vocatur Domus precum; quod Templum ſignificet Eccleſiam, videatur n. 3720; quod preces ſignificent cultum, ſupra n. 325; quod vocari ſignificet ſimile quod ſupra nominare Nomen meum ſuper illa, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3421. Apud Eſajam, "*Ludet ſugens ſuper foramine viperæ, et ſuper ſpeluncam baſiliſci ablactatus manum ſuam impellet,*" xi. 8; hæc nec intelliguntur, niſi ex illis, quæ in Mundo ſpirituali apparent, ſciatur, quid foramen viperæ et quid ſpelunca baſiliſci; ſupra dictum eſt, quod aditus ad inferna appareant ſicut foramina in petris, et ſicut hiatus patentes ad ſpeluncas quales ſunt feris in ſylvis; illi qui inibi ſunt, dum ſpectantur in luce Cœli, apparent ſicut monſtra varii generis, et quoque ſicut feræ, illi qui in Infernis ſunt ubi tales qui contra innocentiam doloſe agunt, apparent ſicut viperæ, et illi qui contra bonum amoris ſicut baſiliſci; et quia ſugens ſeu infans lactens ſignificat bonum innocentiæ, ideo dicitur ludet ſugens ſuper foramine viperæ; et quia ablactatus ſeu infans ceſſans lactare ſignificat bonum amoris, ideo dicitur, et ſuper ſpeluncam baſiliſci ablactatus manum ſuam impellet; inde per illa ſignificatur, quod illis qui in bono innocentiæ ac in bono amoris in Dominum ſunt, prorſus nihil timoris ſit a malis et falſis, quæ ab Inferno, quia tuti a Domino: quod per Infantes in Verbo ſignificetur bonum innocentiæ, et quoque per lactantes, videatur n. 430, 3183: quid viperæ, et quid ſerpentes alii venenati ſignificant, n. 9013. Apud Jeremiam, "*Sume cingulum quod emiſti tibi, quod ſuper lumbis tuis, et ſurge et abi ad Euphratem, et abſconde illud in foramine petræ: quod etiam fecit: et poſtea a fine dierum multorum abiit et recepit id ibi, et ecce corruptum erat, et non proderat ad quicquam,*" xiii. 4 ad 7; per hæc repræſentabatur qualis Eccleſia Judaica erat, quod nempe abſque omni bono vitæ et vero doctrinæ; cingulum enim ſuper lumbis Prophetæ ſignificabat conjunctionem Domini cum Eccleſia per Verbum; per Euphratem ſignificatur omne Eccleſiæ quoad bonum, ibi quoad malum, et per petram omne Eccleſiæ quoad verum, ibi quoad falſum, nam dicitur foramen petræ; quod cingulum corruptum eſſet ut non prodeſſet ad quicquam, ſignificabat quod prorſus non aliqua conjunctio Eccleſiæ cum Domino, proinde quod non Eccleſia. Simile quod per ſpeluncam in Propheticis Verbi, etiam per illam in Hiſtoricis Verbi, ſignificatur; nam Hiſtoricis Verbi æque ac Propheticis Verbi ſenſus internus ineſt; ut quod memoratur de Lotho, quod poſt combuſtionem Sodomæ et Gomorrhæ "*habitaverit in Spelunca montis cum duabus filiabus ſuis, quæ inebriaverunt illum, et cubuerunt cum illo, unde nati ſunt Moab et Ammon,*" Geneſ. xix. 30, 31, 32, 33; per hæc repræſentatum et ſignificatum eſt ſimile quod per Moabum et Ammonem in Verbo, per Moabum enim ſignificatur adulteratio boni Eccleſiæ, et per Ammonem falſificatio veri Eccleſiæ, videatur n. 2468, 8315; per adulteria enim et per ſcortationes ſignificantur in genere adulterationes boni et falſificationes veri, videatur ſupra n. 141, 161; et per varia genera adulteriorum et ſcortationum, quæ recenſentur Levit. xviii. 6 ad 30, ſignificantur varia genera adulterationum et falſificationum boni et veri; et inde eſt quod Lothus tunc dicatur commoratus in ſpelunca: tale etiam nefandum per ſpeluncam montis ibi ſignificatur. In Libro Judicum dicitur, "*quod filii Iſraelis fecerint malum in oculis Jehovæ, et quod ideo dati ſint in manum Midianis, et quod propter Midianem fecerint ſibi ſpeluncas in montibus et antra et munitiones,*" vi. 1, 2; per malum, quod filii Iſraelis fecerunt, intelligitur perverſio boni et veri, ut conſtare poteſt ex ſequentibus ibi, et quoque ex ſignificatione Midianis, videatur n. 3242, propter quem fecerunt ſibi ſpeluncas in montibus et antra; a malo enim, quod per Midianem ſignificatur, erant filii Iſraelis occupati, nam propter Midianem ſignificat propter illud malum. Similiter cum filii Iſraelis fugerunt propter Philiſthæos, 1 Sam. xiii. 6.

411. Et dicebant montibus et petris cadite ſuper nos, quod ſignificet obtectionem a malis et a falſis inde, conſtat ex ſignificatione montium, quod ſint mala ex amoribus ſui et mundi ſcaturientia, de qua ſupra, n. 405; et ex ſignificatione petrarum, quod ſint falſa ex malo, de qua infra; et ex ſignificatione cadere ſuper nos, quod ſit ab illis obtegi: etiam hæc illuſtranda ſunt ex talibus quæ in Mundo ſpirituali exiſtunt quando ultimum Judicium eſt, nam hæc dicta ſunt de Ultimo Judicio, ut patet ex ſequente Verſu, ubi dicitur, "*quia venit dies magnus iræ Ejus, et quis poteſt ſtare,*" per quem diem intelligitur tempus et ſtatus Ultimi Judicii; ſtatus impiorum tunc eſt talis, ut dejiciant ſe e montibus et petris, ſuper quibus habitationes ſuas fecerunt, in inferna profunde ſecundum atrocitatem malorum et falſorum apud illos, et hoc faciunt ipſi, quia non ſuſtinent Divinum Bonum ac Divinum Verum; aperiuntur tunc Cœli ſuperiores, e quibus influit Lux Cœli, quæ eſt Divinum Verum unitum Divino Bono, ex hac Luce conſtringuntur ſimulata bona et vera quæ apud illos, quibus conſtrictis aperiuntur mala et falſa eorum, et quia hæc et illa non ſuſtinere poſſunt lucem Cœli, anguntur enim et cruciantur ex illa, ideo conjiciunt ſe a montibus et petris in inferna profunde ſecundum quale mali et falſi ſui, quidam in hiatus et ſpeluncas, quidam in foramina et petras, quæ tunc ſtant coram illis aperta; et poſtquam illuc ſe conjecerunt, clauduntur aperturæ: hoc modo fit ejectio malorum ſpirituum ex montibus et collibus, quos occupaverunt, videatur ſupra, n. 391, 392, 394; quando in ſpeluncis et in petris ſunt, tunc ceſſant angores et cruciatus, quos ab influxu lucis Cœli ſuſtinuerunt, nam quies illis eſt in ſuis malis et inde falſis, quia hæc illis jucunda fuerunt; jucunda enim vitæ unumquemvis manent poſt mortem, jucunda vitæ ſunt jucunda amorum illorum, nam omne jucundum vitæ eſt amoris; inde conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod dicant montibus et petris ut cadant ſuper illos, ſimiliter quid ſignificatur, apud Hoſcheam, "*Dicent montibus operite nos, et collibus cadite ſuper nos,*" x. 8: et apud Lucam, "*Tunc incipient dicere montibus cadite ſuper nos, et collibus occultate nos,*" xxiii. 30; ibi etiam agitur de Ultimo Judicio. Lux Cœli, quæ eſt Divinum Verum unitum Divino Bono, a cujus influxu et præſentia anguntur et cruciantur mali qui ſe dejiciunt, intelligitur per verba mox ſequentia in hoc Verſu, *abſcondite nos a facie Sedentis ſuper Throno et ab ira Agni*; ira Agni dicitur, quia cruciantur; verum cruciatus eorum non eſt inde, ſed ex malis amorum et ex falſis fidei eorum; hæc quia formarunt omnia interiora mentis eorum, nam cujuſvis mens formatur ex amore ſuo et inde fide uſque ut ſit inſtar ejus in forma, et quia interiora mentis illorum qui in malis et inde falſis ſunt verſa ſunt in partem contrariam ſeu in plagam oppoſitam bonis et veris Divinis, ideo cum Divinum Verum influit, et conatur retroagere interiora quæ mentis eorum, et per id adducere illos in Cœlum, hoc enim Divinum Verum procedens a Domino ubique facit ubi influit, et illi non volunt recedere

a ſuorum amorum jucundis, inde illis angores et cruciatus, qui ceſſant cum veniunt in inferna ubi ſimilia jucunda ſeu ſimiles amores regnant. Quoniam ſupra, n. 405, oſtenſum eſt, quid Montes et Colles ſignificant, ideo in nunc ſequentibus oſtendetur quid Petræ, quod nempe ſignificent Verum ex bono ſpirituali ac verum et bonum fidei, at in oppoſito ſenſu falſum fidei: quod Petræ ſignificent illa, eſt quoque ex apparentiis in Mundo ſpirituali, apparent enim ibi Petræ et Rupes, ſicut apparent Montes et Colles, ut ſupra oſtenſum eſt, et ſuper Petris ibi habitant qui in Veris ex bono ſpirituali ſunt et qui in vero et bono fidei; ſed differunt Montes et Colles a Petris et Rupibus ibi in eo, quod Montes et colles ſint ex humo, Petræ autem et rupes ex ſaxo, humus enim correſpondet bono amoris et inde ſignificat illud, ſaxum autem correſpondet vero fidei et inde ſignificat illud; et quia pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ita etiam Petræ, et in eo ſenſu ſignificant falſum fidei, et hoc quoque ex correſpondentia, nam qui in falſis fidei ſunt, habitant intra petras in cavernis ibi. Quod Petra ſignificet verum ex bono, ac verum fidei, et in ſupremo ſenſu Dominum quoad illa, conſtat ex ſequentibus locis; apud Danielem, "*Viſus fuiſti uſque dum exciſus eſt lapis, qui non per manus, et percuſſit ſtatuam ſuper pedes ejus, qui ferrum et argilla; et lapis qui percuſſit ſtatuam, factus eſt in Petram magnam, et implevit totam terram,*" ii. 34, 35; hæc de ſtatua Nebuchadnezari in ſomnio viſa; quod per Lapidem, qui factus in Petram magnam, intelligatur Dominus, ex ſingulis ibi patet; ſed quid præcedentia ibi ſignificant, primum dicetur; per Caput ſtatuæ quod erat Aurum, ſignificatur Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit Eccleſia cœleſtis, ſeu Eccleſia in qua regnabat bonum amoris in Dominum, hoc bonum in Verbo ſignificatur per Aurum et quoque per Caput; per Pectus et Brachia quæ erant Argentum, ſignificatur Antiqua Eccleſia, quæ ſucceſſit Antiquiſſimæ, quæ Eccleſia fuit Eccleſia ſpiritualis, ſeu Eccleſia in qua regnabat bonum charitatis erga proximum ac verum ex bono, hoc verum et illud bonum ſignificatur per Argentum et quoque per Pectus et Brachia; per Ventrem et femora quæ erant æs, ſignificatur Eccleſia quæ ſucceſſit Eccleſiæ Antiquæ ſpirituali, et vocari poteſt ſpiritualis naturalis, in illa regnabat bonum fidei ac verum ex illo bono, id bonum in Verbo ſignificatur per æs, et quoque per Ventrem et femora; per Crura autem et pedes, qui ex parte erant ferrum ex parte argilla, ſignificatur Eccleſia Iſraelitica et Judaica, quæ erat Eccleſia externa in qua non internum, cui ideo non verum et bonum, ſed verum falſificatum quod in ſe eſt falſum, et bonum adulteratum quod in ſe eſt malum; quare de ea in illo Capite dicitur, quod *vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, commiſcebunt ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiſcetur cum argilla*, Verſ. 43; ferrum ſignificat naturale verum, et argilla luti naturale bonum, ſimiliter pedes et crura, ſed ibi argilla ſignificat bonum adulteratum, et ferrum verum quale eſt in externo ſenſu Verbi, ſemen enim hominis eſt Verbum ubi vera et bona, quorum adulterationes et falſificationes deſcribuntur per ferrum mixtum cum argilla, quæ non cohærent unum cum altero: quod quatuor Eccleſiæ fuerint, una poſt alteram, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 247, 248: per Lapidem qui percuſſit ſtatuam, intelligitur Divinum Verum a Domino; quod ille factus ſit in Petram magnam, et impleverit totam terram, ſignificat quod Dominus per Divinum Verum dominaturus ſit ſuper Cœlum et Eccleſiam, terra ibi eſt Eccleſia et quoque Cœlum, quare etiam dicitur, quod Regnum hoc in æternum ſtabit, Verſ. 44, per Regnum etiam ſignificatur Eccleſia et Cœlum, ibi enim eſt Regnum Dei: quod Divinum Verum per Lapidem, et Dominus quoad Divinum Verum per Petram ibi intelligatur, conſtat ex ſignificatione Lapidis in Verbo ubi de Domino, ut Geneſ. xlix. 24. Pſalm. cxviii. 22, 23. Eſaj. xxviii. 16. Matth. xxi. 42, 44. Marc. xii. 10, 11. Luc. xx. 17, 18: ſive dicas Dominum ſive Divinum Verum, idem eſt, quoniam omne Divinum Verum eſt ab Ipſo, et inde Ipſe in illo; ex eo eſt, quod etiam Dominus dicatur Verbum, nam Verbum eſt Divinum Verum: quod Lapis in ſupremo ſenſu ſignificet Dominum quoad Divinum Verum, et inde in ſenſu inferiori verum ex bono, videatur n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376. Quod Petra ſignificet Dominum quoad Divinum Verum, conſtat "*ex Petra in Chorebo, ex qua aquæ populo Iſraelitico datæ ſunt,*" Exod. xvii. 5, 6; et quod mandatum ſit, "*ut Moſes et Aharon loquerentur ad Petram, et ſic ſanctificarent Jehovam in oculis filiorum Iſraelis; ſed quod Moſes baculo percuſſerit illam duabus vicibus; quare denuntiatum eſt Moſi et Aharoni quod non deducerent populum in terram Canaanem,*" Num. xx. 8 ad 13; quod Petra illa ſignificaverit Dominum, notum eſt in Eccleſia, ſed non notum eſt quod ideo ſignificaverit, quia Petra in Verbo ſignificat Divinum Verum procedens a Domino; quare etiam mandatum eſt Moſi et Aharoni ut loquerentur ad illam, et ſic ſanctificarent Jehovam in oculis filiorum Iſraelis; per aquas etiam quæ effluxerunt ſignificatur Divinum Verum, et per potare populum ex illis ſignificatur ſpiritualiter nutrire, quod fit inſtruendo et docendo; quod aquæ ſignificent vera, videatur ſupra, n. 71; et quod bibere et potari ſignificet inſtrui et doceri, in Arcanis Cœlestibus, n. 3069, 3772, 4017, 4018, 8562, 9412. Simile itaque ſignificatur per Petram apud Eſajam, "*Non ſitient, in vaſtitatibus ducet eos, aquas e Petra effluere faciet illis, dum findit Petram, ut effluant aquæ,*" xlviii. 21: apud Davidem, "*Diffidit Petras in deſerto, et bibere fecit abyſſos magnas, et eduxit fluenta e Petra: et recordati ſunt quod Deus Petra eorum, et Deus excelſus Redemptor eorum,*" Pſalm. lxxviii. 15, 16, 20, 35: apud Eundem, "*Aperuit Petram ut effluerent aquæ, iverunt in ſiccitatibus, fluvius,*" Pſalm. cv. 41: apud Eundem, "*A coram Domino parturis terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit Petram in ſtagnum aquarum, ſilicem in fontem aquarum,*" Pſalm. cxiv. 8; quod Petra in his locis ſignificet Dominum quoad Divinum Verum, ſeu quod idem, Divinum Verum a Domino, patet a ſupradictis, tum etiam ex eo, quod in binis illis locis apud Davidem agatur de Redemptione et Regeneratione hominum Eccleſiæ, quod fit per Divinum Verum a Domino, de Redemptione per hæc, Recordati ſunt quod Deus Petra eorum et Deus excelſus Redemptor eorum; de Regeneratione per hæc, a coram Domino parturis terra, per paturire, cum dicitur de Eccleſia, ſignificatur reformari et regenerari. Apud Eſajam, "*Attendite ad Me ſectantes juſtitiam, quærentes Jehovam; reſpicite ad Petram ex qua exciſi eſtis, et ad effoſſionem foveæ ex qua effoſſi eſtis,*" li. 1; per Petram intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, et per foveam ſignificatur Verbum, ut quoque alibi; excidi ex Petra et effodi ex fovea, ſignificat regenerari ex Divinis veris et Divinis bonis, ita per vera ex bono a Domino; nam lapides qui exciduntur e Petra ſignificant vera ex Domino, et humus qui effoditur ex fovea ſignificat bonum a Domino, quare dicitur effoſſio foveæ. Apud Moſen, "*Date magnitudinem Deo noſtro, Petra, cujus perfectum eſt opus, et omnes Ejus viæ judicium. Equitare fecit eum ſuper excelſis terræ, et cibat proventu agrorum, ſugere facit eum mel e rupe, et oleum ex ſaxo Petræ. Petram, quæ genuit te, oblivioni dediſti, et oblitus es Dei Formatoris tui: nonne quia Petra eorum vendidit eos, et Jehovah occluſit eos: non enim ſicut Petra noſtra petra eorum, neque hoſtes noſtri judices,*" Deutr. xxxii. 4, 13, 18, 31, 32; hæc dicta ſunt de Eccleſia Antiqua, quæ fuit Eccleſia quæ in veris ex bono, quare deſcribuntur vera ex bono per varia quæ correſpondent, ut per quod equitare fecerit eum ſuper excelſis terræ, cibaverit proventu agrorum, ſugere fecerit mel e rupe et oleum e ſaxo petræ, intelligentia ſpiritualium iſtius Eccleſiæ ſignificatur per quod equitare eum fecerit ſuper excelſis terræ, equitare ſignificat intelligere, excelſa terræ ſunt ſpiritualia Eccleſiæ; nutritio ſpiritualis inde ſignificatur per cibavit eum proventu agrorum, cibare eſt nutrire, et proventus agrorum ſunt omnia Eccleſiæ; quod eis bonum naturale et bonum ſpirituale per Divinum Verum a Domino, ſignificatur per quod ſugere fecit eum mel e rupe et oleum e ſaxo petræ, mel eſt bonum naturale, oleum eſt bonum ſpirituale, rupis eſt Divinum Verum a Domino externum quod pro naturali homine; et ſaxum petræ eſt Divinum Verum a Domino internum quod pro ſpirituali homine: poſtea ibi agitur de Eccleſia Judaica, quæ non in aliquo Divino Vero erat, de qua dicitur, Petram, quæ genuit te, oblivioni dediſti, et oblitus es Dei Formatoris, per quæ ſignificatur quod Dominum et inde Divinum Verum, per quod reformatur Eccleſia, rejecerint, Petra eſt Dominus quoad Divinum Verum, et reformatio per id ab Ipſo ſignificatur per qui genuit te et per Deum Formatorem; quod prorſus deprivati vero et bono eſſent, ſignificatur per quod Petra eorum vendidit eos, et Jehovah occluſit eos, Petra dicitur ex vero et Jehovah ex bono, vendere et occludere eſt deprivari; quod falſum illis ex malo fuerit, ſignificatur per non ſicut Petra noſtra petra eorum, neque hoſtes noſtri judices, petra eorum eſt falſum, hoſtes noſtri ſunt mala, non judices ſignificat non vera et bona: ex his conſtare poteſt, quod Petra ſignificet Dominum quoad Divinum Verum, et in oppoſito ſenſu falſum. In Libro II Samuelis, "*Spiritus Jehovæ loquutus eſt in me, et ſermo Ejus ſuper lingua mea; dixit Deus Iſraelis, loquuta eſt Petra Iſraelis, dominans in hominem juſtum, dominans timor Dei,*" xxiii. 2, 3; hic manifeſte Petra pro Domino, nam per Deum Iſraelis in Verbo intelligitur Dominus, quare dicitur Spiritus Jehovæ loquutus eſt in me, et ſermo Ejus ſuper lingua mea, tum, dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt Petra Iſraelis, Spiritus Jehovæ et ſermo Ejus ſignificat Divinum Verum, et Dominus vocatur Deus Iſraelis ex Cultu, et Petra Iſraelis ex Divino Vero ex quo Cultus; quia eſt Dominus qui intelligitur, ideo dicitur quod Petra Iſraelis loquuta ſit; dominium Ipſius ſuper illos qui in bono ſunt et qui in vero ſignificatur per dominans ſuper hominem juſtum, dominans ſuper eum cui timor Dei, juſtum dicitur de bono, ac timor Dei de vero; agitur enim in eo Pſalmo Davidis de Domino, ex quo etiam patet, quod Dominus intelligatur per Deum Iſraelis et per Petram Iſraelis. Apud Davidem, "*Utinam populus meus obediat Mihi, Iſrael in viis meis ambulaverit, cibarem eos adipe tritici, et e Petra melle ſaturarem eos,*" Pſalm. lxxxi. 14, 17; per Petram etiam hic intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; videatur ſupra, n. 374, ubi explicata ſunt. Apud Eundem, "*Quis Deus præter Jehovam, aut quæ Petra niſi Deus meus. Vivus Jehovah et benedicta Petra mea, et exaltabitur Deus ſalutis meæ,*" Pſalm. xviii. 3, 32, 47. II Sam. xxii. 2, 3, 47; quod dicatur quis Deus præter Jehovam, et quæ Petra niſi Deus meus, eſt quia ubi de Divino Bono agitur, Dominus dicatur Jehovah, et ubi de Divino Vero Deus, et quoque Petra, ut hic; pariter poſtea, Vivus Jehovah et benedicta Petra mea; exaltabitur Deus ſalutis meæ, ſignificat quod colendus per vera ex bono, unde ſalus; exaltari, cum de Deo, dicitur de cultu ex bono per vera. Apud Eundem, "*Sint in beneplacitum ſermones oris mei, et meditatio cordis mei coram Te; Jehovah Petra mea, et Redemptor mi,*" Pſalm. xix. 15; per Jehovam Petram ſignificatur ſimile quod per Jehovam Deum, nempe Dominus quoad Divinum Bonum et Divinum Verum, et Redemptor ex regeneratione quæ fit per Divinum Verum: ſermones oris ſignificant intellectum veri, ac meditatio cordis perceptionem boni. Apud Eundem, "*Dico Deo Petræ meæ, quare oblitus es mei,*" Pſalm. xl. 10; per Deum Petram intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ibi quoad tutamen. Apud Eundem, "*Ad te Jehovah clamo, Petra mea, ne ſileas a me, ne forte ſileas a me,*" Pſalm. xxviii. 1; hic quoque Jehovah et Petra dicitur, quia per Jehovam intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per Petram Dominus quoad Divinum Verum, et quia hoc et illud intelligitur, ideo etiam bis dicitur, ne ſileas a me, ne forte ſileas a me, unum enim ſe refert ad Divinum Bonum, alterum ad Divinum Verum, nam in Verbo eſt conjugium Cœleſte in ſingulis ejus, quod eſt conjugium boni et veri. Apud Habakuk, "*Jehovah ad judicium poſuiſti eum, et Petra ad corripiendum ſtabiliviſti eum,*" i. 12: apud Eſajam, "*Confidite in Jehovam in æternum, quia in Jah Jehovah Petra æternitatis,*" xxvi. 4: apud Eundem, "*Cantus erit vobis ſicut noctis ſanctificandi feſtum, et gaudium cordis ſicut incedentis cum fiſtula ad veniendum in Montem Jehovæ, ad Petram Iſraelis,*" xxx. 29: apud Eundem, "*Num Deus eſt præter Me, nec Petra, non novi,*" xliv. 8: apud Davidem, "*Jubilabimus Petræ ſalutis noſtræ, veniemus ante facies Ejus in confeſſione,*" Pſalm. xcv. 1, 2: in Libro 1 Samuelis, "*Non Sanctus ſicut Jehovah, et non Petra* *ſicut Deus noſter,*" ii. 2: apud Davidem, "*Pectus Jehovah Petra mea,*" Pſalm. xcii. 16: apud Eundem, "*Ille vocabit Me Pater meus Tu, Deus meus, Petra ſalutis meæ: etiam Ego Primogenitum dabo Eum altum regibus terræ,*" Pſalm. lxxxix. 27, 28; in his locis per Petram intelligitur Divinum Verum a Domino, et Ipſe Dominus; præter etiam in aliis locis, ut apud Evangeliſtas, "*Omnis qui audit verba mea et facit ea, comparabo eum viro prudenti, qui ædificat domum ſuam ſuper petra, et deſcendit imber, et venerunt flumina, ac flarunt venti, et irruerunt in domum illam, tamen non cecidit, fundata enim erat ſuper petra,*" Matth. vii. 24, 25. Luc. vi. 48; per domum fundatam ſuper petra, intelligitur Eccleſia et homo Eccleſiæ, qui doctrinam et vitam ſuam fundavit ſuper Divino Vero quod eſt a Domino, ita ſuper illis quæ in Verbo ſunt, proinde qui in Veris ex bono a Domino eſt; dicitur qui in Veris ex bono, quoniam Divinum Verum non recipitur ab alio quam qui in bono eſt; in bono eſſe eſt in bono vitæ, quod eſt charitas, quare dicitur, qui audit verba mea et facit illa, facere verba Domini eſt bonum vitæ, Verum enim, cum homo facit illud, fit bonum, nam intrat voluntatem et amorem, et quod fit voluntatis et amoris, hoc bonum vocatur; tentationes, in quibus talis homo Eccleſiæ non ſuccumbit ſed vincit, ſignificantur per deſcendit imber, venerunt flumina, flarunt venti et irruerunt in domum, et tamen non cecidit, quia fundata erat ſuper petra, in Verbo enim per inundationes aquarum et imbres ſignificantur tentationes, et quoque per procellas venti: comparatio quidem eſt, ſed ſciatur quod omnes comparationes in Verbo æque ſint ex correſpondentiis prout res non comparative dictæ, videatur ſupra, n. 69, et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 3579, 8989. Ex his nunc maniſeſte patet, quod per Petram in Verbo ſignificetur Dominus quoad Divinum Verum, ſeu Divinum Verum a Domino. Exinde conſtare poteſt, quid ſignificatur per Domini verba ad Petrum, apud Matthæum, "*Jeſus dixit ad diſcipulos, vos vero quem Me dicitis eſſe, reſpondit Simon Petrus, Tu es Chriſtus Ille Filius Dei Viventis; reſpondens Jeſus dixit illi, beatus es Simon fili Jonæ, quia caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cælis: Ego tibi dico, tu es Petrus, et ſuper hac Petra ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferni non prævalebunt illi, et dabo tibi claves Regni Cælorum, ut quicquid ligaveris in terra erit ligatum in Cælis, et quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in Cælis,*" xvi. 15 ad 19; per Petrum hic non intelligitur Petrus, ſed intelligitur Divinum Verum a Domino, ſicut in ſupra allatis locis; omnes enim diſcipuli Domini ſimul repræſentabant Eccleſiam, et unuſquiſque eorum aliquid Eccleſiæ, Petrus Verum Eccleſiæ, Jacobus bonum ejus, et Johannes bonum actu ſeu opera, reliqui diſcipuli repræſentabant vera et bona quæ derivantur ex illis; prorſus ſicut duodecim Tribus Iſraelis; quod ita ſit, videbitur in ſequentibus, ubi de Tribubus et de Diſcipulis agetur: inde eſt, quod illi tres Diſcipuli præ reliquis in Verbo nominentur. Quod Dominus illa verba ad Petrum dixerit, eſt quia ille tunc confeſſus eſt, dicendo, Tu es Chriſtus Filius Dei Viventis, quod in ſenſu ſpirituali ſignificat quod ſit Divinum Verum, Chriſtus id ſignificat et quoque Filius Dei, quod Chriſtus, videatur in ARCANIS CŒ-

LESTIBUS, n. 3004, 3005, 3009; quod etiam Filius Dei, ſupra n. 63, 151, 166; ex qua Confeſſione Petrus repræſentabat Divinum Verum a Domino in Eccleſia, quapropter etiam vocatur Petra, ac dicitur tu es Petra, ſuper hac Petra ædificabo Eccleſiam meam, per quod ideo ſignificatur, quod ſuper Divino Vero quod a Domino, ſeu quod idem, ſuper veris ex bono, nam ſuper his ædificatur Eccleſia. Ut Petrus id in Eccleſia repræſentaret, dictus eſt Petra a Domino, ut patet apud Johannem, "*Inſpiciens illum Jeſus dixit illi, tu es Simon Jonæ filius, tu vocaberis Kephah, quod ſi interpreteris, eſt Petra,*" i. 43; Kephah ſignificat petram in Lingua Syriaca, quare etiam Petrus in illo textu ubivis vocatur Kephah; et quoque Kephah eſt petra in Lingua Hebræa, ut patet apud Jeremiam, Cap. iv. 29; et apud Hiobum, Cap. xxx. 6, ubi petræ in plurali dicuntur, at Petrus non nominatur petra in Lingua Græca et Latina, quia perſonæ nomen ei indebatur. Quod Dominus dixerit Simon Jonæ filius, et dein quod vocabitur Petra, eſt quia Simon Jonæ filius ſignificat Verum ex bono ſeu fidem ex charitate; et quia verum ex bono ſeu fides ex charitate non datur niſi apud illos qui in Divino Vero ex Domino ſunt, et nunc Petrus confeſſus eſt, ideo vocatur Petra, non ipſe quoad perſonam, ſed Divinum illud Verum, quod erat confeſſionis, apud illum a Domino; quod id a Domino, intelligitur per verba Domini, quod caro et ſanguis non revelaverit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis, per Patrem in Cœlis intelligitur Divinum in Domino, quoniam Pater erat in Ipſo, et Ipſe in Patre, atque erant unum, Joh. xiv. 7 ad 11. Cap. x. 30, 38: quod Simeon ſignificet verum voluntate, videbitur in ſequente Capite, et quod columba, quæ per Jonam ſignificatur, ſignificet bonum ſpirituale, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 970, 1826, 1827, inde per Simon filius Jonæ ſignificatur verum boni ſeu verum ex bono. Quia Inferna nihil valent contra Divinum Verum procedens a Domino, nec contra aliquem hominem in quo Divinum Verum a Domino eſt, ideo dicit Dominus, quod portæ Inferni non prævalebunt illi. Quod etiam Dominus dixerit, *dabo tibi claves Regni Cælorum, et quicquid ligaveris in terra erit ligatum in Cælis, et quicquid ſolveris in terra erit ſolutum in Cælis*, ſignificat quod omnia poſſint qui in Veris ex bono a Domino ſunt, prorſus ſecundum hæc verba, "*omnia quæcunque orantes petitis, credite quod accepturi ſitis, tum fiet vobis,*" Marc. xi. 24. Matth. vii. 8. Luc. xi. 9; quæ quomodo intelligenda ſunt, videatur ſupra n. 405, quod nempe ſi ex fide charitatis petant, quod non a ſe petant ſed a Domino, quicquid enim aliquis petit a Domino et non a ſemet, accipit. Quod illa verba, nempe quicquid ligaveris in terra erit ligatum in Cœlis, et quicquid ſolveris in terra erit ſolutum in Cœlis, id, quod nunc dictum eſt, ſignificent, patet a Domini verbis ad diſcipulos, et ad omnes qui in veris ex bono ſunt a Domino, apud Matthæum, "*Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terra, erunt ligata in Cælo, et quæcunque ſolveritis ſuper terra, erunt ſoluta in Cælis,*" xviii. 18; hæc verba ad omnes dicta ſunt, ita non ad ſolum Petrum: quod etiam Dominus in hoc Capite mox declarat per hæc, "*Dico vobis quod ſi duo ex vobis conſenſerint* *in Nomine meo ſuper terra de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in Cœlis eſt: ubi enim ſunt duo aut tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum,*" Verſ. 19, 20; per Nomen Domini intelligitur omne per quod colitur, et quia colitur per verum ex bono quod ab Ipſo, inde id per Nomen Ipſius intelligitur, quod id per Nomen Domini intelligatur, videatur ſupra n. 102, 135; ſimile itaque ſignificatur per quod fiet illis omnis res in cœlis quam petierint ſuper terra, quod ſignificatur per quod quicquid ligaveritis et ſolveritis ſuper terra erit ligatum et ſolutum in Cœlis, nam verba priora explicantur per hæc a Domino: qui ſenſum ſpiritualem Verbi novit, is quoque ſcire poteſt, cur dicitur ſi duo conſenſerint, et dein ubi ſunt duo aut tres, nempe quia duo prædicantur de bono, ac tres de vero, ita duo et tres de omnibus qui in veris ex bono ſunt: quod Divino Vero quod a Domino ſit omnis potentia in Cœlis et in terris, videatur ſupra n. 209, 333; et in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 230, 231, 539; et in ARCANIS CŒLESTIBUS, n, 3091, 3563, 6344, 6413, 6948, 8200, 8304, 9643, 10019, 10182: quod duo dicantur de bono, eſt quia ſignificant conjunctionem per amorem, n. 1686, 5194, 8423; quod tres dicantur de veris, eſt quia ſignificant omnia vera in complexu, ſimiliter ac duodecim, n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913, quare cum duo et tres in Mundo ſpirituali dicuntur, non intelliguntur duo et tres, ſed omnes qui in veris ex bono ſunt: quod Petrus ſignificet Verum ex bono quod a Domino, videatur in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, n. 57. Hactenus oſtenſum eſt quid Petra ſignificat in hoc ſenſu, ſequitur nunc ut oſtendatur quid Petra ſignificat in oppoſito ſenſu; in oppoſito ſenſu ſignificat Petra falſum infernale cui confiditur; ut in ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Excidens in altitudine ſepulchrum tuum, incidens in petra habitaculum ſibi,*" xxii. 16; agitur in eo Capite de Valle viſionis, per quam ſignificatur falſum doctrinæ confirmatum per ſenſum literæ Verbi; amor falſi ſignificatur per ſepulchrum in altitudine, ac fides falſi per habitaculum in petra; quod ipſi illa ſibi faciant, ſignificatur per excidere et incidere ſibi. Apud Eundem, "*In die illo rejicient vir idola argenti ſui et idola auri ſui quæ faciunt vobis manus veſtræ; tunc cadet Aſchur gladio non viri, et gladius non hominis comedet eum: etiam Petra ejus præ formidine tranſibit, et conſternabuntur a vexillo principes ejus,*" xxxi. 7, 8, 9; agitur ibi de judicio ſuper illos qui ex propria intelligentia in Divinis credunt ſe ſapere, qui ſunt qui in amore ſui et mundi ſunt, et eruditionis famam propter ſe ambiunt; hi quia non vera poſſunt videre, arripiunt falſa et pro veris venditant; falſa faventia principiis eorum et amoribus eorum ſignificantur per idola argenti et per idola auri; quod ex propria intelligentia, ſignificatur per quæ fecerunt vobis manus veſtræ; quod perituri per ſuamet falſa, ſignificatur per tunc cadet Aſchur gladio non viri, et gladius non hominis comedet eum, Aſchur eſt rationale perverſum, et inde illi qui in falſis ſunt ex propria intelligentia, cadere et comedi gladio eſt perire, hoc quoque repræſentatum eſt per Regem Aſchuris quod a filiis ſuis occiſus fuerit, Eſaj. xxvii. 38; filii ejus ibi ſignificant ſuamet falſa per quæ periit; petra ejus quæ præ formidine tranſibit, ſignificat omne falſum in genere cui confiſi ſunt, ac principes qui conſternabuntur a vexillo, ſignificant primaria falſa; a vexillo dicitur, quia non per aliquam pugnam cum veris diſſipantur, ſed ſolum per ſignum pugnæ quod eſt vexillum; tales etiam mihi viſi ſunt dejecti e petris, ſuper quibus erant, per vexillum circumactum. Apud Jeremiam, “*Præ voce equitis et ſagittariorum fugiens tota urbs; intrarunt nubes et in petras aſcenderunt; tota urbs deſerta, neque habitans in ea vir,*” iv. 29; per hæc deſcribitur deſolatio Eccleſiæ quoad vera; deſolatio omnis veri doctrinæ per falſa ratiocinia et inde falſa doctrinalia, ſignificatur per præ voce equitis et ſagittariorum fugit tota urbs, vox equitis ſignificat falſa ratiocinia, vox ſagittariorum falſa doctrinalia, fugit tota urbs ſignificat deſolationem omnis veri doctrinæ, urbs eſt doctrina; quod non agnoſcatur aliquod verum ſed mere falſum, ſignificatur per intrarunt nubes et in petras aſcenderunt, intrare nubes ſignificat in non agnitionem veri, et aſcendere petras ſignificat in mere falſum. Viſæ etiam mihi ſunt petræ, quæ conſtabant ex congeſtis lapidibus, et non ex aliquibus campis ubi vireta, ut alibi ſuper petris; ſuper illis erant ſpiritus qui, dum homines in mundo vixerunt, in fide ſeparata a charitate fuerunt, quæ ſola fides vocatur, et ſe in illa tam doctrina quam vita confirmarunt; hoc intelligitur per ariditatem petræ, apud Ezechielem, “*Super ariditatem petræ poſui illum, non effudit eum ſuper terram, ut tegeret eum pulvis,*” xxiv. 7: et apud Eundem, “*Aſcendere faciam contra te gentes multas, quæ evertent muros Tyri, et deſtruent turres ejus, et detraham pulverem ejus ab illa, et dabo eam ariditatem petræ,*” xxvi. 4, 14; per pulverem in binis illis locis intelligitur humus, per quam ſignificatur bonum Eccleſiæ; quando non humus eſt ſuper petris, ſed petræ aridæ ſunt ſeu conſtantes ex meris congeſtis lapidibus, ut ſupra dictum eſt, indicium eſt quod non aliquod bonum ſit, et ubi non bonum ibi mere falſum eſt; hoc itaque per ariditatem petræ ſignificatur, ac per quod tegeret eum pulvis, et per detraham pulverem ejus ab illa. Ex his etiam patet, quid ſignificatur per Domini verba apud Evangeliſtas, “*Alia ſemina ceciderunt ſuper petroſa, ubi non habuerunt humum multam, unde cito exorta ſunt, propterea quod non habuerint profunditatem terræ, et exaruerunt,*” Matth. xiii. 5, 6. Marc. iv. 5, 6. Luc. viii. 6; ſed hæc explicata videantur ſupra n. 401. Plerique ex illis in Mundo ſpirituali, qui lumen ex Luna ibi habent, ſuper Petris habitant; illi qui ſpirituales naturales ſunt, habitant ſuper Petris, quæ ſuperficie tenus tectæ ſunt humo, unde ibi ſunt campi, vireta et arboreta, ſed non qualia ſunt ſuper montibus et collibus, ſuper quibus habitant qui lucem ex Sole Cœli recipiunt: qui autem non ſpirituales naturales ſunt, ſed mere naturales, illi non ſunt hodie ſuper petris, ſed in petris in cavernis ibi; et qui in falſis ex malo ſunt habitant inter congeſta ſaxa ibi; omnia illa ſunt correſpondentiæ. Apud Jeremiam, “*Ecce Ego contra te Mons perdens univerſam terram, et extendam manum meam contra te, et devolvam te de petris, et dem te in montem combuſtionis,*” li. 25; hæc de Babele, cujus damnatio per falſa ſignificatur per devolvam te de petris; et damnatio per mala ſignificatur per dem te in montem combuſtionis; ſed hæc amplius explicata videantur ſupra n. 405. Apud Eundem, “*Relinquite urbes, et habitate in Petra habitatores Moabi, et eſtote ſicut columba nidificat in tranſitibus oris foveæ,*” xlviii. 28; hæc de Moabo, per quem ſignificatur adulteratio boni et veri, et inde illi qui bonum et verum Verbi pervertunt; relinquite urbes ſignificat vera doctrinæ; habitate in petra, ſignificat in falſis et eorum doctrina; eſtote ſicut columba quæ nidificat in tranſitibus oris foveæ, ſignificat intuitionem veri ab extra et non ab intra, fovea enim ſignificat Verbum ubi ſunt vera, nidificare in tranſitibus ejus eſt extra illud et non intra, nidificare ſignificat idem cum habitare, nempe vitam agere, ſed de ave dicitur nidificare, et de homine habitare: quid ſit ſpectare Verbum ab extra et non ab intra, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n. 10549, 10550, 10551, quod nempe non ex doctrina videre illud, ſed ſolum ex litera, unde vagantur quaquaverſum, quo trahit animus, cogitatio et affectio, nihil certum illis, unde adulterationes perpetuæ, quæ per Moabum ſignificantur; tales ſunt qui ſtudent Verbo propter gloriam et honorem, illi quia ſe ſpectant in ſingulis dum ſtudent Verbo, extra Verbum ſunt; at qui verum et bonum inde amant, intra Verbum ſunt, nam a Domino et non a ſe illud ſpectant: inde patet, quid ſignificat, relinquite urbes, et habitate in petra habitatores Moabi, et eſtote ſicut columba quæ nidificat in tranſitibus oris foveæ. Apud Eundem, “*Nonne Verbum meum ſicut ignis, et ſicut malleus diſpergit petram,*” xxiii. 29; Verbum dicitur ſicut ignis et ſicut malleus, quia ignis ſignificat bonum amoris, et malleus verum fidei, malleus enim ſimile ſignificat ac ferrum, et ferrum ſignificat verum in ultimis et verum fidei; dicitur utrumque, nempe ignis et malleus, proinde bonum et verum, ob conjugium boni et veri in ſingulis Verbi; per petram quam diſpergit, ſignificatur falſum in omni complexu, et doctrina falſi; ſed diſperſio ſeu deſtructio ejus fit cum homo, apud quem illa ſunt, judicatur. Apud Nahum, “*Coram indignatione Ipſius quis conſiſtet, aut quis ſtabit in excandeſcentia iræ Ipſius, excandeſcentia Ipſius effunditur ſicut ignis, et petræ evertentur coram Ipſo,*” i. 6; quod indignatio, excandeſcentia et ira Jehovæ ſignificet Ultimum Judicium et ſtatum damnationis illorum qui in malis et inde falſis ſunt, videbitur in ſequentibus Articulis, damnatio malorum ſignificatur per excandeſcentiam Ipſius quæ ſicut ignis effunditur, et damnatio falſorum ex malis per iram Ipſius, et quod petræ evertentur coram Ipſo, ignis enim ſignificat mala amorum ſui et mundi, ac petræ ſignificant falſa inde, ac everti ſignificat perire; etiam petræ, ſuper quibus ſunt illi qui in principiis falſi et inde in omnis generis falſis ſunt, ad viſum evertuntur et ſic illi qui ſuper iis dejiciuntur in infernum, ſed hoc fit in Mundo ſpirituali ubi omnes habitant ſecundum quale interiorum ſuorum quibus externa correſpondent. Apud Eſajam, “*Qui incaluiſtis in diis ſub omni arbore viridi, qui mactatis natos in fluviis ſub ſcopulis petrarum,*” lvii. 5; quid ſit incaleſcere in diis ſub omni arbore viridi, et mactare natos in fluviis ſub ſcopulis petrarum, nemo ſcit niſi ex ſenſu interno, in eo ſenſu per incaleſcere in diis ſub omni arbore viridi ſignificatur colere Deum ex omni falſo quod obvenit, incaleſcere in diis eſt ardens cultus, omnis arbor viridis eſt omne falſum quod obvenit, arbor enim ſignificat cognitiones et perceptiones, hic cognitiones et perceptiones falſi; et per mactare natos in fluviis ſub ſcopulis petrarum, ſignificatur exſtinguere vera per falſa ex propria intelligentia, nati ſunt vera, fluvii ſunt propria intelligentia, ſcopuli petrarum ſunt falſa, ſub ſcopulis illarum ſignificat ex ſenſuali in quo lumen ultimum naturale eſt, qui enim in hoc ſolo lumine ſunt, ſtant ſub abruptis petris, et non aliquod verum vident, ac ſi dicitur non percipiunt; in tali ſtatione illi etiam mihi viſi ſunt in Mundo ſpirituali, inde patet, quod per mactare natos non intelligatur illos mactare, ſed vera exſtinguere. Similiter apud Davidem, "*Beatus qui apprehendet et diſperget infantes tuos ad petram,*" Pſalm. cxxxvii. 9; per infantes hic nec intelliguntur infantes, ſed falſa naſcentia, agitur enim de Babele, per quam ſignificantur falſa mali deſtruentia vera boni Eccleſiæ; deſtructio illorum ſignificatur per diſpergere illos ad petram, petra eſt falſum mali regnans, et diſpergere eſt deſtruere: qui ſolum in ſenſu literæ Verbi manet, et non ulterius cogitat, facile poteſt induci ad credendum, quod beatus dicatur qui tale cum infantibus hoſtium ſuorum facit, cum tamen id enorme facinus eſt; at beatus dicitur qui diſpergit falſa mali naſcentia in Eccleſia, quæ falſa per infantes Babelis hic ſignificantur. Apud Jeremiam, "*Quis audivit ſic hoc, rem fædam fecit virgo Iſraelis; num deſeret e petra agros meos nix Libani, num abripientur aquæ alienæ frigidæ defluentes, obliti ſunt Mei populus meus, vanitati ſuffiverunt,*" xviii. 13, 14, 15; per Virginem Iſraelis intelligitur hic et alibi Eccleſia ſpiritualis, hanc enim repræſentaverunt Iſraelitæ; res fœda, quam fecerunt, eſt quod bona Eccleſiæ verterint in mala, et vera Eccleſiæ in falſa, et ex his et illis coluerint Jehovam; mala ex quibus cultus, ſignificantur per obliti ſunt Mei populus meus, nam qui obliviſcitur Dei, in malis eſt, et falſa ex quibus cultus, ſignificantur per vanitati ſuffiverunt, vanitas eſt falſum, et ſuffire eſt cultus; num deſeret e petra agros meos nix Libani, ſignificat annon vera Eccleſiæ illis ſunt ex Verbo, petra hic ſignificat Verbum quia Divinum Verum, ut ſupra; nix Libani ſignificat vera Eccleſiæ inde, nix hic ſimile ſignificat cum aqua, nempe vera, ſed nix ſignificat vera frigida, quia de tali Eccleſia agitur, Libanus eſt Eccleſia e qua, et agri ſunt omnia bona et vera Eccleſiæ; per aquas alienas frigidas defluentes ſignificantur falſa in quibus non bonum, aquæ alienæ ſunt falſa, ac frigidum eſt in quo non bonum, omnis enim calor veris eſt ex bono amoris. Apud Eundem, "*Ecce Ego contra te habitatrix vallis, petra planitiei, dicentes quis deſcendet contra nos, et quis veniet in habitationes noſtras,*" xxi. 13; per habitatricem vallis et petram planitiei, ſignificantur qui in ultimis Verbi ſunt, nec ſe ab interiori illuſtrari patiuntur, et qui tales ſunt non vident vera ſed pro illis falſa, nam omnis lux veri, quia eſt e cœlo a Domino, ab interiori venit ac deſcendit, illi per habitatricem vallis et per petram planitiei intelliguntur, vallis et planities ſunt ultima Verbi in quibus ſunt, ac habitatrix et petra ſignificant falſa, habitatrix falſum vitæ, et petra falſum doctrinæ; fides falſi et mali, in qua firmiter hærent, credendo illa eſſe vera et bona, ſignificatur per quod dicant, quis deſcendet contra nos, et quis veniet in habitationes noſtras. Apud Eſajam, "*Intra in Petram, et abſconde te in pulvere propter pavorem Jehovæ,*" ii. 10; intrare in petram, eſt in falſum; et abſcondere ſe in pulvere, eſt in malo; agitur ibi de Ultimo Judicio, quando illi qui in falſis mali et in malis falſi ſunt, ſe conjiciunt in Inferna, quæ ſunt in petris et ſub terris in Mundo ſpirituali: ſed hæc amplius diducta et explicata videantur in Articulo præcedente. Apud Hiobum, "*Mons cadens diffluit, et petra transfertur e loco,*" xiv. 18; per Montem ſignificatur amor mali, et per petram fides falſi, ac per diffluere et transferri e loco ſignificatur perire. Apud Davidem, "*Dejiciantur per loca petræ judices eorum,*" Pſalm. cxli. 16; per judices ſignificantur illi qui in falſis ſunt, et in ſenſu abſtracto falſa cogitationis et doctrinæ, ſimile per judices in Verbo ſignificatur quod per judicia, ac judicia ſignificant vera ex quibus judicia, et in oppoſito ſenſu falſa; quia illi qui in falſis ſunt, in Mundo ſpirituali habitant in petris, ideo dicitur, dejiciantur per loca petræ; per quod ſignificatur, ut immittantur in ſua falſa et ſecundum falſa ſua in infernis habitent. Apud Hiobum, "*In fiſſura vallium ad habitandum, foraminibus terræ et petris,*" xxx. 6; hæc de illis qui in infernis ſunt quia in malis et inde falſis, inferna illorum qui in malis quoad vitam ſunt, ſub vallibus et in ſpeluncis ibi ſunt, et qui in falſis inde, in petris ſunt; inde patet, quid ſignificatur per in fiſſura vallium ad habitandum, foraminibus terræ et petris; ſed de cavernis et ſpeluncis, in quibus habitant qui in infernis ſunt, et de fiſſuris et foraminibus per quæ aditus in illa, videatur in mox præcedente Articulo, n. 410. Hæc allata ſunt ut ſciatur quod per Petram in oppoſito ſenſu ſignificetur falſum in genere, quæ ſignificatio petræ eſt ex correſpondentia, ut conſtare poteſt ex apparentiis et aſpectabilibus in Mundo ſpirituali, ubi omnes habitant ſecundum correſpondentias interiorum quæ mentis et vitæ eorum, quare illi qui in ſapientia et intelligentia ſunt quia in Amore in Dominum et in charitate erga proximum, et inde in affectione veri ſpirituali, habitant ſuper montibus et collibus ex humo, ubi paradiſi, horti, roſeta et vireta; at qui in fide doctrinalium ſuæ Eccleſiæ ſunt et in aliqua charitate, illi habitant ſuper petris, ubi campi, ſuper quibus aliqua arbuſta et aliquæ arbores, ac graminoſa; qui autem in ſola fide, ut dicitur, quoad doctrinam et quoad vitam fuerunt, et inde in falſis fidei et malis vitæ, illi habitant intra petras, in cavernis et cellis ibi. Hæc ſignificatio Petræ eſt ex dicta correſpondentia: at ſignificatio petræ a duritie ejus, eſt in his locis; apud Jeremiam, "*Obfirmarunt facies ſuas præ petra,*" v. 3: apud Ezechielem, "*Sicut adamantem firmam præ petra dedi frontem tuam, ne timeto,*" iii. 9: apud Hiobum, "*Stylo ferreo et plumbo, in ſempiternum in petra incidantur,*" xix. 24: apud Eſajam, "*Ungulæ equorum ſicut petra reputantur,*" v. 28; quod durities exprimatur per petram, eſt quoque ex correſpondentia petræ cum vero ex bono, nam vero ex bono eſt omnis potentia, ut ſupra dictum eſt, at cum verum agit contra falſum ex malo, tunc hebetatur bonum, et verum remanens agit duriter, ſecundum illa ſupra apud Ezechielem, *ſicut adamantem firmam præ petra dedi frontem tuam;* et quoque verum abſque bono eſt durum, at uſque fragile. Sed hæc quæ de Petris adducta ſunt, amplius elucidabuntur per illa quæ de ſignificatione Lapidum in ſequentibus dicentur.

412. Et abſcondite nos a facie Sedentis ſuper throno et ab ira Agni, quod ſignificet ne dira patiantur ab influxu Divini Boni uniti Divino Vero procedentis a Domino, conſtat ex ſignificatione abſcondite nos, cum dicitur ab illis, apud quos deperdita ſunt bona et vera Eccleſiæ per mala vitæ et falſa inde, quod ſit ne dira patiantur, de qua ſequitur; ex ſignificatione a facie Sedentis ſuper throno, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum in Cœlo, quod facies, cum de Domino, ſit Divinus Amor ex quo Divinum

Bonum in Cœlo, conſtabit ex locis in Verbo quæ mox adducentur, et quod Sedens ſuper throno ſit Dominus quoad Divinum Bonum in Cœlo, videatur ſupra n:s 297, 343; et ex ſignificatione iræ Agni, quod ſit conjectio in infernum per influxum Divini Veri procedentis a Domino; quod ira Jehovæ aut Domini id ſignificet, conſtare poteſt ex locis in Verbo in Articulo ſequente adducendis; præterea quod per Sedentem ſuper throno et per Agnum Solus Dominus intelligatur, per Sedentem ſuper throno Dominus quoad Divinum Bonum, et per Agnum Dominus quoad Divinum Verum, videatur ſupra n. 297, 343: quod dicatur ira Agni, non eſt quod Dominus, qui per Sedentem ſuper throno et per Agnum intelligitur, iraſcatur, eſt enim Ipſum Divinum Bonum, et Hoc non poteſt iraſci, ira enim non cadit in Ipſum Bonum, ſed ita dicitur in Verbi ſenſu literæ, ob cauſas, de quibus alibi; hic modo oſtendetur, quod facies Jehovæ ſeu Domini ſignificet Divinum Amorem, et inde Divinum Bonum in Cœlo et in Eccleſia; et in oppoſito ſenſu per ponere faciem contra aliquem, et per abſcondere et occultare faciem, intelligatur ſimile quod per excandeſcentiam et iram; tum quod per faciem, cum de homine, intelligantur interiora quæ mentis et affectionis ejus ſunt, in utroque ſenſu: quod facies, cum de Jehovah ſeu Domino, ſignificet Divinum Amorem, et inde Divinum Bonum, conſtat ex ſequentibus his locis; apud Davidem, "*Illumina facies tuas ſuper ſervum tuum, ſerva me propter benignitatem tuam,*" Pſalm. xxxi. 17; illuminare facies ſignificat illuſtrare Divino Vero ex Divino Amore; quod hoc ſignificetur per illuminare facies, eſt quia Divinum Verum, quod procedit a Domino ut Sole in Cœlo Angelico, dat omnem lucem ibi, et quoque illuſtrat mentes angelorum, ac implet illos ſapientia, quare facies Domini in proprio ſenſu eſt Sol Cœli Angelici, nam Dominus apparet Angelis interiorum Cœlorum ut Sol, et hoc ex Divino Ipſius Amore, nam Amor in Cœlis, dum ſiſtitur ante oculos, apparet ut ignis, Divinus autem Amor ut Sol; ex illo Sole procedit et calor et lux, ac Calor ille eſt Divinum Bonum, et Lux illa eſt Divinum Verum: ex his conſtare poteſt, quod per illuminare facies tuas ſuper ſervum tuum ſignificetur illuſtrare Divino Vero ex Divino Bono; quare etiam additur, ſerva me propter benignitatem tuam, benignitas eſt Divini Boni: ſed de Sole in Cœlo Angelico, et de Calore et Luce inde, videatur in Opere de CŒLO ET INFERNO, de Sole ibi, n. 116 ad 125: et de Calore et Luce inde, n. 126 ad 140. Apud Eundem, "*Multi dicunt, quis oſtendet nobis bonum, tolle ſuper nos lucem facierum tuarum Jehovah,*" Pſalm. iv. 7: apud Eundem, "*Jehovah, in luce facierum tuarum ambulabunt,*" Pſalm. lxxxix. 16: apud Eundem, "*Deus reduc nos, et lucere fac facies tuas, ut ſervemur,*" Pſalm. lxxx. 4, 8, 20: et apud Eundem, "*Deus miſereatur noſtri, et benedicat nobis, illuminet facies ſuas nobis,*" Pſalm. lxvii. 2; per lucem facierum Jehovæ ſeu Domini intelligitur Divinum Verum ex Divino Amore, ut ſupra, et inde intelligentia et ſapientia, nam ex Divino Vero ſeu ex Divina Luce in Cœlis eſt omnis intelligentia et ſapientia tam Angelis quam hominibus; inde per illuminare facies nobis, per tollere ſuper nos lucem facierum tuarum, et per facere lucere facies tuas, in illis locis, ſignificatur illuſtrare in Divino Vero, ac donare intelligentia et ſapientia. Simile ſignificatur in Benedictione filiorum Iſraelis, apud Moſen, "*Benedicat tibi Jehovah, et cuſtodiat te, illuminet Jehovah facies ſuas ſuper te et miſereatur tui; tollat Jehovah facies ſuas ſuper te, et det tibi pacem,*" Num. xxvi. 24, 25, 26; per illuminare facies et miſereri, ſignificatur illuſtrare Divino Vero et donare intelligentia et ſapientia; ac per tollere facies et dare pacem, ſignificatur implere Divino Bono et donare amore; utrumque erit, ut homo ſapiat; omnes enim quotcunque ſunt in Mundo ſpirituali, illuminantur a Luce quæ a Domino ut Sole, ſed uſque illi ſoli intelligentes et ſapientes fiunt, qui ſimul in amore ſunt, quoniam bonum quod eſt amoris recipit verum, conjunguntur enim quia concordant et amant ſe mutuo; quare illi ſoli vident Solem in Cœlo, qui in amore ſunt, reliqui modo lucem; miſereri, quod dicitur de illuminatione facierum, in Verbo etiam prædicatur de vero, et pax quæ dicitur de elevatione facierum, prædicatur de bono. Quoniam Divinus Domini Amor apparet ut Sol in Cœlo, et inde eſt Lux ibi, ideo "*Dominus cum tranſformatus eſt coram Petro, Jacobo et Johanne, ſplenduit facies Ipſius ſicut Sol, et veſtimenta Ipſius facta ſunt ſicut Lux,*" Matth. xvii. 2: et quoque cum viſus eſt Johanni, "*Fulſit facies Ipſius ſicut Sol in potentia ſua,*" Apoc. i. 16; per veſtimenta quæ facta ſunt ſicut Lux, ſignificatur Divinum Verum, nam veſtimenta in Verbo ſignificant verum, et hoc ex cauſa, quia omnes Angeli veſtiuntur a Domino ſecundum receptionem Divini Veri; ſunt quoque Veſtes eorum ex Luce cœli, inde ſplendentes et candidæ, et Lux cœli eſt, ut dictum, Divinum Verum; inde conſtat, unde eſt quod Veſtimenta Domini, cum transformatus, facta ſint ſicut Lux; ſed de his videantur plura in Opere de CŒLO ET INFERNO, n. 177 ad 182; ac ſupra n. 64, 195, 271, 395. Apud Matthæum, "*Jeſus dixit de puero, quem ſtatuit in medio diſcipulorum, videte ne contemnatis ullum ex puſillis his, dico vobis quod Angeli eorum in Cælis ſemper videant faciem Patris mei qui in Cælis eſt,*" xviii. 10; dicitur quod Angeli eorum videant, quia apud unumquemque hominem ſunt ſpiritus et angeli, ac tales ſpiritus et angeli qualis homo eſt; apud infantes pueros ſunt Angeli ex intimo Cœlo, hi vident Dominum ut Solem, ſunt enim in amore in Ipſum et in innocentia, hoc intelligitur in ſenſu proximo per quod Angeli eorum videant faciem Patris ſui; per faciem Patris intelligitur Divinus Amor qui fuit in Domino, proinde Ipſum Divinum quod Jehovah, nam Pater fuit in Ipſo, et Ipſe in Patre, ac erant unum, ut Ipſe docet: at eadem illa verba in puro ſenſu ſpirituali ſignificant, quod Dominus quoad Divinum ſuum Bonum ſit in bono innocentiæ, hoc enim per infantem puerum in ſenſu ſpirituali ſignificatur, et per faciem Patris Divinum Bonum Domini. De ſervis Domini, per quos intelliguntur qui in Divinis veris ſunt ex eo quod in bono amoris et charitatis ſunt, ſimile dicitur in Apocalypſi, "*Thronus Dei et Agni in Nova Hieroſolyma erit, et ſervi Ipſius miniſtrabunt Ipſi, et videbunt facies Ipſius,*" xxii. 3, 4; ſed de his videatur explicatio in ſequentibus. Apud Eſajam, "*In omni anguſtia eorum Ipſi anguſtia, et Angelus facierum Ipſius liberavit eos, ob amorem ſuum et clementiam ſuam hic redemit eos, et aſſumſit eos, et portavit omnibus diebus æternitatis,*" lxiii. 9; agitur ibi de Domino, qui Angelus facierum Jehovæ vocatur ex Divino Vero quod ex Divino Amore Ipſius, per Angelum enim in Verbo ſignificatur Divinum

Verum, unde etiam Angeli dicuntur dii, videatur ſupra n. 130, 200, 302; et per facies Jehovæ intelligitur Divinus Amor qui in Domino, inde etiam dicitur, ob amorem ſuum et clementiam ſuam Hic redemit illos, et aſſumſit illos, et portavit omnibus diebus æternitatis, hæc Divini Amoris ſunt: erat Dominus quoad Humanum ſuum Divinum Verum, ex quo pugnavit cum Infernis, et per quod ſubjugavit illa, inde eſt quod hic appelletur Angelus, quod eſt quoad Divinum Humanum ſuum: agitur in eo Capite manifeſte de Domino, ac de pugnis Ipſius cum Infernis et de ſubjugatione eorum. Apud Davidem, “*Occultas nos in abdito facierum tuarum præ elationibus viri, abſcondis eos in Tentorio tuo a lite linguarum,*” Pſalm. xxxi. 21; occultare eos in abdito facierum tuarum eſt in Divino Bono non apparente coram aliis; et abſcondere in tentorio tuo eſt in Divino Vero; elationes viri et lis linguarum, ſunt mala falſi et falſa mali, elationes enim dicuntur de malis quia ſunt amoris ſui, et vir ſignificat verum et falſum, lis linguarum eſt falſum mali: quid malum falſi et falſum mali, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 21. Apud Eundem, “*Poſuiſti iniquitates noſtras coram Te, occultum noſtrum in lucem facierum tuarum,*” Pſalm. xc. 8; lux facierum tuarum eſt Lux Cœli a Domino ut Sole ibi, hæc Lux quia eſt ipſum Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et ſapientia, ideo quodcunque in hanc lucem venit manifeſtatur quale eſt ut in claro die, inde eſt cum mali in hanc lucem veniunt, quod appareant prorſus quales ſunt, deformes et monſtroſi ſecundum occulta mala apud illos; ex his patet, quid intelligitur per poſuiſti iniquitates noſtras coram Te, et occultum noſtrum in lucem facierum tuarum. Apud Jeremiam, “*Clamato verba hæc ſeptentrionem verſus, et dicito, revertere averſa Iſrael, non faciam cadere facies meas ſuper vos, quoniam Miſericors Ego,*” iii. 12; per facies meas etiam hic ſignificatur Divinus Amor et omne bonum quod eſt amoris, et per non facere cadere facies ſignificatur non demittere et ceſſare, nam cum facies cadit tunc ceſſatur ab intuendo; inde patet, quid ſignificatur per non faciam cadere facies meas ſuper vos; quare etiam dicitur, quoniam miſericors Ego, miſericordia eſt Divinus Amor erga miſeros; per clamato ad ſeptentrionem ſignificatur ad illos qui in falſis et inde malis ſunt, quare etiam dicitur, revertere averſa Iſrael; quod ſeptentrio illos ſignificet, eſt quia illi qui in falſis et inde malis ſunt, in ſeptentrionali plaga in Mundo ſpirituali habitant: de falſis et inde malis, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 21. Quod “*Panes ſuper Menſa in Tabernaculo dicti fuerint Panes facierum, ac ipſa menſa menſa facierum,*” Exod. xx. 30. Num. iv. 7, erat quia per Panes ibi æque ac per facies Jehovæ ſignificatum eſt Divinum Bonum Divini Amoris, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ, n. 212, 213, 218. Quoniam per facies Jehovæ ſeu Domini ſignificatur Divinum Bonum unitum Divino Vero exiens et procedens ex Divino Amore Ipſius, ideo quoque per facies Jehovæ ſignificantur Interiora Eccleſiæ, Verbi et Cultus, nam in interioribus illorum eſt illud; Exteriora Eccleſiæ, Verbi et Cultus ſunt modo effectus et opera inde: Interiora Eccleſiæ, Verbi et Cultus ſignificantur per videre, quærere et deprecari facies Jehovæ, apud Eſajam, “*Quid*

Mihi multitudo ſacrificiorum, quando veneritis ad videndum facies Jehovæ,” i. 11, 12. Apud Sachariam, “ *Ibunt habitatores unius ad alterum, dicendo, eamus eundo ad deprecandum facies Jehovæ, et ad quærendum Jehovam Zebaoth: ſic venient populi multi et gentes numeroſæ ad quærendum Jehovam Zebaoth in Hieroſolyma, et ad deprecandum facies Jehovæ,*” viii. 21, 22. Apud Davidem, “ *Tibi dixit cor meum, quærite facies meas, facies tuas Jehovah quæro,*” Pſalm. xxvii. 8. Apud Eundem, “ *Jubilabimus Petræ ſalutis noſtræ, veniemus ante facies Ipſius in confeſſione,*” Pſalm. xcv. 1, 2. Apud Malachiam, “ *Deprecamini facies Dei, ut miſereatur noſtri,*” i. 9. Apud Davidem, “ *Sitit anima mea Deum, Deum vivum, quando venero ut videar faciebus Dei. Exſpecta Deum, nam adhuc confitebor Ipſi ſalutes facies Ipſius,*” Pſalm. xlii. 3, 6; in his locis per facies Jehovæ ac Dei ſeu Domini intelliguntur interiora Eccleſiæ, Verbi et Cultus, quia in illis eſt Divinum Bonum ac Divinum Verum, ita Ipſe Dominus, et in externis eſt ex illis, et non in externis nempe Eccleſiæ, Verbi et Cultus abſque illis. Quia omnes qui Hieroſolymam ibant ad feſta, ſecum afferre debebant talia quæ cultus erant, et omnis cultus eſt ex interioribus quæ ſunt cordis et fidei, et hæc per munera, quæ offererentur Domino, ſignificantur, ideo mandatum eſt, ut unuſquiſque aliquod munus offerret, quod intelligitur per “ *quod non videbuntur facies meæ vacue,*” Exod. xxiii. 15. Interiora Eccleſiæ, Verbi et Cultus etiam ſignificantur per hæc apud Moſen, “ *Loquutus Jehovah ad Moſen, facies meæ ibunt, donec quietem dedero tibi: tunc dixit Moſes, ſi non facies tuæ eunt, ne deſcendere facias nos exhinc,*” Exod. xxxiii. 14, 15; hoc dictum eſt ad Moſen, quia apud gentem illam Verbum conſcribendum erat, et quoque in Hiſtoricis Verbi de gente illa, quia apud illam Eccleſia inſtituenda erat, quæ foret Eccleſia Repræſentativa, conſiſtens in externis quæ correſpondebant internis; propter hæc dicitur quod facies meæ ibunt, de quibus plura videantur in Arcanis Cœlestibus, n. 10567, 10568, ubi illa explicata ſunt. Sed quia Gens illa ſolum in externis Verbi, Eccleſiæ et Cultus erat, et prorſus non in internis, ideo Moſi non datum eſt videre faciem Domini, ſed ſolum tergum, ſecundum hæc apud Moſen, “ *Dixit Moſes, oſtende mihi quæſo gloriam tuam, cui dixit, Ego præterire faciam omne bonum meum coram te, et prædicabo nomen Jehovæ coram te, non poteris videre Facies meas, quia non videbit Me homo et vivet: ponam te in foramine petræ, et obtegam manum meam ſuper te uſque dum præterivero, et cum removero manum meam videbis poſteriora mea, at facies meæ non videbuntur,*” Exod. xxxiii. 18 ad 23; hic repræſentabat Moſes Gentem illam, qualis eſt quoad intellectum Verbi, et inde quoad Eccleſiam et Cultum, quod nempe ſolum in Externis abſque Internis, Externa repræſentabantur et ſignificabantur per poſteriora Jehovæ quæ viſa Moſi, ac Interna per anteriora et per faciem; quod Interna quæ inſunt externis Verbi, Eccleſiæ et Cultus, non viſa ſint nec videri potuerint Genti illi, repræſentabatur et ſignificabatur per quod Moſes poſitus fuerit in foramine petræ, et per obtectionem manus uſque dum præteriverit Jehovah: ſed hæc amplius explicata ſunt in Arcanis Cœlestibus, n. 10573 ad 10584. Præterea facies Jehovæ ſeu Domini, quia ſunt Interna Verbi, Eccleſiæ et Cultus, ſunt præcipue Externa in quibus Interna, quoniam Interna ſe ſpectari faciunt in Externis, ſicut Interna hominis in facie et vultibus ejus; ſed Gens Judaica talis erat ut modo Externa ſpectaverit, et prorſus non Interna, et Externa ſpectare et non ſimul Interna, ſeu Externa abſque Internis, eſt ſicut ſpectare ſimulachrum hominis quod abſque vita, at Externa ſpectare et ſimul Interna ſeu Externa ab Internis, eſt ſicut ſpectare hominem vivum; hoc itaque eſt in proprio ſenſu videre faciem Jehovæ, ſeu deprecari facies Ipſius, in locis ſupra adductis. Quoniam Interna Verbi, Eccleſiæ et Cultus apparent in Externis, ſeu ſiſtunt ſe videri in Externis, comparative ſicut Interna hominis in facie, patet quid ſignificatur in ſenſu interno per videre Jehovam ſeu Dominum facie ad faciem in ſequentibus his locis; apud Moſen, “*Vidi Deum facie ad faciem, et ſalva tamen eſt anima mea,*” Geneſ. xxxii. 31; hæc dixit Jacobus poſtquam luctatus eſt cum Deo, qui illi apparuit ut Angelus. In Libro Judicum, “*Guideon dixit, vidi Angelum Jehovæ facie ad faciem, et dixit illi Jehovah, pax tibi, noli timere, non morieris,*” vi. 22, 23: pariter Manoachus et uxor ejus; Judic. xiii. 22, 23. Et de populo Iſraelitico, “*Facie ad faciem loquutus eſt Jehovah vobiſcum e monte e medio ignis,*” Deut. v. 4: de qua re amplius ita dicitur, “*Videre fecit Jehovah gloriam ſuam, et magnitudinem ſuam, et vocem Ipſius audivimus e medio ignis: hoc die vidimus quod loquatur Deus ad hominem, et vivus maneat,*” Deut. v. 21. Et de Moſe, “*Loquutus eſt Jehovah ad Moſen facie ad faciem, ſicut loquitur vir ad ſocium ſuum,*” Exod. xxxiii. 11. Deut. xxxiv. 10. At ſciendum eſt, quod non ullus homo, ne quidem ullus Angelus poſſit videre faciem Domini, quoniam eſt Divinus Amor, ac nemo ſuſtinet Divinum Amorem, qualis eſt in ſe, foret enim videre faciem Domini ſicut immittere oculum in ipſum ignem ſolis, inde enim momento periret, talis quoque eſt Divinus Amor Domini in ſe ſpectatus, quapropter Dominus illis in Cœlis interioribus apparet ut Sol, et Sol ille circumdatus eſt circulis radioſis multis, qui circuli ſunt involucra unum poſt alterum, ut Divinus Amor temperatus et moderatus procedat ad Angelos in Cœlo, et ſic Angeli ſuſtineant illum; quapropter Dominus ut Sol apparet ſolum Angelis ſuperiorum Cœlorum, at Angelis inferiorum Cœlorum modo apparet ut Lux; et reliquis ut Luna: at uſque apparet Dominus in Cœlo Angelis, ſed tunc ſub forma Angelica, implet enim Angelum ſuo viſu et ſic ſua præſentia e longinquo, et hoc in variis locis, at ubivis accommodate ad bonum amoris et fidei apud illos ubi apparet; ita viſus eſt Dominus Guideoni, ac Manoacho et uxori ejus, tum Moſi et populo Iſraelitico; hoc itaque eſt quod intelligitur per videre Jehovam facie ad faciem, et per videre Jehovam et non mori: quod ipſa facies quoad interiora quæ ſunt Divini Amoris Ipſius, non viſa ſit, patet manifeſte ex eo, quod Moſi dictum ſit *quod nemo poſſit videre faciem Jehovæ et vivere,* Exod. xxxiii. 20; et uſque tamen dicitur, quod viderint Jehovam facie ad faciem; ex quo manifeſte patet, quod videre facies Jehovæ, in locis ſupra adductis, ſignificet videre Ipſum in interioribus Verbi, Eccleſiæ et Cultus, quod tamen eſt videre Ipſum in Externis ab Internis. Quod Gens Judaica fuerit in Externis Verbi, Eccleſiæ et Cultus abſque Internis, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, n. 248: quid Externum abſque Interno, et quid Externum in quo Internum, n. 47 ibi. Quod Gens Judaica talis fuerit, etiam repræſentatum et ſignificatum eſt per “*quod obvelaverint faciem Domini, cæderint illam, et exſpuerint in illam,*” Matth. xxvi. 67. Marc. xiv. 65. Luc. xxii. 64; nam omnia quæ in Verbo memorantur de Paſſione Domini, repræſentant et ſignificant arcana Cœli et Eccleſiæ, ac in ſpecie quales Judæi fuerunt quoad Verbum, Eccleſiam et Cultum; quod ita ſit, videatur ſupra, n. 64, 83, 195 fin. Ex illis quæ hactenus explicata ſunt, ſciri poteſt quid ſignificat facies Jehovæ ſeu Domini, quod nempe Divinum Amorem ac omne Bonum in Cœlo et Eccleſia inde; ex hoc etiam ſciri poteſt quid ſignificatur per abſcondere ſeu occultare facies, ubi de Jehovah ſeu Domino, quod nempe ſit relinquere hominem in ſuo proprio, et inde in malis et falſis quæ ex proprio ejus ſcaturiunt; nam homo in ſe ſpectatus non eſt niſi quam malum et inde falſum, et ab illis detinetur a Domino ut in bono ſit, quod fit per elevationem a proprio; inde conſtare poteſt, quod per abſcondere et occultare facies, cum de Domino, ſignificetur relinquere in malis et falſis, ut in ſequentibus his locis; apud Jeremiam, “*Propter eorum omnem malitiam occultavi facies meas ab urbe hac,*” xxxiii. 5. Apud Eſajam, “*Peccata veſtra abſconderunt facies Dei a vobis, ut non audiverit,*” lix. 2. Apud Ezechielem, “*Avertam facies meas ab illis, ut prophanent arcanum meum, et veniant in illud violenti, et prophanent illud,*” vii. 22. Apud Eundem, “*Cognoſcent gentes quod propter iniquitatem ſuam in captivitatem abiverint filii Iſraelis, et ideo abſconderim facies meas ab illis,*” xxxix. 23. In Threnis, “*Facies Jehovæ diviſit illos, non addet reſpicere illos,*” iv. 16. Apud Micham, “*Jehovah occultabit facies ſuas ab illis, quemadmodum mala reddiderunt opera ſua,*” iii. 4. Apud Davidem, “*Abſcondiſti facies tuas, perturbatus ſum,*” Pſalm. xxx. 8. Apud Eundem, “*Quare facies tuas abſcondis, oblivifceris miſeriæ noſtræ et oppreſſionis noſtræ,*” Pſalm. xliv. 25. Apud Eundem, “*Abſcondis facies tuas, conturbantur; colligis ſpiritum eorum, exſpirant, et ad pulverem ſuum revertuntur,*” Pſalm. civ. 29. Apud Moſen, “*Excandeſcet ira mea contra populum in die illo, et deſeram eos, et occultabo facies meas ab illis, occultando occultabo facies meas in die illo propter omne malum quod fecerunt,*” Deut. xxxi. 17, 18. Apud Eundem, “*Occultabo facies meas ab illis, generatio perverſionum illi,*” Deutr. xxxii. 20. Apud Eſajam, “*Exſpectabo Jehovam, tametſi abſcondit facies ſuas a domo Jacobi,*” viii. 17. Apud Davidem, “*Quouſque Jehovah oblivifceris mei, quouſque occultabis facies tuas a me,*” Pſalm. xiii. 2. Apud Eundem, “*Ne abſcondas facies tuas a me, ne rejicias in ira ſervum tuum,*” Pſalm. xxvii. 8, 9. Apud Eundem, “*Ne abſcondas facies a ſervo tuo, quia anguſtum mihi, feſtina, reſponde mihi,*” Pſalm. lxix. 19. Apud Eundem, “*Quare Jehovah deſeris animam meam, abſcondis facies tuas a me,*” Pſalm. lxxxviii. 15. Apud Eundem, “*Ne abſcondas facies tuas a me, in die quo anguſtia mihi,*” Pſalm. cii. 3. Apud Eundem, “*Reſponde mihi Jehovah,* *ne abſcondas facies tuas a me, et ſimilis fiam deſcendentibus in foveam,*” Pſalm. cxliii. 7. Apud Ezechielem, “ *Cum collegero filios Iſraelis ſuper terram ſuam, tunc non abſcondam amplius facies meas ab iis, quia effundam ſpiritum meum ſuper filios Iſraelis,*” xxxix. 28, 29. Apud Davidem, “ *Non ſprevit neque averſatus eſt miſeriam Iſraelis, neque abſcondidit facies ſuas ab eo, ſed quando clamavit ad Ipſum, exaudivit,*” Pſalm. xxii. 25; dicitur in his locis, quod Jehovah, hoc eſt, Dominus occultet et abſcondat facies ſuas propter iniquitates et peccata, ac rogatur ne occultet et abſcondat, cum tamen nuſquam occultat et abſcondit, nempe Divinum ſuum Bonum ac Divinum ſuum Verum, eſt enim Dominus ipſe Divinus Amor et ipſa Miſericordia, ac vult omnium ſalutem, quare eſt præſens apud omnes et ſingulos, etiam apud illos qui in iniquitatibus et peccatis ſunt, per quam præſentiam dat illis liberum recipiendi Ipſum, hoc eſt, verum et bonum ab Ipſo, quare ſi ex libero volunt, etiam recipiunt; cauſa quod ex libero, eſt ut bona et vera maneant apud hominem, ac ſint apud illum ſicut ipſius; quod enim homo ex libero facit, hoc ex affectione facit, nam omne liberum eſt affectionis, affectio etiam eſt voluntas ejus, quare quod recipitur in libero ſeu ex affectione hominis, hoc intrat voluntatem ejus, et permanet; quod tunc permaneat, eſt quia voluntas eſt ipſe homo, nam in illa reſidet primario vita ejus, at in cogitatione ſeu in intellectu ſecundario; hæc itaque eſt cauſa, quod homo recipere debeat Divinum Bonum et Divinum Verum, cum quibus Dominus ſemper eſt præſens; hoc quoque intelligitur per “ *ecce ſto ad oſtium et pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, et aperuerit oſtium, intrabo ad illum et cœnabo cum illo,*” Apoc. iii. 20: verum cum homo ex libero eligit malum, tunc occludit ſibi oſtium, et ſic non admittit bonum et verum quod a Domino; quare Dominus tunc apparet ut abſens: ex hac apparentia eſt, quod dicatur quod Jehovah occultet et abſcondat facies ſuas, tametſi non occultat et abſcondit: præterea homo tunc quoad ſpiritum ſuum avertit ſe a Domino, unde etiam non percipit bonum nec videt verum quod a Domino; inde etiam apparet, ſicut Dominus non videat illum, cum tamen videt omnia et ſingula ejus; ex hac apparentia etiam eſt, quod dicatur occultare et abſcondere facies ſuas, imo quod dicatur ponere et dare facies ſuas contra eos, tum quod cervice et non faciebus reſpiciat illos, ut in ſequentibus locis; apud Eſajam, “ *Poſui facies meas contra urbem hanc in malum et non in bonum,*” xxi. 10. Apud Eundem, “ *Pono facies meas contra vos in malum, ad exſcindendum totam Jehudam,*” xliv. 11. Apud Ezechielem, “ *Dabo facies meas contra virum illum, et devaſtabo illum, et exſcindam eum e medio populi mei,*” xiv. 7, 8. Apud Eundem, “ *Dabo facies meas contra illos; ex igne exeant, et ignis comedet eos, cum poſuero facies meas contra illos,*” xv. 7. Apud Moſen, “ *Qui comederit ullum ſanguinem, dabo facies meas contra animam hanc, et exſcindam eam,*” Levit. xvii. 10. Apud Jeremiam, “ *Sicut Ventus orientalis diſpergam eos coram hoſte, cervice et non facie reſpiciam eos,*” xviii. 17. Quod homo ſit, qui facies ſuas ponit et dat contra Dominum, et quod avertat ſe a Domino, unde ei malum, conſtat etiam ex Verbo; ut apud Jeremiam, “ *Obverterunt Mihi* *cervicem et non facies,*" xxxii. 33. Apud Eundem, "*Obſirmarunt facies ſuas præ petra, renuerunt reverti,*" v. 3. Apud Eundem, "*Abiverunt in conſiliis ſuis, in obſirmatione cordis ſui mali, factique ſunt retrorſum, et non antrorſum,*" vii. 24. Et apud Eſajam, "*Peccata veſtra abſconderunt facies Dei a vobis,*" lix. 2: quod mali avertant faciem ſuam a Domino, hoc non fit quoad faciem corporis, ſed quoad faciem ſpiritus eorum; homo poteſt vertere faciem ſuam quocunque libet, quoniam in ſtatu libero eſt ad ſe convertendum vel ad Cœlum vel ad infernum, et quoque facies hominis docta eſt mentiri ut appareat coram Mundo; quando autem homo fit ſpiritus, quod fit ſtatim poſt mortem, tunc qui in malis vixerat, prorſus avertit faciem a Domino, ut conſtare poteſt ex illis quæ in Opere de Cœlo et Inferno, n. 17, 123, 142, 144, 145, 151, 153, 251, 272, 510, 552, 561, dicta et oſtenſa ſunt: hoc itaque intelligitur per quod obverterint Mihi cervicem et non faciem, et per quod facti ſint retrorſum et non antrorſum. Quoniam tunc illis malum pœnæ ac infernum, ideo putatur ab illis qui ſe averterunt, quod hoc a Domino, et quod aſpiciat illos facie dura, ac dejiciat in Infernum, et puniat, plane ſicut homo qui in ira eſt, cum tamen Dominus nuſquam aliquem reſpicit niſi ex amore et miſericordia; ex apparentia illa etiam hæc in Verbo dicuntur; apud Eſajam, "*Quando facies formidabilis, non exſpectamus, coram Te montes diffluent,*" lxiv. 2. Apud Davidem, "*Combuſta igne ſucciſa, ab increpatione facierum tuarum perierunt,*" Pſalm. lxxx. 17. Apud Eundem, "*Facies Jehovæ contra facientes malum, ad exſcindendum e terra memoriam eorum,*" Pſalm. xxxiv. 17. Apud Moſen, "*Ecce mitto Angelum coram te, caveto tibi a faciebus Ejus, quia non ſuſtinet prævaricationem veſtram,*" Exod. xxiii. 20, 21. Apud Ezechielem, "*Ducam vos in deſertum populorum, et judicabor vobiſcum facie ad faciem,*" xx. 35. Apud Moſen, "*Cum proficiſcebatur arca, dixit Moſes, ſurge Jehovah, diſpergantur inimici tui, et fugiant oſores tui coram faciebus tuis,*" Num. ix. 35. In Apocalypſi, "*Vidi thronum altum et magnificum, et Sedentem ſuper eo, a Cujus facie fugit terra et Cœlum,*" xx. 11. Hæc nunc dicta ſunt de ſignificatione faciei, ubi de Jehovah ſeu Domino; at facies, ubi de homine, ſignificat animum et affectionem ejus, proinde interiora quæ mentis ejus, et hoc quia animus et affectiones, ſeu interiora quæ mentis hominis ſunt, ſe videnda ſiſtunt in facie, unde eſt quod facies dicatur index animi, eſt quoque facies effigies interiorum hominis, repræſentat enim illa, ac vultus ejus correſpondent illis: quod per facies, ubi de homine, ſignificentur affectiones varii generis, conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Dicunt, recedite a via, declinare facite a ſemita, ceſſare facite a faciebus noſtris Sanctum Iſraelis,*" xxx. 11; ceſſare facite a faciebus noſtris Sanctum Iſraelis, ſignificat a cogitatione et affectione Dominum, ita omne quod eſt Eccleſiæ, Sanctus Iſraelis eſt Dominus; recedere a vero et bono Eccleſiæ, quod a Domino, et in quo eſt Dominus, ſignificatur per recedite a via, declinare facite a ſemita, via et ſemita ſunt verum et bonum Eccleſiæ. In Threnis, "*Facies ſacerdotum non acceptarunt, et ſenum non miſerti ſunt,*" iv. 16: et alibi, "*Principes* *manu eorum ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non honoratæ ſunt,*" Thren. v. 12; facies ſacerdotum non acceptare, ſignificat nihili æſtimare bona Eccleſiæ, quæ ſunt amoris et fidei; ſacerdotes enim repræſentabant Dominum quoad Divinum Bonum, et inde ſignificabant bonum Eccleſiæ, ac facies omnia ejus, quæ ſe referunt ad amorem et fidem; facies ſenum non honorare, ſignificat nihili facere omnia ſapientiæ, ſenes ſignificant ſapientiam, et facies omnia ejus quia interiora; principes manu eorum ſuſpenſi, ſignificat quod rejecta ſit omnis intelligentia, principes ſunt primaria vera ex quibus intelligentia. Apud Moſen, "*Dixit Jacob de Eſavo, expiabo facies ejus munere eunte ante me, et poſtea videbo facies ejus, forte acceptabit facies meas,*" Geneſ. xxxii. 20; expiare facies ejus, ſignificat captare animum ejus; poſtea videre facies ejus, ſignificat cognoſcere quali animo eſt; forte acceptabit facies meas, ſignificat forte benigno animo me recipiet, acceptare facies eſt ex affectione velle alicui bene. Apud Eundem, "*Non inclinabis judicium, non agnoſces facies, nec munus accipies,*" Deutr. xvi. 19; non agnoſcere facies, ſignificat propenſo animo eſſe erga ſuperiores, divites ac amicos plus quam erga viliores, pauperes et inimicos, quia juſtum et rectum abſque ullo reſpectu ad perſonam ſpectabitur. Apud Malachiam, "*Dedi vos contemtos et viles omni populo, eo quod vos non cuſtodientes vias meas, et accipitis facies in lege,*" ii. 9; accipere facies in lege, ſimile hic ſignificat quod ſupra agnoſcere facies in judicio, nempe propenſo animo eſſe et favere ſuperioribus, divitibus et amicis præ vilioribus, pauperibus et inimicis. Apud Eſajam, "*Quid vobis, conteritis populum, et facies paperum commolitis,*" iii. 15; commolere facies pauperum, ſignificat deſtruere affectiones cognoſcendi vera apud illos qui in ignorantia veri ſunt et uſque deſiderant inſtrui, commolere ſignificat deſtruere, facies ſignificant affectiones cognoſcendi vera, et pauperes illos qui in ignorantia veri ſunt et deſiderant inſtrui, hi enim ſunt qui ſpiritualiter pauperes ſunt. Apud Davidem, "*Filia Tyri afferet munus, facies tuas deprecabuntur divites populi, tota glorioſa filia Regis intus, de implexis auri veſtis ejus,*" Pſalm. xlv. 13, 14; per filiam Regis ſignificatur ibi affectio veri ſpiritualis, filia Tyri ſignificat affectionem cognitionum veri et boni; his ditari ſignificatur per quod munus afferet; per divites populi ſignificantur intelligentes, et abſtracte intelligentia veri et boni, his donari ſignificatur per deprecari facies ejus, omnia enim intelligentiæ habitant in affectione veri ſpirituali, quæ itaque per facies ejus ſignificatur: reliqua videantur explicata ſupra, n. 195. Apud Eundem, "*Adhuc confido illi, ſalutes facierum mearum Deus meus,*" Pſalm. xlii. 12. Pſalm. xliii. 5; ſalutes facierum mearum ſignificant omnia quæ intus, ita quæ ſunt mentis et affectionum, proinde quæ amoris et fidei, quæ quia ſalvant vocantur ſalutes. Affectiones malæ, quæ ſunt cupiditates, etiam exprimuntur per facies, quia in faciebus apparent, nam facies eſt forma externa ſeu naturalis interiorum quæ animi et mentis; etiam in Mundo ſpirituali unum faciunt, non enim ibi licet mentiri alias facies quam quæ ſunt affectionum, ita quæ correſpondent interioribus quæ mentis illorum: inde eſt, quod Angeli

Cœli ſint facie illuſtri et venuſta, at ſpiritus infernales ſint facie atra et deformi; quod hæc quoque per facies intelligantur, patet a ſequentibus his locis; apud Eſajam, "*Tormina et dolores apprehendunt, ſicut pariens parturiunt, vir erga ſocium ſuum obſtupeſcunt, facies flammarum facies illorum,*" xiii. 8; agitur ibi de Ultimo Judicio, quando mali immittuntur in interiora ſua, interiora illorum qui in amore ſui et mundi ſunt, et inde in odiis et vindictis, intelliguntur per quod facies flammarum facies illorum, tales etiam illi apparent; cruciatus illorum ex influxu Divini Boni et Divini Veri ſignificantur per tormina et dolores apprehendunt ſicut pariens parturiunt; cruciatus illorum aſſimilantur torminibus et doloribus parturientium, ex ſimili cauſa qua Geneſ. iii. 16, nam mala et falſa tunc conjunguntur, hoc dum fit cum influit Divinum Bonum et Verum, dolores apprehendunt. Apud Ezechielem, "*Dic ſylvæ meridiei, non exſtinguetur flamma flammæ gravis, unde comburentur in ea omnes facies, a meridie uſque ad ſeptentrionem,*" xxi. 3; per ſylvam meridiei intelligitur falſum intra Eccleſiam, proinde illi qui in falſis ſunt ibi, Eccleſia ſignificatur per meridiem, quia in luce veri poteſt eſſe ex Verbo, et falſum ex malo ſignificatur per ſylvam; Eccleſiæ vaſtatio et deſtructio per amorem falſi ex malo, ſignificatur per flammam flammæ gravis, unde comburentur omnes facies; omnes facies ſunt omnia interiora hominum Eccleſiæ quoad affectiones veri et boni, et inde cogitationes; a meridie uſque ad ſeptentrionem ſignificat omnia Eccleſiæ a primis ad ultima, ſeu interiora et exteriora, meridies ſunt interiora ſeu prima Eccleſiæ, et ſeptentrio ſunt exteriora ſeu ultima Eccleſiæ, cauſa quod illa per meridiem et ſeptentrionem ſignificatur, eſt quia in Mundo ſpirituali in plaga meridionali ſunt qui in luce veri ex Domino ſunt, et ſub illis in infernis ibi qui in lumine naturali per quod ſe confirmaverunt in falſis, et in plaga ſeptentrionali ſunt illi qui in obſcuro veri a Domino ſunt, et ſub illis in infernis ibi qui in falſis, ſed non in aliquo lumine naturali per quod confirmaverunt ſua falſa. Apud Joelem, "*Coram illo trepidant populi, omnes facies contraxerunt atrorem,*" ii. 6; agitur ibi de malis et falſis vaſtantibus Eccleſiam, ac de judicio ſuper eos qui in illis; illi qui in falſis ſunt, ſignificantur per populos qui trepidant; interiora eorum quæ in falſis mali, ſignificantur per facies quæ contraxerunt atrorem; facies ſunt interiora, et atror eſt falſum mali; etiam infernales qui in falſis ex malo ſunt, apparent atri in luce cœli. Apud Danielem, "*In extremitate Regni eorum, cum ad ſummum pervenerunt prævaricatores, exſurget Rex durus faciebus,*" viii. 23; hæc dicta ſunt de quatuor cornubus hirci, per quæ intelliguntur ibi quatuor Regna, ſed per Regna ibi non intelliguntur Regna, ſed ſtatus Eccleſiæ, nam per hircum caprarum intelligitur fides ſeparata a charitate, quæ ſola fides vocatur; extremitas Regni eorum ſignificat finem Eccleſiæ, quando non fides quia non charitas; cum ad ſummum pervenerunt prævaricatores, ſignificat quando non amplius verum et bonum ſed falſum et malum; ſimile per illa verba ſignificatur quod per eum conſummata et completa eſt iniquitas, de qua ſupra, n. 297; rex durus faciebus ſignificat non verum ſed falſum in interioribus eorum, rex enim ſignificat verum et in oppoſito ſenſu falſum, facies ſignificant interiora, et durus faciebus ſignificat illa abſque bono, ubi enim non bonum ibi verum eſt durum, nam verum ex bono molle eſt, quia vivum, et id verum uſque eſt falſum in interioribus ſeu in cogitatione eorum, quoniam de illo non cogitant ſpiritualiter ſed materialiter, quia ex corporeis et mundanis et inde ex fallaciis ſenſuum. Apud Ezechielem, "*Filii duri faciebus, et obfirmati corde,*" ii. 4; per filios duros faciebus ſignificantur illi qui in veris abſque bono ſunt, et abſtracte vera abſque bono, quæ in ſe falſa ſunt, ut ſupra dictum eſt; et per obfirmatos corde ſignificantur illi qui non admittunt bonum, proinde qui in malo ſunt, nam malum intrat ubi bonum non poteſt, cor etiam in Verbo ſignificat bonum amoris, ac cor obfirmatum ſignificat ſimile quod cor lapideum, nempe ubi non admittitur bonum amoris, at cor carneum ubi admittitur. Apud Eſajam, "*Lingua eorum et opera eorum contra Jehovam, ad rebellandum oculis gloriæ Ipſius, obfirmatio facierum reſpondet contra eos,*" iii. 9; per linguam et per opera eorum quæ contra Jehovam, ſignificatur cogitatio et affectio, per linguam cogitatio quia lingua eloquitur quod homo cogitat, et per opera affectio quia homo facit quod eſt affectionis ejus; hæc contra Jehovam ſunt, et rebellant oculis gloriæ Ipſius, quando contra Divinum Bonum et contra Divinum Verum ſunt, per Jehovam enim in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum procedens ex Divino Amore Ipſius, et per gloriam Ipſius intelligitur Divinum Verum, contra hoc eſſe ſignificatur per rebellare oculis gloriæ Ipſius; obfirmatio facierum quæ reſpondet contra eos, ſignificat renuentiam ac non admiſſionem Divini Veri et Divini Boni in cogitationes et affectiones, quæ ſunt interiora eorum. Apud Ezechielem, "*Ecce dedi facies tuas obfirmatas contra facies eorum, et frontem tuam obfirmatam contra frontem eorum,*" iii. 8; hæc ad Prophetam dicta ſunt, per quem ſignificatur doctrina veri et boni pugnans contra falſa et mala, quare per facies obfirmatas contra facies illorum ſignificatur rejectio falſorum per vera, et per frontem obfirmatam contra frontem eorum ſignificatur rejectio mali per bonum, facies enim ſignificant affectiones veri et affectiones falſi, et frons ſignificat affectionem boni et affectionem mali; affectio veri et boni obfirmatur et dureſcit extrinſecus ex zelo quando ei pugna eſt contra falſum et malum, alioquin non repellit illa, non autem intrinſecus; inde conſtare poteſt, quomodo illa verba intelligenda ſunt. Quoniam per facies ſignificantur interiora hominis, ſeu quæ ſunt cogitationis et affectionis ejus, inde etiam in Lingua Hebræa Interius ſimili voce denominatur qua facies. Quoniam in Explicationibus varia dicta ſunt de faciebus, quæ forte abſque ulteriore expoſitione ægre poſſunt intelligi, ideo velim adjungere quæ de Faciebus in Arcanis Cœlestibus dicta et oſtenſa ſunt; nempe quod facies ad correſpondentiam interiorum hominis formata ſit, n. 4791 ad 4805, 5695: de correſpondentia faciei et vultuum cum affectionibus mentis, n. 1568, 2988, 2989, 3631, 4796, 4797, 4800, 5165, 5168, 9306: quod inde interiora ex facie eluceant, n. 3527, 4066, 4796. Quod facies unum fecerit cum interioribus apud antiquos, n. 3573, 4326, 5695. Quod etiam unum faciat apud Angelos in Cœlo, et apud homines ſinceros in Mundo, n. 4796, 4797, 4799, 5695, 8250. Quod omnium facies in altera vita tales fiant, qualia eorum interiora ſunt, n. 4798, 5695. Experientiæ de mutationibus faciei ſecundum interiora ibi, n. 4796, 6604. De influxu interiorum mentis, ſeu intellectus et voluntatis in faciem et ejus muſculos, n. 3631, 4800. Quod facies non unum agant cum interioribus apud aſſentatores, ſimulatores, hypocritas et doloſos, n. 4799, 8250: quod facies apud illos docta ſit mentiri ſincera, honeſta et pia, n. 4326. Quomodo influxus e Cerebris in faciem ſucceſſu temporis mutatus ſit, et cum illo ipſa facies quoad correſpondentiam cum interioribus, n. 4326, 8250. Quod naturale hominis ſit ſicut facies interior menti ſpirituali et ejus viſui, n. 5165, 5168. Præterea videantur quæ de faciebus dicta et oſtenſa ſunt in Opere de Cœlo et Inferno, n. 46, 47, 48, 142, 143, 144, 457, 458, 459, 553.

413. Quia venit dies magnus iræ Ejus, quod ſignificet Ultimum Judicium ſuper malos, conſtabit ex locis ſequentibus e Verbo; Ultimum Judicium quod ſignificatur per diem magnum eſt ſuper malos, et quoque ſuper bonos, Judicium ſuper malos vocatur dies indignationis, excandeſcentiæ, iræ et vindictæ, at Judicium ſuper bonos vocatur tempus adventus Domini, annus beneplaciti, annus redemptorum, annus ſalutis. Unuſquiſque tam malus quam bonus judicatur ſtatim poſt mortem cum intrat Mundum ſpiritualem, ubi acturus eſt vitam in æternum, nam tunc ſtatim deſignatur homo vel ad Cœlum vel ad Infernum, qui ad Cœlum is alligatur Societati cuidam cœleſti, in quam poſtea venturus eſt, et qui ad Infernum, is alligatur Societati infernali, in quam poſtea venturus eſt; at uſque intercedit tempus antequam illuc veniunt, ex cauſa præcipue ut præparentur, boni ut eis abſtergantur mala quæ eis adhærent ex corpore et mundo, et mali ut adimantur eis bona quæ extrinſecus adhærent illis ex magiſtris et religione, ſecundum Domini verba apud Matthæum, "*Quicunque habet dabitur ei ut abundantius habeat, quicunque non habet, etiam quod habet auferetur ab eo,*" xiii. 12. Cap. xxv. 29; hæc mora etiam fit ob illam cauſam, ut affectiones, quæ multi generis ſunt, componantur et redigantur ad amorem regnantem, ut homo ſpiritus ſit totus ſuus amor: at uſque multi ex illis, tam mali quam boni, reſervati ſunt ad Ultimum Judicium, ſed ſolum illi mali, qui moralem vitam in externis ex habitu in mundo agere potuerunt, et illi boni qui falſis ex ignorantia et ex religione imbuti ſunt; reliqui autem poſt exactum tempus ab illis ſeparati ſunt, boni in Cœlum elevati, ac mali in Infernum conjecti, et hoc ante Ultimum Judicium. Quod Ultimum Judicium dicatur dies magnus iræ Dei, eſt quia apparet malis, qui dejiciuntur in Infernum, ſicut Deus ex ira et excandeſcentia hoc faciat, quia tunc illis exitium quod deſuper venit et quoque ab Oriente, ubi eſt Dominus ut Sol, et quia tunc in terroribus, doloribus et quoque cruciatibus ſunt; ſed uſque prorſus nulla eſt ira Domino, eſt enim Ipſe Amor et Miſericordia et ipſum Bonum, ac purus Amor et ipſum Bonum non poteſt iraſci, eſt enim id contra eſſentiam Ejus; ſed apparentia illa eſt inde, quando ultimus ſtatus, qui eſt quando mala in terris et ſimul tunc in Mundo ſpirituali tantum

aucta ſunt, ut dominium pendeat a parte illorum, et per id pereat æquilibrium inter Cœlum et Infernum, quo pereunte, Cœli, ubi Angeli, incipiunt laborare, tunc Dominus e Sole intendit virtutem ſuam, hoc eſt, Amorem ſuum ad tutandum Angelos, et ad reſtituendum ſtatum qui laborat et incipit labefactari, ex qua virtute et potentia, Divinum Verum unitum Divino Bono, quod in ſua eſſentia eſt Divinus Amor, penetrat per Cœlos ad inferiora, ubi ſe conſociaverunt mali, et quia illi non ſuſtinent influxum et præſentiam talem Divini Amoris, incipiunt tremiſcere, angi et cruciari, per id enim diſſipantur bona et vera, quæ loquela et actionibus ſolum in externis mentiri edocti ſunt, et aperiuntur interna, quæ non ſunt niſi quam mala et falſa, et hæc quia e diametro oppoſita ſunt bonis et veris, quæ ab interiori influunt, et tamen mala et falſa fecerunt vitam eorum, inde illis tremor, angor et cruciatus, tales, ut non amplius conſiſtere poſſint, unde aufugiunt et ſe conjiciunt in inferna, quæ ſub montibus et petris, ubi in malis et in falſis mali ſui eſſe poſſunt; hoc in ſpecie ſignificatur per verba ſupra explicata, "*Dicebant montibus et petris, cadite ſuper nos, et abſcondite nos a facie Sedentis ſuper throno, et ab ira Agni*:" ex his conſtare poteſt, unde eſt quod dicatur ira Agni, et unde eſt quod Ultimum Judicium dicatur dies magnus iræ Ipſius, tametſi eſt Divinus Amor, cujus operatio in ſe ſpectata eſt ut ſalventur omnes, nam eſt voluntas ſalvandi, ita prorſus non ira, ſed amor. Simile etiam fit, quando malus ſpiritus, qui mentiri poteſt lucis Angelum, aſcendit in Cœlum, quo cum venit, quia non ſuſtinet Divinum Bonum ac Divinum Verum quod ibi, incipit angi et cruciari, uſque adeo ut ſe ſummo niſu dejiciat deorſum, nec quieſcat prius quam in Inferno correſpondente ſuo malo. Ex hac apparentia eſt, tum ex eo quod puniantur dum faciunt mala, quod in Verbo toties tribuatur Jehovæ, hoc eſt, Domino indignatio, ira, excandeſcentia, imo furor et vindicta; ſed omnia illa loca afferre, ubi illa tribuuntur Jehovæ, hoc eſt, Domino, propter copiam hic ſuperſedetur, ſolum aliqua afferrentur, ubi Ultimum Judicium vocatur dies indignationis, iræ, excandeſcentiæ et vindictæ Jehovæ et Dei; ut in ſequentibus; apud Eſajam, "*Ecce Dies Jehovæ venit crudelis, et indignationis et excandeſcentiæ iræ, ad ponendum terram in vaſtitatem, et peccatores ejus perdat ex ea, Cœlum commovebo, concutietur terra e loco ſuo in indignatione Jehovæ, et in Die excandeſcentiæ iræ Ipſius*," xiii. 9, 13; per diem crudelem et excandeſcentiæ iræ Jehovæ intelligitur Ultimum Judicium; et quia malum eſt quod excandeſcit et falſum quod iraſcitur, ideo dicitur dies excandeſcentiæ iræ; per terram quæ ponetur in vaſtitatem et quæ concutietur e loco ſuo, intelligitur terra quæ in Mundo ſpirituali, nam ibi æque terræ ſunt ut in noſtra Tellure, et illæ terræ, cum perſtat Ultimum Judicium, ponuntur in vaſtitatem, et concutiuntur e loco ſuo, nam tunc montes et colles evertuntur, et valles deſidunt in paludes, ac facies omnium ibi mutatur: at uſque per terram in ſpirituali ſenſu intelligitur Eccleſia utrobivis, nam in Mundo ſpirituali facies terræ ſimilis eſt ſtatui Eccleſiæ apud illos qui ſuper terra ibi habitant, quapropter cum perit Eccleſia etiam perit terra, nam unum faciunt; et tunc loco prioris terræ nova exiſtit: ſed hæ mutationes ignotæ ſunt nobis in noſtris terris, quæ tamen propalandæ ſunt, ut ſciatur quid intelligitur per quod terra ponetur in vaſtitatem et concutietur e loco ſuo. Apud Zephaniam, “*Quum nondum venit ſuper vos excandeſcentia iræ Jehovæ, dum nondum venit ſuper vos dies iræ Jehovæ: forte abſcondemini in die iræ Jehovæ,*” ii. 2, 3; etiam hic per excandeſcentiam iræ et per diem iræ Jehovæ, intelligitur Ultimum Judicium. In Threnis, “*Non recordatur ſcabelli pedum ſuorum in die iræ ſuæ,*” ii. 1; per ſcabellum pedum Jehovæ intelligitur Cultus Domini in Mundo naturali, ex cauſa quia univerſum Cœlum una cum Eccleſia in Mundo coram Domino eſt inſtar unius Hominis, videatur in Opere de Cœlo et Inferno, n. 78 ad 86; Intimum Cœlum facit caput, reliqui pectus et crura, et Eccleſia in terris facit pedes, inde quoque eſt quod pedes ſignificent naturale; etiam Cœli inſiſtunt Eccleſiæ quæ apud Humanum Genus ſicut homo ſuis pedibus, ut conſtare poteſt ex illis quæ in eodem Opere, n. 87 ad 102, ac 291 ad 302, oſtenſa ſunt; quia Ultimum Judicium venit, quando non amplius fides quia non charitas, ita quando finis Eccleſiæ eſt, patet, quid intelligitur per non recordatur Scabelli pedum ſuorum in die iræ ſuæ. Et alibi, “*Non in die iræ Jehovæ evaſor et reſiduus; quos educavi et nutrivi, hoſtis meus conſumſit,*” Thren. ii. 22; dies iræ Jehovæ eſt Ultimum Judicium; quod tunc non bonum amoris et verum fidei amplius in Eccleſia, ſed malum et falſum, ſignificatur per non evaſor et reſiduus, quos educavi et enutrivi hoſtis meus conſumſit; non evaſor et reſiduus ſignificat non bonum et verum, quos educavi et nutrivi ſunt illi qui ab Eccleſia, quibus omnis cibus ſpiritualis, ſeu cognitio boni et veri ex Verbo eſt, hoſtis qui eos conſumſit eſt malum et falſum. In Apocalypſi, “*Venit ira tua, tempus mortuos judicandi, et dandi mercedem ſervis tuis et timentibus Nomen tuum, et perdendi perdentes terram,*” xi. 18; ex his patet, quod per iram ſeu diem iræ intelligatur Ultimum Judicium, nam dicitur venit ira tua, tempus mortuos judicandi. Apud Eſajam, “*Dies vindictæ in corde meo, et annus redemptorum meorum venit; conculcavi populos in ira mea, et inebriavi eos in excandeſcentia mea,*” lxiii. 4, 6; agitur ibi de pugnis Domini, quibus ſubjugavit Inferna, ita de Ultimo Judicio quod ab Ipſo factum eſt cum fuit in Mundo, nam per pugnas, quæ fuerunt Tentationes in Se admiſſæ, ſubjugavit illa, ac Ultimum Judicium fecit; hoc Judicium eſt, quod intelligitur per diem iræ et excandeſcentiæ Jehovæ in Verbo Veteris Teſtamenti: ſed Ultimum Judicium quod hodie a Domino peractum eſt, intelligitur per diem iræ Ipſius in Apocalypſi; quod Ultimum Judicium factum ſit a Domino cum fuit in Mundo, videatur in Opere de Ultimo Judicio, n. 46; ſubjugatio infernorum ſignificatur ibi per conculcavi eos in ira mea, et inebriavi eos in excandeſcentia mea; annus redemptorum ſignificat judicium ſuper bonos qui ſalvati ſunt. Apud Eundem, “*Spiritus Domini Jehovih ſuper me, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovæ, et diem vindictæ Deo noſtro, ad conſolandum omnes lugentes,*” lxi. 2. Apud Eundem, “*Dies vindictæ Jehovæ, annus retributionum pro lite Zionis,*” xxxiv. 8; per diem vindictæ Jehovæ ſimiliter ac per diem iræ et excandeſcentiæ Ipſius ſignificatur Ultimum Judicium, tribuitur enim Jehovæ ſeu Domino vindicta ex ſimili cauſa ex qua ira et excandeſcentia, nempe ex apparentia, quod illi qui negarunt Divinum, et hoſtili corde et animo fuerunt contra bona et vera Eccleſiæ, proinde contra Dominum a quo illa, qui omnes ſunt qui male vivunt, in Infernum dejiciantur; quod quia fit cum illis ſicut cum hoſtibus, tribuitur Domino vindicta ſicut ira, de qua re ſupra; annus retributionum ſignificat ſimile quod dies vindictæ, ſed dicitur de falſis, at dies vindictæ de malis; lis Zionis ſignificat rejectionem veri et boni Eccleſiæ, Zion eſt Eccleſia. Præterea tempus Ultimi Judicii aliis in locis vocatur dies Jehovæ, dies viſitationis, dies occiſionis, et dies adventus; dies adventus Domini apud Malachiam, Cap. iii. 2: et apud Matthæum, Cap. xxiv. 3, 27, 37, 39.

414. Et quis poteſt ſtare, quod ſignificet quis ſuſtinebit et vivet, conſtat ex ſignificatione ſtare, cum coram Domino, quod ſit ſuſtinere et vivere, hic non poſſe ſuſtinere et vivere; nam, ut ſupra dictum eſt, mali ex influxu et inde præſentia Domini, hoc eſt, Divini Boni ac Divini Veri fortiter et potenter exeuntis et procedentis ab Ipſo, non modo in tremores ex formidine, ſed etiam in cruciatus ex interiori conflictu veniunt, quare niſi inde fugiant et ſe dejiciant, non poſſunt vivere, obvenit enim ex tremore et cruciatu ſicut mors; præſentia enim Divini mortificat malos ſicut vivificat bonos: ex hoc ſtatu eorum tunc dicitur, quis poteſt ſtare, ut quoque apud Malachiam, "*Quis ſuſtinet diem adventus Ipſius, et quis ſtabit cum apparuerit*," iii. 2: apud Nahum, "*Coram indignatione Ipſius quis conſiſtet, et quis ſtabit in excandeſcentia iræ Ipſius*," i. 6: et apud Joelem, "*Magnus eſt dies Jehovæ et terribilis valde, et quis ſuſtinebit eum*," ii. 11. Præterea vox ſtare, ſicut ambulare et ſedere in Verbo ſignificat eſſe et vivere; et ſtare ſimile quod conſiſtere et ſubſiſtere, ut apud Lucam, "*Reſpondens Angelus Sachariæ, ego ſum Gabriel ſtans coram Deo*," i. 19: et apud Eundem, "*Vigilate omni tempore, ut digni habeamini ad ſtandum coram Filio hominis*," xxi. 36; et alibi. Et quia ſtare quoque ſignificat eſſe, etiam dicitur de Jehovah, apud Eſajam, "*Jehovah ſtitit Se ad litigandum, et ſtans ad judicandum*," iii. 13: et apud Davidem, "*Deus ſtetit in Cœtu Dei, in medio deorum judicabit*," Pſalm. lxxxii. 1; ſed unde hoc quod ſtare ſignificet eſſe, alibi dicetur.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

BRITISH
27 MY 1913
MUSEUM

b